THESAURUS
PONTIFICIARUM
SACRARUMQUE ANTIQUITATUM
NECNON
RITUUM, PRAXIUM
AC CÆREMONIARUM

Additis pluribus Quæſtionibus ac Reſolutionibus ſupra Dubia nonnulla inſigniora ex Sacra Scriptura deſumpta, & Chronhiſtoria, ejuſque Supplemento Sacrarii Apoſtolici unâ cum illius Præfectis ac Bibliothecariis, Cuſtodibus, atque novis inſcriptionibus uſque ad præſens Bibliothecæ Vaticanæ

AUCTORE

FR. ANGELO ROCCA CAMERTE

ORDINIS S. AUGUSTINI

Sacrarii Apoſtolici Præfecto, ac Epiſcopo Tegaſten.

Accedunt in principio Primi, & Secundi Tomi Index Tractatuum, ac duo Indices Generales rerum notabilium.

EDITIO SECUNDA ROMANA CUM PLURIBUS ÆNEIS FIGURIS.

TOMUS SECUNDUS.

BIBLIOTHEQUE DES P.P. FRANCISCAINS PARIS

ROMÆ MDCCXLV.

Sumptibus FAUSTI AMIDEI Bibliopolæ in Via Curſus.

Typis Bernabò; & Lazzarini. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/thesauruspontifi02rocc

Eminentissimo, ac Reverendissimo

PRINCIPI

BENEDICTO PAMPHILIO

S. R. E.

CARDINALI BIBLIOTHECARIO.

ALOYSIUS CONTI

Perennem Felicitatem.

T Operum Angeli Rocchæ, pietate doctrinâque celeberrimi, Tomum alterum Tibi inscriberem, EMINENTISSIME PRINCEPS, non illæ me dumtaxàt rationes adduxerunt, quæ

tametsi mihi quàm cæteris sint potiores, jam tamen propè universi in libris nuncupandis prætendere consueverunt; ut nimirùm animi ergà Te mei observantiam singularem publico monumento testatam facerem, ac simul etiam à Generis, ac Virtutis Tuæ amplitudine Patrocinium Editioni meæ, ac splendorem accesserem; Sed potissimùm, quòd ipsa Tuæ Dignitatis jura debitum hoc reverentiæ officium deposcere, atque Opus ipsum non alium sibi Patronum postulare videretur. Jam tum enim cùm Sedes Apostolica gravissimo, ac Sapientissimo CLEMENTIS XI. P. M. *judicio Bibliothecarium Te sibi delegit, & quos ipse clientes habere & admittere, & quo Præside docti Viri, literæque omnes benè sperare & proficere deberent, designavit; ac Bibliothecæ Apostolicæ Vaticanæ, quam summam literarum Arcem doctissimi Viri meritò nuncupaverunt, Te præficiendum censuit, ut Virtutum tuarum ornamenta ad communem Sacrorum Studiorum omniumque Disciplinarum utilitatem & incrementum redundarent. Itaque honorificentissimo quidèm testimonio doctrinam eruditionemque Tuam prosecuta est, cùm Te amplissimo isto munere ornavit; & cùm Sapientiam,*

Gra-

Gravitatem & Juſtitiam Tuam in maximis negotiorum Procurationibus & Legationibus laudaſſet ; quàm exquiſitâ bonarum Artium cognitione valeres , & quàm propenſo ad fovendam rem literariam ſtudio ducereris , in ea provincia Tibi commendanda declaravit . Inter has autem Rocchæ Lucubrationes, quas Tibi dicandas offerendaſque collegi , eminet maximè Vaticana Bibliotheca , quam Præſul clariſſimus publicæ literatorum hominum curioſitati reſeravit . Ipſam igitur , quam tueri & augere ſatagis , erudito Rocchæ Commentario illuſtratam , ſimulque animi mei cultum conſuetâ benignitate Tuâ excipere ne dedigneris.

Romæ Kalendis Auguſti A. D. MDCCXIX.

1719

IN-

INDEX OPERUM,

Quæ continentur in Secundo Tomo.

I.

Bibliothecæ Theologicæ,& Scripturalis Epitome, ſivè Index, ordine alphabetico digeſtus. Pag. 1.

II.

Speculum Epiſcopale. *Ined.* Pag. 119.

III.

Vitæ Humanæ Speculum Climacterium, Philoſophicum, Hiſtoricum, ac Theologicum. *Ined.* Pag. 143.

IV.

Bibliotheca Apoſtolica Vaticana, Commentario illuſtrata. Pag. 159.

V.

Bibliothecæ Vaticanæ Appendix. Pag. 291.

VI.

Bibliothecæ Vaticanæ Appendix nova. *Ined.* Pag. 355.

VII.

S. Gregorii Magni, ejuſque Parentum Imagines. Pag. 368.

VIII.

S. Silveſtri Pars Mitræ, nec non ejuſdem, S. Martini, ac Honorii Summorum Pontificum Calcei, ſivè Sandalia. Pag. 379.

IX.

Scholia in Librum Sacramentorum B. Gregorii Magni. Pag. 381.

X.

Index rerum inſignium, quæ in Vita B. Gregorii Magni à Joanne Diacono conſcripta narrantur. Pag. 394.

XI.

De Tabulis Donariorum marmoreis Romæ à B. Gregorio Magno SS. Apoſtolis Petro, & Paulo dicatis. Pag. 406.

XII.

Spoſizione intorno all'Orazione Domenicale. Pag. 411.

XIII.

Sette Settenarii intorno alle Sette Petizioni dell' Orazione Domenicale. Pag. 456.

BI-

INDEX OPERUM

Quæ continentur in Secundo Tomo.

I.

Bibliothecæ Theologicæ,& Scripturalis Epitome, ſive Index, ordine alphabetico digeſtus. Pag. 1.

II.

Speculum Epiſcopale. *Ined.* Pag. 119.

III.

Vitæ Humanæ Speculum Climactericum, Philoſophicum, Hiſtoricum, ac Theologicum. *Ined.* Pag. 143.

IV.

Bibliotheca Apoſtolica Vaticana, Commentario illuſtrata. Pag. 159.

V.

Bibliothecæ Vaticanæ Appendix. Pag. 291.

VI.

Bibliothecæ Vaticanæ Appendix nova. *Ined.* Pag. 355.

VII.

S. Gregorii Magni, ejuſque Parentum Imagines. Pag. 368

VIII.

S. Silveſtri Pars Mitræ, necnon ejuſdem, S. Martini, ac Honorii Summorum Pontificum Calcei, ſive Sandalia. Pag. 379.

IX.

Scholia in Librum Sacramentorum B. Gregorii Magni. Pag. 381.

X.

Index rerum inſigniorum, quæ in Vita B. Gregorii Magni à Joanne Diacono conſcripta narrantur. Pag. 394.

XI.

De Tabulis Donariorum marmoreis Romæ à B. Gregorio Magno SS. Apoſtolis Petro, & Paulo dicatis. Pag. 406.

XII.

Spoſizione intorno all'Orazione Domenicale. Pag. 411.

XIII.

Sette Settenarii intorno alle Sette Petizioni dell' Orazione Domenicale. Pag. 456.

BIBLIOTHECA ANGELICA

Ad Portæ Bibliothecæ dexteram Inſcriptio marmore inciſa.

FRATER. ANGELVS. ROCCA . CAMERS . EPISCOP. TAGASTENSIS
ORDINIS . FRATRVM . EREMITARVM . SANCTI . AVGVSTINI . ALVMNVS
ET . APOSTOLICI . SACRARII . PRÆFECTVS
BIBLIOTHECAM
OMNI . ARTIVM . ET . SCIENTIARVM . GENERE . REFERTISSIMAM
VIRORVM. ITEM . ILLVSTRIVM . ICONIBVS . AD . DIVVM . EXPRESSIS
ORNATAM
LONGO . TEMPORVM . SPATIO .
MAGNOQ. LABORE . AC . SVMPTV . COMPARATAM
COENOBIO . S. AVGVSTINI . VRBIS . STVDIOSORVMQVE . OMNIVM
NON . SOLVM . RELIGIOSORVM
SED . ETIAM . CLERICORVM . ET. LAICORVM . COMMODITATI
DAT . DICAT . DONAT.
VT . ANIMI . GRATI . PIETATEM . ERGA . FAMILIAM . AVGVSTINIANAM
PARENTEM . ALTRICEM . SVAM
ET. ERGA.LITTERATOS. LITTERARVMQVE. AMATORES. PROPENSIONEM
VIVIS . POSTERISQVE . PATEFACIAT
ANNO . SALVTIS . MDCV.

Ad Portæ Bibliothecæ levam Inſcriptio marmore inciſa.

CAVTVM . EST . VT . NE . QVIS . HANC . BIBLIOTHECAM
VEL . MINIMAM . EIVSDEM . BIBLIOTHECÆ
SEV . LIBRI . SIVE . CVIVSCVMQVE . ALTERIVS . REI
IN . DIPLOMATE . PONTIFICIO . CONTENTÆ
PARTEM . AVFERRE . ABSTRAHERE . ALIOVE
ETIAM . STVDENDI . COMMODITATE . ASPORTARE . AVDEAT
QVI . SECVS . FECERIT
ANATHEMATIS . VINCVLOS . STATIM . ALLIGATVS . ESTO .
NON . NISI . A . SVMMO . PONTIFICE . ABSOLVENDVS
QVI. VERO. DICTAM. BIBLIOTHECAM. VEL. MINIMAM. ITEM. EIVS. PARTEM
VENDERE. AVT. VLLO. PACTO. AB. HAC. DOMO. ALIENARE. AVSVS. FVERIT
PRÆTER . EXCOMMVNICATIONIS . LATÆ . SENTENTIÆ . POENAM
BIBLIOTHECAM . IPSAM . VNIVERSAM
CVM . OMNIBVS . ET . SINGVLIS . REBVS . AD . EAM . SPECTANTIBVS
AD . CAMERAM . APOSTOLICAM . PRO . BIBLIOTHECA . VATICANA
ILLICO . DEVOLVTAM . ESSE . SCITO

BIBLIOTHECÆ
THEOLOGICÆ, ET SCRIPTURALIS
EPITOME,
SIVE
INDEX
Ordine alphabetico digeſtus.

Veteris Teſtamenti diviſio.

Vetus Teſtamentum in ſex dividitur partes; quarum alia eſt

- Politica, quæ legis Moſaicæ continet quaſi ſummam, ut in Pentateucho; cujus velutì partes ſunt:
  - Geneſis.
  - Exodus.
  - Leviticus.
  - Numeri.
  - Deuteronomium.
- Chronica, quæ ſacram deſcribit hiſtoriam, & decem abſolvitur libris, videlicèt:
  - Joſue.
  - Judicum lib.
  - Ruth.
  - Regum IIII.
  - Paralip. II. abſque Oratione [Manaſſe.
  - Eſdræ II.
  - Tobias.
  - Judith.
  - Eſther.
  - Machabæorum II.
- Poetica, ſivè hymnidica, & quaſi decantativa; cujus partis libri ſunt tres:
  - Pſalmorum.
  - Threnorum.
  - Canticorum.
- Dialectica, & diſputativa; quo in genere verſantur libri duo:
  - Job.
  - Eccleſiaſtes.
- Oratoria, quæ prophetica dicitur, ſeù quaſi declamatoria, & dividitur in homilias, vel ſermones:
  - Iſaiæ.
  - Hieremiæ.
  - Baruch.
  - Ezechielis.
  - Danielis.
  - Et in libros 12. Prophetarum.
    - Oſee.
    - Johelis.
    - Amos.
    - Abdìæ.
    - Jonæ.
    - Michææ.
    - Nahum.
    - Abacuc.
    - Sophoniæ.
    - Aggæi.
    - Zachariæ.
    - Malachiæ.
- Ethica, ſivè Moralis, de qua in tribus agitur lib. ſcilicèt:
  - Proverbiorum.
  - Sapientiæ.
  - Eccleſiaſtici.

Novi Teſtamenti diviſio.

- Librorum Novi Teſtamenti, alii
  - Evangelia
    - Matthæi.
    - Marci.
    - Lucæ.
    - Joannis.
  - Epiſtolæ, ſivè cathecheſes, aut
    - Univerſales
      - Jacobi Apoſtoli una.
      - Petri Apoſtol. Principis duo.
      - Joannis Apoſt., & Evang. tres.
      - Judæ una.
    - Particulares
      - Paulinæ 14. ſcriptæ ad certos, vel
        - Populos, ad
          - Romanos 1.
          - Corinthios 2.
          - Galatas 1.
          - Epheſios 1.
          - Philippenſes 1.
          - Coloſſenſes 1.
          - Theſſalonicenſes 2.
          - Hebræos 1.
        - Perſonas ad
          - Timotheum 2.
          - Titum 1.
          - Philemonem 1.
  - Acta Apoſtolorum, quæ primitivę Eccleſiæ continent
    - Praxim.
    - Uſum.
    - Executionem.
  - Apocalypſis, idèſt Revelatio B. Joannis, in quo libro deſcribitur futurus Eccleſiæ ſtatus.

Librorum Veteris, ac Novi Teſtamenti conſonantia.

LIBRI LEGALES.

- Geneſis liber
- Exodi liber
- Levitici liber
- Numer. liber.
- Deuteronomii liber.

Quibus in Novo Teſtamento reſpondent 4. Evangelia.

- Matthæi.
- Marci.
- Lucæ.
- Joannis.

LIBRI HISTORIALES.

- Joſue liber.
- Judicum liber.
- Ruth liber.
- Regum libri 4.
- Paralipomenon libri 2.
- Eſdræ libri 2.
- Tobiæ liber.
- Judith liber.
- Eſther liber.
- Job liber.
- Machabæorum libri 2.

Quibus in Novo correſpondent

- Acta Apoſtolorum.

LIBRI SAPIENTIALES.

- Pſalmorum liber.
- Proverbiorum liber.
- Cantica Canticorum.
- Eccleſiaſtes liber.
- Sapientiæ liber.
- Eccleſiaſtici liber.

Quibus in Novo reſpondent Epiſtolæ,

- Pauli 14.
- Canonicæ 7.

Librorum Veteris, ac Novi Teſtamenti conſonantia.

LIBRI PROPHETARUM MAJORUM.

Iſaiæ liber
Jeremiæ liber, cum Baruch.
Ezechielis liber.
Danielis liber.

LIBRI PROPHETARUM MINORUM.

Oſee liber.
Joelis liber.
Amos liber.
Abdiæ liber.
Jonæ liber.
Michææ liber.
Nahum liber.
Abacuc liber.
Sophoniæ liber.
Aggæi liber.
Zachariæ liber,
Malachiæ liber.

} Quibus in Novo reſpondet lib. Apocalypſis.

Scripturæ Sacræ ſenſuum diviſio, & explicatio.

Scripturæ Sacræ ſenſus, vel eſt
- Litteralis, qui duplex eſt
  - Proprius.
  - Metaphoricus.
- Myſticus, qui triplex eſt
  - Moralis, vel Tropologicus.
  - Allegoricus.
  - Anagogicus,

Senſuum explicatio.

Litera geſta docet, quod credas Allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

Vel ſic
- Hiſtoria docet factum,
- Tropologia faciendum.
- Allegoria credendum.
- Anagogia appetendum.

Senſuum explicatio per hanc dictionem Hieruſalem.

Hieruſalem
- Hiſtoricè eſt civitas terrena.
- Tropologicè eſt typus animæ fidelis,
- Allegoricè, typus Eccleſiæ militantis.
- Anagogicè, typus Eccleſiæ triumphantis,

JUDICIUM

De utilitate, quam quiſque ex aliquot primariis Scripturę Sacrę Expoſitoribus conſequi poteſt.

Hieronymus.
Hiſtoriam ex Hebraicis, Græciſque fontibus hauſtam docet; doctrinamque ſuis in Epiſtolis dat, & in Prophetis.

Ambroſius, & Origènes.
Doctrinam Allegoriis, & Anagogiis refertam luculentèr, & eruditè præbent.

Gregorius, & Chryſoſtomus.
Senſus moribus formandis, ſacriſque Concionatoribus aptos non minùs doctè, quàm eloquentèr exponunt.

Aurelius Auguſtinus.
Dubiis in rebus, lociſque merſis caligine, & intellectu difficillimis dogmaticè fert lucem, & contrà hæreticos acerrimè pugnat, & exactè.

Thomas, & Bonaventura.
Brevem, ac facilem, ſolidamque doctrinam prębent cum pietate conjunctam; quorum alter Angelicè, alter Seraphicè,

Hugo Card. Lyranus, & Dionyſius Carthuſianus.
Brevem, ac facilem, tyronique non ſpernendam expoſitionem afferunt, utrumquè Teſtamentum exponentes.

Septuaginta duo Viri Natione Hebræi; quorum ſex ex Tribu qualibet accerſiti fuerunt à Ptolomæo Philadelpho, ſecundo Ægypti Rege, ad univerſum Teſtamentum vetus ex hebraica lingua in Græcam transferendum.

Joſephus, Ezechias, Zacharias, Joannes, Ezechias, Eliſæus ex Tribu Juda.
Judas, Simon, Samuel, Adeus, Matthias, Eſchemias ex Tribu Ruben.
Nehemias, Joſephus, Theodoſius, Beſeas, Ornias, Datis ex Tribu Gad.
Jonathas, Auxeas, Eliſæus, Ananias, Chabrias, Sachus ex Tribu Aſer.
Jaſachus, Jacobus, Jeſus, Gabatheus, Simon, Levi ex Tribu Nephtalim.
Judas, Joſephus, Simon, Zacharias, Somelus, Selemias ex Tribu Manaſſe.
Sabatheus, Jaſon, Jeſus, Theodorus, Joannes, Jonachas ex Tribu Simeon.
Theodoſius, Jaſon, Jeſus, Theodorus, Jonas Jonathan ex Tribu Levi.
Theophilus, Abraham, Arſamis, Jaſon, Endemias, Daniel ex Tribu Iſachar.
Jeremias, Eleazarus, Zacharias, Baneas, Eliſæus, Datheus ex Tribu Zabulon.
Samuel, Joſephus Judas, Joathes, Cabel, Doſitheus ex Tribu Ephraim.
Iſaelus, Joannes, Theodoſius, Arſamenes, Abjetas, Ezecelus ex Tribu Beniamin.

Claruerunt anno antè Chriſti ortum 350.

INDEX THEOLOGICUS, ET SCRIPTURALIS.

De Excellentiâ, & sublimitate Scripturæ Sacræ.

Tom.3. lib.2. in Gen.c.5. in fine.

AJOR est Scripturæ Sacrę auctoritas, ut Sanctus asseverat Augustinus, quàm humani ingenii perspicacitas. Ejus sublimitas, & excellentia tanta est, Gregorio teste, ut omnem scientiam, omnemque doctrinam sinè aliqua comparatione transcendat. Ipsa enim vera prædicat, ad cælestem patriam vocat, æternis desideriis ad superna amplectenda cor legentis immutat, dictis obscurioribus exercet fortes, & parvulis humili sermone blanditur; nec sic clausa, ut paveſci debeat; nec sic patet, ut vilescat, usu fastidium tollit, & tantò ampliùs diligitur, quantò ampliùs meditatur: legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus sensibus levat; aliquo modo cum legentibus crescit, à rudibus lectoribus sempèr recognoscitur, dictisque sempèr nova reperitur. Scientias prætereà omnes, atquè doctrinas, ut dictum est, ipso suæ locutionis more antecellit: uno, eòdemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium. Est item, ut ait Augustinus, *sincera, & solida res, non fucatis eloquiis ambit ad animum, nec ullo linguæ tectorio iuane aliquid, aut pondulum crepat.* Ejusdem Sacræ Scripturæ tanta est profunditas, ut idem Augustinus de se ipso dixerit hunc in modum: *Si eam solam ab ineunte pueritia usquè ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarer addiscere (non quod ea, quæ necessaria sunt saluti, tantâ in eis perveniatur difficultate) sed cùm quisquè ibi fidem tenuerit, sinè qua piè, rectèque non vivitur, tàm multa, tàmque multiplicibus mysteriorum umbraculis opacata, intelligenda proficientibus restant; tantaquè non solùm verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiàm in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut ansiosissimis, acutissimis, fragantissimisque cupiditate discendi, hoc contingat, quod in Ecclesiastico habetur, Hoc est: Cùm consummaverit homo, tùnc incipiet:* Ipsius denique Scripturæ Sacræ excellentia, omnium rerum sublimitati à Sancto Bonaventura comparatur, & proptèr altitudinem dignitatis *eminentissima* rectè appellatur, *effluentissima* proptèr plenitudinem bonitatis, *perspicuissima* proptèr pulchritudinem honestatis, *efficacissima* proptèr magnitudinem virtutis, *communissima* proptèr amplitudinem charitatis, quæ communissima habitudo dici debet.

Greg. 10. lib. Mor. c.1.

Epist. 1. t.2.

Tom.2.Epist. 3. non procul à principio.

Eccl.3.

Tom. 1. in princ. Sacræ Scripturæ.

De Utilitate Sacræ Scripturæ.

SCriptura omnis divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, & ad erudiendum in justitia, teste Paulo, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Hinc ait Sanctus Augustinus: *Nihil est, quòd Scripturam accusemus, si fortè nos in illa non intellecta in animo deviemus. Cùm ipsam intelligimus recti sumus; cùm autèm eâ non intellectâ pravi sumus, ipsam rectam dimittimus; non enim eam depravati depravamus; sed illa stat recta, ut ad illam corrigendi redeamus.* Hæc enim nostræ doctrinæ regula nuncupatur, quia eodem Augustino teste, non præcipit nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Non asserit nisi catholicam fidem rebus præsentibus, præteritis, & futuris. Præsentium demonstratio, est præteritorum narratio, futurorum prænunciatio. Hæc autèm omnia ad charitatem nutriendam, & cupiditatem vincendam, & extinguendam valent. Idem Augustinus alio in loco concludit *in ea omnem morbum medicamentum suum habere.* Et in libro contra Faustum, *Mundi nitorem* appellat dicens: *Scriptura Sacra tanquàm sæculi nitor nullius accipit adulandam personam; sed laudanda, & vituperanda hominum facta, vel ipsa judicat, vel legentibus judicanda proponit; nec solùm homines ipsos, vel vituperabiles, vel laudabiles intimat, verùm etiàm quædam in vituperubilibus laudanda, & vituperanda in laudabilibus non tacet. Quid enim,* ait,

2. Tim.3.

Serm. de cõmun. tom.10.

Aug. lib.2. de doctr. chr. tom.3.

In Psal.36.ser. 1. tom.2. Tom.6. c.65.

Ibid.96.

ait, *utilius, vel salubrius piè legentibus, vel audientibus Scripturam Sacram consuli, ac prospici potuit, quàm ut non solùm in ea laudabiles ad imitandum, & reprehensibiles ad cavendum proponerentur, verùm etiàm bonorum declinationes, & lapsus in malum; sivè denuò correcti in viam redeant, sivè irrevocabiles maneant: & rursùs malorum immutationes, & provectus in bonum, sivè perseveraturi, sivè iterùm relapsuri; ut neque justi in superbiam securitate extollantur; nec iniqui medicinæ desperatione obdurentur.* Hinc idem Augustinus libro de Natura, & Gratia, Scripturam Sacram *speculi nitorem* appellat, quippè quæ admotarum sibi personarum non tantùm quæ pulchra sunt, atquè integra, sed etiam quæ deformia, & vitiosa sunt patefacit. Non enim vitia, quæ commemorat, necesse est comprobare: sed potiùs necesse est, ut quantò illa religiosiùs accipimus, tantò fidentiùs illa culpemus, quæ per veritatem certiùs culpanda didicimus. In Sacra igitur Scriptura omne genus boni tanquàm in speculo cernitur. Quare quidquid homo, eodem Augustino teste, extrà Sacram Scripturam didicerit; *Si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur.* Et cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utilitèr alibi didicit, multò abundantiùs ibi ea inveniet, quæ nusquàm omninò alibi: sed in ipsarum tantummodò scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur. Hoc autem speculum, ut idem Augustinus ait; *neminem palpat, sed qualis es, talem rem tibi demonstrat. Intende, & vide; si ibi est aliquid, quod offendat, abi confusus, & redi correctus.* Ex his igitur omnibus colligi potest, tantam in Scriptura Sacra utilitatem comprehendi, quantam mente concipere nemo potest.

Tom.3e

Lib.2. de doctrin. Christ. c.42. tom.5.

De tẽp. Sarb. ante med. t.9.

Qualis Lector debeat esse Scripturæ Sacræ.

In Gen. lib.5. c.1. in fine.

HUmilitatem, & pietatem ante omnia in Lectore Sacra Scriptura requirit, sicut ex verbis Augustini perspici potest, qui ait: *Scriptura Sacra sic loquitur, ut altitudine suâ superbo irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat.* Hinc injustis injusta, insipientibus stulta, obscœnis immunda, vanis superflua videtur, ut Sanctus Bonaventura demonstrat. Justis autèm, & sapientibus, mundis, & rectis corde, contrario modo se se offert, atquè ostendit: quià, ut ait Augustinus; *Palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis, & oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis.* Talem se olim fuisse fatetur idem Augustinus: qui etiàm antè suam plenam conversionem ad Christum loquens, elationem, & imbecillitatem, atquè imperfectionem suam hunc in modum declaravit: *Institui, animum intendere in Scripturas Sacras, ut viderem quales essent; & ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysteriis. Et non eram ego talis, ut intrare possem in eam, aut cervicem inclinare ad ejus gressus. Non enim sicùt modò loquor, ità sensi, tùm attendi ad illam Scripturam; Sed visa est mihi indigna, quàm dignitati Tullianæ compararem; tumor enim meus refugiebat modum illius, & acies mea non penetrabat interiora ejus. Verùmtamèn illa erat, quæ crescceret cum parvulis; sed ego dedignabar esse parvulus.* Idem de se ipso Hieronymus ad Eustochium scribens confessus est. Ipse enim secularium artium vana oblectamenta degustatus, & in quandam animi elationem, seù potiùs in vanitatem dilapsus, dulcedinem, & suavitatem Scripturæ Sacræ, asperitatem judicabat. Hinc ait: *Miser ego lecturus Tullium, jejunabam; & post noctium crebras vigilias post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quandò in memetipsum conversus, Prophetas legere cœpisse, sermo horrebat incultus; & quià lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed Solis.* Humilitas igitùr, & pietas in legenda, sivè audienda Scriptura Sacra requiruntur, sinè quibus intelligi non potest: & cùm iis ejusdem miram excellentiam quisquè cognoscet: miram utilitatem possidebit, mirasque delicias degustabit. Hujus enim generis hominibus, hoc est, humilibus, & piis, tàm parvis quàm magnis liberalissimè sese præbet. Hinc Sanctus Gregorius de magnis, & parvulis ait: *Scriptura Sacra est fluvius planus, & altus; in quo Agnus peditat, sivè ambulat, & Elephas natat.* Et, ut Sanctus Augustinus inquit *parvulis congruens, nullius generis rerum verba vitavit*; ex quibus quasi gradàtim ad divina, atquè sublimia nostèr intellectus velut nutritus assurgeret. Immò, ut idem ait, *nullo genere Scripturæ loquuntur, quod in consuetudine humana non inveniatur; quià hominibus utiquè loquuntur.* Hæc de Lectore Scripturæ Sacræ.

Tom.1. Epist. 22. post med.

Epist. ad Leandr. c. ante præfat. in lib. Iob.

L.1. de Trin. cap.1. tom.3.

Ibid. cap.1.

De Origine Sacræ Scripturæ.

Princ. Sacræ Scrip. tom.1. par.7. 2.

SCriptura Sacra Universa, *est habitus sapientialis, & supernaturalis, qui habetur per revelationem.* Revelatio *est inspiratio divina, quæ vel per Deum Patrem facta est in lege antiquâ, sivè in veteri Testamento*, ubi dicitur Moysi: *Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.* Et Hieremiæ; *Ecce dedi verba mea in ore tuo*; Et Ezechieli: *Audies de ore meo verbum, & annunciabis ex me.* Vel *revelatio facta est in Lege novâ, sivè in novo Testamento per Christum*, ubi dicit Evangelista: *Nemò novit Christum Dei Filium, nisi Pater, neqwè Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et hujusmodi revelatio facta est Evangelistis præsertim, & Apostolis, sicùt ipsemet Paulus testatur dicens: *Evangelium, quod evangelizatum est à me, non est secundùm hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*; Sacram igitùr Scripturam universam per re-

Exod.4.

Hier.1.

Ezech.5.

Matth.21.

Gal.1.

Lib.7.Confes. c.16. tom.1.

Lib.5. Confes. c.5. tom.1.

revelationem, & inſpirationem ad nos perveniſſe fatendum eſt.

De Scripturæ Sacræ nominibus.

SCriptura Sacra ampliori nomine *Biblia* appellatur, quæ univerſum opus, hoc eſt veteris, ac novi Teſtamenti libros omnes comprehendit. Illud præsèrtim, *Lex Domini* dicitur, vel *Lex ſcripta*, ſeù *Vetus*, & *Lex timoris*: Hoc autèm, *Lex nova*, ſivè *Lex gratiæ*, & *Lex amoris*. Vetus eſt occultatio novæ, & nova eſt manifeſtatio veteris, ut ait Auguſtinus, qui etiàm addit, hanc ab illa differre figuris, & figuratis, multitudine, ac paucitate Sacramentorum, timore, & amore, ſervitute, ac libertate; Appellatur etiam Scriptura Sacra *liber vitæ*, ſcriptus intùs quantùm ad ſenſum myſticum, & latentem: foris, quantùm ad ſenſum literæ hiſtoricum, & patentem. Dicitur itèm *verbum*, *ſermo*, *doctrina*, *mandatum*, *juſtificationes*, *præcepta*, *teſtimonia*, *judicia*, *canon*, *& regula*; ſed uſitatiori vocabulo, *Teſtamentum* dicitur, *ut clauſum*, *& infirmum*; *infirmum*, quià Lex vetus neminem ad perfectum duxit: *clauſum*, quià hæc eadem lex ob prophetias, & figuras antè mortem Chriſti vix intelligebatur. Sed Auguſtinus *Inſtrumentum* diſtinctius dicendum putat, quià Scripturis Sacris quiſquè inſtruitur ad ſalutem quid credere, quid ſperare, quidquè agere debeat: & quià eſt Scriptura authentica probatiſſimis Scriptoribus, ac teſtibus obſignata, & nullâ falſitate ſuſpectâ. Hæc autèm nomina conveniunt genere, ſed ſpecie differunt, ut habetur in Gloſſa num. 18. in eum locum. Hæc ergò accipies.

De vera Relig. 17., & de Catech. rud. cap. 4., & de Mor. Eccleſ. cap. 28.

Hebr. 7.

Luc. 24.

Lib. 3. cap. 4. epiſt. 2. contra Pelag.

Num. 18.

De Sacræ Scripturæ Diffinitione.

DIffinitio, qua Sacræ Scripturæ natura, & ſubſtantia explicatur, alia eſt *propria*, ſivè *ſtricta*: alia verò *ampla*, ſeù *latiori modo aſſignata*. Illa, aut eſt *explicita*, quæ dicuntur *Eloquia divini Spiritus loquentis per Prophetas*, *& Apoſtolos* in numerum, & ordinem Sacri Canonis recepta communi totius Eccleſiæ conſenſu: vel eſt *implicita*, hoc eſt, in brevem quandam ſummam contracta; & hoc modo ſumpta, nil aliud eſt Sacra Scriptura, quæ uno nomine dicitur *Theologia*, quàm ratio, & ſermo de Deo. *Ampla* verò diffinitio, quæ rectiùs *deſcriptio* appellatur, variè aſſignari poteſt, ut Hugo ſentit, ac ità docet: *Sacra Scriptura eſt liber vitæ, cujus origo æterna, eſſentia incorporea, Scriptura indelebilis, aſpectus deſiderabilis, doctrina facilis, ſcientia dulcis, profunditas inſcrutabilis, verba innumerabilis; & ut unum tantum verbum dicatur, Omnia.* Hæc Hugo, de Sancto Victore. Alii verò hanc diffinitionem exactiùs perſcrutantes hunc in modum ſtatuendam dixerunt: *Theologia, ſivè Scriptura Sacra eſt habitus ſapientalis, & ſupernaturalis*, & ponitur *habitus loco generis*, cætera verò ponuntur loco *differentiæ*, hoc eſt ad differentiam cæterorum habituum, qui non ſunt ſupernaturales, ſed acquiſiti.

Ex Io: Dried.

Vgo de S. Victore de Arca Noe. tom. 2.

De Diviſione Scripturæ Sacræ.

UNiverſa Biblia in duo Teſtamenta dividitur, in *Vetus*, ſcilicèt, & *Novum*: illud inducit ad obſervantiam legis Veteris per timorem pœnarum: hoc verò ad obſervantiam legis Novæ per amorem virtutum. Dividitur autèm juxtà varia librorum argumenta, *quadriſariam* ex communi Theologorum ſententiâ, hoc eſt, in libros *Legales*, *Hiſtoriales*, *Sapientiales*, *Prophetales*.

Legales ſunt *Moyſis libri*, idèſt, *Geneſis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, quos *Pentateuchum* vocant. His in novo Teſtamento, Quatuor Evangelia, *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ*, *& Joannis* correſpondent.

Hiſtoriales ſunt, libri *Joſuè*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum*, *Paralipomenon*, *Eſdræ*, *Tobiæ*, *Judith*, *Heſter*, *Job*, *Machabæorum*. Quibus in novo Teſtamento *Acta Apoſtolorum* correſpondent.

Sapientiales ſunt, *Pſalmi*, *Proverbia Salomonis*, *Cantica Canticorum*, *Eccleſiaſtes*, *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*. His in novo Teſtamento *Paulinæ Epiſtolæ*, & *Canonicæ* correſpondent.

Prophetales ſunt, *Eſaias*, *Hieremias*, *Baruch*, *Ezechiel*, *Daniel*, *& duodecim Prophetæ minores*. Quibus in novo Teſtamento *Apocalypſis* reſpondet.

Sed quoniàm veteris Teſtamenti explicatio pro docendi ratione varia eſt, in ſex etiàm partes dividi poteſt; in *Politicam*, ſcilicèt; legis Moſaycæ libros quinque comprehendentem; in *Chronicam*, libros Hiſtoriales paulò ſuperiùs nominatos complectentem, in *Poeticam*, vel *Hymniſticam*; Pſalmorum, Trenorum, & Canticorum libros continentem; in *Dialecticam*, ſivè *diſputativam*, Job, & Eccleſiaſtis codices amplectentem; in *Oratoriam* cunctos libros Prophetales ſuperiori loco nominatos continentem; & in *Ethicam*, ſivè *Moralem*, Proverbiorum, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici libros comprehendentem.

De Veteris Teſtamenti libris Canonicis ex Sacroſancti Concilii Tridentini Decreto Seſſ. 4.

GEneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Eſdræ primus, & ſecundus, qui Nehemias dicitur, Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Eſaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, Oſeas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Machabæorum primus, & ſecundus. Hi omnes ſunt libri *Canonici* veteris

Teſta-

Testamenti. Dicti sunt autèm *Canonici*, idèst authentici in Ecclesiasticum Canonem adscripti: de quorum auctoritate nemini unquàm licet, vel tantillum dubitare: quibus etiàm, in omnibus Religionis, & Fidei controversiis, plena semper, & ubiquè adhibenda est fides.

Esdræ autèm *tertius*, & *quartus*; & *Machabæorum tertius* item, & *quartus*, intèr canonicos non recensentur.

De Novi Testamenti libris Canonicis ex Sacrosancti Concilii Tridentini Decreto sess. 4.

EVangelia quatuor, hoc est, *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ*, *Joannis*. *Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti*. Epistolæ Pauli quatuordecim, hoc est, ad *Romanos*, *ad Corinthios duæ*, *ad Galatas*, *ad Ephesios*, *ad Philippenses*, *ad Colossenses*, *ad Thessalonicenses duæ*, *ad Timothæum duæ*, *ad Titum*, *ad Philemonem*, *ad Hebræos*. Epistolæ Catholicæ, *sive* Canonicę sunt septem, *ut Jacobi una*, *Petri duę*, *Joannis tres*; *Judę una*, *& Apocalypsis*. Hę autèm Epistolæ *Canonicæ* dicuntur ad differentiam earum, quas alii sub falso Apostolorum nomine ediderant: & hæ solæ in cathalogum Sacrarum Scripturarum receptę sunt. Et quàmvis ob hanc rationem Pauli etiam Epistolæ *Canonicæ* dici possent, his tamèn impositum est hoc nomen commune, cum peculiare nomen sortiri nequirent ad neminem directę. Dicuntur etiàm *Catholicæ*, ideſt universales, non solùm, quia fidei doctrinam, quę universalis est, & à communi Apostolorum consensu nihil discrepat, complectuntur (hinc Augustinus has Epistolas vocavit *Apostolicas*) sed quia universalitèr fidelibus, sive Judæis, qui dispersi erant (sicut fecit Petrus) vel omnibus Christianis sub eàdem fide degentibus à discipulorum Domini cœtu dedicatæ sunt, non alicui homini, Genti, aut Civitati, sicut à Paulo factum esse constat.

De fide, & operibus c. 14. tom. 4.

De Veteris Testamenti translatione, & vulgatâ editione.

VEtus Testamentum ex Hebræo in linguam Græcam per 72. Interpretes ab Eleazzaro Judæorum Pontifice ad hanc rem præstandam selectos trecentis plus minùs antè Christum natum annis translatum fuit hortatu Ptolomæi Filadelphi, qui ut Bibliothecam suam toto terrarum orbe celeberrimam 70. librorum millibus constructam, teste Isidoro, etiàm hisce Sacris insigniret, Judæos ad centum viginti millia libertati restituit, & dona votiva, hoc est, argenti centum, & auri quinquaginta talenta ad crateras, & libatoria facienda, necnon, & gemmas innumeras Hierosolymam misit. Sed quod mirum, & divino consilio factum est, Viri illi 72. seorsùm in separatis 72. cellulis locati, ut ait Augustinus, *quod omnes interpretati sunt*, *iisdem verbis omnibus*, *& sententiis ab initio ad finem usquè*, *unum*, *& idem erat*, *ac si unus fuisset interpres*, *ac translator*, *quoniam unus revera Spiritus in omnibus erat*. Septuaginta igitur Viri, 22. veteris Testamenti volumina verterunt, & multa omnes illi Interpretes testimonia de Christo, ac de Sanctissima Trinitate in sua translatione Spiritus Sancti instinctu omiserunt, ne scandalizarent Ptolomæum eorum mysteriorum non capacem, & ne canibus sanctum darent. Justinus martyr dictas cellulas 72. jussu Ptolomæi constructas fuisse, seque domuncularum vestigia in Phari arce Alexandriæ vidisse testatur, dictamque eorundem Interpretum separatam sessionem veram fuisse credit. Tertullianus itidèm adversus Gentes. Idem ferè ait Irenæus lib. 3. cap. 25. Idem Epiphanius de mens., & pond. Hieronymus verò, quod de Cellulis narratur, planè irridet dicens: *Nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo struxerit*, *cum Aristeas Regis cubicularius*, *& Josephus multò post tempore nil tale scriptum reliquerint*, *etiamsi multa alia de septuaginta Interpretibus narrent*. Septuaginta tamèn Interpretibus plurimùm interdùm defert, eosque Spiritu Sancto plenos fuisse ait. Horum Translationem ab aliis deindè vitiatam, à Luciano, Hesychio, & Origène emendatam fuisse Hieronymus ostendit: & in quadam ad Augustinum epistola inter Augustini epistolas locata inquit: *Miror quomodo septuaginta Interpretum libros legas non puros*, *ut ab eis editi sunt*, *sed ab Origène emendatos*, *sive corruptos per obelos*, *& asteriscos*. Antè enim Origènem, ut alibi idem Hieronymus ait, *quot erant codices*, *tot erant exemplarum diversitates*. Quòndam enim post 72. Interpretes multi alii de integro laborem vertendi ex Hebræa lingua in Græcam susceperunt, & præsèrtim Aquila Judæus tempore Adriani Cæsaris, Theodotion Ephesinus, Imperatore Commodo, & Symmacus sub Severo. Quare Epiphanius in libro de pond., & mensuris ait, *Origènem post quatuor editiones*, *hoc est*, *Septuaginta Interpretum*, *Aquilæ*, *Symmachi*, *& Theodotionis*: *& post quintam incerti Auctoris*, *duas alias translationes græcas enevisse*: ex quibus duo genera exemplarium diversa confeciſſe, confusionemque potiùs, quàm distinctionem produxisse, aut rei veritatem propalasse asseverat. Hinc factum est, ut Hieronymus latinam, græcam, hæbraicam, & chaldæam linguam callens, non solùm veteres editiones, ut potuit, emendarit, sed septimam fecerit: quæ mox à Sophronio græco sermone donata fuit: Nàm Damasi Papæ jussu vetus Testamentum ex Hebræa lingua, Novum ex Græca convertit, sicut de Veteri testatur Augustinus dicens: *Presbyter Hieronymus*, *homo doctissimus*, *& omnium trium linguarum peritus*, *Scripturas Sacras non ex græco*, *sed ex hebræo in latinum eloquium convertit*. Hæc igitur Sancti Hieronymi translatio, est editio vulgata, qua Damasi, sequentiumque Summorum Pontificum

Isidor. lib. 6. Etymol. c. 3.

De Civitate Dei, lib. 18. cap. 42. tom. 5.

Apolog. 1. ad Gentes.

Apologia 18. & 19.

Prolog. 1. in Pentateuchū.

Hier. Præf. in Paralip.

Tom. 2. ep. 11

Præf. in Josue.

Aug. lib. 18. de Civit. p. 43.

Epiphanius.

De Civit. Dei lib. 18. cap. 43. Et Isid. lib. 6. c. 4. Ethym.

Eugub. præf. in Moysem.

ficum ſtudio nunc in Eccleſia Catholica, & Sancta Dei utimur, Pſalterio excepto, quod Septuaginta Interpretum eſt, ſed à Hieronymo emendatum, & ab Eccleſia ſuſceptum, ut ipſemet in Apologia adversùs Ruffinum teſtatur. Pſalterium verò Hieronymi in Eccleſia haudquàquam recipi potuit, ne fidelibus in editione Interpretum aſſuetis ſcandalum oriretur, ut Auguſtinus ait Hieronymo hac de re conquerenti reſpondens: *veteris enim cantus in Eccleſiis tritus erat, & vulgatus.* Hinc in editione pſalmorum, qua nunc utimur in Eccleſia, cum ſit Septuaginta Interpretum, multa reticentur, vel obſcura redduntur propter cauſas ſuperiùs aſſignatas, ut videre licet per illud Pſalmi: *Apprehendite diſciplinam*, ſicut nunc in Eccleſia legimus; Translatio enim Hieronymi habet: *Oſculamini filium*, quod eſt clarius, quàm, *Apprehendite diſciplinam*, quæ etiàm per Filium, qui eſt ſapientia Patris, intelligi debet, Auguſtinus etiàm, dum ſibi vetus Teſtamentum citare accidit, translationem LXXII. Interpretum ſectatur.

Tom.2. lib.2. non procul à fine.

Tom.2.ep.10

Editio igitùr vulgata, quam S. Iſidorus *Hieronymianam*, S. Gregorius *Novam translationem* vocant, libros partìm ex S. Hieronymi translatione, vel emendatione ſuſceptos comprehendit; partìm verò retentos ex antiquiſſima quadam editione latina, quam S. Hieronymus *communem*, & *vulgatam*, S. Auguſtinus *italam*, S. Gregorius *veterem translationem* appellat.

Iſid. 6. Ethymol. 5. & de div. off.12. S. Greg. 20. Moral. 24. S. Hieron.49. Iſa. S. Aug. 2.de doctr.14. & 18. de Civ. 43. S.Gregor. Ep. dedic. ad Leandr.cap.5 in fine.

Novum Teſtamentum quanam linguâ ſcriptum fuerit: & quomodò in eo citetur Vetus.

NOvum Teſtamentum, Hieronymo teſte, græcum eſſe dubitandum non eſt, Matthæo excepto, qui primus in Judæa propter eos, qui ex circumciſione crediderant, Evangelium Chriſti hæbraicis literis, verbiſque compoſuit; quod quis poſteà in græcum tranſtulerit, non sàtis certum eſt. Excipitur etiàm Epiſtola Pauli ad Hebræos. Nàm ut ait idem Hieronymus, *ſcripſit Paulus hanc Epiſtolam ut Hebræus hebræis hebraicè, ideſt, ſuo eloquio diſertiſſimè, ut ea, quæ eloquentèr ſcripta fuerant in hebræo, eloquentiùs verterentur in græcum.* Hinc à cæteris Pauli Epiſtolis diſcrepare videtur. Hanc verò Epiſtolam ab Apoſtolo hebraicâ linguâ ad Hebræos conſcriptam Lucas Evangeliſta pòſt exceſſum Pauli græco Sermone confecit, ut Auctores tradunt. Hoc autèm maximâ conſideratione dignum eſt, cur Apoſtoli, & Evangeliſtæ Vetus Teſtamentum diverſimodè citent: Paulus enim, ut ait Hieronymus, cum Hebræis diſputans, non juxtà Hæbraicum, quod rectum eſſe cognoverat, ſed juxtà LXX. Interpretes locutus eſt, Lucas itèm, qui magis græcas, quàm hebraicas literas novit, teſtimoniis græcis magis utitur, quàm hebræis. Matthæus autèm, & Joannes, quorum alter hebræo, alter græco Sermone Evangelia texuerunt, teſtimonium de hebraico, non de LXX. Interpretibus proferunt. Hæc Hieronymus, qui hanc dubitationem libro 15. Commentariorum in Iſaiam ſoluit, dicens: *Apoſtoli, & Evangeliſtæ ubicùmque de Veteri Teſtamento ponunt teſtimonia, ſi inter hebraicum, & LXX. nulla ſit diverſitas, tunc vel ſuis, vel LXX. Interpretum verbis uti ſolent. Si autem aliter in hebræo, aliter in veteri editione ſenſus eſt, hæbraicum magis, quàm LXX. Interpretes ſecuntur.* Id quod latè oſtendit idem Hieronymus in Novum Teſtamentum, & Prophetas, & præſertim in Epiſtola, quam ad Pammachium ſcribit, ubi varietatem multorum locorum recenſet, & explanans ait: *Apoſtoli, & Evangeliſtæ aliquandò Veteris Teſtamenti adducunt teſtimonia, ut ſenſum, & non verba citent. Sermonum tamèn varietas, ſpiritus unitate concordat, quàmvis nec cum Septuaginta, neque cum Hebræis verba conveniunt.* Idem ferè ait in Epiſtola ad Epheſios, ubi concludit, non eſſe confugiendum ad apocrypha, ſi verbis diſſentiant, quæ ab Apoſtolis citantur ex veteri Teſtamento: ſed ſciamus, inquit, *veteris Teſtamenti eſſe, quæ ab Apoſtolis citantur.* Illud igitur, quod in Matthæo legitur: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, quàmvis in codicibus noſtris, vel LXX. Interpretum non habeatur, habetur tamèn in Oſea juxtà hebraicam veritatem. Quam rem LXX. ſubticuerunt propter rationem ſuperiùs aſſignatam, pro quo tranſtulerunt: *Parvulus eſt Iſrael, & dilexi eum: & ex Ægypto vocavi filios ejus.* Pro eo etiàm, quod habetur in eodem Evangeliſta, *Nazaræus vocabitur*, in Hebræo legitur: *Nazaræus de radice ejus creſcet.* Quod ait Marcus Evangeliſta: *Fuella, tibi dico, ſurge*, in hebræo tantùm eſt, *Fuella ſurge*, ut ſonant hęc verba, *Thalitha cumi.*

Præf. ad Euſtochium.

Epiſtola 101. tom.2.

Cap.5. tom.6.

Cap.1.

Cap.2.

Cap.5.

Paulus itèm ſcribens ad Epheſios adhibet ſententiam illam Geneſęos: *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, ut habetur in codice hebræo, ſed prętermittit pronomina, & totam illam clauſulam, *& adhærebit uxori ſuæ*, dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & erunt duo in carne una*, ut videre licet in Codicibus græcis, multa, & penè infinita id genus loca reperiuntur; nec tamèn Apoſtoli, & Evangeliſtę redarguendi ſunt, nec ad apocrypha confugiendum eſt ob rationes in medium adductas.

Gen.2.

Epheſ.5.

De Scripturæ Sacræ Emendatione.

VUlgatam editionem, qua nunc in Eccleſia utimur Concilium Tridentinum ſeſſione 4. potiſſimùm verò Scripturam veterem, quam emendatiſſimè imprimendam eſſe mandavit. Modum emendandi Scripturam Sacram in libro 2. de Doctrina Chriſtiana docet Auguſtinus dicens: *In codicibus emendandis debet primitùs invigilare ſolertia eorum, qui Scripturas divinas noſſe deſiderant. Emendatis non emendati cedant, ex uno dumtàxat interpretationis genere venientes. In ipſis*

Cap.15. & 16. tomo 3.

Hieronym.ad Damaſum in 4.Evangel.tomo 3. & de Script. Eccleſiaſt.tom.1.

De Script.Eccleſ.tom.2.

Lib. 3. in c.6. Iſaiæ tom.4.

ipsis autèm interpretationibus Itala cæteris præferatur. Nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. Et latinis quibuslibet emendandis Græci adhibeantur, in quibus LXX. Interpretum, quod ad vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas: Qui jàm per omnes peritiores Ecclesias tantâ præsentiâ Spiritus Sancti interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Qui si, ut fertur, multique non indigni fide prædicant, singuli cellulis etiàm singulis separati cum interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis, eòdemque verborum ordine inveniretur in cæteris: quis huic auctoritati conferre aliquid nedùm præferre audeat? Quamobrem si quid alitèr in hebræis exemplaribus invenitur, quàm isti posuerint, cedendum esse arbitror divinæ dispensationi, quæ per eos facta est. Latini codices veteris Testamenti, si necesse fuerit, Græcorum auctoritate emendandi sunt, & eorum potissimum, qui cum Septuaginta Viri essent, ore uno interpretati esse perhibentur. Libros autèm novi Testamenti, si quid in latinis varietatibus titubat, græcis cedere oportere non dubium est, & maximè qui apud Ecclesias doctiores, & diligentiores reperientur. Hæc Augustinus: qui etiàm libro 11. contrà Faustum ait: *Si de fide exemplarium quæstio verteretur, sicùt in nonnullis, quæ, & paucæ sunt, & sacrarum literarum studiosis notissimæ sententiarum varietates, vel ex aliarum regionum codicibus, undè ipsa doctrina commeavit, nostra dubitatio diudicaretur; vel si ibi quoquè codices variarent, plures paucioribus, aut vetustiores recentioribus præferrentur. Etsi adhùc esset incerta varietas, præcedens lingua, undè illud interpretatum est, consulatur.* Ex his igitùr, modus emendandi Sacram Scripturam accipiendus est, quandò inter lectiones varias alteram illarum volumus eligere; nàm si de lectione certa Editionis vulgatæ constet, nullo modo illam emendare licet ex græca, vel hebraica lectione postquàm Concilii Tridentini Decreto sancitum est, Vulgatam Editionem latinam, authenticam esse, ac retinendam. Pro qua re præstandâ multis ab hinc annis adlaboratum est Romæ, complurium exemplarium, & vetustissimorum collatione factâ, Sanctorumque Patrum codicibus consultis, doctissimorumque virorum judicio non sine magnis laboribus, multisque vigiliis, atquè impensis. Quarè ex Sacrosancti Concilii Tridentini Decreto Pius IV. Pontifex Maximus pro sua in omnes Ecclesię partes incredibili vigilantiâ lectissimis aliquot S.R.E. Cardinalibus, aliisque tùm sacrarum literarum, tùm variarum linguarum peritissimis viris hanc emendandi provinciam demandavit. Hujus generis institutum Pius V. prosecutus est: quod deindè ob varias, gravissimasque Sedis Apostolicæ occupationes jamdudùm intermissum, Sixtus V. revocavit: & opus jam confectum typis mandari jussit; sed pręli vitio illudipsum iteratâ diligentiâ dignum censuit, & sub incudem revocandum decrevit. Id quod Gregorii XIV. jussu ad mentem Sixti V. recognitum, sub initium Pontificatus Clementis VIII. Deo benè juvante ejusdem Sixti inscriptione in lucem prodiit. Quid autèm in hac vulgata Bibliorum Editione præstitum sit, in Præfatione, quæ ad frontem eorundem Bibliorum extat, videre est.

Cap. 2.

De Sacræ Scripturæ Sensibus.

AUgustinus in libro de Utilitate credendi, & in libro de Genesi ad literam imperfecto, quadruplicem Scripturæ Sacræ interprætandi rationem ponit. *Prima* est secundùm *historiam*, & hic sensus dicitur *literalis*, cum res sivè divinitùs, sivè humanitùs gesta commemoratur. *Secunda*, est *Allegoria*, cum figuratè dicta intelliguntur. Anagogia, cum veteris, & novi Testamenti congruentia ostenditur. *Tropologia*, sive *Moralis*, cum dictorum, factorumque redduntur causæ. *Litera* itèm factum docet: *Allegoria*, quid credendum: *Moralis*, sive *Tropologia*, quid agendum: *Anagogia*, quò tendendum. Hi quatuor verò sensus in hac dictione *Hierusalem* hunc in modum declarari queunt. Hierusalem historicè, sivè secundùm literam, *est Civitas terrena*: Tropologicè, *est typus animæ fidelis*: Allegoricè, *typus Ecclesiæ militantis*: Anagogicè, typus Ecclesiæ triumphantis. Sed quàmvis multa Sacræ Scripturæ loca secundùm dictos sensus exponi valeant, nonnulla tamèn sensum literalem, non admittunt, ut *Cantica Canticorum*. Hic enim liber nonnisi mysticè exponi potest. Hinc forsàn Origènes hæc ipsa Canticorum Cantica antè annum trigesimum, haudquàquàm legenda putavit. Hieronymus etiàm in Ezechielem scribens ait; *Nisi quis apud Hebræos ætatem sacerdotalis ministerii, idest, trigesimum annum impleverit, nèc principium Geneseos, nèc Canticum Canticorum, nèc exordium, nèc finem Ezechielis legere permittitur, ut ad perfectam scientiam, & mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat.* Hæc Hieronymus. Sicut autèm multa Scripturæ loca sensu carent literali, ità etiàm multa mysticum sensum non admittunt. *Allegoria* enim, necnon *Tropologia*, atquè *Anagogia* liberæ sunt, & his tantùm legibus, teste Hieronymo, circumscriptæ, ut pietatem sequantur, cum Historiæ lex, atque iis eadem non existat. *Historia* enim stricta est, & evagandi non habet facultatem, ut aliis in locis clariùs demonstratur. Hæc de sensibus. Nunc verò ad eos, qui Sacram Scripturam interpretati sunt, accedamus.

Cap. 3.

Cap. 2.

In cap. 1. Abac. & c. 1. Jonæ.

BIBLIA COMPLUTENSIS

LEONI X. PONT. MAX. DICATA

Franciſci Xymenii Cardin. Ordinis Minorum, immenſis ſumptibus, laboribus, ac vigiliis edita: in ſex Tomos diviſa, ac variis linguis, & Interpretibus illuſtrata Anno Domini 1510.

Tomo Primo.

PEntateuchus linguâ hebræâ, & chaldæâ, græcâ, atquè latinâ ex translatione Septuaginta Interpetrum, necnon Beati Hieronymi, illuſtratus.

Tomo Secundo.

Libri *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum*, *atquè Paralipomenon*, iiſdem translationibus, & linguis, chaldaicâ exceptâ, quæ in ſequentibus etiàm non habetur.

Tomo Tertio.

Libri *Eſdræ*, *Nehemiæ*, *Tobiæ*, *Judith*, *Heſter*, *Job*: *Pſalmorum*, *Proverbiorum*, *Eccleſiaſtes*, *Canticorum*, *Sapientiæ*, *atquè Eccleſiaſtici*, iiſdem translationibus, & linguis, exceptis iis libris, qui apùd Hebræos non reperiuntur.

Tomo Quarto.

Libri *Prophetarum*, & *Machabæorum*, iiſdem translationibus, & linguis; iis exceptis libris, qui apùd Hebræos non reperiuntur.

Tomo Quinto.

Teſtamentum novum univerſum, græcâ, latinâque linguâ, cum interpretatione nominum Hebræorum, Chaldæorum, atque Græcorum novi Teſtamenti, necnon cum Dictionario græco in idem.

Tomo Sexto.

Vocabularium hebraicum, atquè chaldaicum, in vetus Teſtamentum, cum interpretatione hebraicorum, chaldæorum, græcorumque nominum veteris, ac novi Teſtamenti; necnon cum introductione Grammaticæ in hebraicam Linguam.

BIBLIA REGIA QUADRI LINGUIS, HOC EST.

Hebraica, Græca, & Latina cum Paraphraſi Chaldaica, & Latinis verſionibus à Benedicto Ariæ Montano Hiſpalenſi ex Philippi Catholici Regis mandato elaborata, cum Complutenſi, & correctiſſimis aliis exemplaribus collata, in octo partes diviſa, & à Plantino Antuerpiæ 1569. *excuſa.*

Tomo Primo.

PEntateuchus idèſt, *Geneſis*, *Exodus*, *Numeri*, *Leviticus*, & *Deuteronomium* hoc in tomo continentur.

Tomo Secundo.

A libro *Joſue*, *Judicum*, & *Ruth*, uſque ad *Paralipomenon* incluſivè Tomus hic completur.

Tomo Tertio.

A libro *Eſdræ* uſquè ad *librum Eccleſiaſtici* itèm incluſivè Tomus hic protenditur.

Tomo Quarto.

Ab *Eſaia Propheta*, uſquè ad libros *Machabęorum incluſivè* Tomus hic complectitur.

Tomo Quinto.

A *Matthæo Evangeliſta*, uſquè ad *Apocalypſim*, cum lingua Syriaca, loco hebraicæ linguæ.

Tomo Sexto.

Lexion Græcum, & *Inſtitutiones linguæ Græcæ* ad ſacri apparatus inſtructionem.

Tomo Septimo.

Communes, & familiares hebraicæ linguæ *Idiotiſmi*, ſivè *Theſaurus* linguæ ſanctæ cum verſione Sanctis Pagnini Lucenſis.

Tomo Octavo.

Biblia Sanctis Pagnini Lucenſis, Univerſa variis rebus ſtudioſorum commodò illuſtrata.

DE VARIIS GLOSSARUM EDITIONIBUS.

Gloſſa ordinaria, & Interlinearis cum Nicolao de Lyra in utrumque Teſtamentum.

Tomo Primo.

IN Pentateuchum.
In Joſue.
In librum Judicum, Ruth., &
In quatuor libros Regum.

Tomo Secundo.

In Paralipomenon.
In Eſdram.
In Nehemiam.
In Tobiam.
In Judith.
In Eſter.
In Job.
In Pſalterium.
In Proverbia.
In Eccleſiaſten.
In Cantica Canticorum.
In Sapientiam.
In Eccleſiaſticum.

Tomo Tertio.

In Eſaiam.
In Hieremiam, & lamentationes.
In Baruch, & Ezechielem.
In Danielem.
In Oſeam.
In Johelem.
In Abdiam.
In Jonam.
In Micheam.
In Naum.
In Abacuch.
In Sophoniam.
In Aggæum.
In Zachariam.
In Malachiam.
In Machabæos.

Tomo Quarto:

In Evangelia, & in omnes Epistolas.
In Acta Apostolorum, & in Apocalypsim;

ALIA GLOSSARUM EDITIO,

Glossa ordinaria cum interlineari: Postilla Nicolai de Lyra, Moralitatibus ejusdem, Additionibus Pauli Burgensis, & Replicis Matthiæ Doringi, habet partes septem.

Prima Pars,

IN Pentateuchum.

Secunda Pars,

In libros Josue.
Judicum.
Tobiæ, Ruth. Regum.
Judith. Paralip.
Hester. Nehemiæ. Esdræ.

Tertia Pars.

In Job.
Psalmos.
Proverbia.
Ecclesiasticum.
Cantica Canticorum.
Librum Sapientiæ.
Ecclesiasticum.

Quarta Pars:

In Prophetas omnes, & in lib. Machab.

Quinta Pars.

In quatuor Evangelia.

Sexta Pars.

In Acta Apostolorum.
In omnes S. Pauli Epistolas;
In Epistolas Canonicas.
In Apocalypsim.

Septima Pars,

Reportorium alphabeticum.

ALIA GLOSSARUM EDITIO,

Postilla Nicolai de Lyra cum Additionibus, & Replicis absque Glossa ordinaria, & interlineari in quatuor Tomos divisa.

PRimus Tomus complectitur *Gen. Exod. Levitic. Num. Deuteron. Josue, Judic. Ruth, & Regum libros.*

Secundus continet *Paralip. Esdræ, Tob. Judith, Ester, Job, Psalm. Proverb. Eccles. Cantic. Sap, Eccl. libros.*

Tertius complectitur *Prophetas Majores, & Minores, & Machabæorum libros.*

Quartus *Evangelia quatuor, Epistolas omnes, Actus Apostolorum, & Apocalypsim comprehendit.*

DE IIS, QUI GLOSSAM

In Bibliam conscripserunt.

STrabus *Glossæ ordinariæ auctor floruit anno sal.* 840.

Anselmus Laudunensis Gallus, Interlinearis auctor, claruit anno 1110.

Nicolaus Lyranus Ordin. Franciscani claruit anno 1320.

Burgensis Additionum Auctor claruit 1430.

Matthias Doringus Franciscanus.

Replicarum Auctor claruit 1440.

Hanc Glossam in tantam molem congestam, vel redactam Basileæ imprimendam curavit Frater Conradus Leontorius Mulbrunensis 1508.

Sed postrema Lugdunensis editio 1545. *Et Veneta* 1588. *sunt multo illustriores.*

SANCTI AUGUSTINI

Opera omnia in decem Tomos distincta, & ordine Alphabetico dispositæ;

Necnon tribus Indicibus illustrata, quorum primus locorum aliquot Scripturæ Sacræ conciliationes: alter ejusdem Auctoritates plurimas declaratas: tertius verò locupletissimus, quæ à Sancto Augustino insignitèr dicta sunt, complectitur.

A

Abusionum gradus duodecim tom. 9.
Contrà Academicos, libri tres tom. 1.
De actis cum Felice Manichæo, libri duo tom. 6.
Contrà Adimantum Manichæi discipulum ibid.
De secundi Adventus die tom. 2.
De tempore secundi Adventus incerto ibid.
Contrà adversarium legis, & prophetarum, libri duo tom. 6.
In adversis consolatio tom. 2.
De adulterinis conjugiis ad Pollentium, lib. 2. *tom.* 6.
De afflictione piorum tom. 2.
De afflictionibus patienter ferendis ibidem.
De agone Christiano lib. 1. *tom.* 3.
De agri dominici cultura tom. 9.
De altercatione Ecclesiæ, & Synagogæ dialogus tom. 6.
De amicitia lib. 1. *tom.* 4.
De amicitia vera tom. 2.
De anima, & ejus origine, lib. 4. *tom.* 7.
De anima incorporea tom. 2.
De actu animæ, sine corpore ibid.
De animæ immortalitate tom. 1.
De animæ quantitate eodem.
De animæ pugna tom. 9.
De animarum origine tom. 2.
De duabus animabus contrà Manichæos lib. 1. *tom.* 6.
De animi tranquillitate tom. 2.
Annotationum in Job lib. 1. *tom.* 4.
De Antichristo tractatus tom. 9.
Apocalypsis Joannis expositio ibidem.
De Arbore scientiæ boni, & mali tractatus eod.
Ad articulos Augustino falsò impositos responsio tom. 7.
Arianorum sermo tom. 6.
Contrà Arianos tom. 2.
Contrà Arianorum sermonem lib. 1. *tom.* 6.
De Assumptione Beatæ Mariæ Virginis tom. 9.
Augustini Regulæ tom. 1.
Augustini vita per Possidonium tom. 1. *in princip.*

Ba-

B

Baptiſmi contrà Donatiſtas lib.7. tom.7.
De unico baptiſmo contrà Petilianum lib.1. eod.
De baptiſmo parvulorum tom.2.
An baptizatus fuerit Petrus ibid.
De beatitudine vera tom.2.
De benè vivendo tom.2.
De benedictionibus Jacob Patriarchæ tom.3.
De blaſphemia in Spiritum Sanctum tom.10.
De blaſphemiis Manichæorum tom.2.
De boni naturâ contrà Manichæos lib.1. tom.6.
De bono conjugali contrà Jovinianum tom.6.
De bono diſciplinæ ſerm. tom.9.
De bono viduitatis lib.1. tom.4.
Quomodò ad bona homines ſint cogendi tom.2.
Breviculus collationum cum Donatiſtis tom.7.

C

Cantici novi lib.1. tom.9.
De cataclyſmo ſer. ibid.
Categoriæ decem tom.1.
De cathechizandis rudibus lib. unus tom.4.
De Catholicæ Eccleſiæ incremento tom.2.
Cecilliani innocentia tom.2.
Ad charitatis amorem exhortatio tom.2.
De charitatis laudibus lib.1. tom.9.
De quatuor virtutibus charitatis, tractatus ibid.
De chordis decem tom.9.
Chriſtianus, quomodò laudari poſſit tom.2.
De Chriſtiana diſciplina tom.9.
De Chriſtiana doctrina tom.3.
De Chriſtiano ornatu tom.2.
De Circumcillionum immanitate tom.2.
De Civitate Dei, libros viginti duos, quintus tom. complectitur.
De Clericorum ſingularitate, cenſura tantùm tom.4.
De coercenda temulantia, & contentione tom.2.
Cognitionis veræ vitæ lib.1. tom.9.
Cogendi ſunt homines ad bona tom.2.
De cultura agri dominici ſerm. tom.9.
Concio ad Cathecumenos, contrà Judæos, Paganos, & Prianos tom.6.
De concordia farcienda tom.2.
Confeſſionum lib.13. tom.1.
De conflictu vitiorum, & virtutum lib.1. tom.9.
De conjungiis adulterinis lib.2. tom.6.
De conjugali bono contrà Jovinianum ibid.
De conſenſu Evangeliſtarum lib.4. tom.4.
Conſolatio in adverſis tom.2.
Conſolatio ſuper morte uxoris ibid.
Conſolatio ſuper obitu mariti ibid.
De conſuetudinibus variis regionum ibid.
De contemptu mundi liber unus tom.9.
De contemptu mundi perfecto tom.2.
De contemptu mundi, & poteſtate humana quomodò utendum ibid.
De continentia lib.1. tom.4.
Contritionis cordis lib.1. tom.9.
De correptione, & gratia tom.7.
De correptione Donatiſtarum, & de moderate coercendis hæreticis tom.2.
De corporum reſurrectione ibid.
De creatione primi hominis Tractatus tom.9.
Contrà Creſconium Donatiſtam grammaticum lib.4. tom.7.
De cura pro mortuis gerenda ad Paulinum lib.1. tom.4.

D

Damnatio Pelagianorum tom.2.
De Decem chordis tom.9.
De Deo diligendo liber alius, qui, & meditationum inſcribitur tom.9.
De Deo non triformi, ſed uno tom.2.
Dialecticæ principia tom.1.
De diſciplina Chriſtiana tom.9.
De diſciplinæ bono, ſer. ibid.
De diſciplinis liberalibus tom.2.
De divinatione dæmonum, lib. unus tom.3.
De Doctoris Eccleſiaſtici officio tom.2.
De doctrina Chriſtiana, lib.4. tom.3.
De documentis ſalutaribus, lib.1. tom.4.
Contrà Donati partem, Pſal. tom.7.
De Donatiſta parricida rebaptizato tom.2.
De Donatiſtarum diſſidio ibid.
De Donatiſtarum immani licentia ibid.
De Donatiſtarum ſchiſmate tom.2.
Contrà Donatiſtarum pertinaciam ibid.
De Donatiſtis vi coercendis ibid.
Poſt collationem contrà Donatiſtas, lib.1. tom.7.
Contrà Donatiſtas epiſtola tom.2.
De vi corrigendis hæreticis, contra Donatiſtas tom. 2.
Dialogus de Eccleſiæ altercatione, & ſynagoga tom.6.
Dialogus Oroſii tom.4.

E

Eccleſiæ Catholicæ incrementum tom.2.
De Eccleſia Catholica contrà Donatiſtas ibid.
De Eccleſiæ ritibus ibid.
De Eccleſiæ unitate, contrà Petiliani Donatiſtæ, epiſt. lib.1. tom.7.
De Eccleſiaſticis dogmatibus, lib.1. tom.3.
De Electione Eradii tom.2.
De Emerito Donatiſtarum Epiſcopo tom.7.
Enchiridion de fide, ſpe, & charitate, ad Laurentium tom.3.
Epicureorum, & Stoicorum tractatus tom.6.
Epiſcopi inſtitutio tom.2.
Epiſtolas complectitur tom.2.
Epiſtolæ Bonifacii ad Auguſtinum, & Auguſtini ad Bonifacium tom.2.
Epiſtolæ Joannis expoſitio tom.9.
De eſſentia divinitatis lib.1. tom.4.
De Evangeliſtarum conſenſu lib.4. tomo eodem.
De Evang. mortuis prædicato tom.2.
Evangelii Joannis expoſitio tom.9.
Excommunicari propter peccatum alicujus an quis poſſit tom.2.
Exhortatio ad amorem charit. tom.2.
Exhortatio ad piam vitam, ibid.
Exhortatio ad concordiam Eccleſiæ, ibidem.
Expoſitionis Epiſtolæ Pauli ad Rom., inchoatæ, lib.1. tom.4.
Expoſitiones quarumdam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos, ibid.
Expoſitionis Epiſtolæ Pauli ad Galatas, lib.1. ibid.

F

Fantaſiæ intellectus, ac memoriæ epiſtola tom.2.
Contrà Fauſtum Manichæum lib.33. tom.6.
Contrà Fælicem Manichæum ibid.
Contrà Fælicianum Arianum, de unit. trinit. ibid.
De feria quarta ſivè cultura agri dominici to.9.

De fide ad Petrum diaconum, lib.1.tom.3.
De fide, & symbolo, lib.1. ibid.
De fide, & operibus, lib.1. tom.4.
De fide rerum invisibilium, lib.1.tom.4.
De fide contrà Manichæos lib. 1. tom.6.
De fœlicitate vera tom.2.
Contrà Fortunatum quemdam Manichæorum presbyterum tom.6.
Ad fratres in eremo tom.10.
De fuga in persecutione tom.2.
Contrà Fulgentium Donatistam lib.1.tom.7.

G

Gaudentii Donatistarum Episcopi Epistola reprehenditur tom.7.
De Genesi ad literam lib.12.tom.3.
De Genesi ad literam imperfectus lib.1.ibid.
De Genesi contrà Manichæos tom.1.
De gestis cum Emerito Donatistarum Episcopo lib.1.tom.7.
Super gestis ejusdem ser. ibid.
Grammaticæ lib.1.tom.1.
De gratia, & correptione tom.7.
De gratia Christi contrà Pelagium, & Cœlestium ibid.
De gratia, & libero arbitrio, ad Valentinum ibid.
De gratia novi testamenti tom.2.

H

Habitaculi triplicis, liber unus tom.9.
De hæresibus oratio tom.6.
De hæresibus ad Quodvult Deum lib.1. ibid.
De hæreticis coerçendis tom.2.ep.60.
De hæreticis moderatè coercendis ibidem ep.48.
De hæreticis vi corrigendis ibid.
De hæreticis corrigendis citrà mortis pœnam ib.
De hæreticis corrigendis tom.2.
Hilarii Epistola ad Augustinum tom.7.
Homiliæ quinquaginta tom.10.
Homiliæ de tempore ibid.
Homiliæ de sanctis ibid.
De hominis primi creatione, tractatus tom.9.
De honestate mulierum tom.9.
Humana potestate quomodo sit utendum tom.9.

I

Januarii inquisitiones tom.2.
Idolatriæ excæcatio ibid.
De jejuniis priscorum ibid.
De jejunii utilitate, tracta. tom.9.
De Incarnatione Verbi tom.4.
De infirmorum visitatione tom.9.
De immanitate Circuncellionum tom.2.
De impietate malorum tom.2.
De innocentia Cæciliani ibid.
De innocentia vera, sive sententiæ tom.3. & deinceps.
De inquisitione rerum divinarum, tom.2.
De inquisitione trinitatis tom.3.
In Job annotationum lib.1.tom.4.
De ira cohibenda tom.2.
De Judaismo, & vocabulo, Judæi tom.2.
Adversùs Judæos, oratio tom.6.
Contrà Judæos, Paganos, & Arianos, oratio ib.
De non temerè judicando tom.2.
Contrà Julianum Pelagianum, lib.6. tom.7.
De jurejurando, idolothytis, & vim vi repellendo tom.2.
De justitiæ perfectione tom.7.

L

Laudari quomodò possit Christianus tom.2.
De laudibus charitatis liber unus tom.9.
Contrà legis, & prophetarum adversarium lib.1. tom.6.
De libero arbitrio tom.1.
De liberalibus disciplinis tom.2.
De locis scripturæ variis explicandis tom.2.
Locutionum, lib.7.tom.3.

M

Magnificat expositio tom.9.
De magistro tom.1.
Quatenùs mali tolerandi tom.2.
De malis perpetiendis, spe vitæ cœlestis ibid.
De malis hujus mundi tolerandis, ibidem.
De Manichæorum moribus tom.1.
Contrà Manichæi epistolam, quam vocant fundamenti lib.1.tom.6.
De mansuetudine Ecclesiastica tom.2.
Manuale lib.1.tom.9.
De Mariæ assumptione ibid.
Super mariti obitu consolatio tom.2.
Contrà Maximinum Arianorum Episcopum lib.3. tomo 6.
Meditationum lib.1.tom.9.
De mendacio ad Consentium lib.1.tom.4.
Contrà mendacium ad eundem ibid.
De mirabilibus Sacræ Scripturæ lib.3.tom.3.
De moderando supplicio nocentum tom.2.
Monacharum regula ibid.
De Monachis apostatis ibid.
De moribus Ecclesiæ Catholicæ tom.1.
De morte uxoris consolatio tom.2.
De mortuorum consolatione, sermones duo tom.9.
De cura pro mortuis gerenda tom.4.
De mulierum honestate, liber unus tom.9.
De mundi die supremo tom.2.
De mundi contemptu ibid.
Musicæ lib.6.tom.1.

N

Natura boni contrà Manichæos lib.1,tom.6.
De natura, & gratia, contrà Pælagianos tom.7.
De nocentium supplicio moderando tom.2.
De nuptiis. & concupiscentia, ad Valerium comitem tom.7.

O

Obedientiæ, & humilitatis sermo tom.9.
Super obitu mariti consolatio tom.2.
De ocio monachorum ibid.
De officio doctoris Ecclesiastici, ibidem.
De opere Monachorum lib.1. tom.3.
Opus breviculi collationum cum Donatistis tom.7.
Oratio adversùs Judæos, tom.6.
De orando Deo tom.2.
De ordine lib.2.tom.1.
De ornatu Christiano tom,2.
Orosii dialogus tom.4.
De ovibus, liber sive Humilia tom.9.

P

Paganismi irrisio tom.2.
Contrà Parmeniani Epistolam lib.3.tom.7.
De pastoribus lib,1.tom.9.
De patientia lib.1.tom.4.
De peccatorum meritis, & remissione, ac de baptismo parvulorum, ad Marcellinum lib. 3. tom.7.
De peccato originali parvulorum tom.2.

An ob peccatum unius, alius possit excommunicari ibid.
De Pelagio, & Pelagianis tom.2.
Contrà Pelagianos Hypognosticon lib.6.tom.7.
Contrà Pelagianos, & Manichæos tom.2.
Contrà Pelagianorum duas epistolas, ad Bonifacium tom.7.
De perfectione justitiæ contrà Cœlestium lib.1.ib.
De perpetiendis malis, spe vitæ cœlestis tom.2.
De perseverantiæ bono lib.1.tom.7.
Petiliani epistola tom.7.
Contrà literas Petiliani Cirthensis Episcopi Donat. lib.3.ibid.
Petrus an fuerit baptizatus tom.2.
De Petro à Paulo reprehenso ibid.
De pœnitentia vera, & falsa, lib.unus tom.4.
De pœnitentiæ medicina, lib.1.tom.9.
De pœnitentiæ utilitate, tractatus ibid.
Præceptorum dominorum speculum tom.3.
De præceptorum decem convenientia, & decem plagarum lib.1.tom.9.
De prædestinatione, & gratia, lib.1.tom.7.
De prædestinatione Dei, lib.1. ibid.
De prædestinatione Sanctorum lib.1.ibid.
De præsentia Dei, & quomodò Deus est ubique tom.2.
Contrà Priscillianistas, & Origenistas, lib. 1. tom.6.
Prosperi Epistola ad August. de reliquiis Pelagianæ hæreseos tom.7.
Possidonius de vita Augustini tom.1.in principio.
Potestate humana quomodò utendum sit tom.2.
Psalmorum enarrationes complectitur octavus tomus.
Psalterium, quod matri suæ composuit tom.9.
De pugna animæ tractatus ibid.

Q

Quatenus mali tolerandi tom.2.
Quæstio Epistola Jacobi ibid.
Quæstiones sex contrà Paganos expositæ ibid.
Quæstionum Evangelicarum lib.2.tom.4.
Quæstionum Evangelicarum secundùm Matthæum lib.1. ibid.
Quæstionum in vetus Instrumentum lib.7.ibid.
Quæstionum octoginta trium lib.1. tom.4.
Quæstionum sexagintaquinque dialogus ibid.
Quæstionum veteris, ac novi testamenti lib.1.ib.
De quæstionibus diversis, ad Simplicianum lib.2. tom.4.
De Octo Dulcitii quæst. lib.1.ibid.
De quæstionibus curiosis tom.2.
Ad quæstiones novem Paulini ibid.
Quæstiunculæ de Trinitate tom.3.

R

Rectitudinis catholicæ conversationis, tractatus tom.9.
De regionum variis consuetudin. tom.2.
Regula Monacharum ibid.
Regulæ Augustini tom.1.
Prorcis quomodò intercedendum tom.2.
De religione vera tom.1.
Reprehenditur Petrus à Paulo tom.2.
De resurrectione corporum ibid.
De rerum divinarum inquisitione ibid.
Retractationum lib.1.tom.1.
Rhetorices principia ibid.
De ritibus Ecclesiæ tom.2.

S

Salutarium documentorum lib.1.tom.4.
De Sacræ Scripturæ mirabilibus lib.3.tom.3.
Scalæ Paradisi liber tom.9.
De schismate finiendo tom.2.
De sæculi vanitate lib.1.tom.9.
Contrà Secundinum Manichæum lib.1.tom.6.
Sententiæ Aug.& aliorum libris decerptæ tom.3.
Sententiarum viginti unius lib.1.tom.4.
Sermones habet tomus decimus.
De ser. Domini in monte lib.2.tom.4.
Sermo Arianorum tom.6.
Ad Simplicianum lib.2.tom.4.
De singularitate clericorum, censura tantùm tom.4.
De sobrietate, & virginitate, sermo tom.9.
Soliloquiorum lib.2.tom.1.
Soliloquiorum animæ ad Deum lib.1.tom.9.
De speculo lib.1.ibid.
Speculum peccatoris, tractatus ibid.
Speculum de præcept. dominicis tom.3.
De spiritu, & anima lib.1.ibid.
De spiritu, & litera ad Marcellinum lib.1. ibid.
De substantia dilectionis lib.1. tom.4.
De supplicio nocentum moderando tom.2.
De supremo mundi die ibid.
De symbolo fidei ad Cathecum. tom.9.

T

Temulentia quomodò coercenda tom.2.
De tempore Barbarico, ser. tom.9.
De tempore secundi adventus incerto tom.2.
Tolerandi quomodò sint mali ibid.
De tolerandis hujus mundi malis ibid.
De toleranda adversa valetudine ibid.
Tractatus de eo, quod dictum est à Deo ad Moysen: Ego sum, qui sum *incerti auctoris tom.6.*
De tranquillitate animi tom.2.
De Trinitate, & Unitate Dei, liber unus tom. 4.
De Trinitate lib.15. tom.3.
De Trinitate incorporea tom.2.
De Trinitatis inquisitione tom.3.
De Trinitate ineffabili tom.2.
De Trinitate unius Dei ibid.
De Trinitate, altercatio inter Augustinum, & Pascentium ibid.
De tristitia pia, quam boni fuerunt tom.2.

V

Vanitatis seculi lib.1. tom.9.
Ad Valentinum de correptione, & gratia lib.1. tom.7.
De variis scripturæ locis explicandis tom.2.
Ubique est Deus, & quomodò ibid.
De vera Beatitudine tom.2.
De vera felicitate ibid.
De vera innocentia, sivè sententia Augustini tom.3.
De vera Religione tom.1.
De vera, & falsa pœnitentia lib. unus tom.4.
De verbis Apostoli tom.10.
De verbis Domini ibid.
De Verbi incarnatione lib.2.tom.4.
De videndo Deo tom.2.
De viduitatis bono lib.1. tom.4.
De virginitate sancta tom.6.
Ad virgines sacras tom.9.
De virginitate, & sobrietate sermo tom.9.

De vita beata tom.1.
De vita Christiana lib.1. tom.9.
Ad vitam piam exhortatio tom.2.
De vitæ veræ cognitione lib. unus tom.9.
De visitatione infirmorum libri duo ibid.
De vitiorum, & virtutum conflictu lib.1. ibid.
De unitate Ecclesiæ contrà Petiliani Donatistæ epist. lib.1. tom.7.
Votum continentiæ non suscipiendum nisi ex conjugum consensu tom.2.
De Urbis excidio tractatus tom.9.
De utilitate credendi ad Honoratum lib.1.tom.6.
De utilitate jejunii tractatus tom.9.
De utilitate pœnitentiæ tractatus ibid.
Super uxoris morte consolatio tom.2.

INDEX EPISTOLARUM OMNIUM,

Quæ in secundo Tomo continentur, ordine Alphabetico digestus.

A

ACta in designando Augustini successore Eradio 110.
Alipio Epistola 67.
*Anastasio Epist.*143.
*Antonio Epist.*126.
*Apringio Epist.*159.
*Armentario, & Paulinæ Epist.*45.
*Asellico Epist.*197.
*Audax Augst. Epist.*139.
*Audaci Epist.*140.
*Aurelio Episcopo Epist.*64., & 76.
*Aurelio Papæ Epist.*77.
*Auxilio Episcopo Epist.*75.

B

*Bonifacio Episcopo Epist.*23.
*Bonifacio Com. Epist.*50. 70., & 137.
Bonifacius Aug., & Augustinus.
*Bonifacio Epist.*180., *& aliquot frequentes.*

C

*Cajo Epist.*84.
*Casulano Epist.*86.
*Cæciliano Epist.*60.
*Cœlestino Epist.*62., & 63.
*Chrysino Epist.*83.
*Circensibus Epist.*130.
*Clero, & universæ plebi Epist.*137., & 138.
*Consentio Epist.*85., & 146.
*Cornelio Epist.*125.
*Crispino Epist.*172., & 173.

D

*Dardano Epist.*57.
*Deogratiæ Epist.*49.
*Deuterio Episcopo Epist.*74.
*Dioscoro Epist.*56.
*Dioscorus Aug. Epist.*55.
*Donato Proconsuli Epist.*127., & 128.
*Donato Presbytero Epist.*201.
*Donatistis Epist.*165., & 170.
*Dulcitio Epist.*61.

E

*Ediciæ Epist.*196.
*Elpidio Epist.*149.
*Emerito Epist.*163.
*Eudoxio Abbati Epist.*81.
*Evodio Epist.*99. 100. 101., & 102.
*Evodius Episcop. Aug. Epist.*98.
*Eusebio Epist.*168., & 169.

F

*Fabiolæ Epist.*4.
*Felici, & Hilarino Epist.*136.
*Felicitati, & Rustico Epist.*87.
*Felici Epist.*20.
*Feliciæ Epist.*7.
*Festo Epist.*166.
*Florentinæ Epist.*132.
*Fortanatiano Epist.*111.

G

*Generoso Epist.*165.
*Glorio Eleusio, Felici Grammatico, & aliis nonnullis Epist.*161., & 162.

H

*Hermonegiano Epist.*11.
*Hesychio Epist.*78., & 80.
*Hesychius Aug. Epist.*79.
Hieronymo 8. 9. 10. 12. 15. 19. 28., & 29.
*Hieronymus Alipio, & Augustino Epist.*24.
*Hieronymus Augst. Epist.*11. 13. 14. 17. 18. 25. 26., & 30.
*Hieronymus Marcellino, & Anapsychiæ Epist.*27.
*Hilario Epist.*89., & 94.
*Hilarius Augst. Epist.*88.
*Honorato Epist.*120. 160., & 179.

I

*Januario Epist.*68. 118., & 119.
*Innocentio Epist.*90. 92., & 95.
*Innocentius Epist.*91. 93. 96., & 97.
*Italiæ viduæ Epist.*6., & 113.
*Julianæ Demetriadis matri Epist.*142.

L

*Largo Epist.*82.
*Leto Epist.*38.
*Licentio Epist.*39.
*Longiniano Epist.*20., & 22.
*Longinianus Aug. Epist.*21.

M

*Macedonio Epist.*52., & 54.
*Macedonius Aug. Epist.*51., & 53.
*Marcellino Epist.*5. 7. 157., & 158.
*Marcellinus Aug. Epist.*4.
*Marciano Epist.*154.
*Madaurensibus Epist.*42.
*Maximus Aug. Epist.*43.
*Maximo Grammatico Epist.*44.
*Maximino Epist.*200.
*Maximo medico Epist.*66.
*Maximo Epist.*141.
*Memorio Epist.*131.

N

*Naucelioni Alipp., & Augst. Epist.*5.
*Nebridio Epist.*72. 115. 116., & 150.
*Nebridius Augst.*71. 114., & 117.
*Nectario Epist.*202.
*Nectarius Aug. Epist.*198.

O

*Olympio Epist.*124., & 129.
*Optato Epist.*156.
*Orontio Epist.*123.

P

*Palatino Epist.*6.
*Pammachio Epist.*134.
*Pancario Epist.*10.
*Pascentio Epist.*173. 174., & 176.

*Pascentius Comes Epist.*177.
*Paulinus August. Epist.*31. 33., & 58.
*Paulinus Alipio Epist.*31.
*Paulinus, & Therasia Romaniano Epist.*36.
*Paulino Epist.*33. 59., & 106.
*Paulino, & Therasiæ Epist.*34., & 65.
*Paulinæ Epist.*112.
*Paulo Epist.*14.
*Peregrino Epist.*21.
*Plebi Hipponensi Epist.*13.
*Possidio Epist.*73.
*Præsidio Epist.*16.
*Proculiano Epist.*146.
*Profuturo Epist.*148.
*Probæ Epist.*121.
*Probæ, & Julianæ Epist.*178.
*Publicola Aug. Epist.*152.
*Publicolæ Epist.*153.

Q

*Quintiano Epist.*103.

R

*Restituto Diacono Epist.*69.
*Romaniano Epist.*113.
*Romulo Epist.*9.

S

*Sanctimonialibus Epist.*109.
*Sebastiano Epist.*144.
*Seleucianæ Epist.*108.
*Severo Epist.*135.
*Severus Aug. Epist.*37.
*Severino Epist.*169.
*Silvanus, ac cæteri Episcopi de Concilio Zertensi Epist.*151.
*Sixto Presbytero Epist.*104., & 105.

V

*Valentino Epist.*46., & 47.
*Valerio Epist.*147.
*Victoriano Epist.*122.
*Victorino Epist.*15.
*Vincentio Epist.*48.
*Vitali Chartag. Epist.*107.
*Volusiano Epist.*1.
*Volusianus Aug. Epist.*2.

*Zenobio Epist.*12.

AUgustinus natus est Anno Domini 357. Sancti Ambrosii fuit adjutor, & anno ætatis suæ 30. m. 6. ab eodem baptizatus est, ut ipsemet Ambrosius testatur in ultimo capt. tertii Tomi, *Nunc amoto*, ubi ait, se nigra cucullà induisse Augustinum, eumque cinxisse cingulo coriaceo, quod eidem Simplicianus donaverat, & hoc fuit Anno Domini 388. die 5. Maii, in quo celebratur ejus conversio. Instituit suum ordinem Eremiticum in Monte Pisano Anno Domini 390. & suis Coeremitis dedit Regulam, ut etiam S. Antoninus in calce tertiæ partis summæ testatur. Ipsemet etiam Augustinus Epist. 86. in fine tom. 2. fatetur se fuisse baptizatum à Sancto Ambrosio. Ordinem suum Eremiticum Innocentius primus confirmavit Anno Domini 406. in Concilio Carthaginensi V. Fuit creatus Episcopus Hipp. anno ætatis suæ 36. & anno Domini 394. suos Clericos reformavit, ut habetur in 5. sermone ad Eremitas, Possidonio etiam in vita ejus testante. Vixit in Episcopatu annos 40. Moritur anno ætatis suæ 76. m. 9. die 15. & anno Domini 434. post Synodum generalem ephesinam. Ingenio, & scientiâ omnes facile superavit: tantaque scripsit, ut diebus, ac noctibus non solùm scribere libros quisquam non queat, teste Isidoro in Ethymol. sed nec legere quidem valeat.

DE LIBRIS AUGUSTINI JUDICIUM

Donec prodeant censuræ Romanæ.

ETsi opera superiùs recensita sub S. Patris Augustini nomine circumferuntur non tamen omnia Augustini esse creduntur, propterea quòd nonnulli libri ab Augustino in libro Retract. non recensentur. Sed eis respondetur, hoc factum esse, quia multos libros, & tractatus post Retractationem edidit, ut ipse in calce Retract. futurum esse innuebat, cujus verba sunt hæc;

Opera nonaginta quatuor in libris ducentis triginta duobus me dictasse recolui, quando hæc retractavi, utrum aliquos adhùc essem dictaturus ignorans, atque ipsam eorum retractationem in lib. duobus edidi, urgentibus fratribus, antequàm Epistolas, ac Sermones ad Populum alios dictatos, alios à me dictos retractare cœpissem. Hinc mirum non est, Psalmorum opus, ingens quidem, ac doctrinâ refertissimum, sicut, & alia, in libris Retract. non fuisse recensitum. Adde etiam quia nonnulli tractatus, sive sermones sparsim editi sunt, ut credendum est de Sermonibus ad Eremitas. Hinc de iis, atque de aliis mentionem non fecit in libris Retract. ac etiam propter causam superiùs assignatam.

Alii nonnullos libros non esse Augustini affirmant propter varietatem styli. Id quod factum esse credendum est ob ipsius diversitatem ætatum, temporum, materiarum, & personarum, ad quas loquebatur.

Alii idem asseverant propter easdem causas assignatas, & propter alias, quas infrà suo loco in medium afferemus, sicut de Spiritu, & anima, de vera, & falsa pœnitentia, de conflictu virtutum, & vitiorum, & de Scala Paradisi sentit Abbas Trittemius, qui in vita S. Patris Augustini ait, *tot esse Tractatus, & Sermones Augustino falsò adscriptos, ut eorum recensio volumen exquirat.*

Sed inter opera, quæ nomine Augustini circumferuntur, nihil est, quod magis ab Augustini libris alienum esse judicetur, quàm *Veteris, & Novi Testamenti Quæstiones*, in quibus multa absurda, ac tanto Viro indignissima videre licet, id quod quædam loquendi formulæ præseferunt, ac manifestè indicant. Abutitur enim *quandiù* pro *donec*. *Propter quod* pro *Eo quod*. *Ut* pro *quòd*. Et 106. Quæst. *Hominem* ponit pro *viro*, quemadmodum vulgus Italorum, & Gallorum loquitur. Hoc ipsum nonnullæ sententiæ ab eodem Augustino dissentientes clarum faciunt. Nam in quæstione 27. maximopere

contenditur, & constantèr asseveratur, Samuelem cum Saule non fuisse colloquutum, & Augustinus ait de cura pro mortuis gerenda cap. 15. id perpulchrè congruere Sacris Scripturis. Rursus de spiritu, qui ferebatur super aquas, contendit non esse intelligendum de Spiritu Sancto. Quod Augustinus de Spiritu Sancto intelligendum esse docet. In Quæstione 57. non semel dicitur Nathan fuisse filius David, Augustinus verò non semel diversum sentire visus est. In Quæstione 59. illud Joannis: *Spiritus ubi vult spirat*, de vento, non de Spiritu Sancto accipiendum esse ait. Augustinus verò aliter interpretatur. In Quæstione 108. multis conviciis insectatur eos, qui volunt Hebræos dictos ab *Heber*, non ab *Abraam* Augustinus 2. lib. Retract. cap. 16. Et lib. 16. cap. 3. & 11. de Civitate Dei vult Hebræos *ab Heber*, non ab *Abraham* esse dictos.

In his quoque Quæstionibus Veteris, & Novi Testamenti aliter citantur quædam, quàm in libris Ecclesiæ habeantur. Velut illud non semel citatum ab Apostolo: *An ignoratis altitudinem Satanæ?* Item illud: *Qui sumit indignè, gladium sibi acquirit*. Et illud ex Luca: *Nemo est, qui relinquat domum, aut uxorem, aut filios, aut agros, qui non recipiat septies tantùm in hoc seculo*. Quam dicendi formam nec Græcorum, nec Latinorum habet lectio. At maximâ consideratione dignum videtur quod in Quæstione 73. de Beata Virgine legitur. Ubi habetur: *Maria etiam, per quam gestum est Mysterium incarnationis Salvatoris, in morte Domini dubitavit*. Augustinum lib. de Nat. & Gr. c. 36. B. Virginem ab omni prorsùs peccato liberam, & immunem vocat; ipsa autem dubitatio non poterat esse nisi peccatum infidelitatis, quod quidem absurdissimum est, nisi sumatur dubitatio pro admiratione, ac stupore ut inferiùs innuere videtur. Illud etiam maximopere considerandum est, quod in 109. Quæstione legitur. Ubi multis rationibus, & mordicùs quidèm, probatur, Melchisedech fuisse Spiritum Sanctum, & ut hominem apparuisse: Id quod Augustinus in hæresi 34. Tomo 6. tamquàm hæreticum damnat, nec in Retract. correctum, nec recensitum invenitur, cum illic Quæstionum libros diligenter recenseat. Quare cum Alphonso de Castro, cum Prateolo contra hæreses Tit. Melchisedech, necnon cum aliis compluribus fatendum est, Quæstiones Veteris, & Novi Testamenti Augustini omninò non esse. Nec unius tantùm hominis esse credendum est, eum eadem iisdem verbis multis in locis iterentur, ut in 90. & 98. Quæstionibus videre licet, & diversa de eadem re asseverentur, ut in Quæst. 96. legitur Pascha dictum esse à Græcis *transitum*. Et in Quæst. 116. legitur dictum à *patiendo*. Adde, quòd stylus frequentèr mutatur modò verbis adstrictus, jejunus, & mancus: modò immodicè garrulus. Et ordo non servatur. Ex his igitur, aliisque de rebus permultis Quæstiones Veteris, & novi Testamenti Augustini omninò non esse, nec quidèm unius tantùm hominis affirmandum est.

SANCTI AUGUSTINI

Opera Alphabetico ordine dispositâ, & Notationibus conscripta.

ACCADEMICI LIBRI TRES.

HOS edidit libros Augustinus, dum esset catechumenus, contrà Accademicos, *ab Accademia Villa Platonis* sic dictos, asseverantes nullius rei veritatem sciri posse. Horum librorum meminit in Retract. lib. 1. cap. 1, Ex lib. 1. Accademiæ quinque retractat. *Primum* quòd frequentèr nominavit Fortunam, quam tamèn Deam aliquam intelligi noluit, sed solùm fortuitum eventum rerum in bonis tantùm, aut malis externis, in quibus causa, & ratio secreta est. Et quamvis forte, forsan, fortassis, fortasse, & fortuitù, adverbia ista, & id genus alia in nulla Religione sint prohibita, displicet sibi tamèn hoc dixisse: quia dici non debet: Hoc Fortuna voluit, sed Deus voluit, & permisit.

Secundum est quod dixerit, pro necessitate nostræ naturæ, quia naturæ nostræ dura necessitas meritò præcedentis iniquitatis exorta est.

Tertium quòd dixerit, nihil corporeum esse colendum, sed abjiciendum esse illud omne, quod ullus sensus attingit. Quod retractat, quia est sensus mentis, & ait se loquutum esse more eorum, qui sensum tantummodo corporis dicebant.

Quartum retractat, quia non debebat dicere: Beate vivere est secundùm mentem, & rationem: sed secundùm Deum, cui mens nostra totalitèr subdenda est.

Quintum retractat dicens, se, *omen*, perperam posuisse, cum id in Sacra Scriptura, & apùd Doctores ejus in usu non sit.

Ex 2. lib. retractat duo. Primum quod dixerit, quamvis fabulosè, & poeticè, Philocaliam, & Philosophiam sorores germanas eòdem patre procreatas. Secundum, quod non debebat dicere, animum severiorem rediturum esse in cælum, sed iturum, propter eos, qui dicunt animam de cælo in corpora fuisse lapsam.

Ex *tertio* quinque retractat. *Primò* dicit, summum bonorum hominis, non esse in mente, sed in Deo. *Secundò* quòd dixit: per omne divinum dejerare libet. *Tertiò* quòd dixerit verisimile esse falsum, Hoc tamèn non est universalitèr verum, *Quartò*, quòd Platonem, & Platonicos laudaverit plusquam debuerit, cum contrà eorum errores pia veritas defendenda sit, *Quintò*, quòd Ciceronis verbis, & argumentis usus sit, quamquam ironicè, suas tamèn dixit esse nugas, quod sic dici non debuit. In hoc tertio libro cap. 20. se annum 33. agere fatetur dùm librum ipsum scriptitabat. Vide hunc lib. in Tomo I.

Admonitionum libellus.

HIc liber instar regulæ, quæ incipit: *Communi definitione decrevimus, Regula secunda* à nonnullis inscribitur: & desinit: *eo opitulante &c.* Vide hunc lib. in Tomo VI.

Adulterina conjugia.

LIber de adulterinis conjugiis recensetur libro secundo Retract. cap. 57. & dividitur in duos tractatus, qui sunt contrà affirmantes uxorem dimittendam esse, etiàm absque causa adulterii: & ea vivente aliam duci posse. Has duas opiniones reprobat respondens duabus Pollentii Epistolis: & nihil de hujusmodi libris retractatur. Hunc lib. vide in Tomo VI.

Altercatio Ecclesiæ, & Synagogæ.

LIbellus elegans, & in lib. Retr. non recensetur, phrasemque jurisconsultus redolet. Vide, *Ecclesia*. Vide hunc lib. in Tomo VI.

Agon Christianus.

LIber de Agone Christiano recensetur lib. 2. Retr. cap. 3., & continet regulam fidei, & præcepta vivendi: & sic inscribitur, quia agitur ibi contrà Manichæorum viginti-quatuor errores, pro fide Christiana. De hoc libro retractat quod dixerat in calce fere ipsius de Resurrectione nostra exponens illud Apostoli: *Caro, & Sanguis regnum Dei non possidebunt*. Immutabitur, inquit, caro, & sanguis, & fiet cæleste corpus, & angelicum. Hoc declarans ait: Id non sic debet intelligi, quasi non sit futura carnis, & sanguinis in Resurrectione substantia: sed quia non erit corruptio amplius carnis, quæ nunc est. Vide hunc lib. in Tomo III.

Amicitia.

HIc libellus non recensetur in Retr. nec Augustini esse creditur, cum sit infans, & absque nervis citat Ambrosium, & Hieronymum: & Tullio tribuit, quod ille rejicit. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Animæ origo.

HIc liber de Origine animę ad Hieronymum, de quo fit mentio in 2. lib. Retr. cap. 45. Liber de anima, & ejus origine, contrà Vincentium Victorem reprobantem lib. Augustini de fide ad Petrum in quatuor partes dividitur: & de eo fit mentio in 2. lib. Retract. cap. 56. undè dictus Vincentius postmodùm se correxit. Vide hoc apùd Hieronymum 2. Tomo Ep. ubi scribit ad Augustinum duos de origine animarum libellos dicatos ab eodem sibi fuisse. Hunc lib. vide Tomo VII.

Animæ immortalitas.

HIc liber, ut ait S. Augustinus in prim. lib. Retract. cap. 5. proptèr contortas, ac breves rationes ita est obscurus, ut etiàm à se ipsò vix intelligi possit: & scripsit eum, dùm esset Catechumenus, & septem sibi displicere dicit: Quæ sunt: Non est verùm quòd in eo qui nihil discit, non potest esse disciplina, cujusmodi est Deus: nec quod sciam, ullam rem complectitur, nisi quæ ad aliquam disciplinam pertinet: nec, quod quidquid intelligitur sit semper ejusmodi, sicut est animus, qui intelligitur, & non semper est hujusmodi. Nec est verum, quòd vita non sit ulli sine ratione, cum Deus sine ratione vita sit. Nec, quòd animus non possit separari ab æterna ratione, cum ei non localiter jungatur: & de hoc se excusat, quia nondum erat tunc temporis in Sacris literis eruditus. Peccata enim separant nos à Deo. Nec est verum quod anima carens corpore non sit in mundo: quàmvis, ut ipse ait, mundus possit sumi pro parte corporea: & ait temerè dictum de subsistentia animæ, & corporis; cum corpus per animam subsistat. Hunc librum vide in Tomo I.

Animæ duæ.

HUnc edidit librum, dum esset presbyter contrà Manichæos asseverantes duas animas esse in quolibet corpore: Unam bonam, & alteram malam. Illam dicebant esse Dei partem, alteram de gente tenebrarum. Et recensetur in lib. 1. Retract. cap. 15. de quo nihil retract. sed decem declarat. *Primò*, quòd creatura refertur ad Creatorem, non tamquam de illo, ut pars ejus, sed ab illo, ut opus ejus. *Secundò* quod dixerat: non est peccatum nisi in voluntate. Nec ob id ait: sequitur, quòd in parvulis arbitrio voluntatis non utentibus non sit peccatum, ut ajunt Pelagiani, quia peccatum originale primorum Parentum voluntate commissum est: vel illud dictum intelligitur de eo, quod est tantùmmodò peccatum, non peccatum cum pœna peccati: nec contrariatur Apostolo dicenti: *Quod nolo, hoc facio*. Quia hoc intelligitur de carnis concupiscentia, quæ est reatus originalis peccati, & pœna; quàmvis peccatum, quo assentitur concupiscentiæ, nonnisi voluntate committatur. Undè alibi: *Nonnisi voluntate peccatur*. *Tertiò*, voluntas est animi motus, cogente ad aliquid agendum nullo, vel adipiscendum. Hoc dixit proptèr peccatum primorum Parentum, quod nullo cogente commissum est: etsi ignorantèr, voluntate tamèn: quod fuit voluntas facti, non voluntas peccati. Quod factum, quia fieri non debuit, ideò peccatum fuit: & qui sciens peccat, volens etiàm peccat: Qui enim potest resistere, non cogitur cedere: & quando aliquis nullatenùs bona voluntate resistere potest cogenti cupiditati, quando contrà justitiam agat illud sic est peccatum, quod etiam est pœna peccati. *Quartò* declarat diffinitionem peccati tantùm, non illius peccati, quod etiam est pœna peccati, cum dixerit: Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat. Addit etiam in hac declaratione, voluntatem ad benefaciendum non esse liberam, nisi per Dei gratiam: & sine voluntate non esse peccatum, sivè in origine, sivè in opere. *Quintò*, declarat quod dixit contrà Manichæos: Malum genus animarum antequam conjungeretur bono nullam ha-

habuisse voluntatem, nec peccatum: & ait, non posse id trahi ad parvulos, in quibus est tantùm originale peccatum, quod est commissum voluntate Adæ, & per eum intravit in mundum. *Sextò* quòd etsi dixerat animas naturâ malas non esse, illud tamèn adversari Apostolo dicenti: *Fuimus aliquando naturâ filii iræ*. *Septimò, & octavò* declarat cur parvuli teneantur rei peccati. *Nonò* recitat opinionem aliorum. *Decimò* declarat quod dixerat, corpora diligendo peccavimus, quia spiritualia diligere, & justitiâ jubemur, & naturâ possumus. Hoc, inquit, *non dixi, gratiâ, sed naturâ, quia tunc non contra Pelagianos, sed Manichæos agebam*. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Animæ quantitas.

HIc liber editus est ab Augustino in Urbe Roma jàm baptizato in Aphricam remeare contendente, & recensetur in lib. 1. Retractat. cap. 8. *Primò* retractat quòd dixerat, Animam secum attulisse omnes artes, & discere non esse aliud, quàm reminisci, & ait se non intellexisse animam humanam in alio corpore, vel alibi vixisse, & in alia vita didicisse, sed quia intelligibilibus, & immutabilibus rebus connectitur, & videns veritatem vel in se, vel extrà se in rebus, interrogata respondet, & omnium capax est intelligentia. *Secundò* cum dixit: Redderet mihi, cui maximè debeo: dicere debuit, Deo, sed quodam ordine reddet se sibi, posteà Deo, sicut filius prodigus prius reversus est ad se, posteà ivit ad patrem: & dixit: mihi, per comparationem ad homines, quià sibi magis homo debet quàm aliis, & Deo magis quàm sibi. Hunc librum vide in Tomo I.

Anima, & Spiritus.

HIc liber censetur non esse Augustini, quia cap. 27. fit mentio de Boetio longe post Augustinum: sed tamèn communiter sibi inscribitur propter sententias, & verba, quæ alibi eum dixisse constat, licèt in Retract. non fiat de eo mentio. In cap. 6. citat Aristotelem, qui ætate Augustini nondùm erat tàm celebris, cujus Periherm tantùm, & Categoriarum libros se legisse testatur. Cap. 12. de resurrectione, & cap. 13. de animæ missione cum corpore perpendere necesse est, necnon cap. 45., & 46., & Trittemius Abbas Hugonis de Sancto Victore librum esse autumat. Vide hunc lib. in Tomo III.

Baptismus parvulorum.

HIc liber dividitur in tres partes, & recensetur in 2. lib. Retract. cap. 33. contrà Pelagianos, & de 2. tantùm retractat dicens: Deus, inquit, in fine largietur quibusdam, ut mortem repentina commutatione non sentiant: intelligendum est, quòd aliqui de hac vita in mortem, & de morte in æternam vitam celerrimà commutatione tanquam in ictu oculi transeuntes mortem quodam modo sentire non videbuntur. Vide hunc lib. in Tomo II.

Baptismus unius.

HIc liber scriptus est ad Constantinum, contrà Petilianum Donatistam, ut patet lib. 2. Retract. cap. 34., & retractat quod dixerat de Constantino Imperatore, quòd Donatistis criminantibus felicem locum accusationis dedisset, quàmvis eos falsò criminatos fuisse sciret. Et hoc posteà in gestis aliter inveniisse ait, ejusdemque Augustini diligentia laudatur. Hunc lib. vide in Tomo VII.

Baptismus contrà Donatistas.

HIc liber in 7. partes divisus recensetur lib. 2. Retract. 18., & est contrà hæreticos baptismum iterantes, & auctoritate Cypriani se defendentes. In his libris frequenter dicit Ecclesiam non habere maculam, neque rugam. Quod, ait, intelligi debere, non de præsenti, quæ præparatur, ut in alia vita ita sit. De 4. lib. ait, se non sufficientèr posuisse exemplum de latrone, cum dixit effusionem sanguinis, aut passionem habere vicem baptismi; cum incertum sit, num Latro fuerit baptizatus. De septimo libro retractat quod dixerat de vasis aureis, ligneis, & fictilibus imitatus Cyprianum. Hunc lib. vide in Tomo VII.

Beata Vita.

HIc liber est disputatio concludens beatam vitam reperiri in cognitione Dei. quem librum scripsit dùm esset Catechumenus, & lib. 1. Retract. cap. 2. ait, librum ipsum esse interruptum, nec integrum reperiri. Redarguit septimò, quòd nimis laudavit quendam Theodorum, cui misit hunc librum. *Secundò*, quòd nominaverit, Fortunam. *Tertiò*, quòd affirmarit beatam vitam esse in hoc seculo, cum sit in futuro. Vide hunc lib. in Tomo I.

Benedictiones Jacob.

HIc liber ex quæstionibus Hieronymi in Genesim collectus à quopiam censetur, ut nonnulli autumant. Hunc lib. vide in III. Tomo sub finem.

Blasphemia in Spiritum Sanctum.

HIc liber per modum sermonum editus non recensetur in Libro Retract. sed annumeratur in lib. de verbis Domini lib. 1. Serm. 11. vide hunc lib. Tomo X.

Boni natura.

HIc lib. de summo bono inscribitur, sed in lib. 2. Retract. cap. 9. de natura boni inscribitur, & est contrà Manichæos ostendens Deum summum esse bonum. Vide hunc lib. in Tomo VI.

Cathechizandi rudes.

HIc liber est de docendis in fide novellis, & in lib. 2. Retract. cap. 14: recensetur, & retractatur, quòd Diabolus convenientius spiritus quàm Angelus vocari debet. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Ci-

Civitas Dei.

HOc opus in 22. lib. dividitur, ingens quidèm, & celeberrimum, universalius, & utilius, quàm cætera alia: & recenſetur lib. 2. Retract. c. 43. quorum liberi *quinque primi* refellunt eos, qui res humanas ex cultu multorum Deorum ità proſperari dicunt, & etiàm neceſſarium eſſe ipſum cultum. *Quinque* ſequentes ſunt adverſus eos, qui dicunt hæc mala nec defuiſſe, nec de futura eſſe iis, qui non ſequebantur ipſum cultum, vel deſerebant. In *reliquis duodecim* aſſeruntur pertinentia ad noſtram Fidem, & Religionem: & in *primis quatuor* de duabus civitatibus, idèſt Dei, & mundi. In *Reliquis* ea, quæ ſequuntur ex his. De 10. lib. de civitate cap. 8. Retractat. non debuiſſe poni pro miraculo cælicam flamam in ſacrificio Abrae, quia hoc illi in viſione monſtratum eſt. De 17. cap. 5. Retractat., potiùs dicendum eſſe Samuelem non eſſe filium ſacerdotis, quàm non eſſe de filiis Aaron. Hunc lib. vide in Tomo V.

Clericorum ſingularitas,

HUnc librum, & in ipſum adnotationem vide in Dictione: *Singularitas*. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Cogitatio in Craſtinum.

ESt quidam ſermo, ſeù tractatus, & in Retract. non recenſetur. Incipit; *Cultores Dei*: & eſt de non cogitando in craſtinum.

Concordia Patrum.

ESt ſermo, ſeù tractatus, qui eſt in libro quinquaginta homiliarum, hom. 41. Vide hunc lib. in Tomo II.

Cognitio veræ vitæ.

HIc liber eſt sàtis magnus continens quadraginta capita editus ad fratres ſuos de Monte Piſano, dùm ipſe erat frater, Anno ætatis ſuæ 51. ab Anno Domini 409. in libro tamèn Retract. non recenſetur. Vide hunc lib. in Tomo IX.

Confeſſio.

HIc liber devotior intèr omnes in 13. dividitur, & in lib. 2. Retract. cap. 6. recenſetur *à primo* uſquè ad 10. de ſuis malis, & bonis loquitur. Ab 11. uſquè *ad finem* Scripturam pertractat ab eo, quod ſcriptum eſt: *In principio &c.* uſquè *ad Sabbati requiem*. De 4. lib. Retractat, animam ex duabus unam factam fuiſſe, quod dixerat de amici morte, Horatium imitatus lib. primo Carm. oda 3. *Et ſervet animæ dimidium meæ*. De 13. inquit non sàtis conſiderate dictum eſſe, firmamentum factum intèr ſpirituales aquas ſuperiores, & corporales inferiores. Hunc edidit, dùm erat ſenex Epiſcopus; & in 3. lib. cap. 4. ait, ſe jàm incidiſſe in cujuſdam Ciceronis librum, *Hortenſium*, nuncupatum, dùm annum ætatis undè vigeſimum ageret, jàm defuncto patre antè biennium, & libros eloquentiæ diſcebat. Et in *lib. primo Soliloquiorum* cap. 10. mentionem facit de hoc etiàm libro Ciceronis, ubi *de Non appetendis devitiis* locum quendam invenit dicens: *Cum triginta tres annos agam, quatuordecim ferè anni ſunt, ex quo iſta cupere deſiti*. Vide hunc lib. in Tomo I.

Conflictus Vitiorum, & Virtutum.

HIc liber inſcribitur *de Conflictu Vitiorum, & Virtutum*, quia inibi quaſi quodam certamine, & Conflictu Virtutes, & Vitia introducuntur. Nòn recenſetur in libris Retractationum; nec à Trittemio judicatur eſſe Auguſtini, quià in eo libro, longè poſt medium, & non procùl à fine fit mentio de Sancto Benedicto confeſſore, ità inibi nominato, qui multos annos fuit pòſt Auguſtinum. Sunt qui Gregorio hunc librum adſcribant tanquàm ſtylum Gregorianum redolentem. Alii verò ipſum Ambroſio tribuunt; & intèr ejus opera Tomo V. in editione Romana nunc dictum libellum videre licet. Sunt qui eum Leoni Papæ adſcribant, ſicut ſub ejus nomine citatum eſſe reperi. In Ambroſio autèm ad quintum, & vigeſimum uſquè caput invenitur, fine tantùm diverſo; ſed poſt quem finem intèr Auguſtini opera, multa alia reperiuntur. Vide hunc lib. Tomo IX.

Conjugale bonum.

HIc lib. contrà Jovinianum ſcriptus eſt, ut cap. 22. ſecundi libri Retract. dicitur, de quo tria emendat. *Primum* quòd quæſitum de carnali concubitu non plenè diſcuſſit, ac ſoluit. *Secundum*, quòd dixit, concubitum, temperantiâ refrenante, libidinem non eſſe. *Tertium*, quòd ait, Abraamum ſine filio eſſe, paratum fuiſſe, cum de ſuſcitatione mòx filium ſibi reddendum crediderit. Hunc lib. vide in Tomo VI.

Conſenſus quatuor Evangeliſtarum.

HIc lib. dividitur in quatuor, & recenſetur in lib. 2. Retract. cap. 16. de primo Retract. quod dixit, Gentem Hebræorum ab *Abraam* cæpiſſe, & *Abræos* dictos, ſed veriùs ab *Heber* Hebræos, ut sàtis diſſeruit lib. 16. de Civitate Dei. Cap. 11. De 3. duo emendat. *Primum*, quod dixit, Joſeph virum Mariæ alterum habuiſſe patrem, à quo adoptatus: nàm dicere debuit, cui adoptatus. *Secundum*, quòd dixit Lucas, ad ipſum David per Nathan deſcendit, per quem Prophetam Deus peccatum illius expiavit, debebat dicere: per cujus nominis Prophetam, cum illi non fuerit, ſed Propheta ejuſdem nominis. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Conſonantia Evangeliſtarum.

HIc liber ſermo quidam eſt valdè prolixus, quo Matthæus, qui Genealogiam Chriſti deſcripſit, per generationes deſcendendo, & Lucas aſcendendo, concordantur, & habetur intèr ſermones. Vide hunc lib. in Tomo X.

Consolatio mortuorum.

HIc liber per modum sermonum scribitur, & duos principales sermones continet. Hunc lib. vide in Tomo IX.

Contemplatio Christi.

HIc lib. est parvus, & devotus, quem contemplationi Sancti Bernardi detruncatę insertum esse nonnulli putant, ob easdem res, quas inibi reperire licet. Vide hunc lib. in Tomo II.

Contemptus Mundi.

LIber quidam perbrevis, & ad modum sermonis compositus. Vide hunc lib. in Tomo IX.

Continentia.

HIc liber sàtis magnus est, qui licèt in Retract. lib. minimè ab Augustino nominetur, ejus tamèn est; à nonnullis creditur Hugonis victorini. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Correptio Donatistarum.

HIc liber ad Bonifacium comitem in eos, qui Donatistas legibus imperialibus corrìgi nolebant, scriptus est, atquè in lib. 2. Retract. cap. 48. recensetur. Vide hunc lib. in Tomo II.

Correptio, & gratia.

HIc liber est ultimò recensitus in lib. Retract., & scriptus est ad Valentinum, & ad alios Monachos; quia quidam eorum ex errore Pelagii dixerat, neminem corripiendum esse, si Dei præcepta non facit; sed solùm, ut faciat, pro eo orandum est. Hunc lib. vide in Tomo VII.

Chordæ Decem.

HIc liber est de decem præceptis, licèt magnus. Vide hunc lib. in Tomo IX.

Credendi utilitas.

HIc liber recensitus in lib. 1. Retract. cap. 14. Scriptus est ad amicum nomine Honoratum, adhùc Manichæum revocandum ab hæresi. Ipse enim multa, quæ credimus, deridebat. Hinc appositè scriptus est *de Vtilitate credendi*, seù potiùs *de Necessitate credendi* inscribi debet. De hoc lib. 7. Retract. illud dictum: *Litera occidit* in lib. *de Spiritu, & litera* meliùs pertractavit. *Secundò*, beatissimos qui invenerunt veritatem, non debere intelligi in via, sed in patria. *Tertiò* idem dixit de iis, qui sciunt honesta, & divina. *Quartò* meliùs exposuit de eo, quod scimus, & credimus. *Quintò*, homines omnes esse aut stultos, aut sapientes, intelligi debere de iis, qui uti possunt lib. arbitrio. *Sextò* cum dixit: Miracula non fiunt nunc tanta, & omnimoda; non quòd nullo modo fiant, debere intelligi, ait. *Septimò* cum in fine lib. dixerit, se nondùm Manichæos cæpisse refellere; debet intelligi in hoc lib. quia alibi contrà eos scripserat. Vide hunc lib. in Tomo VI.

Cura pro mortuis agenda.

HIc liber recensetur in 2. libro Retract. cap. 64., & pertractat utrum prosit defuncto sepeliri apùd memoriam, idèst Basilicam alicujus Sancti, & de apparitionibus mortuorum, & utrum sciant facta vivorum. Hic libellus videtur truncus, mancus, hiulcus, & depravatus, & in 2. Tomo epist. Hieronymi longè castigatior reperitur. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Cur, quando, & quomodo Deus homo.

HIc liber parvus est, decem capita continens, & in lib. Retract. non recensetur, & ab hac inscriptione Anselmus sumpsit materiam, & nomen sui libri: diffusius tamèn, & diverso stilo. Incipit: *Sancti Spiritus adjuvante gratiâ.*

Diligendus Deus.

HIc liber inscribitur, *de Diligendo Deo; & Meditationum lib.* etiàm inscribi solet. Hunc vide in Tomo IX.

Dilectionis substantia.

HIc est admodùm parvus lib. unius tantùm sermonis, & in Retract. non recensetur. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Disciplina Christiana.

HIc liber est unius itèm sermonis tantùm, & in lib. Retract. non recensetur. Vide hunc lib. in Tomo IX.

Disciplinæ bonum.

HIc liber est duorum sermonum, & in Retract. non recensetur. Vide hunc lib. in Tomo IX.

Disciplinarum liber.

HIc liber in primo Retract. cap. 6. recensetur, hoc est, *Musica* quantùm ad Rythmos, *Dialetica*, *Rhetorica*, *Geometria*, *& Arithmetica*. *De Philosophia* dixit, sola principia remansisse, & has disciplinas, dùm esset Baptismum susceperturus, edere conabatur Mediolani. Vide hunc lib. in Tomo II.

Divinatio Dæmonum.

HIc lib. recensetur in lib. 2. Retractat. cap. 30., & retractat quod dixerat, Dæmones totâ facilitate perdidìcere, non solùm dispositiones hominum voce prolatas, sed etiàm cognitione conceptas, per signa quædam ex animo expressa. Quod quià incertum est quomodo, & per quæ signa sciant, se audaciùs locutum esse ait, quàm debebat. Vide hunc lib. in Tomo III.

Doctrina Christiana.

HIc liber recensetur in libro 2. Retract. cap. 4., & in quatuor dividitur partes; & utilior est quàm forte credatur, cum sit quædam quasi Rhetorica sacra docens exponere Sacram Scripturam. In tribus primis docet, quomodo Scripturæ intelligantur, & intellecta proferantur, & doceantur. De

ii. libro tria emendat. *Primò*, quòd liber Sapientiæ ſcriptus eſt à Philone, non à Jeſu Sirach, ſicut jàm dixerat ibi. *Secundò*, quod dixerat ex conſuetudine vetus teſtamentum 44. libros contexere, cum Apoſtolus propriè nonniſi legem datam in Monte Syna *vetus teſtamentum* appellet. *Tertiò* tribuens defectui memoriæ emendat quod dixerat, Platonem, & Hieremiam fuiſſe coætaneos in libris de Sacramentis, ſivè de Prophetia: ſed S. Ambroſius nihil tangit de hac materia in lib. de Sacr. & librum de Prophetia reperiri ignoro, niſi liber de prophetia ſint libri de Abraam, in quorum 2. cap. 12. ait Ambroſius, Platonem fuiſſe in Ægypto, ubi dicta Prophetarum audire potuit. Vide hunc librum in Tomo III.

Duodecim gradus abuſionum.

HIc liber à nonnullis Cypriano adſcribitur, & quàmvis in lib. Retract. non recenſeatur, ex antiquo tamèn originali Sancto Patri Auguſtino inſcriptus reperitur, ut Bartholomæus Urbinas teſtatur. Vide hunc lib. in Tomo IX.

Eccleſiaſtica Dogmata,

HIc liber per modum Symboli regulas fidei comprehendit, & quàmvis Gennadio adſcribatur, necnon Tertulliano, & in lib. Retract. non recenſeatur, ab omnibus ferè creditur eſſe Auguſtini. Vide hunc lib. in Tomo III.

Eccleſiæ, & Synagogæ altercatio.

HUnc libellum vide in dictione, *Altercatio*. Et in ſexto Tomo videre licet.

Eleemoſyna,

HIc lib. eſt unius ſermonis, & quàmvis Cypriano adſcribatur, Auguſtini tamèn à pluribus creditur eſſe. Vide hunc lib. in Tomo X., & in Tomo VII. contrà duas Ep. Pelag. cap. 8. fit mentio de libro Cypriani, hoc eſt *de Eleemoſyna*.

Enchiridion.

HIc liber parvus eſt in verbis, & in ſententiis copioſus, idèſt, quòd manibus poteſt aſtringi, ut ipſe Auguſtinus dicit ibidem cap. 6. & in 2. lib. Retract. cap. 63. Inſcribitur de *Fide, Spe, & Charitate, ad Laurentium*, & docet quomodo ſit Deus colendus. Vide hunc lib. in Tomo III.

Eſſentia Divinitatis.

HIc liber non recenſetur in lib. Retract. & Hieronymo adſcribitur ſub titulo *de Membris Domini*: qui conveniunt in calce, in fine non itèm, nec in modo procedendi. Redolet tamèn ſtylum Hugonis victorini. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Fauſtus.

ESt liber in triginta tres partes diviſus per modum Dialogi contrà Fauſtum Manichæum *Melivitanum* dictum Manichæi defenſorem: & hic Manichæus damnatus eſt in Concilio Melitæ celebrato, cui interfuit ipſe P. Auguſtinus. Vide hunc lib. in Tomo VI.

Fides ad Petrum,

HIc liber non recenſetur in libris Retract. eſt tamèn Auguſtini, & valdè utilis, quià ibi omnia credenda à Fidelibus comprehendit. Vide hunc lib. in Tomo III.

Fides, & Symbolum.

HIc lib. in primo libro Retract. cap. 27. recenſetur, & editus fuit in Africano Concilio, dum ipſe Auguſtinus erat presbyter. Retractat quod dixit de mutatione corporum terreſtrium in cæleſtia, & ait id debere intelligi, non quantùm ad ſubſtantiam corporum, ſed quantùm ad incorruptionem. Vide hunc lib. in Tomo III.

Fides, & opera.

HIc liber probat adultos ſine operibus non ſalvari, & in lib. 2. Retract. cap. 38. recenſetur. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Fides rerum inviſibilium.

HIc liber eſt contrà eos, qui arguunt Chriſtianos ea credere, quæ ipſi probare non poſſunt, & in lib. Retract. non recenſetur. Ex Epiſtolis Auguſtini creditur conſarcinatus ab Hugone Victorino. Vide hunc lib. in Tomo I.

Gratia, & lib. arb.

HIc liber ſcriptus eſt ad Valentinum, & Monachos Adrumentinos, qui cum eo erant, contrà eos, qui defendebant lib. arb. negantes Dei gratiam, & lib. 2. Retract. cap. penultimò recenſetur. Hunc lib. vide in Tomo VII.

Gratia novi Teſtamenti.

HIc liber recenſetur in libro 2. Retract. c. 36., & declarat ſex quæſtiones ſibi propoſitas ab Honorato. *Prima* eſt de illo verbo Chriſti in Cruce: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Secunda* de verbo Apoſtoli *in charitate fundati*. *Tertia* de Decem Virginibus. *Quarta* de tenebris exterioribus. *Quinta* de gratia novi Teſtamenti, à qua ducuntur ſolutiones cæterarum quæſtionum.

Habitaculum triplex.

HIc liber, ſivè Tractatus eſt magnus, utilis, & ſpeculativus, *de Inferno, Mundo, & Paradiſo, & Beatorum gloriâ* multa ſubtilitèr pertractat, & à nonnullis S. Bernardo adſcribitur. Tomo IX.

Hæreſes.

HIc lib. inſcriptus eſt ad Quodvultdeum Diaconum complectentes hæreſes 91. earumque derivationes: & editus eſt poſt lib. Retractation. ut patet ex epiſtola, quæ incipit: *Domino ſinceriter dilectiſſimo fratri*. Sed eo in libro pollicetur ſe editurum opus majus, quo omnes hæreſes convincantur.

tur. Hic autèm liber non reperitur, nequè unquàm pervènit ad cognitionem alicujus, quod sciam. Hunc lib. vide in Tomo VI. De Quinque hæresibus oratio in Tomo VI.

Hypognosticon. 1. subnotationum.

HIc liber non recensetur in lib. Retract. est tamèn utilis contrà hæresim Pelagianam, difficilis, subtilis, & valdè Theologus, non censetur Augustini, qui titulos græcos suis libris indere non solet: multò minùs eos, qui non indicant argumentum: nec stylus per omnia congruit licèt eruditionem, & facundiam præseferat: & videtur collectus à quopiam ex his, quæ sparsim ab Augustino dissertа sunt contrà Pelagianos. Adverte tamèn errorem maximum appositum in margine libri quinti, Tomi septimi ubi cum dicat Augustinus contrà Pelagium nullo pacto tertium locum peremnem inveniri posse, nec per rationes, nec per auctoritatem sacræ Scripturæ, appositum est in margine: *Purgatorium*, ac si Augustinus sermonem habuerit de Purgatorio: quod veneno hæretico plenum dicendum non est. Nàm ibi Augustinus loquitur de tertio loco peremni, qui reperiri non potest, cum sint duo tantùm loci peremnes, *Regnum* videlicèt *Cælorum*, *& Damnatorum Infernus*. Hanc animadversionem hoc in loco apponendam censui, quia hanc blasphemiam hæreticalem in multis Venetiarum impressionibus legi. Vide hunc lib. Tomo VII.

Homiliæ quinquaginta.

HIc liber 50. complectitur sermones, cum homilia nil aliud sit, quàm sermo. Homiliæ itèm de tempore, & de Sanctis in Tomo X.

Jejunium Diei Sabbati.

HIc liber in lib. Retract. non recensetur, & solet intèr epistolas adnumerari, licèt sàtis magnus. Videtur esse scriptus contrà quendam asserentem die Sabbati jejunare, esse peccatum. Vide hunc lib. in Tomo IX.

Ignis Purgatorii.

ESt sermo de illo verbo Apostoli: *Fundamentum aliud nemo potest ponere &c.* & est utilis de peccatis igne purgandis pertractans: Falsò autèm ab aliquibus Cæsareo adscribitur: Incipit: *In lectione apostolica.*

Incarnati Verbi.

HIc liber non recensetur in lib. Retract. & à nonnullis existimatur esse quædam summa libri cujusdam Origènis. Vincentius tamèn in *Speculo historiarum* S. Augustino ipsum adscribit. Sed illud de filio voluntate progenito, docet non esse Augustini, & tamen dignum lectu. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Innocentia vera, vel sententiæ.

HIc liber inscribi solet *de Sententiis Prosperi*, quòd ipse è diversis lib. Augustini eas descripserit. Qui verò hunc libellum *de Vera innocentia* inscripserunt, hebraicos Scriptores imitati sunt: propterèa quòd ipsi Inscriptionem, & titulum librorum à principiis, & primis eorundem verbis accipere solebant, ut videre licet in lib. Genes., & Evang. Matth. &c. Hic enim liber sententiarum incipit: *Innocentia vera.* Hunc lib. vide in fin. Tomi III.

Inquisitiones Januarii.

HIc liber recensetur in lib. Retract. cap. 20., & à nonnullis inscribitur *de Consuetudinibus Ecclesiæ.* In duos libros dividitur, in primo *de Sacramentis*; In secundo *de ratione mutationis Paschatis, & aliorum festorum mobilium*, & ait de *secundo libro* displicere, quod dixit de manna. Vide hunc librum in Tomo II.

Justitiæ perfectio.

HIc liber non recensetur in lib. Retract., & est contrà Pelagium, & Cælestium dicentes, *nullum hominem peccare, si nollet, & justos esse omnes, si vellent.* Vide hunc librum in Tomo VII.

Liberum arbitrium.

HIc liber in lib. 1. Retract. recensetur cap. 6. Nihil retractatur, & est contrà Manichæos, præsèrtim asserentes Deum esse auctorem mali; & Pelagius hunc librum pro suo errore allegavit; & hac de causa Augustinus in lib. Retract. de hoc libro mentionem fecit. Vide hunc lib. in Tomo I.

Locutiones.

HIc liber in septem dividitur, explicans quosdam modos inusitatos loquendi in Scriptura Sacra à principio *Geneseos* ad librum usquè *Judicum* inclusivè; & in 2. Retract. cap. 13. recensetur, & retractat loquutionem illam: *Fecit Noe omnia verba, &c.* Vide hunc lib. in Tomo III.

Magister.

HIc liber est *de Deo, vero Magistro*, & 1. Retract. cap. 12. recensetur; & lib. 9. Confess. cap. 6., & nihil de eo corrigitur, & est dialogus Augustini cum Adeodato sextumdecimum agente annum; cujus ingenium in lib. 9. Confessionum cap. 6. commendat; & cum Deo loquens ait: *Annorum erat fermè quindecim, & ingenio præveniebat multos graves, & doctos viros; & horrori erat mihi illud ingenium; & quis præter te talium miraculorum opifex? Citò de terra abstulisti vitam ejus, &c.* Vide hunc lib. Tom. 1.

Mendacium.

HIc liber est utilis, & obscurus, ut ait ipse Augustinus lib. 1. Retract. cap. ultimo. Vide hunc lib. Tomo IV.

Alter Liber contrà mendacium est contrà Priscillianistas hæreticos, & recensetur lib. 2. Retract. cap. 60. Vide hunc librum in Tomo eodem.

Me-

Meditationes.

HIc liber à nonnullis inſcribitur *Secundus liber ſoliloquiorum ad Deum*; eſt devotus, & à Bernardo, & Anſelmo, quantùm ad literã, in ſuos eſt translatus, in Retract. non recenſetur, & continet Cap. 39., vel 41. pertractans pœnas Inferni. Advertendum tamèn eſt, caput 39. quodam in loco etiàm corruptum, ubi Eraſmus Apoſtata, ut itèm multis aliis in locis fecit, appoſuit hæc verba: *Poſt Baptiſmum acceptum*; & ſubſtulit ea, quæ habent antiqua exemplaria, hoc eſt: *Poſt Religionis ingreſſum*, ut neget Auguſtinum fuiſſe Monachum. Hunc librum vide in Tomo IX.

Mirabilia Scripturæ Sacræ.

HIc liber eſt ſatis magnus in duas partes diviſus, & in libro Retract. non recenſetur. Prima verba libri variè reperiuntur. Vide hunc librum in Tomo III.

Monachorum opus.

HIc liber ſcriptus eſt *contrà quoſdam Monachos crinitos, & à corporali labore ociosos*, & 2. lib. Retract. cap. 21. recenſetur. Vide hunc librum in Tomo III.

Mores Eccleſiæ, & Manichæorum.

HI ſunt duo libri, ut Auguſtinus ait lib. 1. Retract. cap. 7., dum ipſe baptizatus remearet ad Africam Romæ, conſcripti *contrà Manichæos*, qui fallaci continentiâ ſe Catholicis præferebant. De primo quidèm de moribus Eccleſiæ ſex emendat; *Primum*, quod dixit: Propter te afficimus totâ die, ubi dicendum erat, morte afficimur, vel mortificamur. *Secundum*, quod dixit in c. 16. ſobrietatem ſapientia docet, cùm dicendum eſſet, ſobrietatẽ, & ſapientiam docet. *Tertium*, quod dixit, c. 11. Vanitas vanitatum, quià dicere debuit, Vanitas vanitantium, ut habet lectio græca, & hoc propter Codicis mendoſitatem ſe dixiſſe affirmat. *Quartum*, quod dixit: Deum priùs plenâ charitate diligamus. Nàm meliùs, inquit, fuiſſet dicere, ſincerâ. *Quintum*, quod dixit c. 27. Si ſapientes uſquè adeò ſint, ut jàm nullo animi dolore turbetur, hoc ſupplet, quià non dixit, quòd tales ſint; ſed dixit, ſi tales ſint. *Sextum*, quod dixit c. 30. Si alicui tantus charitatis ardor innaſcitur, qui poteſt eſſe purgatus omni vitio, Pelagianorum causâ emendat dicens, hoc eſſe in Patria, non in via. De 2., qui de *Moribus Manichæorum* inſcribitur, duo retractat; *Primum* eſt, quod dixit: Dei bonitas omnia deficientia ſic ordinat, ut ubi ſint, ibi congruentiſſimè poſſint eſſe, donèc ad id recurrant, undè defecerunt. Hoc dixit non debere abſolutè intelligi propter Origeniſtas, qui omnes animas aliquandò dicebant eſſe ſalvandas, ſed accipi pro recurrentibus ad Deum, à quo defecerunt. *Secundum* eſt, Scarabæos de ſimo procreari, cùm univerſaliter verum non ſit. In hoc opere uſus eſt ſtylo demiſſo, non propter inſcientiam, ſed propter charitatem, quià voluit intelligi, etiàm ab imperitis, tùnc enìm temporis textores, & textrices latinam orationem ſimplicibus verbis, & ſenſibus contextam intelligebant. Vide hunc librum Tomo I.

Muſica.

HIc liber ſubtilis, theologus, & utilis, & in libro 1. Retract. cap. 6. recenſetur; in quo agit ſolùm de rithmo, pro faciendis verſibus; Cujus quinque libros nondùm Chriſtianus apùd Mediolanum edidit. Sextum, de quo mentio habetur lib. 1. Retract. cap. 11. perfecit in Africa poſt Baptiſmum. Et de hoc ſexto tria ſupplet. *Primum*, animum carentem corpore, & corporis numeris meliorem fieri; non enìm debet intelligi, quaſi poſt reſurrectionem anima non ſit in corpore corporales numeros habitura; ſed quòd ab eis non occupabitur. *Secundum* eſt, quod dixit, ſanitas erit firmiſſima cum priſtinæ ſanitati pòſt reſurrectionem corpus reſtituetur, quod debet intelligi, idèſt, nullam ægritudinem illa corpora patientur. *Tertium*, quod dixit: rerum tranſitu completur infirma pulchritudo, & quod in illa imitatur conſtantiam, à Summo Deo per anima traiicitur, & hoc locum habet ſolùm in corporibus hominum, ne quis in Platonis errorem de mundi animâ incidat. Addit, ſe temerè dixiſſe: Mundum eſſe animal. Nàm licèt per Angelos adminiſtretur; Scriptura tamen Angelos Animalium nomine ſignificare non ſolet. Unum autèm retractat circà finem libri, ubi per animam, Angelos intelligit. Hoc, inquit, non benedictum eſt, quià non legitur in Sacra Scriptura, Angelos habere animam. Vide hunc librum in Tomo 1.

Natura, & gratia.

HIc liber, qui in 2. lib. Retract. cap. 42. recenſetur, ſcriptus eſt *contrà Pelagium*, qui hominis naturam contrà Dei gratiam defendebat. De quo libro emendat, quià quædam verba Sixti Papæ, & Martyris eſſe conceſſit, cùm eſſent Sixti Philoſophi pythagorici. Hunc lib. vide in Tomo VII.

Nuptiæ, & concupiſcentia.

HIc liber, qui in 2. lib. Retract. cap. 53. in duos dividitur, & ſcriptus eſt *Valerio Comiti, contrà Pelagianos*, qui dicebant, Auguſtinum damnare nuptias, eò quòd omnes cum peccato originali naſci tradidiſſet. Vide hunc librum in Tomo VII.

Orandus Deus.

HIc liber in libro Retract. non connumeratur; tamèn magnus eſt, utilis, ac delectabilis, eò maximè, quòd modos omnes perſuadendi, & animum judicis inclinandi, & ſecundùm artem rhetoricam reducit ad modum orandi Deum. Vide hunc librum in Tomo II.

Ordo rerum.

HIc liber accuratione ſtyli elaboratus in duos dividitur, & lib. 1. Retract. cap. 3. recenſetur. Hunc Auguſtinus ſcripſit more Dialogi quaſi diſputatoriè, cùm adhuc eſſet Catechumenus, in quo ferè per totum quæritur

tur, utrum omnia bona, & mala divinæ providentiæ ordo contineat. De quo novem sibi displicere affirmat. *Primum*, quòd frequenter nomine Fortunæ usus est. *Secundum*, quòd de sensu loquens non addebat, corporis. *Tertium*, quòd multùm laudavit liberales disciplinas. *Quartum*, quòd Musas, licèt jocando, *Deas* appellavit. *Quintum*, quòd admirationem *vitium* nuncupavit. *Sextum*, quòd Philosophos verâ pietate minimè præditos virtutis luce fulxisse dixit. *Septimum*, quòd duos Mundos posuit; unum sensibilem, alterum intelligibilem, & quòd addit Platonem non errasse, ponendo mundum intelligibilem. *Octavum*, quòd dixerit, Deum sinè optimis moribus hominem non exaudire, quià Deus etiàm peccatores exaudit. *Nonum*, quòd Pythagoræ plurimum laudis dederit. Vide hunc librum in Tomo I.

Psalmi.

PSalmorum opus ingens est, & eruditissimum, & admodùm utile, atquè celeberrimum. In lib. tamèn Retract. non recensetur, ob causam superiùs assignatam, cùm agitur de judicio in libros, Hieronymus tamèn in Epistola quadam ad Augustinum fatetur se vidisse *Commentarios hosce in Psalmos*, & libr. *Soliloquiorum*, ut videre licet in II. Tomo Epistolarum.

Patientia.

HIc liber satìs magnus est, nequè in lib. Retract. annumeratur; quem aliqui appropriant Cypriano, ex ignorantia tamèn, quià multùm in stylo à Cypriani libro differt. Vide hunc librum in Tomo IV.

Pœnitentia vera, & falsa.

HIc liber est satìs magnus, & per capitula plura distinctus, scriptus est *quidam Sanctimoniali contrà Novatianum*, qui pòst Baptismum pœnitentiam negabat. In lib. Retract. nulla de eo fit mentio, & aliqui negant eum esse Augustini, quià cap. 17. fit mentio de ipso Augustino, & sententia ab Augustino dissentit, ut ait Trittemius. Hoc in libro cap. 10. perpendendum est dictum de confessione faciendâ laico in casu necessitatis, si desit copia Sacerdotis. Id enìm non est de præcepto, sed de consilio. Dictum ipsum recitatur de pœnit. distinct. 6., sed sinè ullius Auctoris nomine. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Pœnitentia.

DE pœnitentiæ medicinâ libellus unicus *Augustino* inscriptus, ut adnotatur in admonitione de Tertulliani Dogm. quinque continet capita, & in Tomo IX. ponitur. De *Utilitate pœnitentiæ* Tractatus parvus, & in eodem Tomo IX. locatur.

Prædestinatio Gratiæ.

HIc liber etiàm de *Prædestinatione*, & *Gratiâ*, vel de *Voluntate Dei* inscribitur, & in lib. Retract. minimè recensetur. Hunc librum vide in Tomo VII.

Prædestinatio, & perseverantia Sanctorum.

HIc liber magnus est, & in duos distinctus, scriptus est autèm *ad Prosperum, & Hylarium*, & in libro Retract. non annumeratur. Vide hunc librum in Tomo VII.

Præsentia Dei ad Dardanum.

HIc liber 2. lib. Retract. cap. 49. recensetur, & est *contrà Pelagianam hæresim*, licèt in eo minimè nominetur. Vide hunc librum in Tomo II. Epist. 57.

Quæstiones 83.

HIc liber 1. Retract. cap. 26. recènsetur; de quo 23. emendat. *Primum*, de nòna quæstione, ubi dixit omne sensibile sinè ullâ temporis intermissione commutari. Nàm in corporibus glorificatis veritatem non habet. *Secundum* de duodecima quæstione dixit illam quæstionem suam non fuisse, sed cujusdam Frontei Chartaginensis, qui Paganus scripsit, & Christianus obiit. *Tertium*, de quæstione 12. dixit, Deum non esse auctorem mali. Nàm de malo culpæ intelligendum est, quià malum pœnæ est à Deo. *Quartum*, de quæstione 23. ubi dixit, Deum eam genuisse sapientiam, qua sapiens est; sed in lib. de Trinitate se melius id pertractasse dicit. *Quintum*, de 24. ubi dixit, peccatum, & rectè factum esse in arbitrio voluntatis, addi debuit, quod ad rectè faciendum, Dei gratia operatur. *Sextum*, de 31. quià non fuit sua, sed Tullii. *Septimum*, de 35. ubi dicit, quod illud est amandum, quod nihil est habere, quam nosse. Hoc non approbat, quià aliqui Deum habent, quem ignorant, vel non sicùt agnosci debet, agnoscunt. *Octavum*, ibidèm, quod dixit, nemò beatam vitam novit, & miser est; quod intelligi debet, sicutì noscenda est. *Nonum*, de 36. ubi dixit, quòd Deus, & animus, quo amatur, charitas propriè dicitur consummata, si nihil aliud amatur. Addi debet, quòd ad Deum non referatur. *Decimum*, de 44. ubi Christum dicit in juvenili ætate veniisse, quod debet intelligi de juventute hominis, non mundi. *Undecimum*, de 47. ubi dixit, pòst resurrectionem corpora nos habituros angelica; quod ait se meliùs pertractasse in libris de Civitate Dei. *Duodecimum*, de 51. ubi dixit, quòd homo sinè anima non rectè dicitur homo, debuit dicere, non propriè. *Decimumtertium*, ibidem, ubi dixit hominem esse ad imaginem Dei, quod non debet intelligi quasi homo non sit etiàm imago Dei. *Decimumquartum*, de 54. ubi dixit, quòd est omni animâ melius, Deum dicimus, debuit dicere, omni creato spiritu melius. *Decimumquintum*, de 61. ubi dixit, quòd ad personas, Regiam, & Sacerdotalem sacra unctio pertinebat, addi debuit maximè pertinebat, nàm & Prophetæ nunciabantur. *Decimumsextum*, ibidèm, ubi dixit; Nathan, de quo Lucas, eum esse, quod David arguit, nàm diversi fuerunt. *Decimumseptimum*, de 62. ubi dixit de Latrone bono, ex aliorum opinione, quod non fuerit baptizatus, cùm illud

incer-

incertum sit. *Decimumoctavum*, de 66. ubi super illud Apostoli: *Ego autèm carnalis sum*, inquit, *idèst carni consentio, nondùm spirituali gratiâ liberatus*; Hoc non debet sic accipi, quòd spiritualis homo jam sub gratia constitutus, etiàm de se dicere non possit. *Decimumnonum*, ibidèm, super illud Apostoli: *Corpus quidèm mortuum est propter peccatum*, ait corpus mortuum, quamdiù rerum temporalium indigentiâ molestabat animam, sed meliùs posteà, ideò, propter peccatum mortuum, inquit, quià habet necessitatem moriendi, quam non habuit antè peccatum. *Vigesimum*, de 63. ubi dixit hominem signaculo imaginis propter peccatum amisso, creaturam tantùm remansisse. Quod non debet intelligi quasi totum amiserit, quod erat imaginis Dei. *Vigesimumprimum*, ibidèm, ubi dixit, bonos Angelos spiritualitèr, malos verò animalitèr vivere. Quod dictum de malis Angelis audacius est, quàm ut possit sacris comprobari literis. *Vigesimumsecundum*, de 68. ubi dixit: Deus non miserctur, qui ad pœnam vocat, nisi voluntas præcesserit. Hoc intelligitur post pœnitentiam; nàm non dixit, quasi non sentiret misericordiam Dei præcedere voluntatem. *Vigesimumtertium*, ibidèm super illud: *In utero sanctificavi te, & cùm esses in renibus Patris tui, vidi te*, ait se non recordari, ex quo exemplari habuerit: *Cùm esses in renibus*. Vide hunc librum in Tomo IV.

Quæst. 21.

Hic libellus inscribitur etiàm: *De Sententiis viginti una*, & in Retract. non recensetur, vide *Sententiæ*. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Quæstiones diversæ ad Simplicianum.

Hic liber *ad Simplicianum* scriptus est, qui Ambrosio in Episcopatu successit, ut inquit Augustinus lib. 2. Retract. in principio. Partitur hic liber in duos, qui primùm ab Augustino editi sunt, postquàm Episcopus fuit, quorum *primus* duas continet quæstiones ex verbis Apostoli ad Romanos, prima, & super illud: *Lex peccatum est, absit, &c.*, quæ verba de homine sub lege constituto exposuit, quod posteà dixit, ad spiritualem etiàm hominem posse referri. In secunda de libero arbitrio multa dixit, sempèr intelligens Dei gratiam prævalere. *Secundus* verò habet quæstiones quasdam de libris Regum; in quarum parte dixit, nihil sic esse in nostra potestate, quàm ipsum velle; Debet tamèn sempèr intelligi, quòd ad benè vivendum præparatur voluntas à Domino. Vide hunc librum in Tomo IV.

Quæstiones Evangeliorum.

Hic liber partitur in tres, ut dicitur lib. 2. Retract. cap. 12., & continet perbreves expositiones quorumdam locorum *ex Evangelio Matthæi, & Lucæ*. *Primus* habet quæstiones 27., de quo 25. ubi dixit Christum duobus Discipulis suam Passionem seorsùm retulisse; debuit dicere duodecim; sed Augustinus codicis mendositate deceptus est. *Secundus*, quæstiones continet 51., de quo in 5. ubi dicit: Defuncti fratris uxorem frater ducere debebat ex lege. Additque: Lex jubebat filium indè natum, nomen defuncti fratris habere. Quod Augustinus retract.; Quià lex volebat, eum dici filium defuncti, non autèm, quòd nomine eodem vocaretur. *Tertius*, habet quæstiones 14., ex quibus nihil retractat. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Quæstiones sex ad Deogratias.

Hic liber sic ab Augustino lib. Retract. cap. 31. inscribitur, & est *contrà Paganos*, cujus *prima* quæstio de resurrectione agit. *Secunda*, de tempore Religionis Christianæ, in qua dixit: Salus hujus Religionis nulli unquàm defuit, qui dignus fuit; & cui defuit, dignus non fuit. Quod non dixit, tanquàm aliquis propriis meritis dignus existat; sed vocatione Dei dignus efficitur. *Tertia*, de Sacrificiorum distinctione. *Quarta*, de illo: In qua mensura mensi fueritis. *Quinta*, de Filio Dei secundùm Salomonem. *Sexta*, de Jona Prophetâ. Hic liber inscribitur: *Oratio*, & maximam eruditionem, argutam, & facundam, multisque ex omni genere schematibus refertissimam, quæ vividam, & jucundam reddunt dictionem, complectitur; editus fortasse ab Augustino, dum esset juvenis. Vide hunc librum in Tomo II.

Quæstionum libri septem.

Hic liber in septem dividitur, qui Scripturam exponunt à principio *Geneseos* usque ad finem libri *Judicum*. Meminit Augustinus hujus operis lib. 2. Retract. cap. 55. *Primus*, in Genesim habet quæstiones 275., de quo 99. quæstione, ubi quærit de Virgis, quas Jacob in canalibus ponebat, dicit, illam quæstionem se incompletè solvisse. *Secundus*, liber super Exod. continet similiter quæstiones 173.. *Tertius*, super Levit. habet quæstiones 95., de quo 82. quæstione, ubi quærit de Summo Sacerdote, quandò poterat cognoscere uxorem, ex quo immundus erat, utquè ad vesperam, si die quolibet incensum debebat mundus offerre. Et solvit, quòd per ipsam vesperam jàm non erat immundus, sed usquè ad ipsam, ut in eo tempore incensum mundus offerret. Itèm quæstione 83. ubi quæsivit quomodò prohibitus esset Summus Sacerdos super funus Patris intrare, cùm filius patri in sacerdotali dignitate succederet, quam non satìs completè solvit; nàm tale præceptum propter illos erat, qui futuri Summi erant Sacerdotes, non summis Sacerdotibus Patribus succedentes, ibidèm quæst. 84. ubi de Latrone bono loquens, baptizatum non fuisse asseruit, cùm non esset certum. *Quartus* liber, super librum Numeri continet quæstiones 65.. *Quintus*, super Deuteron. habet quæstiones 56., de quo 48. quæstione, ubi dicit, quòd in Genealogia Christi, Mâtres non nisi cum Patribus nominantur, quod licèt verum sit, impertinentèr tamèn per hoc ad quæstionem se respondisse affirmat. *Sextus*,

super lib. Josue habet quæstiones 29. *Septimus*, in lib. Judicum habet quæst. 57. Vide hunc librum in Tomo IV.

Quæstiones veteris, & novi Testamenti.

Hic liber est satis magnus, de quo in libro Retract. mentio non fit, & Augustini esse non censetur, ut diffusè monstratum fuit superiùs, cùm de Augustini libris in universum latum est judicium. Hic dividitur in libros duos. *Primus*, quòad vetus Testamentum habet quæst. 47. *Secundus*, quòad novum habet quæstiones 80. Vide hunc librum in Tomo IV.

Quæstiones ex Matthæo.

Hic libellus stylum Augustini redolet, quamvis in libro Retractionum de eo mentio non fiat. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Quæstiones ad Orosium 65.

Hic liber etiàm *Dialogus ad Orosium* inscribitur; est enim per modum Dialogi scriptus; De quo in libro Retract. nulla fit mentio; & Augustini à nonnullis esse non censetur, sed collectus à quopiam, quià stylus præfationis cum opere non cohæret, & ab Orosiana phrasi dissidet; studium tamen ejus, qui librum collegit, non damnandum. Vide hunc librum in Tomo IV.

Regula Fratribus data.

Hæc Regula in nonnullis voluminibus inscribitur data Sanctimonialibus, tamen non est incredibile, quòd eam Fratribus anteà dederit, & posteà Sanctimonialibus ejus. In quibusdam codicibus initium est: *Hæc sunt, quæ ut observetis, &c.* Verius tamen; *Antè omnia Fratres charissimi, &c.* Est una è tribus, seù potiùs duabus Regulis, quæ nunc extant inter opera Augustini, ejusdem ferè argumenti, mutatis mutandis. Ricardus Cenomanus Ordinis Sancti Francisci Theologus Parisiensis, ut videre licet in fine primi Tomi in editione Parisiensi optimè respondet censuræ cujusdam arrogantis, & impudentis hominis, & iniqui Erasmi. In vetustissimis exemplaribus inscripta sic legitur; *Regula ad Servos Dei*, hoc est, *Monachos*, ut colligitur etiam ex omnibus locis, ubi Augustinus per Servos Dei, *Monachos* intelligit, & frequentissimè quidem, ut fusiùs infrà ità esse clarè ostendam, cùm de sermonibus agam. Vide hunc lib. in Tomo I.

Religio vera.

Hic liber, ut dicitur primo Retract. cap. 13. copiosè docet nihil hominibus esse colendum præter Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, de quo multa declarat; sed unum tamen simpliciter retract. illud, scilicet, quòd nullas necessitudines haberemus, quæ nascendo, & moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis, & imagine Dei perstitisset. Hoc improbat, inquiens; Dato, quòd homo non peccasset, essent istæ cognationes, & affinitates. Vide hunc librum in Tomo I.

Retractationes.

Hic liber utilissimus est, & retractationes recensentur in epist. quadam ad Quodvultdeum Diaconum, quę habetur in principio sui libri *de hæresi*. Dividitur hic liber in duos; in quorum *primo* recenset omnes libros, quos edidit nondùm Episcopus, qui sunt num. 26., & examine magis indiguerunt. In *secundo* eos recenset, quos edidit postquàm fuit Episcopus, quique minorem correctionem exigebant. Vide hunc librum in Tomo I.

Salutaria documenta.

Hic liber est execratio quædam Augustini ad Comitem sibi charissimum, de qua nulla fit mentio in lib. Retract., & censetur non esse Augustini, cùm sermo non sit purus, neque cohæreat alicubi, est tamèn pius. Vide hunc librum in Tomo IV.

Scala.

Scala Paradisi in Retract. non recensetur, & in antiquis exemplaribus Sancto Bernardo adscriptus reperitur, & ipsius redolet stylum, ut ait Trittemius. Hunc lib. vide in Tomo IX.

Sententiæ 21.

Hoc in libello non desunt soleciśmi; & nonnulla bis in tàm exiguo opusculo leguntur. In secundæ Sententiæ fine posita sunt carmina, quæ ad propositum facere non videntur; & in 13. Sententia tribuit Angelis auditum, & sensum, non aliter quàm hominibus, hinc Augustini non censetur. Vide hunc librum in Tomo IV.

Sermones ad Eremitas.

Sermones *ad Eremitas*, & alii non recensentur in lib. Retract., quia sparsìm, non instàr libri editi sunt; sed de omnibus, & præsertim *de sermonibus ad Eremitas* judicium, vide in fine, ubi de omnibus fit quædam mentio satis Concionatoribus commoda. Hunc librum in Tomo X.

Singularitas Clericorum.

Hic liber *de singularitate Clericorum* inscribitur; Auctor enim Clericos monet, ut singulariter habitent longè à mulieribus. A nonnullis Hieronymo adscribitur. A quibusdam Origèni, ut Pammelius testatur in annotationibus in Cyprianum; inter cujus opera reperitur sub nomine Origènis. Citatur autem à multis sub nomine Augustini, & præsertim à Sancto Bonaventura non semel. Sed ipsum inter Augustini opera non potui adhùc invenire, licèt sub ejus nomine in Indicibus. *Quarto Tomo* citatus reperiatur. Vide igitur hunc libellum inter opera Cypriani Tom. III.

Symbolum ad Catechumenos.

Hic liber inscribitur etiàm *Regula Fidei ad Catechumenos*; continet quatuor tractatus ad modum sermonum. Hunc librum vide in Tomo IX.

Syn-

Symbolum legendum.

HIc liber magnus quidèm, & utilis tractat de *Aduentu Domini*, & ſcribitur per modum tractatus *contrà Judæos, Pagaros, & Arianos*. Vide hunc lib. in Tomo IX.

Symbolum ad Laurentium Epiſcopum.

HIc liber eſt magnus, à nonnullis Hieronymo adſcribitur, nec in Retract. lib. nominatur; in antiquo tamèn Exemplari, Auguſtino tribuitur. Vide hunc librum in Tomo IX.

Soliloquia.

HIc liber ab Auguſtino editus eſt, cùm adhùc eſſet Catechumenus. Hunc librum, & Commentarios in Pſalmos Hieronymus in quadam Epiſtola ad Auguſtinum in *ſecundo Tomo Epiſtolarum* ſe vidiſſe teſtatus eſt; Hic dividitur in duos libros, in quorum *primo* cap. 10. ſe annum 33. agere fatetur, dum ipſum ſcriptitabat. Hic ſcribitur per modum *Dialogi*, & recenſetur lib. primo Retract. cap. 4., de quo ſex emendat. *Primum*, quod dixit in oratione: Deus, qui non niſi mundos verum ſcire voluiſti, nàm etiàm immundi vera ſcire poſſunt. *Secundum*, quod ibidèm dixit: Deus, quem ſenſus ignorat: intelligendum eſt de mortalis corporis ſenſu, quod addi vult Auguſtinus, ubicumque in ſuis libris locutio ſimilis reperitur. *Tertium*, quod dixit de Patre, & Filio, qui gignit, & quem gignit unum eſt, dici enim debuit unum ſunt. *Quartum*, quod dixit, beatam eſſe animam in iſta vita, intellecto Deo, addi debuit, in ſpe. *Quintum*, quod dixit ad ſapientiæ communionem non unâ viâ perveniri, quià non eſt alia via niſi Chriſtus. *Sextum*, quod dixit iſta ſenſibilia eſſe penitùs fugienda, quod non dixit, ut Porphirium ſequeretur, ſed addidit iſta, hoc eſt corruptibilia, quæ non erunt in futura vita. Unum autèm penitùs retractat, videlicèt, quod dixit cum Platone, ſcire non eſſe aliud, quàm reminiſci, de quo pleniùs diſputat lib. 13. de Trinitate. Hic liber inſcribitur etiam *de Cognitione Dei, & animæ reſipiſcentis infantiam in Chriſto*, Lectoremque patientem, & candidum requirit. Vide hunc librum in Tomo I.

Soliloquia ad Deum.

HIc liber eſt valdè devotus, & habet ſtylum libri Confeſſionum. Ab aliquibus dicitur *liber Meditationum ſecundus*. Hunc librum vide in Tomo IX.

Speculum.

HIc liber non recenſetur in lib. Retract.; Recenſetur tamèn intèr libros Auguſtini à Poſſidonio in vita ipſius; ſivè, ut quidam malunt, *à Poſſidio*. Præfatio verò à ſtylo Auguſtini non abhorret. Vide hunc librum in Tomo III., & Tomo IX.

Spiritus, & litera.

HIc liber 2. Retract. cap. 37. recenſetur, & eſt ſupèr illud Apoſtoli: *Litera occidit, ſpiritus autèm vivificat*, *contrà Pelagianos* præsèrtim, de quo nihil retractat; ſed notat, ſe dixiſſe cęremonias à *carendo* dictas eſſe, quaſi cęremonias eo quòd obſervantes carent his rebus, à quibus abſtinent. Vide hunc librum in Tomo III.

Supputationes.

HIc liber ſtylum habet Soliloquiorum ad Deum, & in quatuor dividitur, de quo in libro Retract. mentio non habetur; Incipit: *Te Patrem ingenitum*.

Trinitas.

HIc liber 2. Retract. cap. 15. recenſetur, & *in* 15. *partes* diſtinguitur, de quibus omnibus tria emendat. *Primum*, de libro 11. ubi de corpore viſibili, ait: Id amare alienum eſt, quod dixit de fruitione, non autèm de amore in ordine ad Deum. *Secundum*, de eodem eſt, & negaſſe volatilia quadrupedia, quæ tamèn in lege commemorantur, ut ſunt *Locuſtæ*, & *Scarabæi*. *Tertium*, de 12. ſupèr illud Apoſtoli: *Quodcumquè peccatum fecerit homo, extrà corpus ſuum eſt*. De pluribus peccatis exponit, cùm Apoſtolus *de ſolâ fornicatione* loquatur. Hic liber ſubtiliſſimus intèr omnes cenſetur, & inchoatus dicitur in Italia priuſquàm in Africam revertetur in Sacello non procùl à Centum cellis; & ob mirificum oraculum cęleſtis pueri ſibi in proximo Fertaldi littore apparentis intermiſſum eundem hunc librum in Africa ſenex perfecit. Vide hunc librum in Tomo III.

Trinitas, & unitas Dei.

HIc liber non recenſetur in lib. Retract. videtur tamèn decerptus ex Auguſtino. Vide cap. 3. *ſoleciſmum sìc jacentem*; Quæ miſſio opus eſt Sanctæ Trinitatis. Vide hunc librum in Tomo IV.

Verba Domini.

HIc liber in tres dividitur, & habet ſermones quoſdam ſupèr ſententiis, & verbis Chriſti. *Primus* eſt in Matthæum, continens ſermones 23. *Secundus* in Lucam, habens ſermones 15. *Tertius* in Joannem, & habet ſermones 28. Verba Apoſtoli, ſunt *ſermones* 33. Vide omnia Tom. X.

Videndus Deus.

HIc liber 2. Retract. cap. 41. recenſetur, & de eo nihil retractatur; ſed utrum Deus, qui ſpiritus eſt, per tale corpus videri poſſit, in 22. libro de Civitate Dei optimè explicavit. Quæſtio eſt difficillima. Hic liber eſt valdè parvus, & idcircò ab Auguſtino ubi ſuprà intèr libros non adnumeratur, inſcribitur autèm; *Commonitorium de videndo Deo*. Vide hunc lib. in Tomo II.

Virginitas Sancta.

HIc liber, ut dicitur 2. Retract. cap. 23. ſcriptus immediatè eſt pòſt librum *de Bono conjugali*, & præcipuè docet, quomodò virginitas ab humilitate cuſtodiri debeat. Vide hunc librum in Tomo VI.

Virgines Sacræ.

HIc liber est ad sacras Virgines tribus virtutibus *contrà vitia tria* scriptus, satis magnus, & utilis, de quo in lib. Retract, mentio non habetur. Vide hunc librum in Tomo IX.

Viduitatis perfectio, sivè de bono Viduitatis,

HIc liber scriptus est Julianæ; in quo sic commendat ipsam continentiam vidualem, ut tamèn agat contrà Cathaphrygas, & Novatianos, & Tertullianum, qui omnes secundas nuptias damnarunt; & est Augustini, ut in indiculo asserunt Possidonius, & Beda in comm. in 1. Cor. 7., & ad Phil. 4., & in Timoth. 5., tùm quod 15. cap. ejusdem libri auctor ipse testatur librum *de Sanctâ Virginitate*, & librum *contrà Faustum* à se compositos esse. Hinc censura Erasmi delenda est. Vide hunc lib. in Tomo IV.

Vita Christiana.

HIc liber non recensetur in lib. Retract. magnus tamèn est, & utilis, scriptus videtur ad sororem suam, & circà finem de viduis loquitur. Vide hunc lib. in Tom. IX.

Arriani.

LIber *contrà sermonem Arrianorum* nominatur ab Augustino lib. 2. Retract. cap. 52., qui alicubì inscribitur *contrà perfidiam Arrianorum*, confutat sermonem quemdam, in 39. articulos divisum.

Liber *contrà Felicianum Arrianum ad Optatum* in libro Retract. non recensetur; & probat subtilitèr, & sufficientèr, Filium esse coæqualem, & coæternum Patri.

Liber *contrà Maximinum Arrianorum Episcopum* in lib. Retract. non recensetur. A Magistro sententiarum 2. lib. frequentèr citatur, & in tres dividitur partes. Vide hunc librum in Tomo VI.

Donatistæ.

PSalmus incipiens: *Omnes, qui gaudetis*, editus est in causa Donatistarum per Abecedarium latinum *contrà Epistolam Donati*, qui secundus post Majorinum apùd Carthaginem Episcopus fuit; recensetur primo Retract. cap. vigesimo primo, in quo notat quatuor. *Primò*, quià dicit, quod in Petro tanquàm in Petra fundata est Ecclesia; & tamèn Christus non dixit Petro: *Tu es Petra*; sed: *Tu es Petrus*; Petra autèm Christus est, non tamèn primam improbat intelligentiam, & Sancti Ambrosii auctoritate confirmatur. *Secundò* super id: Nullius mortem Deus quærit; quià homo sibi mortem acquirit deserendo Deum. *Tertiò* retractat, non fuisse illum Donatum, cujus Epistolam refellebat, qui rogavit Imperatorem, ut interr ipsum, & Cecilianum, transmarinos Episcopos judices daret, sed alium, qui primus apùd Carthaginem, nèpharium ipsum schisma commisit. *Quartò* retractat, Donatum Carthaginensem non instituisse, ut Christiani rebaptizarentur; nec de libro Sapientiæ abstulit dimidiam sententiam, ut quondàm ipse Pater Augustinus putaverat.

Liber *contrà partem Donati* recensetur 2. Retract. cap. 5. divisus in duos speciales libros, & de *primo* unum retractat, videlicèt Schismaticos ad communionem violentèr trahendos esse, quod priùs non sibi placebat.

Liber *probationum, & testimoniorum contrà Donatistas* recensetur 2. Retract. cap. 27., de quo nihil retractat.

Liber *contrà nescio quemdam Donatistam* recensetur 2. Retract. cap. 28., de quo unum retractat, videlicèt quià dixit: Ad multitudinem zizaniorum, ubi intelliguntur omnes Hæretici; addenda est illa conjunctio; Etiam, dicendum fuit, ubi intelliguntur etiàm omnes Hæretici.

Liber inscriptus: *Admonitio Donatistarum de Maximianistis* brevis admodùm recensetur 2. Retract. cap. 29.

Liber *de Maximianistis* contrà *Donatistas*, admodùm grandis, recensetur lib. 2. Retract. cap. 35.

Liber inscriptus: *Breviculus collationum* brevitèr commemorat, quæ gesta sunt in tribus diebus illis, in quibus contulit cum Donatistis; recensetur 2. Retract. cap. 39.

Liber *de correptione Donatistarum ad Bonifacium*, qui scriptus fuit propterr eos, qui nolebant Donatistas imperialibus legibus corrigi, recensetur 2. Retract. cap. 48.

Liber *contrà Gaudentium Donatistarum Episcopum*, recensetur 2. Retract. cap. 59. divisus in duos libros, in quorum altero redarguit duas Epistolas Gaudentii; qui cùm ad ejus manus perveniisset, contrà ipsum scripsit Gaudentius; & propterea Augustinus alterum edidit contrà ea, quæ dixit ille Gaudentius.

Liber *contrà, quæ attulit Centurius à Donatistis, quæ eis suffragari videbantur, contrà ipsum Patrem Augustinum*, recensetur in lib. 2. Retract. cap. 17., & in tres dividitur partes. De *Tertia* emendat, quod dixerat; Ex se ipso unusquisque auferat malum, intelligi debet: Homo malus auferatur ex hominibus per Ecclesiasticam disciplinam.

Liber *contrà Petilianum Donatistam* tres continet partes contrà ejus Epistolam, Ecclesiæ Catholicæ adversantem, ut in lib. 2. Retract. cap. 25. ait. In *prima* alloquitur Catholicos. In *secunda* respondet dictæ Epistolæ. In *tertia* respondet alteri Epistolæ sibi ab eodem missæ.

Liber *contrà Cresconium Grammaticum Donatistam* quatuor continet partes, & 2. lib. Retract. cap. 26. recensetur, & inscitia Grammatici Petiliani redarguitur, & nihil de iis libris retractatur.

Liber *ad Emeritum Donatistarum Episcopum* brevitèr complectens quomodò Donatistæ victi esse monstrentur, recensetur in lib. 2. Retract. cap. 40.

Liber quidam *ad Laicos Donatistas post collationem cum ipsis habitam* scriptus est, ut ipse ait 2. Retract. cap. 40.

Liber

Liber *geſtorum cum Emerito Donatiſta*, diſputatio quædam eſt contrà eundem, & recenſetur lib.2. Retract. cap.51.

Adverſarius Legis, & Prophetarum.

Liber *contrà Adverſarium Legis, & Prophetarum* duos continet partiales libros, recenſetur lib.2. Retract. cap. 58., & ſcriptus eſt contrà quemdam Hæreticum innominatum, qui negabat Legem Dei eſſe, quæ data eſt per Moyſem, & Prophetas, & à Deo fuiſſe afflatos. Vide hunc lib. in Tomo 6.

Manichæi.

Liber *de Geneſi contrà Manichæos*, de quo recenſetur 1. lib. Retract. cap.10. in duos dividitur partiales libros ſcriptos in defenſionem veteris legis. Primus eſt *à principio Gen.* uſquè *ad requiem ſabbati*, de quo ſupplendo quatuor declarat. *Primum* eſt quod dixit: Omnes homines ad implenda Dei præcepta ſe poſſe convertere, ſi velint: quod non dixit quaſi non præparetur à Domino voluntas, ſed hoc non addidit, quia Pelagii error nondùm aderat. *Secundum* quandò dixit illam Dei benedictionem: *Creſcite, &c.* pòſt peccatum in carnalem fecunditatem eſſe converſam, non debet ſic intelligi, quaſi illi homines, niſi peccaſſent, filios non procreaſſent. Hanc quæſtionem pertractat Auguſtinus lib.14.de Civit.Dei Tomo 1.c.21.22.23. ubi ait primos Parentes, etiàmſi non peccaſſent, fuiſſe coituros, & generaturos. Vide etiàm Auguſtinum ſuper Geneſim ad literam cap.3. Vide hanc quæſtionem optime dilucidatam ab Ægidio Rom.2. ſenten. diſtint.20. art.2. *Tertium*, quod allegoricè tantùm accepit, quod ſcribitur de fructibus herbarum, & arborum in cibos animalium: nàm aliqua ſolis carnibus veſcuntur. Hoc emendat, quia homo ſuo imperio ad alios cibos ea reducere potuiſſet. *Quartum*, quando dixit Iſraelitibus apud gentes ſacrificare non poſſe, quia Agnus Paſchalis poteſt repræſentari. *Secundus* liber eſt ab eo loco: *Hic eſt liber Creaturæ Cœli, & Terræ, uſquè ad cuſtodiam ligni vitæ.* De quo quinque declarat. *Primum*, quod dixit pabulum ſignificare vitam, nàm alibi, loco pabuli fœnum legitur. *Secundum*, quod illa verba Eccl.10. *Quid ſuperbis terra, & cinis &c.* prophetica verba vocavit, cum interè prophetales libros iſte non annumeretur. *Tertium*, quod putavit hominem animalem priùs eſſe factum, non corpus ſolùm. *Quartum*, quòd nulli peccata nocere, niſi ſua, poſſunt Pelagiani dicere parvulis nullum nocere peccatum, ſed inſunt eis etiàm ſua, cum non ſit ab humana natura alieni. *Quintum*, quod nullum ſit malum naturale, quod eſt intelligendum de natura integra.

Liber *contrà Manichæum de duabus animabus*, recenſetur primo libro Retract.c.15. Vide dict. *Animæ duæ*.

Liber inſcriptus: *Acta contrà Fortunatum Manichæum*, qui libro primo Retract. cap.16. recenſetur, diſputatio eſt cum ipſo hæretico, & habet diſputationes duas, ſicut duobus diebus diſputatum eſt: quem Fortunatum Auguſtinus dum erat Presbyter publicè ſuperavit, & ad confitendum ſe victum reduxit: qui tamen ad fidem non rediit, ſed de Hipponia receſſit. De quo tria declarat. *Primum*, quod quamlibet rationalem creaturam animam dixerit, cum Angelos Scriptura non appellet animas. *Secundum* peccatum non eſſe, niſi quis propriâ voluntate peccet, quod non eſt intelligendum de peccato quod eſt etiàm pœna peccati. *Tertium* quandò dixit, quod poſt reſurrectionem legem, & divina præcepta ſervabimus, non quia tunc ſcripturis indigebimus, ſed quòd lex æterna ſervabitur ſine Codice. Vide hunc lib. Tomo VIII.

Liber *contrà Adimantum Manichæum* primo Retract. cap.22. recenſetur, de quo declarat quatuor. *Primum*, quod nulla reperiantur evangelica præcepta expreſſa, quæ libris veteris Teſtamenti deſint. Addi debuit: pœnè nulla. *Secundum*, quod tribus modis accipitur in ſcriptura filius: nam pluribus modis dicitur. *Tertium*, quod poſt reſurrectionem, caro, & ſanguis non erit, debet intelligi ſecundùm corruptionem, non ſecundùm ſubſtantiam. *Quartum*, quod eſt in hominis poteſtate mutare in melius voluntatem: quia poteſtas nulla eſt, niſi detur à Deo Tomo 6.

Liber qui dicitur *Commonitorium ad univerſam Eccleſiam deſtinatum*, indicans ſub qua cauthela Manichæi converſi ſuſcipi debeant, parvus eſt.

Liber, *contrà Epiſtolam Fundamenti*, ſcriptus eſt, ut dicitur libro 2. Retract. c. 2. eò quòd Manichæus quidam Epiſtolam pro ſuo errore confecerat, quam ipſi vocabant *Fundamentum*.

Liber *contrà Fauſtum Manichæum* admodùm magnus recenſetur lib.2.Retract.c.7. & diſtinguitur in 33. libros partiales, quos *diſputationes* jubet appellari. De quo emendat quatuor. *Primum* in 3. ubi dixit quod Joſeph habuit duos Patres, ex alio natus eſt: ab alio adoptatus: debuit exprimere adoptionis genus. *Secundum* in 12. & 13. ubi dixit, Cham fuiſſe maledictum, cum non ipſe, ſed filius fuerit maledictus. *Tertium* in eodem 13. ubi Solem, & Lunam alloquitur, quod metaphoricè dixit. *Quartum* in lib. 32. ubi dixit, quod in membris genitalibus Sanctorum nulla erit turpitudo: ſed cur ea Apoſtolus dixerit inhoneſta, melius alibi declarat. 1.Cor.12.

Liber *contrà Fœlicem Manichæum* lib.2. Retract. cap. 8. recenſetur, de quo nihil emendat, ſed tantùm narrat; diſputationem fuiſſe in publico, præſente populo, duobus diebus continuatam, & ob hoc liber iſte in duos partitur.

Liber *quæſtionum contrà Manichæos* continet 48. capitula, ſed non recenſetur in lib. Retractationum.

Liber *contrà Secundinum Manichæum auditorem*, recenſetur libro 2.Retract.cap.10. Vide hunc lib. in Tomo 6.

Pelagiani.

LIber *contrà duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Papam*, qui recenſetur lib. 2. Retract. cap. 61. & in quatuor libros partiales dividitur.

Liber *contrà Julianum Pelagianiſtam* partitur in ſex libros, & libro 2. Retract. cap. 62. recenſetur. De quo, tàm magno volumine emendat ſolùm, quod in lib. 5. cujuſdam viri nomen certum poſuerit, cum eſſet incertum.

Liber *diſputationis, ſive altercationis* cum ipſo Juliano eo more ſcriptus eſt, quo *ſecundus liber contrà Petilianum*.

Liber alius *contrà Pelagium ad Sixtum Presbyterum Urbis Romæ* ſcriptus eſt.

Liber *contrà Pelagium, & Cœleſtium de gratia, & peccato originali*, recenſetur libro 2. Retract. cap. 50. Hic dividitur in duos qui ſunt valdè utiles, & ſcripti ſunt ad *Albinam, Farminianum, & Melaniam*: de quibus nihil retractat.

Liber *de geſtis Pelagii* confectus poſtquàm catholicis quibuſdam Fratribus ad Epiſcopalia geſta perductus eſt ipſe Pelagius, recenſetur lib. 2. Retract. cap. 47. Vide lib. in Tomo 2.

Priſcillianiſtæ, Origeniſtæ.

LIber *contrà Priſcillianiſtas, & Origeniſtas* ſcriptus eſt Oroſio, ut dicitur lib. 2. Retract. cap. 44. Vide lib. in Tomo 6.

Hoſtes quinque.

LIber *contrà quinque genera hoſtium*, inſcribitur etiàm contrà *quinque hæreſes*, ut de quinque hæreſibus: agit enim contrà *Paganum, Judæum, Manichæum, Sabellium, & Arrium*, & habet ſtylum tractatus, ſeù ſermonis, quàmvis magni.

Liber *contrà Hylarium Tribunitium*, qui damnabat Hymnos dici ad Altare, recenſetur lib. 2. Retract. cap. 11.

Commentarii in Sacram Scripturam.

LIber *de Geneſi ad literam imperfectus* nominatur lib. primo Retract. cap. 18. liber eſt valdè utilis, licèt incompletus.

Liber *de Geneſ. ad literam*, de quo lib. 2. Retract. cap. 24. continet duodecim partiales libros, de quibus tria emendat. *Primum* eſt in lib. 5. cap. 19. ubi loquens de ſemine, cui repromiſſum eſt, inquit, diſpoſitum per Angelos in manu Mediatoris. Quod non de ſemine, ſed de lege dictum eſt: ſed hoc accidit propter latini interpretis errorem. *Secundum* in libro 6. ubi dixit hominem peccato perdidiſſe imaginem Dei: quod non eſt intelligendum, niſi de ejus deformitate. *Tertium* in lib. 12. ubi rationem reddit de Inferis ſub terra, dicit, debuiſſe magis hoc dicere, quàm rationem reddere.

Liber *ſupèr Pentateuchum*. Vide Quæſt.

Liber *ſupèr Regum libros ad Simplicianum*.

Liber *ſupèr Pſal.* opus eſt majus cæteris, ſtylo homil. ſeu ſermonum in Retract. non recenſetur.

Liber *ſupèr Sapientiam* ſunt ſermones.

Liber *ſupèr Job* recenſetur lib. 2. Retract. cap. 13. inſcribitur: *Annotationes in Job*.

Liber *ſupèr verba Proph.* ſermones complures.

Liber ſupèr *Canticum Iſaiæ*: *Vinea facta eſt &c.* Tractatus eſt magnus.

Liber *ſupèr Evangelia*, exceptis ſuprà notatis de conſenſu Evangeliſtarum, & quæſt. Evangeliorum, & de Verbis Domini, *eſt lib. ſupèr Matthæum, de ſermone Domini in Monte*: & in duas dividitur partes, & recenſetur lib. 1. Retract. cap. 19. de primo libro retractat duodecim. *Primò* cum dixit: Cuncta obtemperant ſpiritui hominis ſapientis, quod debet intelligi quantùm in hac vita eſt poſſibile. *Secundò* retractat aliud conſimile ferè primo. *Tertiò* ait, Deum non ad menſuram dare ſpiritum, debet intelligi de Chriſto tantùm. *Quartò* retractat dicens: Jota unum non præteriet, ſe dixiſſe propter vehementem expreſſionem perfectionis: nàm ſempèr relinquitur locus dicenti: Dimitte nobis peccata, &c. retractat, & alia conſimili modo.

Liber *ſupèr Joannem* opus magnum, & præclarum, continet tractatus 124. & non recenſetur in lib. Retract. quia ſparſim editi ſunt, & ab aliis in unum collecti.

Liber *expoſitionis quarundam propoſitionum Apoſtoli ex Epiſtola ad Romanos*, recenſetur lib. 1. Retract. cap. 23. De quo ſeptem corrigit. *Primum*, quod illud: Ex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis, de homine ſub lege expoſuit: quod tamèn intelligi poteſt de ſpirituali quolibet. *Secundum* quod illud: Quis me liberabit de corpore &c. contrà Pelagianos melius expoſuit. *Tertium* ubi dixit: Deum, quem crediturum eſſe præſcivit, ipſum elegiſſe cui daret Spiritum Sanctum: non eſt intelligendum quin etiàm à gratia Dei ſit fides. *Quartum* quod quando dixit: Quod credimus eſt noſtrum, non advertit, fidem etiàm adnumerari inter cætera dona Dei. *Quintum* quod dixit, noſtrum eſſe credere, & velle, cum totum ſit à Deo. *Sextum*, quandò dixit fidem inchoare meritum, debuit etiàm dicere, fide eſſe donum Dei. *Septimum* quandò dixit, quòd miſericordia tribuitur, meritò præcedentis fidei: debuit declarare, meritum fidei venire de miſericordia Dei.

Liber, qui dicitur, *Epiſtolæ ad Romanos inchoata expoſitio*, recenſetur lib. 1. Retract. cap. 25. de quo declarat, quandò dixit, gratiam eſſe in remiſſionem peccatorum, pacem verò in reconciliationem Dei, quod non debet ſic accipi, quaſi ipſa pax non pertineat ad gratiam generalem.

Liber *ſupèr Epiſtolam ad Galatas* eſt continuata expoſitio ipſius Epiſtolæ, ut dicit lib. 1. Retract. cap. 24. de qua emendat quatuor. *Primum*, quandò dixit Chriſtum pòſt reſurrectionem, eſſe totum Deum, idèſt omni ex parte immortalem: quæ locutio licèt ab eo ſit expoſita, vocatur tamèn impro-

pria,

pria, ne credi posset, eum dicere Christum post resurrectionem non esse hominem. *Secundum* de gratia, & pace ait, & retractat ut suprà in inchoata expositione *Epistolæ ad Rom. Tertium*, quòd ubi dicere debuit: Quid ergò lex? transgressionis gratia &c. Dixit: Quid ergò? lex &c. anticipando interrogationem. *Quartum* quòd dixit eos esse sub lege, & non sub gratia, quorum spiritus concupiscit ità adversùs carnem, ut non ea, quæ volunt, faciant. Quòd etiàm eis, qui sunt sub gratia, contingere potest.

Librum unum *supèr Epistolam Jacobi* scripsit, ut ipse dixit lib. 2. Retract. cap. 32. Scripsit etiàm alium librum supèr illud ejusdem Apostoli: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem &c.* qui etiàm inscribitur: *De sententia Jacobi ad Hieronymum*.

Liber *supèr primam canonicam Joannis* dividitur in decem tractatus, sive sermones satis magnos.

Liber *supèr Apocalip. Joannis* per homilias distinguitur, & sunt num. 17. liber quidem brevis est, & causâ brevitatis obscurus.

SERMONES VARII.

De Adventu ad judicium serm. 20.
De Adventu in carnem serm. 5.
De Sancta Victoria serm. 1.
In Vigilia Nativitatis Domini serm. 1.
De Nativitate Domini serm. 26.
De Sancto Stephano serm. 11.
De Innocentibus serm. 4.
De Kalend. Januari serm. 3.
De Epiphania serm. 16.
In Festo Sancti Fabiani, & Sebastiani serm. 1.
In Festo Sancti Fructuosi, Augurii serm. 1.
De Sancto Vincentio serm. 6.
De Conversione S. Pauli serm. 11.
De Purificatione Beatæ Mariæ Virginis serm. 6.
De Cathedra S. Petri serm. 11.
De S. Matthia Apostolo serm. 1.
De S. Perpetua, & Felicitate serm. 3.
De Annunciatione B. Mariæ Virginis serm. 4.
De Quadr., & jejunio serm. 21.
De Parasceve serm. 8.
In die Sabbathi Sancti serm. 6.
De Resurrectione serm. 58.
De Rogationibus serm. 5.
De Ascensione Domini serm. 15.
De Pentecoste serm. 7.
De SS. Gervasio, & Prothasio serm. 1
De Nativitate S. Joannis Baptistæ serm. 23.
De Apost. Petro, & Paulo serm. 14.
De Sancto Petro serm. 4.
De S. Maria Magdalena serm. 1.
De Machabæis serm. 3.
De Inventione S. Steph. serm. 1.
De S. Laurentio serm. 10.
De Assumptione B. Mariæ serm. 7.
De Decollatione B. Joannis Baptistæ serm. 7.
De Nativ. B. Mariæ serm. 3.
De S. Cypriano serm. 5.
De Apostolis serm. 1.
De uno Martyre serm.
De pluribus Martyribus serm.
De Dedicatione Ecclesiæ serm.

DE SERMONIBUS AD EREMITAS,

SErmones *ad Eremitas sunt sex, & septuaginta*, qui nomine Augustini circumferuntur, *& ad Fratres in Eremo commorantes, & ad alios quosdam* inscribi solent: & quàmvis hosce omnes Augustini esse, aut non esse non contendam; dementissimum tamèn, aut iniquissimum esse judicio, si nullum ipsorum Augustini esse, affirmetur. Nàm, ut alios posthabeam, quod ad præsens negocium spectat, quisnam sermonem 5. de obedientia ad suos Sacerdotes Augustini esse inficias ire audebit? De hoc enim sermone nonnulla in 8. Quæst. 1. *Sciendum*, citantur. Præterea de sermone 52. qui incipit: *Propter quòd*: & de sermone 53. qui incipit: *Charitati vestræ*, multa in Decretis sub nomine Augustini in serm. ad Fratres in Eremo citantur. De sermone 53. ad fratres in Eremo de vita Clericorum citantur quædam in 12. quæst. 1. *Nolo*: nec semel quidem. Alia in 12. qu. 2. *Certè*. Alia verò in 13. quæst. 1. *Si quis irascitur*. Et 17. quæst. 4. *Quicumque*. De Sermone 53. ad Fratres in Eremo de communi vita Clericorum citantur etiàm quædam in 12. quæst. 1. *Nolo*. Et hæc sub Augustini nomine citantur. In hoc autèm serm. 52. clare patet, Augustinum priùs instituisse Monachos cœnobitas in Eremo: deindè Clericos in Ædibus Episcopalibus. Vitam eremiticam, & solitariam percupere visus est in libris Confessionum. Quod reipsà perfecit, sicut ipsemet Augustinus in 9. Confess. libro testatur lòquens de Matre Monica apùd Ostia tyberinia secum alloquente, & verba hæc dicente: *Quid hic faciam adhùc, & cur hic sim, nescio, etiàm consumptâ spe hujus seculi. Unum erat, inquit, propter quòd in hac vita aliquantùm immorari cupiebam, ut te Christianum catholicum viderem priusquàm morerer. Cumulatiùs hoc mihi Deus meus præstitit, ut te etiàm, contemptâ fælicitate terrenâ, servum ejus videam. Quid hic facio?* Hæc ipsa Matre Monica: cujus verba si rectè perpendantur, Augustinum in Africam redire cupientem, non modò baptizatum, sed etiàm Monachum jam effectum esse dicas oportet. Si enim Mater suum filium August. Christianum Catholicum solùm vidisset: nihil erat quod dixisset: *Cumulatiùs &c.* nec addidisset: *Ut te etiàm, contemptâ fælicitate terrenâ, servum ejus videam*, cum per Dei servum terrenâ præsertim fælicitate contemptâ apùd Augustinum nonnisi *Monachus* intelligatur, qui arctiori, & insigniori quòdam modo Deo addictus deseruit.

Lib. 8. c. 6. & 8

Tom. 1. c. 530. Tom. 1.

Hinc in sermone 52. ait: *Cæperat esse alicujus jàm momenti intèr Dei servos fama mea.* Hinc Regula ipsa in vetustioribus exemplaribus, & manuscriptis, ad *servos Dei*, inscripta reperitur. Quarè de Simpliciano Monaco loquens in libro 8. Confess. sic ait: *Mihi bonus apparebat servus Dei, & verè sic erat.* Et de quòdam Aulico Regis Mediolani vitam Sancti Antonii Monachi imitari cupiente in lib. 8. Confess. ait: *Ego jàm (inquit Auli-*

Cap.6.To.1. *Aulicus ille ad amicum suum*) *abrupi me ab illa spe nostra, & Deo servire statui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te si piget, noli adversari.* Hic autèm cum alio amico ingressus est Monasterium sub Ambrosio nutritore: & ambo, ut ait Augustinus, habebant sponsas, quæ itèm Deo virginitatem dicarunt. Per servos Dei aliis etiàm sexcentis in locis intèr lib. Augustini *Monachos* intelligas necesse est. Hoc itèm clarum fit ex Epistola 137. ipsius Augustini à Gratiano in decretis Distinct. 47. *Quantumlibet*, citata, ubi sic ait: *Simpliciter fateor coràm Domino Deo nostro, qui testis est mihi supèr animam meam, ex quo Deo servire cœpi, quomodò difficile sum expertus meliores, quàm qui in Monasteriis profecerunt; ità non sum expertus pejores iis, qui in Monasteriis defecerunt.* Hanc vitam Monasticam se instituisse in tractatu advèrsus Petiliani Epistolam apertè ostendit de Petiliano dicens: *Deinceps porrexit ore malidico in vituperationem Monasteriorum, & Monachorum, arguens etiàm me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutum.* Quod genus vitæ omninò quale sit, nescit, vel potiùs toto orbe terrarum notissimum nescire se fingit. Et supèr Psalmum: *Ecce quàm bonum*, contrà Donatistas, & Circumcelliones nomen Monachi declarat, & distinguit Monachos à Clericis, & Laicis. Monachi enim olim reverà non erant Clerici, ut habetur in Decr. 16. quæst. 1. Aliâ causâ, & generalitèr Monachos in Psalmo dicto ab injuriis, & maledictis defendit dicens: *Ex voce hujus Psalmi: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum, appellati sunt, & Monachi, nequis vobis de isto nomine insultet Catholicis. Quandò vos rectè hæreticis de Circumcellionibus insultare cœperitis, ut erubescendo salventur, illi vobis insultant de Monachis.* Et infrà: *Quid ergo dicunt illi, qui nobis de nomine Monachorum insultant?* Hæc Augustinus. Et quia intèr Monachos Augustini intèr sese videndum, cum alter alteri occurrebat, salutandi causâ dici solebat: *Deo gratias*, ut ad præsens usquè tempus facere solemus: Circumcelliones hujusmodi salutandi modum irridebant. Hinc Augustinus eodem in Psalmo ait ad eos: *Vos Deo gratias nostrum ridetis. Deo laudes vestrum plorant homines.* Verùm quoniam isti appellabantur *Agonistici*, & *circumcelliones*, non ità vocitari volebant, sèd innuebant dicentes, *se nomine præclaro nominari, & Monachorum nomen, nonnisi apùd Augustinum reperiri.* Hinc ipse ait: *Qui nobis dicunt: Ostendite, ubi scriptum sit nomen Monachorum, ostendant, ubi scriptum sit nomen Agonisticorum. Utinam milites Christi, & non milites Diaboli sint. Præsiet Dominus, ut illi contrà Diabolum, & non contrà Christum, cujus prosequuntur Ecclesiam, & si volunt appellari Agonistici, quià invenerunt, undè appellentur ex Apostoli sententiâ dicentis: Bonum certamen certavi; Quare, & nos non appellemus Monachos, cum dicat Psalmus:* *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare Fratres in unum?* Hæc Augustinus, qui itèm scribens ad Aurelium Episcopum Carthaginensem de Donato, & ejus fratre Monachis, & in Parochia Augustini degentibus, qui è Monasterio spontè, sed Augustino renuente in regionem suam ad Aurelium Episcopum sese receperunt, ut ad officium clericale promoverentur, in Epistola 76., quæ in Decret. 16. quæst. 1. cap. 36. legitur, ait: *Vulgares jocabuntur de nobis dicentes: Malus Monachus, bonus Clericus est. Nimis dolendum est, si ad tàm ruinosam superbiam Monachos surrigamus, & tàm gravi contumeliâ Clericos dignos putemus, in quorum numero sumus.* Hæc Augustinus, qui quatuor rationibus probat, eos non esse promovendos. Ex his igitur verbis clarè patet, Augustinum fuisse Monachum, & monasticam vitam instituisse, sicut etiàm videre licet ex Epistola 109. *ad Monachas*, ad quas misit regulam ejusdem argumenti cum ipsa nobis data, mutatis mutandis. Ex Epistola itèm 199. hoc idem confirmatur *ad Ediliciam scriptâ mulierem*, quæ, inscio marito, votum continentiæ susceperat, & marito vivo, vestibus nigellis instàr Monacharum, ut eo in loco legitur, se induere cupiebat, & volebat. Hanc verò Augustinus de perperàm factis intèr respondendum objurgat, & hortatur ut viro suo reconcilietur. Ex vita etiàm Sancti Fulgentii Monachi Sancti Augustini ab ejus discipulo descriptâ, & à Laurentio Surio in lucem editâ, colligitur, Augustinum fuisse Monachum. Nàm, ut legitur in ipsa vita, *Fulgentius ejusdem Augustini, & nostræ sodalitatis Augustinen. Monachus ad Episcopatum Rumpensem, eo renuente, assumptus, numquàm habitum Monasticum, & Nigellum, neque zonam coriaceam unquàm dimisit.* Monachus ergò, & Eremita extitit S. P. Augustinus, vitamque Monasticam, & Eremiticam jàmindè ab eo tempore ardentissimè affectare cœpit, cumprimùm Mediolani ad ejus aures fama Beati Antonii pervenit. Nàm in 8. libro confessionum fatetur se ex Potitiano mirabilia, & inaudita olim sibi de Antonio Ægyptio Monacho, maximo cum stupore audivisse; & cum Deo loquens dicto in loco suprà citato ait: *Indè sermo ejus Potitiani devolutus est ad Monasteriorum greges, & mores suaveolentiæ tuæ, & ubera deserta Eremi, quorum nos nihil sciebamus. Et erat Monasterium Mediolani plenum bonis Fratribus extrà Urbis mœnia sub Ambrosio nutritore, & non noveramus.* Hanc itèm vitam eremiticam affectare visus est in eodem libro confess. cum Alipium amicum suum charissimum invasit de iis, quæ à Potitiano audiverat, exclamans ait: *Quid patimur? Quid est hoc quod audisti? surgunt indocti, & cœlum rapiunt; & nos cum doctrinis nostris sinè corde, ecce ubi valutamur in carne, & sanguine.* Quare, ut in libro 9. confessionum testatur, Mediolani Baptismum susscepit dicens: *Relicto Rure Mediolanum remeavimus. Placuit, & Alipio renasci in te mecum Domine; adjunximus etiàm*

Lib. 3. cap. 4. Tom. 3.

Psal. 132. To. 8.

To. 8. Psal. 132.

Tom. 2.

Cap. 6. To. 1.

Cap. 8. To. 1.

Cap. 6. To. 1.

etiàm nobis puerum Adeodatum ex me natum carnalitèr de peccato meo. Hæc ipſe. Verùm quia pòſt Baptiſmum ſuſceptum etiàm, atquè etiàm vitam monaſticam, & eremiticam affectabat cum Simpliciano vitam, liberam tamèn, ſed probatiſſimam, ducente in loco à gentibns ſeparato, annum cum dimidio permanſit, teſte Sigeberto in *Epiſtola ad Macedonium*, ut etiàm pòſt *Sermones ad Eremitas* videre licet. Deindè vitam monaſticam, & eremiticam ſicut in ſerm. 22., & 39. habetur inſtituit, & Monaſteria in Italia, hoc eſt, in *Monte Piſano*, & *Centumcellis* conſtruxit, ut de Italia Poſſidonius in vita ejus cap. 5. innuit dicens: *Factus Presbyter, in Hipp. intrà Eccleſiam Monaſterium inſtituit, & cum ſervis Dei vivere cæpit ſecundùm modum, & regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam* (ideſt vitam in communi) Quod jàm ipſe prior fecerat, dùm de tranſmarinis, hoc eſt, Italia ad ſua remeaſſet. Poſſidonius etiàm de vita Sancti Auguſtini aſſerit, *Auguſtinum ſervire Deo cum aliis Deo ſervientibus cæpiſſe, antequàm in Africam remeaſſet.* Hæc ipſe Poſſidonius. Idem Auguſtinus in libro 22. de Civitate Dei affirmat ſervum Dei cum Alipio effectum nondùm Clericum de tranſmarinis venientem in Carthaginem deveniſſe, & cum Innocentio religioſiſſimo habitaſſe. De Monachis in Centumcellis, & Eremitis in Monte Piſano commmorantibus mentionem fecit Auguſtinus ſuppreſſo loci nomine, dùm loqueretur de funere Matris, in lib. 9. Confeſs. dicens: *Audito hoc, convenerunt multi Fratres, ac Religioſæ Fœminæ, & de more illis, quorum officium erat, funus curantibus; ego increpabam mollitiem meam.* Si autèm in Italia Monaſteria Eremitarum non inſtituiſſet, quomodò vitam communem, ut ipſe prior fecerat in tranſmarinis, inſtituiſſet? Et niſi hoc idem in Italia feciſſet, quomodò M. Monica, ut ſuperiùs narratum eſt, dixiſſet: *Cupiebam te Chriſtianum Catholicum videre, ſed cumulatiùs hoc mihi Deus meus præſtitit, &c.* Auguſtinus verò hæc Monaſteria in libr. 9. Confeſs. non recenſet, quià multa memoratu digna à Civitate Mediolan. ad Oſtia Tiberina unàcum Matre proficiſcens ſilentio præteriit, dicens: *Et cum apud Oſtia Tiberina eſſemus, Mater defuncta eſt: Multa*, inquit, *prætereo, quià multum feſtino.* Hinc mirum non eſt, Auguſtinum dixiſſe in lib. 9. Confeſs. ſerm. 33. annum agere, quandò Mater Monica anno ætatis ſuæ 56. ex hac vita deceſſit, antequàm ipſe pòſt Baptiſmum ſuſceptum in Africam remeare potuiſſet, cum Baptiſmum (teſte Poſſidonio in ejus vita) ſuſcepiſſet agens annum ſuprà trigeſimum. Quod non niſi de paucis menſibus ſuprà trigeſimum intelligi jure poteſt. Et præsèrtim cum in Breviario reformato legitur, ipſum baptizatum eſſe ab Ambroſio agentem annum circitèr 30. Quià ſi ad annum 31., vel 32. perveniſſet, non eo modo Poſſidonius congruè loqui potuiſſet. Et quàmvis Pater Auguſtinus in fine libri tertii contrà Academicos, dùm adhùc Catechumenus foret de humana ſapientia loquens dixerit: *Sed cum trigeſimum, & tertium ætatis annum agam, non me arbitror deſperare debere eam me quandoquè adepturum.* Hæc ipſe. Ego tamèn non vereor dicere, & aſſeverare (ut meliùs, & fuſiùs dicemus in calce hujus quæſiti) locum ipſum ex incuria Librariorum, aut Typographorum eſſe mendoſum, vel opera illius Apoſtatæ, & Monaſticæ vitæ hoſtis, Eraſmi, ut fecit c. 39. lib. Medit. ubi ſolita temeritate ſubſtulit hæc verba: *Poſt Religionis ingreſſum*: quorum loco temere appoſuit: *Poſt acceptum Baptiſmum*. Id quod factum eſſe credendum eſt, ut Auguſtinum non fuiſſe Monachum oſtenderet, cum ipſe Eraſmus vitam Monaſticam odio haberet, ut reipsâ demonſtravit. Numeri etiàm facillime depravari ſolent, & hujuſmodi ſupputatio multis rebus, quæ ab omnibus conceduntur, adverſatur, ut alio in loco planum faciam. Hæc enim de vita monaſtica, & eremitica S. P. Auguſtini in medium hic afferenda eſſe cenſui, ut oſtenderem, *Sermones ad Eremitas* non eſſe figmenta, & commenticia quædam, aut ab inſtituto ejus prorsùs alienos, aùt falsò ipſi adſcriptos, cum ipſe vitam eremiticam duxerit. Et quàmvis, ut dictum eſt, omnes illos ſermones eſſe Auguſtini oſtendere non adlaborem, nullum tamèn eorum eſſe Auguſtini, ſi quis dixerit, non ſine maximà temeritate, nèc abſquè ingenti ſuæ animæ diſcrimine id aſſeverare poterit, cum ſermo 52. ad fratres in Eremo in Concilio Aquiſgranen. approbetur, & Auguſtino adſcribatur: & à Gratiano in Decret. 12. quæſt. 1. *Nolo*, & à Beda ſub nomine Auguſtini citetur. Itèmque ſermo 53. in eòdem cap. *Nolo* ſub nomine Auguſtini poſitus eſt, & citatus. Quædàm etiàm de 5. ſerm. 8. q. 1. *Sciendum*: & quædam alia de aliis ſerm. in Decretis ponuntur, & quædam de hujuſmodi ſermonibus in libris Retractationum ab Auguſtino tractantur, & recenſentur. Sed de his ſermonibus in lib. Retract. non fit mentio, quia ſparſim, & non inſtàr libri editi ſunt. Quomodòcumque autèm res ſe habeat, duo illi ſermones, *Propter quòd, & Charitati veſtræ*, ſunt Auguſtini: idquè negari haùdquaquàm poteſt. Hinc arrogantiſſimus, & impudentiſſimus ille, qui vitam monaſticam inteſtino odio proſequebatur, multaque librorum Auguſtini loca depravavit, ut aliàs oſtendam, quàmvis hujus generis Sermones duos Auguſtini eſſe negare nullo modo poſſet, eos tamen ſuo loco amovit, eò quòd inter Epiſtolas Auguſtini haberentur. Quod quia falſum eſſe repertum fuit, ii iterùm inter *Sermones ad Eremitas* repoſiti ſunt. Cùm autèm illi duo ſerm. 52. & 53. ab aliis nuncupentur: Ab aliis verò 2. & 3. dicantur: plures iis duobus alios intèr *Sermones* Auguſtini *ad Eremitas* ponere neceſsè eſt. Et quamvis duo illi ſerm. in Decret. *de communi vita Clericorum* in Hippon. editi inſcribantur, in Codicibus tamèn Auguſtini hunc in modum inſcripti leguntur: *Ad Fratres in Eremo de communi vita Clericorum*. Nec deſunt in

Cap. 8. To. 5.

Cap. 8. To. 1.

Cap. 11. To. 1.

Cap. 20. To. 1.

Cap. 112.

Ser-

Sermone 52. loca, ex quibus colligitur, Auguſtinum inſtituiſſe Monaſterium *unum* in Africa, in Eremo videlicèt: *Alterum* in horto à Valerio Hipponenſi Epiſcopo ſibi dato propè Civitatem: *Tertium* verò in Ædibus Epiſcopalibus: illa duo Monachorum: Hoc verò Clericorum, Inquit enim: *Juvenis veni ad iſtam Civitatem, & quærebam ubi conſtruerem Monaſterium, & viverem cum Fratribus meis. Elegi in domo Dei mei abjectus eſſe magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ab eis, qui diligunt ſeculum, me ſegregavi.* Et infra: *Veni ad iſtam Civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari poſſe Deo, ut vobiſcum eſſet in Monaſterio. Nec veni ad hanc Eccleſiam, niſi cum his indumentis, quibus illo tempore veſtiebar. Et quia ſic diſponebam eſſe in Monaſterio cum fratribus, Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt Monaſterium.* Et ſuprà: *Cœperat eſſe alicujus jàm momenti inter Dei ſervos fama mea.* Hæc ipſe Auguſtinus in ſerm. 52. Si igitur diligentèr dicta verba omnia perpendantur, habetur propoſitum noſtrum. Et quàmvis infrà dicat: *Cœpi boni propoſiti Fratres colligere, compares meos nihil habentes*, non tamen intelligitur vitæ monaſticæ, & eremiticæ initium primum abſolutè, & ſimplicitèr: ſed quantum ad hortum illum ſicut alibi, & in Eremo præsèrtim fecerat. Quod Poſſidonio in vita ejus favet dicenti: *Factus presbyter, Monaſterium intrà Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundùm modum, & Regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam. Quod jam prior ipſe fecerat, dum de tranſmarinis ad ſua remeaſſet.* Hæc Poſſidonius de tranſmarinis, ideſt de Italia. Et dicto in ſermone 52. Auguſtinus ad Clericos ait: *Perveni ad Epiſcopatum, & volui habere in iſta domo Epiſcopi mecum Monaſterium Clericorum*: quia cum Monachis ampliùs habitare non poterat. Ex omnibus igitur hiſce verbis jure concludimus, Auguſtinum in Italia fuiſſe Monachum; & ex loco ſuperiùs citato, libro 8. Confeſſionum, in Africa vitam monaſticam, & eremiticam ab eo duxiſſe ortum, cum antequàm Romam veniſſet, nec ſe, nec ſuos ſocios vidiſſe, nec audiviſſe umquàm Monachos, ſed ſolùm, quandò Mediolanum pervenit. Hinc à ratione alienum eſſe non eſt dicendum, ſi Sermones ad Eremitas vel omnes, vel potiùs majori ex parte ab Auguſtino editi eſſe affirmentur: quos ità eſſe tot, tantique viri, & doctiſſimi quidèm ad hanc uſquè diem affirmare veriti non ſunt: totque Summi Pontifices Ordinem Sancti Auguſtini *Eremiticum* appellarunt, ut videre licet intèr Diplomata Innocentii IV., & Joannis XXII. præſertim verò in eo quo Eccleſiam in Cœlo aureo Papiæ, atquè ipſius Sancti Patris Auguſtini oſſa ſanctiſſima nobis tamquàm veris hæredibus donavit: necnon in eo de canonizatione Beatæ Claræ de Montefalco. Id etiàm videre licet in Diplomate Eugenii IV. Veneti de canonizatione Sancti Nicolai de Tolentino, & Martini V. Columnii Romani de conceſſione Corporis Sanctæ Matris Monicæ (cum de ejus corporis translatione agitur, & in Officio legitur) nobis tamquàm filiis legitimis, & hæredibus veris facta. Noſtrum itèm ordinem *Eremiticum* nominavit Gregorius IX. ut videre licet in libro 6. Decret. de Religioſis domibus §. *Sanè*, ubi hæc verba leguntur: *Cæterum Eremitarum Sancti Auguſtini, & Carmelitarum Ordines: quorum inſtitutio dictum Concilium Lateranenſe præceſſit, inſolido, vel in ſolito, ſtatu volumus permanere.* Id quod etiam planum facit Maremagnum Sixti IV., & privilegia tot aliorum Summorum Pontificum prædeceſſorum, & ſucceſſorum ejus ad Gregorium XIII. uſquè præferunt, ac patefaciunt: à quo eremitica Sancti Patris noſtri Auguſtini Familia univerſa gratiis, favoribus, privilegiis, & nominibus præclariſſimis quidèm exornata eſt. Adde etiam, quòd noſtra Auguſtinenſis Sodalitas non modò in univerſa Italia, ſed in Africa, in Græcia, in Gallia, in Hiſpania, & Luſitania, in Germania, in Boemia, in Dalmatia, in Polonia, in Hibernia, in Anglia, ſeù Britannia, & in Indiis Orientalibus, atquè Occidentalibus ſub nomine eremitico Sancti Auguſtini clarè, & latè patet. Et quàmvis de cuculla nigra, & cingulo coriaceo caput ultimum ab Antonino Archiepiſcopo Florentino citatum, & probatum tertii Tomi Sancti Ambroſii, & ætate Baptiſmi ſuſcepti à nonnullis non concedatur: Aliis tamèn ratio perſuadet, dictum Sermonem eſſe Ambroſii, propterea quòd Symbolum, ſeù Hymnus: *Te Deum laudamus* SS. Ambroſii, & Auguſtini ab Eccleſia creditur, & affirmatur, & nonniſi dicto in ſermone reperitur. Idcircò Sermonem ipſum Ambroſii eſſe dicas licet. Et quàmvis qui baptiſmum ſuſcipiebant albâ veſte induebantur: ipſe tamèn Auguſtinus baptizatus vitam monachalem percupiens, cucullâ nigrâ à S. Simpliciano ſibi oblatâ, indutus eſt, & anno ætatis ſuæ trigeſimo ſecundo hanc noſtram eremiticam ſodalitatem inſtituit. Eſto etiàm, quòd dictus Sermo non ſit Ambroſii tamèn tot Summis Pontificibus, & rationibus de eremitico, & monaſtico ſtatu ejus, fides adhibeatur: & de ætate ipſius, cum Baptiſmum ſuſcepit, Poſſidonio etiàm, & quod legitur de vita ejuſdem Auguſtini in Breviario reformato credatur. Ratio autèm ſuadet, locum illum libr. *Soliloquiorum* cap. 10. & libro 3. *contrà Academicos* cap. 20. aut Librariorum, aut Typographorum incuriâ, ſeù potiùs alicujus fraude fuiſſe depravatum, ut fuſiùs dictum eſt. Nàm Auguſtinus iis in locis adhùc catechumenus ſe 33. annum agere ait: & libro Confeſſionum jam baptizatus ſe etiàm 33. annum agere fatetur.

Cap. 6. To. 1.

Lib. 9. cap. 11. Tom. 1.

Verùm, ut hujuſmodi contradictio è medio omninò tollatur, dicendum eſt, Auguſtinum nondùm baptizatum cœpiſſe ſcribere *libros contrà Academicos*, & incompletos dimiſiſſe; pòſt baptiſmum verò perfeciſſe, ut legitur in primo libro Retract. cap. 2., & 3.

Quod

Quod etiàm de libro *Soliloquiorum* factum esse constat. Nàm in primo libro Retract. c. 1. initio ait: *Librum de beata vita non post libros de Academicis, sed intèr illos ut scribere contigit.* Et in tertii cap. fronte inquit: *Per idem tempus intèr illos, qui de Academicis scripti sunt, duos etiàm libros de Ordine scripsi*: Hæc ille. Utcùmque autèm sit, locum lib. *Soliloquiorum*, & tertii lib. *contrà Academicos* nupèr citatum, corruptum esse arbitror: & non trigesimum tertium annum, sed trigesimum legi debere dijudicio. Nàm si Augustinus annum trigesimum tertium agebat, cùm Baptismum suscepit, falsus esset locus lib. 9. Confess. cap. 11. ubi fatetur se annum 33. agere, cùm mater ejus Monica obiit: & non trigesimum tertium sed trigesimum quartum tunc duxisset. Monica enim post Baptismum filii, anno ad minimum transacto, hanc vitam finivit, ut ex Ecclesiæ Kalendario, & institutione constat. Conversio enim Augustini, per quam *Baptisma* intelligitur, celebratur *die* 5. *Maji*, Monicæ verò Festivitas, per quam *mors* intelligitur, *die* 4. celebratur, & nisi unus saltèm anni cum dimidio intervallum accidisset à Baptismo Augustini ad Matris usque mortem, Monica antè filii sui Baptismum obiisset. Quod nemo unquàm dixit: & eidem Augustino multis in locis adversatur. Dicendum est ergò, ut Ecclesiæ Catholicæ Romanæ adstipulemur, Augustinum anno ætatis suæ non trigesimo tertiò, sed trigesimo cum dimidio baptizatum esse: & ità annus etiàm cum dimidio expleto à Baptismo usque ad mortem Matris, & ætatis suæ annum 33. intercedet. Natus est enim Augustinus *die* 13. *Novembris*, ut ait ipse in lib. *de Beata vita*. Anno verò ætatis suæ 32. Sodalitatem nostram eremiticam instituit. Hinc mirum non est, si ipse Sermones ad Eremitas suos habuerit: & quàmvis non omnes illos Augustini esse dicam, omnes tamèn Augustino adscribuntur, sicut Psalmi, Davidici omnes dicuntur, licèt David omnes non existant.

Cap. 10. Cap. 22.

RESPONSIONES

Ad tacitas objectiones, cur Sanctus Augustinus antè Presbyteratum, non Monachus, nec Eremita, sed Laicus expressè nominetur.

MOnachi, ut in Decretis frequentèr legitur, ex sua ipsorum institutione *Laici* erant, & vocitabantur: immò nec jure quidèm ad Clericatum ascendere valebant, nisi ex causa necessitatis. Monachorum enim officium est plangentis, Clericorum verò docentis, ut in Decretis videre licet. Hinc Hieronymus Rustico scire cupienti, quonàm quis modo Monachus ad Clericatum ascendere posset, respondit. *Sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis.* Hanc eandem differentiam optimè callens Augustinus, Aureliano Episcopo scisciranti, nùm aliquibus Monachis, idest, Laicis ad munus clericale, sivè ad clericatus militiam ascendere cupientibus hujusmodi facultatem dare posset, respondit: *Vix optimus Monachus Clericum bonum facit. Bonus enim Monachus esse potest ratione perfectionis, & vitæ sanctitate, non autèm doctrinâ, quæ ad Clericum præsertim pertinet, cujus est docere.* Monachi ergò erant olim Laici, & sicut cæteri Laici decimas persolvebant, ut patet in Glossa, cap. *Ex parte de Decimis persolvendis*.

Et quàmvis hac tempestate Monachi fiant Clerici, clericatus tamèn eis ex originali institutione non convenit, sed accidentariâ ratione, sicut S. Thomas, & Abbas in locis suprà citatis affirmant. Mirum igitùr non est, si in sermone illo, qui hunc in modum incipit: *Charitati vestræ*, eos, qui secum degebant, *Clericos* appellavit, Monachos, aut Eremitas non item: tunc enim *Laici* appellabantur, ut legitur in Decretis: & expressè id exponit Glossa dicens: *Monachi olim erant Laici*: & ut ait Abbas in cap. *Nullus de foro competenti*, *Monachi erant Eremitæ*, *& foro sæculari subjecti erant*. Hinc S. Augustinus antequàm esset Presbyter, & Curatus, cùm esset Eremita, *Laicum* se vocitabat. Et juxtà hunc sensum, & non aliter intelligi potest dictum ipsius in libro 2. de Bono perseverantiæ dicentis: *Libros de libero arbitrio Laicus Romæ cœpi, & in Africa Presbyter explicavi cum adhùc de damnatione infantium non renascentium, & de renascentium liberatione dubitarem.* Hunc itèm in modum verba ejusdem in libro 22. *de Civitate Dei* intelligi debent. Ait enim: *Venientes de transmarinis me, & fratrem meum Alipium, nondùm quidèm Clericos, sed jam Deo servientes religiosissimus susceperat.* Quid autèm per Deo servientes intelligi debet, nisi Monachi, & Eremitæ, ut superiùs monstratum est, & fusissimè quidèm?

Cap. 8. To. 5.

Nèc huic veritati adversatur, quod ipse Augustinus in libro 10. Confess. sub finem scriptum reliquit, dicens: *Conterritus peccatis meis, & mole miseriæ meæ agitaveram corde, meditatusque fueram fugam in solitudinem, sed prohibuisti, & confortasti me*, dicens: *Ideò Christus pro omnibus mortuus est &c.* Hoc enim dixit, non quòd in Eremum, & solitudinem non sese abdiderit, sed quia, cum esset Episcopus, ab Eremo revocatus, in solitudine ei ampliùs commorari, ac vitam degere non licebat, sed suas oves sibi commissas pascere in civitate conveniebat.

Sciendum intereà est, ut huic rei finis imponatur, *Clericos* tempore Augustini fuisse nuncupatos, qui in domo Episcopi, vel sub ejus cura manebant: *Laicos* autèm sivè *Eremitas*, qui alicujus Presbyteri curæ subjecti erant, ut habetur in Decretis, & ab eodem Augustino in libro primo *de Moribus Ecclesiæ* scriptum est. Hac ergò de causa idem Augustinus Eremita dum esset, non *clericum*, sed *laicum* se appellavit: & in regula, quam suis Eremitis dedit sub Presbyteri curâ, & non Episcopi existentibus ait: *Præposito tamquàm Patri obediatur, multò magis*

Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Laicis enim tempore Augustini Monasteria construere licebat: quod iis tunc temporis id negatum non fuisse constat. Hæc pauca de Monachatu, & Eremitica vita S. Augustini dicenda mihi visa sunt, ut ex hujusmodi rationibus, facilè dignoscatur, sermones, de quibus paulò superiùs loquuti sumus, ad suos Coeremitas ab Augustino fuisse habitos. Nunc autèm ad Regulas Augustini pro intelligendâ Sacrâ Scripturâ accedendum est.

SANCTI AUGUSTINI

Regulæ Scripturales.

1. SCriptura Sacra non temerarios, & superbos accusatores, sed diligentes, & pios requirit Lectores. Contrà Adimantum cap. 3. Tom. VI.

2. Licèt pauca sint Domini verba, magna tamèn non numero, sed pondere æstimanda sunt; nèc ideò contemnenda, quia pauca; sed ideò quærenda, quià magna. Tract. 37. in Joan. Tom. IX. Et in ipsa lectione, Dei non tantùm verba; sed divina etiàm facta considerari debent. Salvatorisque nostri facta non sunt tantùm facta, sed signa. Si autèm sunt signa, præter id, quod mira sunt aliquid etiàm profectò significant. Ex Tract. 39. in Joan. Tom. IX.

3. Nullo locutionis genere utitur Sacra Scriptura, quod in consuetudine hominum non inveniatur: quià utiquè hominibus loquitur.

Rom. 15. *Et quia* quæcunque scripta sunt ad nostram doctrina scripta sunt, *hinc divinæ literæ sunt humanæ capacitati, humanoque sermoni accommodatæ. Quare Paulus*: Sapientiam loquimur inter perfectos: *atquè aliis dicit*: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. *Lib. 1. de Trin. cap. 12. Tom. III.*

1. Cor. 2. 4. Locutiones quædam in sacris literis inusitatæ nobis, magis videntur proprietatem linguæ, undè translatæ sunt, repræsentare, quàm altiorem sensum continere: suas enìm unaquæque lingua proprietates habet, & phrases, quibus mysteria non subsunt.

Qui omnia, etiàm minuta ipsa ultrà modum, & parum eruditi præsèrtim rimari student, nonnihil hanc in rem quandoque offendunt. Ex Doctr. Chr. lib. 2. cap. 13.

5. Sua sunt Idiomata, hoc est, linguæ proprietates sacræ Scripturæ, quæ habet linguam suam, quam qui nescit, turbatur.

Marc. 3. Luc. 8. *Qui legit in Evangelio, Christi Domini fuisse fratres, turbatur, cum Beata semper Virgo Maria non pepererit, nisi unicum Filium Christum. Scriptura enim sacra omnes consanguineos fratres nominare solet, ut Abraham nepotem suum Loth fratrem suum appellavit: atquè itèm Jacob Avunculum suum Laban fratrem nominavit. Ex Tract. 10 Joann. Tom. 9.*

Gen. 13. Gen. 29. 6. Scripturæ sacræ si defenduntur secundùm locutiones proprias, quæ appellantur *Idiomata*, quantò magis secundùm eas, quas cùm aliis communes habent.

Æternum quandoquè in sacra Scriptura pro eo sumi solet, cujus finis non constituitur, aut non ità fit, ut deinceps non sit faciendum quantùm pertinet ad curam, & potestatem facientis, ut est illud Horatii in Epistolarum libro primo. Ep. 10.

Serviet æternum, quia parvo nescit uti.

Servitium enim ejus, cujus vita non est æterna, æternum esse non potest, nisi æternum sumatur eo modo, quo dictum est. Hunc in modum promissio facta Abraham à Deo dicenti: Dabo tibi, & semini tuo terram, in qua habitas, in possessionem æternam, *quæ Israelitis fuit temporalitèr data. Græci nàmque habent: αἰὼν quod est seculum, & αἰώνιον quod est seculare. Vel ex hac promissione aliquid spirituale intelligi debet. Ex Lib. 1. Quæst. in Gen. cap. 31. Tom. 4. Et lib. 16. de Civit. Dei cap. 21. Tom. 5.*

7. Distinctio ambiguorum, quæ in pronunciando, aùt in pungendo fit, necessaria est sacræ Scripturæ intelligentiæ.

Joan. 1. *Nàm si quis dictum Joannis ità scribat*: In Principio erat Verbum, & Verbum erat apùd Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat, &c. *Hac interpunctione, ac distinctione per punctum, Verbum esse Deum negare ille videbitur. Scribendum est enim hunc in modum*: Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: non, Deus erat. Verbum hoc erat in principio apud Deum. *Eadem interpungendi necessitas videri potest ex dicto Pauli, dicentis*: Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus quis justificat? Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est? *Nàm in hac sermocinatione Apostoli est percunctatio, ad quam multa responderi possunt: deindè sequitur interrogatio, cui satisfit per negationem, aut affirmationem. Percunctationes sunt*: Quis accusabit? quis est qui condemnet? *Interrogationes sunt*: Deus? Jesus? *quasi tacitè respondeatur*; Non, *idèst*, Deus non accusabit, Jesus non condemnabit. *Si autèm post dictas percunctationes sequantur ea, quæ sequuntur absquè signo interrogandi, & scribantur, sivè pronunciantur hoc modo*: Deus qui justificat, & Jesus qui mortuus est, &c. *Quod dicere, aùt credere dementissimum est: Lectio non erit bona. Sinè igitur interrogandi signo illud scribendum, & pronunciandum non erit. Ex Libro tertio de Doctrina Christiana cap. 2., & 3.*

8. Propter unius verbi translationem non totus locus figuratè accipiendus est. Qui autèm figuratè omnia in sacris literis dicenda credunt, falluntur. Hoc est:

Adæ, & Evæ oculos apertos fuisse Scriptura sacra dicit: quæ locutio metaphorica est. Cætera verò omnia translativè non sunt sumenda, ipsi enim priùs, idèst, antè peccatum fructum ligni, pulchrum visu, & animalia, & volatilia ad se adducta oculis viderunt. Et quàmvis liber, qui Cantica Canticorum Salomonis *inscribitur, figuratis locutionibus totus constet, quidam tamèn alii Scripturæ sacræ libri rerum gestarum narrationem continet, ut* libri Regum: *& id genus alii; qui etsi allegoriæ sensum patiuntur, non tamèn historicam narrationem excludunt: immò quædam allegoricè tantùm narrata, absurda omninò sunt. Ut si quis totam Paradisi narratio-*

tionem ſpiritualitèr intelligat, Cain, Abel, & homines ex hominibus nati non dicerentur. Ex lib.11. de Gen. ad lit. cap.1., & 31. tom.3.

9. Sivè figuratè, ſivè propriè dictum ſit quod dictum eſſe narratur: dictum tamèn eſſe non debet putari figuratum. Ex lib. 11. de Gen. ad lit. cap.39. Nèc figurata locutio ad literam, nèc propria, ut figurata accipienda eſt. Ex lib.3. de Doctrin. Chriſt. cap.5. 10., & 11.

Hæc verba, dixit Dominus ſerpenti, *verba ſunt ſola ſcribentis, & hæc exigenda ſunt per proprietatem. Illa autèm:* Supèr pectus tuum gradieris &c. *totam ſententiam figuratam continere dicendum eſt. Et per ſecundam regulam indicatur, figuratè dictum, ſi tamquàm propriè dictum capiatur, carnalitèr ſapere, & hunc in modum* litera, *teſte Apoſtolo,* occidit, ſpiritus verò vivificat. *Hinc priùs demonſtrandus eſt modus inveniendæ locutionis, propria ne, an figurata ſit.*

10. Quidquid in ſermone divino nequè ad morum honeſtatem, nequè ad fidei veritatem propriè referri poteſt, figuratum eſſe cognoſce.

Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c. *ne flagitium nobis juſſum eſſe dicatur, hanc locutionem figuratam omninò dicamus, qua præcipitur, Chriſti paſſioni eſſe communicandum. Ex 3. de Doctr. Chriſt. cap.10. tom.3.*

11. Familiare eſt illi linguæ, qua prophetæ locuti ſunt, ut conjunctione utantur, cùm nil præceſſit annectendum. Hoc eſt.

Conjunctio ſine annexo eſt, quandò initium ſermonis eſt per copulam, & hunc in modum exorditus eſt Ezechiel librum ſuum ità dicens. Et factum eſt verbum Domini ad Ezechielem. *Ex com. in pſal.4. tom.8.*

Hunc locum Greg. in Ezechielem exponens ait: in mente Prophetarum ita conjuncta ſunt exterioribus interiora, quatenùs ſimùl utraque videant, ſimùlque in eis fiat intùs verbum, quod audiunt: & foris quod dicunt.

12. Divina Scriptura verarum rerum nomina aliquandò tribuit rerum ſimilitudinibus.

Hoc patet per Samuelis ſuſcitationem, quæ in primo Regum libro per Phitoniſſam, incantationibus dæmoniacis, & præſtigiis facta narratur. Ex lib.2. de Mirabilibus Scripturæ Sacræ c.11. tom.3.

Etſi Auguſtinus loco citato dicat per Phitoniſſam non fuiſſe ſuſcitatum Samuelem, ſed aliquod phantaſma ſub nomine Samuelis per illuſionem Diaboli apparuiſſe, qui ſe in Angelum lucis transfigurare ſolet: ipſe tamèn Auguſtinus lib.2. quæſt.3. ad Simplicianum dixit idem, ſed nullum eſſe inconveniens, ſi dicamus animam Samuelis eo modò fuiſſe ſuſcitatam, cum Filius Dei ſe à Diabolo tentari, & à membris diaboli illudi, capi, crucifigi, atquè interfici permiſerit. Et quamvis dici poſſit, Diobolum tunc apparuiſſe, quia dixit funeſto Sauli: Tu & filii tui cras mecum eritis: *& mortem ejus, & cætera prænunciavit: poteſt etiàm dici, ut Auguſtinus ait in quæſtione citata, Samuelem tunc eſſe potuiſſe dicentem Sauli:* Cras mecum eritis, non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem mortis conditionem. *Huic autèm ſecundæ opinioni videntur favere dictum Eccleſiaſtici, ubi Samuelis veræ laudes, & prophetia de Saule, dictaque ſuſcitatio narrantur. Ex quo loco argumentum ſatis invictum colligi poteſt, tunc Samuelem fuiſſe ſuſcitatum: quia falſa intèr veras laudes Samuelis admiſcenda non ſunt. Nec huic difficultati, ſalvo tamèn meliori judicio, Cornel. Janſen. hunc locum exponens ſatisfacere videtur. Nec ego aliquid hìc affirmo.*

13. Figuratæ locutiones ſacræ Scripturæ ſuaviùs, & jucundiùs nos afficiunt, quàm ſi eadèm ſententia planis verbis diceretur. Nihil autèm ferè de oſcuritatibus ejuſdem Scripturæ ſacræ eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.

Figurata locutio eſt: Dentes tui ſicut grex tonſarum aſcendentes de lavacro, quæ omnes geminos creant. *Sancti ſunt quaſi dentes Eccleſiæ ab erroribus homines præcidentes: & ſunt quaſi oves oneribus ſecularibus tamquàm velleribus depoſitis, detonſæ, de lavacro aſcendentes, hoc eſt, Baptiſmate, & creantes geminos, idèſt, duo præcepta dilectionis. Hinc magnificè, & ſalubritèr Spiritus Sanctus ità Scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret: obſcurioribus autèm faſtidia detergeret. Ex lib.2. de Doctrina Chriſtiana cap.6. tom.3.*

14. Sacræ literæ omnem eloquentiam, omnes virtutes, & omnia eloquentiæ ornamenta habent, ſed non oſtentant. Ex lib.4. de Doctr. Chriſt. cap.6. 7. Tom.3.

Dicta omnia ſe poſſe moſtrare in Scriptura Sacra dicit Aug. loco citato, & multa ibidem demonſtrat. Idem dicit Ambroſius lib. 8. Epiſtolarum. Rupertus etiàm lib.7. de operibus Spiritus Sancti Rhetoricæ orationis partes in Scriptura Sacra pleniſſimè contineri exemplis ex illa ſumptis oſtendit. Ep.63.

15. Numerus finitus plerumquè ponitur in ſacris literis pro infinito. Tantùmdem etiàm variè multiplicatus, unde multæ quæſtiones ſolvuntur.

Hujus regulæ exemplum eſt: Septies in die laudem dixi tibi, *idèſt, ſempèr, ut eſt illud:* Semper laus ejus in ore meo. *Numerus etiàm in Apocalypſi determinatus, Sanctorum ſignificat univerſitatem. Ex lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap.35. tom.3.*

Non dico uſquè ſepties, ſed uſquè ſeptuagies ſepties, *idèſt, ſempèr, & quotieſcumquè* ſepties in die cadit juſtus, *idèſt, pluries. Id etiàm à Grammaticis, Oratoribus, & Poetis obſervatur, qui numerum determinatum pro indeterminato ponunt, ut Virgilius.* O terque quaterquè beati. *Idèſt, pluries, vel beatiſſimi, vel ex omni parte beati. Septenarius enim numerus, qui ex ternario, qui eſt totus impar, & ex quaternario pari omninò conſtat, perfectus eſt, & pro univerſo poni ſolet, ut jam monſtratum eſt.* Æn.1.

16. Scriptura ſacra ſingularem numerum pro plurali ponere ſolet interdùm.

Hujus regulæ exemplum eſt, cum fons in Geneſi pro fontibus ponitur: Et in Exod. Rana pro Ranis, & Locuſta pro locuſtis in plagis Ægypti.

Idem Grammatici omnes per figuram ſynecdo-

synegdochem ut Virgilius: Hostis habet muros, *pro hostibus*, *Et*: Armato milite complent, *pro militibus*, *Et numerus pluralis pro singulari*, *Cicero ad Brutum*: Populo imposuimus, *pro imposui*.

17. Hyperbole quandoquè in sacris literis quandoquè verò Antiphrasis, & alii Tropi inveniuntur: & mendacia non sunt.

Hyperbolica locutio tropica est, quę rem excedit, ut est illud in Genesi, seminis multiplicatio tamquàm pulvis, *& illud Joannis dicentis* totum mundum capere non posse libros, qui scribi possunt de signis, quæ fecit Jesus. *Antiphrasis, locutio tropica est cum dicitur benedictio pro maledictione, ut videre licet in 1. & 2. cap. Job. Ex lib. 16. de Civ. tom. 5. & cap. 10. ad Consentium contrà mendacium tom. 2.*

18. Divinæ Scripturæ mos est, ut optare videatur malum, quod futurum est, cum non optet, sed tantùm se id prævidisse ostendat. Ex comm. in psal. 78. Tom. 8.

Hujus regulę exemplum est: Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt, *idèst, effundes. Hunc in modum his similia permulta interpretanda sunt, quàmvis modo imperativo pronuncientur.*

19. Ambigua in sacris literis, si explicari non possunt, in utranque partem intelligi possunt, si fidei regula non obstet.

Hujus regulę exemplum est illud: Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me, *hoc est: Ego non sum à me ipso, sed ab illo, qui misit me. Sic id genus alia exponi possunt. Ex lib. 2. de Trin. cap. 2. tom. 3.*

20. De Deo nihil temerè affirmandum, quod in scriptura ejus non legimus. Ex lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 9. tom. 3.

21. Omnia, quæ scripta sunt in sacris literis ad Christum referuntur. Undè ipse ait: *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me.* Ps. 81. tom. 8.

22. Omnia divina eloquia salubria sunt bene intelligentibus: periculosa iis, qui ea volunt ad sui cordis perversitatem detorquere: in psal. 43. tom. 8.

23. Sacra Scriptura cum aliquandò narret per recapitulationem quæ priùs facta sunt, videntur posteriùs facta. Ex lib. 20. de Civitate Dei cap. 14.

In Apocalypsi cap. 20. mortui priùs recensentur, & posteà judicati dicuntur secundùm facta. Hujusmodi recapitulatio frequens est in literis sacris: ideò advertenda.

24. Rationibus exponere Sacram Scripturam, & non auctoritate periculosum est. Ex lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 28. tom. 3.

25. Res ipsa, undè trahitur similitudo, in sacris literis non laudatur: sed tantùm similitudinem de illa trahi ostenditur.

Hujus regulę exemplum est de illo; Sicut aspidis surdę, & obturantis aures ad vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. *Incantatio tamèn non laudatur, sicùt etiàm non laudatur piger ille tędio victus, qui tres panes dedit petenti in ps. 57. tom. 8.*

26. In divinis scripturis vera aliquandò tacentur non mentiendo, sed tacendo. Ad Consentium contrà mendacium, c. 10. tom. 2.

Hujus regulæ exemplum est de Abraham, qui uxorem suam dixit esse sororem. Consanguinei enim omnes fratres, & sorores nuncupari solebant. Et verè soror non de materno, sed de paterno genere erat. Non enim mendacium est, cùm silendo absconditur verum, sed cùm loquendo promitur falsum. Nec quod à Jacob factum est, manere monente, mendacium fuit, sed mysterium. Ex eodèm loco citato. Vide regulam 5.

27. Quosdàm libros in Canonem librorum sacrorum non recepit Ecclesia: eos tamèn, qui eorum librorum auctores dicuntur, veneratur.

Noè Patriarcha, & Propheta, cujus arca nostrorum temporum Prophetia fuit. Enoch etiàm in Epist. Can. Judę prophetasse prędicatur. Quorum scripta ut in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam suspecta videbantur: & præsertim cum quædàm eorum nomine proferantur ab eis, qui pro suo sensu passim quod volunt credunt. Multa sub nominibus Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab Hęreticis proferuntur, sed in Canonem non recipiuntur, quià eorum esse non creduntur. Ex lib. 18. de Civ. cap. 38. tom. 5.

28. Quosdàm etiàm libros citat Sacra Scriptura, qui tamèn in Canone non inveniuntur. Cujus rei causa non liquidò constat. Ex lib. 18. de Civ. cap. 38. tom. 5.

Multa ad hanc rem pertinentia vide loco citato. Chrysostomus in 2. cap. Matthęi cum testimonium illud scilicèt, Quòniam Nazaræus vocabitur, *citatum ab Evangelista legeret, nèc tamèn in Veteri Tastamento Græco haberetur, putavit per Judæorum negligentiam, eorumdemque continuas captivitates multos è sacris libros desiderari. Hieronymus autèm de optimo interpretandi genere, & in Prologo Paralip., & Osee cap. 2. non Judęorum captivitatibus, nèc temporum incuriâ, sed septuaginta interpretum oblivione, aùt Librariorum potiùs negligentiâ factum esse probat. Vide plura pag. 12. de Testamento novo.*

29. Quandò rectus sensus Scripturæ Sacræ alium exitum non potest invenire, nisi additione aliquâ, addendum aliquid est, ut intelligatur. Ex lib. 14. de Civitate Dei c. 8. tom. 5.

Hujus regulæ exemplum est: Quæcumque vultis, ut faciam vobis homines, hæc & vos facite illis: *Ubi nonnulli addiderunt*, bona, *idèst, quæcumque bona, nè quisquàm inhonesta velit sibi fieri ab hominibus, si illis ipse similia faciat. Sed in græco, undè in latinum translatum est, non legitur bona, quasi in eo quod dixit, vultis, non cupitis, bona intelligi voluerit, tamquàm nemo possit aliquid malè, vel turpitèr velle, sed cupere. August. loco citato.*

Hujusmodi additio fieri solet propter amphibologiam evitandam, ut in Act. videre licet per illud: Sed expectarent promissionem Patris: quam audistis, inquit, per os meum: *Inquit de suo addidit Interpres. Et in Marc.* Puella, tibi dico, surge, *additum est*, tibi dico. *Vide supra pag. 9. Ægidius autèm Rom. illud*: Quæcumque vultis, *exponit sic. Quæcumque vultis, idèst, voluntate regulatâ secundùm conscientiam rectam. Ægid. 2. sent. c. 39. quæst. 3. art. 2.* Cap. 1. Cap. 5.

30. Non

30. Non fanè omnia quæ gesta narrantur in sacris literis aliquid etiàm significare putanda sunt: sed propterè illa, quæ aliquid significant, etiàm ea, quæ nihil significant, attexuntur. Ex lib. 16. de Civitate Dei cap. 2. tom. 5.

31. Prophetæ futura tanquàm præterita cecinerunt. Quod, & Apostoli etiàm faciunt. De serm. Dom. in monte, lib. 1. tom. 10., & Epist. 80. tom. 2.

Hujus regulæ exemplum potest esse illud: In omnem terram exivit sonus eorum, *idest*, exibit. *Hunc in modum exponenda sunt multa id genus alia. Ex loco citato.*

32. Scriptura Sacra dubitativè cùm loquitur, non secundùm visionem Prophetæ, cui certum est quod loquitur, sed secundùm eos ipsos, qui monentur. Ex comm. in Psalm. 2.

Hujus regulæ exemplum potest esse illud Ezechiæ; Si fortè vel ipsi audeant, & si fortè quiescant. *Quod hunc in modum dicitur, ut liberum hominis arbitrium monstretur, nè futurorum præscientiâ, mali, vel boni immutabile faciat, quod Deus noverit futurum. Quod autèm in Matthæo legitur*; Ut si fieri potest etiàm electi in errorem inducantur, *mentis trepidationem in electis significat, cùm tempore Antichristi ad cadendum tentabuntur.*

33. Evangelista non est Evangelistæ contrarius in iis, quæ narrat, licet non concordet. Ex Tract. 112. supèr Joannem tom. 9. Hinc in unius Evangelistæ expositione videndum est, quid alii Evangelistæ dicant, cùm ille locus exponitur. Ex lib. 1. de Adulterinis conjugiis, cap. 11. & 12. tom. 6.

Sensus primæ regulæ satìs patet; *secundæ verò exemplum potest esse illud Matth.* Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, vel per causam fornicationis, mœchatur; *non ob id debemus putare illum non mœchari, qui propterè causam fornicationis uxorem dimiserit, & aliam duxerit. Id enìm Marc., & Luc. planum fecerunt dicentes*; Quicunque dimiserit uxorem propterè causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. *Matthæus enìm à parte totum significari voluit, alii verò totum explicarunt. Ex loco citato Augustini.*

SANCTI AMBROSII

Opera omnia ex Editione Romanâ in sex Tomos distincta,

Mirum in modum illustrata 1583., & ordine alphabetico disposita.

A

Abel, & Cayn tom. 1.
Abraham Patriarcha tom. 1.
Aggæi Com. tom. 2.
Ambrosii vita tom. 6.
Anima, & Isaac tom. 1.
Apologia David tom. 1.
Apocalypsis Comment. tom. 2.
Arbor interdicta tom. 1.
Arca, & Noe tom. 1.

B

Benedictiones Patriarch. tom. 1.

C

Cayn, & Abel tom. 1.
Commentaria in Apoc. tom. 5.
Commentaria Lucæ tom. 3.
Commentaria Epist. B. Pauli tom. 3.
Catechismus, nunc primùm additus tom. 5.
Conditionis humanæ dignitas tom. 1.
Conflictus vitiorum, S. Augustino adscriptus to. 5.
Celebritatis Paschalis ratio tom. 4.

D

David Apologia tom. 1.
Danielis annot. tom. 2.
Deuter. enarrat. tom. 1.
Dignitas condit. hum. tom. 1.
Dignitas sacerdotalis tom. 4.
Divinitas Filii tom. 4.
Doctoris vita tom. 6.
Duo dubia supèr primo capite Geneseos tom. 1.

E

Ecclesiastes annot. tom. 2.
Ecclesiastici annot. tom. 2.
Enarrat. Sancto Ambrosio adscriptæ tom. 2.
Epistolæ in octo libros tom. 5.
Epist. B. Pauli Comment. tom. 3.
Exodi annot. tom. 1.

F

Fidei tract. vel de Trinitate ad Gratianum to. 4.
Fidei Resurrect. tract. tom. 4.
Filii divinitas tom. 4.
Forma, & instit. virg. tom. 4.

G

Gratiano de Fide, vel Trinit. tom. 4.
Gentium vocatio tom. 4.

H

Hexaemeron libri sex tom. 1.
Hieremiæ enarrat. tom. 2.
Hymni varii tom. 5.
Humanæ conditionis dignitas tom. 1.

I

Isaac, & anima tom. 1.
Joseph Patriarcha tom. 1.
Job enarrat. tom. 2.
Isaiæ annot. tom. 2.
Jonæ annot. tom. 2.
Institutio, & forma virg. tom. 4.
Index locupletissimus tom. 6.
Initiandi tom. 4.
Incarnationis mysterium tom. 4.
In libr. Deuter., Exodi, Levit., Num., Reg. to. 1.

L

Libellus de conflictu vitiorum, à nonnullis S. Aug. adscriptus tom. 5.
Levit. annot. tom. 1.
Lucæ comment. tom. 3.

M

Malachiæ enarrat. tom. 2.
Micheæ annot. tom. 2.
Mysterium Incarnationis tom. 4.
Missæ precationes tom. 5.

N

Noe, & Arca tom. 1.
Num. annot. tom. 1.

O

Obitus Satyri fratris tom. 4.
Officiorum tract. tom. 4.

P

Paradiſus ſuper 2., & 3. *Gen. tom.*1.
*Patriarcha Abraham tom.*1.
*Patriarcha Joſeph tom.*1.
*Patriarcha Bened. tom.*1.
*Precatio pro pluvia impetranda; Et pro ſerenitate tom.*5.
*Pſalmorum explanatio tom.*2.
*Proverbiorum explanatio tom.*2.
*Paſchalis celebritatis ratio tom.*4.
*Pauli epiſt. Commentarium tom.*3.
*Pœnitentiæ tractatio tom.*4.
*Precat. præparat. ad Miſſ. tom.*5.
*Præparat. precat. ad Miſſ. tom.*5.

R

*Ratio Paſchalis celebritatis tom.*4.
*Reſurrectionis fides tom.*4.
*Regum annotatio tom.*1.

S

*Satyri patris obitus tom.*1.
*Sacramentorum tract. tom.*4.
*Sacerdotalis dignitas tom.*4.
*Seculi fuga tom.*1.
*Sermones varii de tempore, & Sanctis tom.*5.
*Symboli explanatio tom.*4.
*Spiritus Sancti tract. tom.*4.

T

*Te Deum laudamus, Canticum Ambroſii, & Auguſtini tom.*5.
*Tobiæ annot. tom.*2.
*Trinitatis tract. ad Grat. tom.*4.
*Tractatus S. Ambr. adſcripti tom.*5.

V

*Virginum inſtitutio, & forma tom.*4.
*Virginis lapſus tom.*4.
*Virg. tract. tom.*4.
*Viduitas tom.*4.
*Viduarum tract. tom.*4.
*Vocatio gentium tom.*4.
*Vita Sancti Ambroſii tom.*6.
*Vocatio gentium tom.*4.

SANCTI AMBROSII

Epiſtolæ omnes, quæ Tomo V. continentur.

A

*Agnetis vita, Martyrium, & miracula ad Virgines Sacras, epiſt.*34.
*Alypio, epiſt. reſp.*74.
*Anyſio, & Theophilo Epiſcop. ep.*5.
*Anyſio fratri, epiſt.*23.
*Antonio, ep.*63.
*Attico, ep.*68.

B

*Bellico, ep.*26. & 45.

C

*Candiano fratri, ep.*71.
*Concilium Aquil. poſt ep.*1.
*Clementiano de lege vet. ep.*42. & 43.
*Conſtantio fratri, ep.*19.
*Cynegio, epiſt.*72.

D

*Demetriadi Virg. ſacræ, ep.*33.
*Delphino, & Fygudio Epiſcopis, ep.*70.

E

*Eccleſiæ Vercellenſi, ep.*25.
*Epiſc. Galliarum de Concil. Aquil. ep.*2.
*Eugenio Imp. epiſt.*15.
*Euſebio Epiſcop. Bononien. ep.*62. & 66. *de ejus jucunditate in Fil.*

F

*Floriano adoleſcenti lapſo, & revertenti, ep.*29.
*Fauſtino epiſt. conſol.*61.
*Felici Epiſcopo Comenſi, epiſt. de ſpe futur. adv. epiſt.*60. & 69.
*Fygadio, & Delphino, ep.*70.

G

*Galliarum Epiſc. de Concil. Aquil. ep.*2.
*Gervaſii, & Protaſii Corpor. inv. ad univerſam Italiam, epiſt.*53.
*Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio Imperator. ep.*1., & 3., & 4. *de Concil. Aquil.*

H

*Horontio epiſt.*28. 38. 39. 44. *de ſol. dub.*

I

*Irendo ep.*20. 35. 36. 37. & 41. *de ſol. dub.*
*Italiæ univerſæ fratribus, de Gervaſii, & Protaſii Corp. inv. epiſt.*53.
*Italiæ item de Vitalis, & Agricolæ Corp. invent. epiſt.*55.
*Juſto. epiſt.*10.

M

*Marcellinæ ſorori ep.*14. 18., & *de SS. Gervaſii, & Protaſii ep.*54.
*Marcello, epiſt.*49.

O

*Orontio, ep.*28. 38. 39. 40. & 44.

P

*Paterno, epiſt. conſult.*48.

S

*Sabino de libell., & de Ludo epiſtolari, ep.*65.
*Sabino Epiſc. epiſt.*8. 30. 31., & *de libellis corrigendis, ep.*63.
*Severo Epiſcopo, ep.*32.
*Simpliciano Monacho, poſteà Epiſcopo, ep.*27.
*Siricius Papa Eccleſiæ Mediolan. ep.*6.
*Siricio Papæ, ep.*7. 21. & 67.
*Siſinio de pietate commend. ep.*64.
*Studio, Viro nobili, & Judici de clementia, epiſt.*51. & 52.

T

*Theodoſio, Valentiniano, & Gratiano Imperatoribus, epiſt.*1. 3. & 4., *de Concil. Aquil.* & 16. & 17.
*Theodoſio Imperat. epiſt.*57. *de Valent. obitu, & ſepult. ep.*57. & 59.
*Theoph., & Aniſio Epiſc. ep.*5.
*Theophilo, epiſt.*9.
*Theſſalonicenſis plebis Sacerd., & Clero, ep.*22.
Titiano, epiſt. gratul. 50.

V

*Valentiniano, Theodoſio, & Gratiano Imperator. ep.*1. & 3. 4. *de Concil. Aquil.*
Valentiniano Imper. ep. 11. & 12. *de Simmaco,* & 13. & 56. *de Gratiano interfecto.*
*Vercellenſi Eccleſiæ, ep.*25.
*Virginio fratri, ep.*24.
*Virginibus ſacris de Vita, Martyrio, & Miraculis S. Agnetis, ep.*34.
*Vitalis, & Agricolæ Corp. inventio, ep.*55.

SANCTI AMBROSII

Hymni Tomo V. contenti.

A

Æterne rerum conditor 1. *In Domin. ad Laudes, Hunc Hymnum S. Benedictus in suâ Regulâ* Ambrosianum *appellat.*
Æterna Cæli gloria 5. *In feria* VI. *ad Laudes.*
Agnes beatæ Virginis 33. *In Brev. non extat.*
Audi benigne Conditor 25. *In Quadragesima ad Vesperas.*

C

Cæli Deus sanctissime 20. *Feria* IV. *ad Vesp.*
Conditor alme siderum 23. *Domin. de Advent. ad Vesperas,*
Consors paterni luminis 3. *Feria* III. *ad Noct.*
Chorus novæ Hierusalem 28. *In Breviario non extat.*
Christe, qui lux es, & dies 16. *Ad Complet. Nùnc autèm in Brev. non extat.*

D

Deus Creator omnium 14. *Temp. fer.* I. *ad Vesp. Nùnc autèm in Brev. non extat.*
Hic Hymnus recensetur sub nomine Ambrosii *in lib.* 9. *Confess. cap.* 12. *ab Augustino, qui inibi aliquot versus recitat, & veridicos appellat, & laudat. De hoc eodem Hymno mentionem facit lib.* 6. *de Musica cap.* 2. *&* 9.

E

Ex more docti mystico 26. *In Quadrag. ad Noct.*

H

Hic est dies verus Dei 29. *In diebus Pasch. sed in Brev. non extat.*

I

Jam lucis orto sidere 10. *Ad Primam.*
Jam Christus astra ascenderat. In die Pentecostes ad Noct. Inter Ambrosii opera non recensetur; Creditur tamèn à nonnullis esse Ambrosii, phrasim Ambrosianam redolens, ut; Veni Creator Spiritus; *Sunt qui eum Gregorio adscribunt.*
Jesu nostra redemptio 31. *In Ascens. ad Vesper., & ad Laud.*
Immense Cæli Conditor 18. *Feria* II. *ad Vesp.*

L

Lucis creator optime 17. *Domin. ad Vesp. Sunt qui eum* Gregorio *adscribunt; creditur tamèn verius* Ambrosii *esse.*

M

Magnæ Deus potentiæ 21. *Feria* V. *ad Vesp.*
Martyris ecce dies Agathæ 34. *In Breviario non extat.*

N

Nox atra rerum contegit 5. *Feria* V. *ad Noct.*
Nùnc Sancte nobis Spiritus 11. *Ad Tertiam.*

O

Optatus votis omnium 30. *In Ascens. In Brev. non extat,*

P

Psalmator hominis Deus 22. *Feria* VI. *ad Vesp.*

R

Rerum creator optime 4. *Feria* IV. *ad Noct.*
Rector potens verax Deus 12. *Ad Sextam.*
Rerum Deus tenax vigor 13. *Ad Nonam.*

S

Somno refectis artubus 2. *Feria* II. *ad Noct.*
Splendor paternæ gloriæ 8. *Feria* II. *ad Laud.*
Summæ Deus clementiæ 7. *Sabb. ad Noct., & in Trinitate ad Noct.*

T

Te lucis antè terminum 15. *Ad Complet.*
Telluris ingens conditor 19. *Feria* II. *ad Vesp.*
Tu Trinitatis unitas 6. *Feria* VI. *ad Noct., & in Trinitate ad Laudes,*
Te Deum laudamus, Canticum Ambrosii, & Augustini.

V

Venit Redemptor Gentium 24. *De Nativitate Domini, sed in Breviario non extat.*
Veni Creator Spiritus 32. *In die Pentecost. ad Vesperas.*
Vexilla Regis prodeunt 27. *In Dominica Passionis, & Palmarum. Sunt qui hunc Hymnum* Theodulpho *adscribunt; alii* Fortunato; *alii verò* Sedulio.

OPUSCULA

Sancto Ambrosio adscripta, quæ sub aliorum Virorum insignium circumferuntur.

COmmentaria *in Apocalypsim. Virtutum, & vitiorum* conflictus. Expositio *fidei*, sive *Symboli Nicæni ad Gratianum*. Libellus *de Spiritu Sancto*. Concordia *Matthæi, & Lucæ in Genealogia Christi*. De *Pœnitentia* libellus. Exhortatio *ad patientiam*. Epistola *de monacho à dæmone vexato*. Tractatus *de origine, & moribus Brachmanorum*. Expositio *in Cantica Canticorum*.

Hæc omnia quàmvis sub nomine virorum illustrium circumferantur, tamen in Editione Romana inter Ambrosii opera apposita sunt, cum in multarum Bibliothecarum, & vetustarum quidem manuscriptis codicibus Sancto Ambrosio inscripta inveniantur. Quod item factum est, cum eorum proprius auctor ignoretur.

Conflictus *virtutum, & vitiorum*, tàmquàm stylum Gregorianum redolens, Gregorio à nonnullis adscribi solet. Sunt qui eum Leoni Papæ tribuat, sub cujus nomine citatum reperi. Alii verò Augustino dictum libellum adscribunt, & inter ejus opera apponitur Tom. IX. In Ambrosio autèm ad quintum, & vigesimum usque caput invenitur, sine tantùm diverso: pòst quem finem multa alia reperiuntur in illo Conflictu, qui inter Augustini opera invenitur.

Commentaria *in Apocalypsim* Gregorii Magni sententiis non carent: & in cap. 17. Auctor ipse, quicumquè sit, fatetur se ea pòst Romanum Imperium à Longobardis occupatum scripsisse; quod circiter annos ducentos pòst Ambrosium fuit.

Sermones in *Hexaemeron* scripsit. Sed Sanctus Hieronymus ad Pammachium, & Oceanum scribens hunc in modum ait: *Noster Sanctus Ambrosius, sic Origènis Hexaemeron compilavit, ut magis Hippolyti, Basiliique sententias sequeretur*. Quod autèm S. Ambrosius Origènem sit secutus, idem Hie-

Hieronymus teſtatur quadam Epiſtolâ, quæ etiàm intèr epiſtolas S. Auguſtini apponi ſolet.

Omnes hujus Sancti Doctoris libri ſunt mirum in modum eruditè ſcripti, præsèrtim verò *Commentaria ſupèr Lucam* in undecim libros diſtincta: qui tàm diſerti ſunt, & excelſi, ut nonniſi à Doctioribus, & piis viris intelligi queant, teſte Acca, Epiſcopo Cantabrigienſi, à rudibus verò, & faſtidioſis lectoribus non itèm. Hujus ſancti doctrinam Sanctus Auguſtinus comprobare viſus eſt, qui ad Paulinam, de videndo Deo ſcribens, multa ex dictis Commentariis teſtimonia deſumpſit, Ambroſii nomine non ſuppreſſo: immò eum frequentèr, modò Sanctum, beatum, & beatiſſimum: modò Evangelicum Diſputatorem, & venerandum, & Doctorem ſuum appellavit. Nec ejus doctrinam approbare ſe ait, quòd ab ipſo fuerat baptizatus, & per ipſum ab errore liberatus; ſed quià ità ſentiebat.

Ep. 112. tom. 2.

Libr. 1. cont. Jul. tom. 7.

Ep. 112. tom. 2.

Sciendum tamèn eſt, ipſum Ambroſium non eundem ſempèr ſcribendi modum obſervaſſe, ſed varium, proùt rerum varietas poſtulare videbatur, lucidum tamèn ubiquè, atquè perſpicuum, teſte Auguſtino, qui in libris de *Doctrina Chriſtiana* pulcherrima quædam exempla ex Ambroſii libris accepit. Triplex autèm Ambroſiana fuit locutio, hoc eſt, ſummiſſa, temperata, & grandis: de humilibus enim ſummiſsè, de mediocribus temperatè, de magnis ſublimitèr pro rerum diverſitate ſcripſit. Adamavit tamèn peculiari, ac naturali quodam affectu gravem, & argutam brevium ſententiarum copiam, delectatus mirum in modum oratione, commatis, & colis interdùm numeroſis diſtinctâ, & floſculis picturatâ. Ex hùjuſmodi etiàm facundia, & ſermonis præsèrtim ſuavitate Auguſtinus ſe captum fuiſſe teſtatur in 5. *libro Confeſſionum*, atquè ità fuiſſe allectum antequàm reſipiſceret, ut eum diſputantem in populo frequentèr audiret.

Lib. 4.

Cap. 3. tom. 1.

Hujus ſancti viri doctrinam, & libros adamabat, & affectabat Auguſtinus, ut conjici poteſt ex Epiſtola *ad Paulinum*, ad quem ità ſcribit: *Libros beatiſſimi Papæ Ambroſii credo habere ſanctitatem tuam: eos autèm multò deſidero, quos adversùs nonnullos imperitiſſimos, & ſuperbiſſimos, qui de Platonis libris dominum profeciſſe contendunt, diligentiſſimè, & copioſiſſimè ſcripſit.* Hæc ipſe. Hùjuſmodi autèm libri non extant, quod ſciam; ſed eos Librariorum incuriâ periiſſe putandum eſt, ſicut de ejuſdem Doctoris, aliorùmque virorum libris factum eſſe cenſendum eſt.

Ep. 34. tom. 2.

Sanctus hic Doctor Mediolanenſis Epiſcopus, & Ambroſii civis Romani filius ex Frangipanorum Familiâ, tanto veritatis candore eniteſcit, ut ne inimici quidèm, teſte Auguſtino, in illius ſcriptis, quod arguerent, invenire unquàm potuerunt. Tantâ fuit prœterèa ſanctitatis famâ, ut *Theodoſius Magnus* dicere ſoleret; *Solum Ambroſium novi dignè vocari Epiſcopum*; Tantâ poſtremò exiſtimationis majeſtate, ut, quòd pleriquè meminerunt Scriptores, nec illius cenſeretur Imperator, cui non conſenſiſſet Ambroſius, de quo Nicolaus ad Photium Conſtantinopoli hunc in modum ſcribit: *Beatiſſimus Ambroſius, clariſſima, & ſplendidiſſima lucerna Eccleſiæ, qui ex catechumeno divino præſagio ad Epiſcopalem per continuos gradus promotus eſt dignitatem, non inſtinctu hominum, ſed divinâ vocatione per miraculorum prodigia electus eſt.* Dùm enim ad electionem Epiſcopi popularis fieret in Eccleſia conglobatio, ecce quidam infans acclamabat, *Ambroſium Epiſcopum*: ad quam vocem, & omnis illa conventio ſimilitèr acclamabat, *Ambroſium Epiſcopum*, cujus magnitudo meritorum erga Eccleſiam Sanctam Dei tanta fuit, ut Auguſtinus contrà Julianum Pelagianum ità ſcripſerit: *Audi excellentem Dei diſpenſatorem, quem veneror, ut patrem (in Chriſto enim Jeſu per Evangelium ipſe me genuit, & eo Chriſti miniſtro, lavacrum regenerationis accepi) beatum loquor Ambroſium, cujus pro Catholica Fide, gratiam, conſtantiam, labores, pericula, ſivè operibus, ſivè ſermonibus, & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus.* Hic enim fuit Epiſcopus Mediolanenſis, ſed civis Romanus ex Frangipanorum Gente, Landino teſte. Hic Fidem Catholicam, & diſciplinam eccleſiaſticam acerrimè defendens, & multos Arianos, & alios hæreticos ad fidei veritatem convertens clariſſimum Eccleſiæ lumen, & hæreticorum malleum, Sanctum Auguſtinum Jeſu Chriſto, doctrinâ, exemplo, & baptiſmo peperit, ut ipſemet Auguſt. loco ſuperiùs citato, & in *Epiſt. ad Caſulanum presbyterum teſtatus eſt*. Obiit autèm Anno Dñi 380. vel 387.

SANCTI AMBROSII

Regulæ Scripturales.

1. PRofunditas divinorum myſteriorum, atquè judiciorum Dei non eſt perquirenda, ſed cum omni timore, ac veneratione admiranda.

Sapientiores, aut ſcientiores beatiſſimo Paulo non ſumus, qui cum de gratiæ potentia diſputaret, magnorum Myſteriorum ingreſſus arcanum ſuccubuit iis, quæ impoſſibile erat enarrare: & poſt multa dixit: Noli altum ſapere, ſed time. *Et infrà*; Omnia Deus in incredulitate concluſit, ut omnium miſereatur. *Et tandèm exclamavit dicens*: O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. *Ex libro 1. de Vocat. Gent. cap. 4. tomo 4.*

Noli altum ſapere, ſed time, *hoc eſt*, *noli extolli, ſed time, ne gratiam, quam accepiſti perdas per ſuperbiam. Time, non timore ſervili, quem charitas expellit: ſed timore caſto, qui permanet in ſeculum ſeculi. Itèm*: Deus omnia in incredulitate concluſit, *idèſt, omnes, tàm Judæos, quàm Gentiles concluſit, idèſt, eſſe convicit, vel concludi permiſit in incredulitate: quoniam alitèr ex ſuperbia ruerent. Ut omnium*

Rom. 11.

Ibidem.

miſereatur, non quòd nullum ſit damnaturus, ſed ex omnibus illis quoſdam convertat, ac ſalvet: hoc eſt eos, quos ex Judæis, & ex gentibus prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, & gloriſicavit. Hæc dictio, ut, *non ponitur cauſalitèr, ſed conſecutivè; non directè, ſed indirectè. Cùm autèm per dictam Myſteriorum profunditatem in admirationem, ac ſtuporem trahimur, mentem noſtram, & ſenſum noſtrum captivemus; & quiſque noſtrum dicat cum homine illo Evangelico*: Credo Domine: Adjuva incredulitatem meam, *hoc eſt, imperfectionem. Nàm ſi quid deeſt, Dominus ſupplet. Hinc ait Paulus*: Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Marc. 9.

2. Si quis quærat in Scripturis divinis illa, quæ miranda putant Philoſophi, omnia ibi invenienda credat.

Tria apùd Philoſophos fuerunt miranda, Rationalis, *ſcilicèt*, Moralis, & Naturalis, *quæ per tres puteos ſignificantur, & in tribus Salomonis libris, hoc eſt, in Proverbiis, Eccleſiaſtice, & in Canticis reperiuntur. In Proverbiis moralis, & rationalis, hoc eſt, Ethica, & Logica; Naturalis in Eccleſiaſte; Moralis itèm, & Rationalis in Canticis Canticorum. Sapientia naturalis in Evangelio Joannis: Moralis in Matth. Rationalis in Marco; Hiſtoria in Luca. Joannes enim Verbum in principio reperit, & Verbum apùd Deum vidit; Matthæus præcepta nobis vivendi dedit. Marcus demonſtravit rationabilem, & admirabilem copulatum de Joanne Baptiſta cum dixit*: Ecce ego mitto Angelum meum &c. *Et*: Ego vox clamantis in deſerto &c. *Ut, & admirationem moveret, & doceret hominem humilitate, abſtinentiâ, & fide debere placere. Lucas verò hiſtoricum ordinem edidit, & multa Domini geſta nobis revelavit. Sapientiam itèm naturalem explicavit, cum Dominicæ incarnationis Creatorem Spiritum Sanctum nobis reſeravit. Moralem docuit cum in illis beatitudinibus mores declaravit. Rationalem docuit cum dixit*: Qui in minimo eſt fidelis, eſt etiàm in magnis. *Naturalem tandèm docuit, cum virtutes cælorum moveri dixit: Terramque in paſſione Domini fuiſſe obſcuratam, refugiente ſole. Quæ igitùr mundana prudentia falsò ſibi vendicat, ſapientia ſpiritualis verè poſſidet; immò fides noſtra, & Myſterium Trinitatis ſine hac triplici ſapientia eſſe non poteſt, hoc eſt, niſi credamus illum naturalem Patrem, qui nobis genuit Redemptorem; & illum moralem Filium, qui Patri uſquè ad mortem ſecundùm hominem obediens, nos redemit; & rationalem ſpiritum, qui rationem colendæ divinitatis, & vitæ regendæ humanis pectoribus infudit. Ex Proœmio in Evangelium Lucæ. Tom. 3.*

3. Divinæ literæ non ſolùm mores in his, qui prædicabiles ſunt, ſed eorum parentes plerùmque ſolent laudare.

Exemplum eſt de Sancto Samuele, cujus mater Anna laudatur. Idem de Sancto Joanne Baptiſta, cujus non ſolùm parentes, ſed etiàm majores ejus laudantur. Ex Com. in cap. 1. Lucæ. Tom. 3.

4. Interrogationes quædam in ſacris literis, quæ negationem inferre videntur, non ſunt negativæ intelligendæ. Hoc eſt.

Si homo peccaverit in Dominum, quis orabit pro eo? *Et*: Quis habitabit in Tabernaculo tuo? *Non eſt dicendum*: *Nullus, ſed aliquis, idèſt, probatus. Et*: Deus quis ſimilis tibi? *Non utiquè nullus, quià imago Patris eſt Filius. Ex lib. 1. de Pœnit. cap. 8. Tom. 4.*

Regula eſt Ambr. vera; tamèn aliquæ auctoritates ſcripturales per interrogationes impoſſibile inferre ſolent. Exempli gratia; Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti. *Et*: Sculptibile quid prodeſt? *Nàm in utràque auctoritate ſubinfertur impoſſibilitas, quià Apoſtoli charitatem nulla tribulatio, nullaque angustia dividere potuit à Chriſto; nec in idolis eſt ulla utilitas. Hæc ex Hieronymo in cap. 2. Abachuc Prophetæ.*

4. Sicut in populo Judæorum multi olim prophetaverunt falſo ſpiritu, quorum neque prophetiæ, nec ſcripta recepta ſunt; ità & in Chriſtianorum populo Evangelia plurimi ſcripſerunt, quę ab Eccleſia non ſunt recepta.

Ex Luca in Præf. ſui Evangelii, ubi ait: Multi conati ſunt ſcribere Evang. &c. *Qui conatur ſuo labore conatur, non dictante Spiritu Sancto. Non conatus eſt Matthæus, non Marcus, non Lucas, non Joannes, ſed divino ſpiritu ubertatem dictorum, rerumque omnium miniſtrante, ſine ullo molimine cœpta compleverunt. Ex Ambroſ. in præf. Lucæ Tom. 3.*

SANCTI HIERONYMI

Opera omnia ordine alphabetico diſpoſita, & Scoliis illuſtrata, & in novem Tomos diſtincta.

A

Abdias Comment. tom. 5.
Abacuch Comment. tom. 5.
Abigavo, epiſt. 32. tom. 1.
Ageruchiæ viduæ de monogamia, ep. 11. tom. 1.
Aggæi Comment. tom. 5.
Algaſiæ, ep. 151. tom. 3.
Alipio, & Auguſtino, ep. 79. tom. 2.
Alexandro, & Minerio, ep. 152. tom. 3.
Amos Comment. tom. 5.
Amando, epiſt. 147. tom. 3.
Anachoretis, & Theodoſio, ep. 38. tom. 1.
Anapſichiæ, & Marcellino, ep. 82. tom. 2.
Antonio de modeſtia, ep. 45. tom. 1.
Apologia ad Pammachium adver. Jovin. ep. 50. tom. 2.
Apologiæ tres in tres libros adver. Ruff. tom. 2.
Apologeticon ad Domnionem, ep. 51. tom. 2.
Apronio, epiſt. 56. tom. 2.
Aſellæ laudes ad Marcellam, ep. 15. tom. 1.
Auguſtinus Hieron. epiſt. 86. 87. & 88. tom. 2., ep. 93. tom. 2., Præſidio ep. 95. tom. 2., ep. 97. tom. 2.
Auguſtino epiſt. 40. tom. 1., ep. 79. tom. 2., ep. 80. tom. 2., ep. 81. tom. 2., ep. 89. tom. 2., ep. 91. tom. 2., ep. 92. 94. 96. & 98. tom. 2.

B

Blaſillæ ægrotatio ad Marcellam, ep. 23. tom. 1.
Blaſillæ obitus ad Paulam, ep. 25. tom. 1.
Bonaſio, epiſt. 100. tom. 2.

Cæ-

C

Catalogus Gennadii illustriam viroram tom.1.
Castorinæ Materteræ, ep.36. tom.1.
Castrutio, epist.33. tom.1.
Celantiæ matronæ de rat. piè vivendi, epist.14. tom.1.
Chrisogono monacho Aquileiæ, ep.44. tom.1.
Chromatio, Jovino, & Eusebio, ep.43. tom.1.
Cypriano explanat. Psal.89. ep.139. tom.3.
Cromatio, & Heliodoro in Tob. ep.110. tom.3.
Clericorum, & Sacerdotum vita ad Nepot. ep.2. tom.1.
Contubernium suspectum vitandum, ep.47. tom.1.
Cyrillo, ep.18. de fidei explan. tom.9.

D

Dialogi in tres libros adver. Pelagianos tom.2.
Damasus Hieron. ep.143. & 144. tom.3.
Damaso, ep.57. & 58. tom.2., ep.125. tom.3., ep.142. tom.3., ep.145. & 146. tom.3.
Damaso Papæ, ep.143. tom.3. in 4. Evang. & in Cant. Cantic. præfatio tom.3.
Danielis Comment. tom.4.
Dardano, ep.129. tom.3.
Demetriadæ de servanda virginitate, epist.8. tom.1.
Desiderio. ep.154. tom.3.
Didimi de Spiritu Sancto libri tres D. Hieron. interpret. tom.6.
Domnioni Apologeticon, ep.51. tom.2., in Paralip. præfatio, ep.108. tom.3.

E

Educatio Pacatulæ infantulæ ad Gaud. ep. 12. tom. 1.
Elvidius impugnatur de perpet. Virginit. Beatæ Mariæ tom. 2.
Epiphanius Jo: Episcopo Hierosol. ep.60. tom.2., Hieron. ep.73. tom.2.
Epitaphium Nepotiani ad Heliodorum, epist.3. tom. 1.
Evagrio, ep.85. tom.2., ep.126. tom.3.
Esaiæ Comment. tom.4.
Eustochium Marcellæ, ut commigret Bethlehem, ep.17. tom.1.
Eustochio de acceptis munusculis, ep.19. tom.1. De custodia Virginitatis, ep.22. tom.1. De epitaphio Paulæ, ep.27. tom.1.
Eusebio, Chromatio, & Jovino, ep.43. tom.1.
Ephes. Comment. tom.6.
Epistolarum omnium D. Pauli Comment. to.8.
Epist. Commentaria tom.6.
Eccles. Commentaria tom.5.
Evangelist. Comment. tom.6.
Epist. D. Hieron. falsò adscriptæ, doctæ quidèm, & eruditæ varias materias complectentes to.9.
Exasperantio hortatoria, ep.35. tom.1.

F

Fabiolæ epitaphium ad Oceanum, ep.30. tom.1., ep.127. tom.3. De vestitu Sacerdot. ep.128. tom. 3.
Fidei explanatio ad Cyrillum, ep.18. tom.9.
Florentio, ep.4. & 5. tom.1.
Furiæ de servanda viduitate, ep.10. tom.1.
Fretellæ, & Suriæ, ep.135. tom.3.

G

Gaudentio de Pacatulæ infantulæ educatione, ep.12. tom.1.
Galat. Comment. tom.6.
Gennadii illustrium Virorum Catalogus tom.1.

H

Hebraica loca, & nomina in Sacra Scriptura tom.3.
Hebraicæ quæstiones, seù traditiones in lib. Gen. Reg. Paralip. tom.3.
Heliodoro de laude vitæ solitariæ, ep.1. tom.1.; Et in Job præfatio, ep.110. tom.3.
Hermonensibus Virginibus, ep.39. tom.1.
Hilarionis vita, tom.1.
Hedibiæ, ep.150. tom.3.
Hieremiæ Comment. tom.4.
Homiliæ duæ in Cant. Cantic. tom.3.
Homiliæ quatuor Origènis in Cantic. Canticor. tom. 3.
Hieron. Rustico monacho de vivendi forma, ep.4. tom.1.; Marcellam invitat ad rus Bethlehemiticum, ep.18. tom.1.; Adversùs Jovinum libri duo tom.2.; Apologia ad Pammachium, ep.50. tom.2.; Theophilo, ep.70. & 71. to.2.; Marcellæ, ep.74. tom.2.; Marco Presbytero Coledensi, ep.77. to.2.; Augustino, ep.79. to.2., ep.80. & 81. to.2., ep.89. 91. 92. 96. & 98. tom.2.; Asellæ, ep.99. to.2.; Paulino ep.103, tom.3.; Damaso, ep.145. & 146. to.3.

I

Innocentio de muliere septies illa, ep.49. to.1.
Index rerum, & verborum in sex tomos poster. cum indice locorum Sacræ Scripturæ in sex eosdem tomos, tom.9.
Jovinianus arguitur in duobus libris, tom.2.
Joannes Hierosol. arguitur, ep.62. tom.2.
Joannis textus, tom.6.
Jonæ Comment. tom.5.
Joelis Comment. tom.5.
Job Comment. tom.8.
Jovino, Chromatio, & Eusebio, ep.43. to.1.
Juliano Diacono, ep.37. tom.1.
Juliano consolatio, ep.34. tom.1.

L

Lætæ de institutione filiæ, ep.7. tom.1.
Leæ exitus ad Marcellam, ep.24. tom.1.
Liber de Viris illustribus, tom.1.
Lucæ textus, tom.6.
Lucino, ep.28. tom.1.
Lucinii Betici epitaphium, ep.29. tom.1.
Luciferanis, & Orthodoxis dialogus, tom.2.

M

Malchi captivi monachi vita, tom.1.
Magno oratori Romano, ep.84. tom.2.
Micheæ Comment. tom.5.
Malachiæ Comment. tom.5.
Marci Comment. tom.6.
Matthæi Comment. tom.6.
Mansiones 43. tom.3.
Marcellino Apologia adversùs Ruffinum, ep.82. tom. 2.
Marcellæ de laudibus Asellæ, ep.15. tom.1.; Invitatur ad rus Bethlehem. ep.18. tom.1.; De commigrat. in Bethlehem. ep. 17. tom.1.; De Marcellæ viduæ epitaphio, ep.16. tom.1.; De acceptis munusculis, ep.20. tom.1.; De ægrotatione Blasillæ, ep.23. tom.1.; De exitu Leæ, ep.24. tom. 1. adversùs Montanum, ep. 54. tom. 2.
Mariæ Virginitas defenditur contrà Elvidium, tom. 2.

Marcellæ, ep.74. tom.2., ep.78. tom.2., ep.102. tom.2., ep.130. to.2., ep.133. to.3., ep. 136. tom.3., ep.137. & 138. to.3., ep.148. to.3.; De blasphemia in Spiritum Sanctum, ep.149. tom.3., ep.148. tom.3.; Expositio Psalm.126. ep.141. tom.3.
Montanus increpatur, ep.54. tom.2.

N

Nepotiano de vitâ Sacerdotum, & Clericorum, ep.2. tom.1.
Niceæ Hyppodiacono Aquilejæ, ep.42. tom.1.
Naum Comment. tom.5.

O

Oceano epitaphium Fabiolæ, ep.30. to.1., ep.65. tom.2., ep.83. tom.2.
Oceanus, & Pammachius Hieron. ep.64. to.2.
Orthodoxis, & Luciferanis dialogus, to.2.
Oseæ Comment. tom.5.

P

Pacatulæ infantulæ educatio ad Gaudentium., ep. 12. tom. 1.; Pammachio consolatio super obitu Paulinæ uxoris, ep.27. tom.1.; Pro libris suis adversùs Jovin. epist. 52. tom. 2.; Adversùs errores Joannis Jerosol. ep. 61. to.2., epist. 65. tom.2.; Apologia Hiero. adversùs Ruffinum lib.1. tom.2.; Adversùs Jov. ep.52. tom.2., & ep.78. tom.2.
Pammachius, & Oceanus Hieron. ep.64. to.2.
Paulino de Institutione monachi, ep.13. tom.1., ep.103. tom.3., ep.153. tom.3.
Paulo Concordiensi, ep.21. tom.1.
Paula, & Eustochium, Marcellæ, ut commigret Bethlehem, ep.17. tom.1.; In Eccles. to.3.; In duodecim Prophetas, tom.3.
Paulæ matris Epitaphium, ep.27. to.1.; Super obitu Blasillæ, ep.25. tom.1.
Paulinæ obitus ad Pammachium, ep.26. tom.1.
Pauli Eremitæ vita, tom.3.
Paulæ Urbicæ, ep.155. tom.3.
Pelagiani increpantur in tribus libris, tom.2.
Præfatio in Pentat. Moysi, tom.3. in Josue to.3., in lib. Reg. tom.3., in lib. Paralip. tom.3., in Esdra, & Neem tom.3., in Tobiam tom.3., in Judith tom.3., in Hester tom.3., in Job to.3., in Proverb. tom.3., in Ecclesiastes tom.3., in Canticis Canticorum tom.3., in translationem Isaiæ tom.3., in Hieremiam tom.3., in Ezechielem tom.3., in Danielem tom.3., in duodecim Prophetas tom.3., in Joelem tom.3., in quatuor Evangelia tom.3., in Canticis Canticorum ad Damasum tom.3., in Ecclesiasten ad Paulam, & Eustorgium tom.3.
Principiæ virgini Marcellæ viduæ Epitaphium, ep.16. tom.1.; Explanatio Psalm. 44. ep.140. tom. 3.
Pauli Apost. epist. Comment. tom.8.
Præsidio, ep.95. & 97. tom.2.
Proverb. Comment. tom.8.
Philemonis Comment. tom.7.
Prophetarum majorum Comment. tom.4.
Prophetarum minorum Comment. tom.5.
Psalmorum Comment. tom.7.

R

Ripario Presbytero adversùs Vigilantium, ep.53. tom.2., ep.55. tom.2.
Rustico monacho, ep.4. tom.1., ep.46. tom.1.
Ruffino, ep.41. tom.1.; Præfatio in lib. Origen. ep.63. tom.2., ep.66. tom.2.; Adversùs ipsum Ruffinum tres libri tom.2. ep.131. tom.3.

S

Sabiniano Diacono increpatoria, ep.48. tom.1.
Salviniæ de servanda viduitate, ep.9. tom.1.
Sophronio, ep.134. tom.3.
Sophoniæ Comment. tom.5.
Suniæ, & Fretellæ, ep.135. tom.3.

T

Theophilo Episcopo Alexandrino, ep.31. tom.1., ep.62. tom.2., ep.68. tom.2.
Theodoræ Epitaphium Lucinii Bætici, epist.29. tom. 1.
Theodosio, & aliis Anachoretis, ep.38. tom.1.
Theophilus Epiphanio, ep. 67. tom. 2.; Hieron. ep.72. tom.2., ep.69. tom.2., ep.72. tom.2.
Titi Comment. tom.6.
Tranquillino, ep.76. tom.2.

V

Virginibus Hermonensibus, ep.39. tom.1.
Virorum illustrium liber. tom.1.
Vigilantius impuguatur, ep.53. tom.2., ep.75. tom. 2.
Vitali, ep.132, tom.2.
Virginitas Beatæ Mariæ defenditur contrà Elvidium, tom.2.

Z

Zachariæ Comment. tom.5.

EPISTOLÆ

S. Hieronymo falsò adscriptæ, & Tomo nono contentæ, ordineque alphabetico dispositæ ex edit. Paris., & Roman.

Hic Tomus dividitur in tres partes; in quarum *primâ* locatæ sunt Epistolæ, doctæ quidem, & eruditæ, quarum tamen Auctores ignorantur. In *secundâ parte* posítæ sunt, quæ suis titulis proprios testantur Auctores. In *tertiâ* verò *parte* appositæ sunt, quæ suos Auctores præseferunt, verùm non ità doctæ, & eruditæ, ut illæ, quæ in prima, & secunda classe continentur.

Prima Series.

A

Adversitas toleranda ad Marcellam, epist.4.
Amico ægroto, epist.6.. De viro perfecto, ep.7.
Amicus instruitur in lege divinâ, epist.8.
Assumptio B. Virginis ad Paulam, & Eustoch. Sophronii esse creditur, epist.10. & 11.
Attributa Deo in scripturis, epist.15.
August., & Alip. Julianæ, epist.2.

C

Cyrillo fidei explicatio, epist.18.
Circumcisio vera ad Therasiam, epist.27.
Concilii Milevitani de Hieronymo ad Innocent., 1. epist. in princ.

D

Damaso explan. Symboli, epist.17.
Damasi symbolum, epist.16.
Dardano de diversis musicorum gener. epist.28.
Demetriadi Virg. de Virg. epist.1.
Deo attributa in Scripturis, epist.15.

Eccle-

E

*Ecclesiæ septem gradus, epist.*13.
*Epiphania Domini, epist.*31.
*Evagrius objurgatur, epist.*22.
*Eustochio de vinculis Petri, epist.*35.
*Eustochio, & Paulæ de Assumpt. Virg. ep.*10.
Explanatio Psalmi 40. *ep.*26., *& Psalmi* 117., *epist.*27.
*Explanatio symboli ad Damasum, epist.*17.
*Explanatio fidei ad Cyrillum, epist.*18.

F

*Fidei explanatio ad Cyrillum epist.*18.
*Filii duo, frugi, & luxuriosus, epist.*4.

G

*Geruntii filiabus de contemnenda hæred. ep.*3.

H

*Hæreditas contemnenda Geruntii fil. ep.*3.

I

*Julianæ Augustinus, & Alip. epist.*2.

L

*Laurentio Episcopo symbolum Ruffini, epist.*19.
*Leprarum diversa genera, epist.*39.
*Levitæ lapso, epist.*23.

M

*Marcellæ de toleranda adversitate, epist.*4.
*Mauritii filiæ de laude Virg. epist.*14.
*Miles seculi hortatur ad militiam Christi, ep.*24.
*Musicorum genera diversa, epist.*28.

N

*Nativitas Domini, epist.*30.

O

*Oceano, & Pammachio hortatoria, epist.*37.

P

*Pammachio, & Oceano hortatoria, epist.*37.
*Parentes honorandi, epist.*12.
*Paschæ celebratio, epist.*20.
Psalmi 40. *explan. ep.*26., *& Psalm.*117. *ep.*27.
*Paulæ, & Eustochio de Assumptione B. Virginis, ep.*10.
*Pœnitens quidam in seculo, epist.*38.
*Præsidio Diacono de Cereo Paschali, ep.*20.

Q

*Quadrages. serm. epist.*32.

R

*Ruffini symbolum, epist.*19.
Rustico Narbon. Episcopo de 7. *gradibus Ecclesiæ, epist.*13.
*Resurrectio Domini, epist.*29. *&* 34.

S

*Symbolum Damasi, epist.*16.
*Symboli explanatio ad Damasum, epist.*17.
*Symbolum Ruffini ad Laurentium, epist.*19.
*Susanna lapsa objurgatur, epist.*22., *vel* 23.

T

*Theruſiæ de vera Circumcisione, epist.*21.
*Tentationes decem populi Israelis, epist.*25.

V

*Vigilia quantùm ad esum agni, epist.*33.
*Vigiliarum observatio, epist.*36.
*Virginitas ad Demetriadem, epist.*1.
*Virginitatis laus, epist.*14.
*Virgini in exilium missæ consol. epist.*5.
*De tribus Virtutibus, epist.*9.

Secunda Series.

A

*Anastasio Urbis Romæ Episcopus Ruffinus pro fide suâ, epist.*43.
Anastasii sententia de Ruffino, ibid.
*Apologia Pamphili, Ruffini, & Eusebii pro Origène, epist.*42.
*Augustinus Hieronymo de ratione animæ, ep.*44., *&* 45. *in illud.* Qui legem impl.
*Augustinus Optato Episcopo Milevitano de orig. animæ, epist.*46.
*Augustin. homil. de Pastoribus, epist.*47.
Augustin., & Hieron. Dialog. de orig. animæ.

D

Dialogus de orig. animæ sub nomine Hieronymi, & Augustini incerto auctore.

E

*Eusebii Apologia pro Origène, epist.*42.

H

Homil. in Evang. Matth. Quis vestrum.
Homil. de Corpore, & Sanguine Christi, incerto Auctore.
*Homil. Augustini de Past. epist.*47.
Hieronymo Augustinus in illud: Qui legem impl. *ep.*44., *& de ratione animæ, ep.*45.

I

*Invectiva Ruffini in Hieron. epist.*43.

M

Monachorùm regula ex lib. Hieron. collecta.
Martini V. regulæ Monach. approbatio, ibid.

O

*Origènis Periarcon, epist.*43.
*Optato Episcopo Milevitano Augustin. de orig. animæ, epist.*46.

P

*Pamphili Apologia pro Origène, epist.*42.
*Paulinus Sebastiano Erem. epist.*41.
*Periarchon Origènis, epist.*43.

R

*Ruffini Apologia pro Origène epist.*43.
Ruffini liber de adulter. lib. Orig. ibid.
Ruffini invectiva in Hieron. ibid.
Ruffinus in Periarch., & Anastasio pro fide suâ, ibidem.

V

*Valerius Ruffino nè ducat uxorem, epist.*48.

Tertia Series.

A

Augustinus ad Cyrillum de magnificentiis S. Hieronymi.
August. Cyrill. de miraculis S. Hieronymi.

C

Catalogus Scriptorum Ecclesiast. ad Desiderium.
*Clericorum vita ad Oceanum, epist.*5.
*Cromatius, & Heliodorus Hieron. epist.*56.
*Cromatio, & Heliodoro Hieronymus, epist.*57.
Cyrillo Augustinus de magnificentiis Hieronymi, & Cyril. Augustin. de miraculis S. Hieronymi in fine tomi 9.

D

*Damasus Hieronymo, epist.*52.
*Damaso Hieronimus, epist.*58.
*Damaso de oblatione Altaris, epist.*55.
*Damaso Eusebius de morte Hieronymi, ep.*59.
Desiderio de Script. Ecclesiast.

E

Euſtochio, & Paulæ de virtute Pſalm. ep.54.
Euſebius de obitu Hieronymi, epiſt.59.

H

Hieronymus Damaſo, epiſt.53.
Hieronymo Cromatius, & Heliodorus, ep.56.
Hieronymus ijſdem, epiſt.57.
Hieronymi magnificentia, miracula, & vita poſt epiſt.59.

M

Monachorum regula poſt epiſt.55.

N

Nativitas B. Virginis, epiſt.58.

O

Oceano de ferendis opprobriis hortatoria ep.50.
Oceano de vita Clericorum, epiſt.51.

P

Paulæ, & Euſtochio de virt. Pſalm. epiſt.54.

R

Regula Monachorum poſt epiſt.55.

S

Scriptorum Eccleſiaſt. Catalogus poſt epiſt.53.

T

Tyraſio epiſt. conſol.49.

V

Vita Clericorum, epiſt.51.
Vita Hieronymi in fine tom.9.

DE LIBRIS,

Qui Hieronymi eſſe non cenſentur, judicium.

NIcolaus Lyranus, *Commentarios in tres libros Regum, & in duos Paralipom.* Hieronymi non eſſe ait: ſed eorum Auctorem fuiſſe Neophytum quemdam Judæum ob nonnulla ex hebraicis fabulis deſumpta, & in iiſdem Commentariis conſcripta.

In Job Commentarii cenſentur eſſe Bedæ, cùm in gratiam Vecterii Epiſcopi Anglicani, cujus temporibus, Beda Monachus in quodam Monaſterio Anglicano vitam degebat, dicti Commentarii ſint conſcripti, ut in calce eorumdem Commentariorum apparet.

In Pſalterium, vel in aliquot Pſalmos Commentarii Hieronymi eſſe non judicantur ob ineptias ſermonis, & ſoleciſmos in iis ſcatentes, & ob nonnulla, quæ Hieronymi doctrinæ adverſantur. Alii verò eoſdem Commentarios Hieronymi eſſe volunt, ſed ab incerto impoſtore neniis, nugiſque fuiſſe contaminatos.

In Proverbia Salomonis Commentarii Hieronymi eſſe negantur, tùm ob ſententiarum, & ſermonis diſſimilitudinem; tùm quòd in cap.6., & 24. citatur non ſolùm Auguſtinus, ſed etiàm cap.21. cap.30. ipſemet Hieronymus citatur, & Trittemius hos Commentarios Bedæ tribuit.

In Threnos Commentarii ob græcæ, & hebraicæ intelligentiæ carentiam Hieronymi eſſe non cenſentur, ſed ex variis diverſorum Auctorum dictis, & ex Gregorii potiſſimùm ſententiis videntur eſſe collecti, & coacervati, & Rabani eſſe judicantur.

In Marcum Commentarii, tùm ob ſtylum, & ob græcæ, & hebraicę intelligentię carentiam Hieronymi eſſe non judicantur; tùm quòd inibi inſeruntur verſus aliquot de figura Crucis, mutilatùm deſumpti ex quarto libro Sedulii, quem Hieronymo poſteriorem multis annis fuiſſe conſtat. Cap.15.

In Acta Apoſtolorum Adnotationes ex Hieronymo videntur collectæ, in quarum fine citatur nomen Hieronymi, & libellus *de nominum interpretatione*, qui etiàm inter opera Bedæ extat, & hujus etiàm collectoris judicantur eſſe adnotationes.

In Epiſtolas Pauli Commentarii, ob ſtyli diverſitatem, & dogmatum diſcrimen, Hieronymi eſſe nullo modo judicantur, & præſertim ob dictum, quod in explanatione ſeptimi cap. epiſt. ad Romanos apparet; illud enìm apertè favet Pelagio, cujus quidèm Hieronymus fuit hoſtis acerrimus. Cap.7.

Dicto autem in loco leguntur hæc verba; *Inſaniunt, qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos venire peccatum*. Quæ ſententia Pelagiana eſt.

De Filio Prodigo Tractatus Hieronymi eſſe non creditur, quià de hujus parabolæ expoſitione tractatum alterum alio explanationis ſenſu ad Damaſum ſcripſit. Ille verò inter opera Chryſoſtomi excudi ſolet.

DE ALIIS EPISTOLIS

Hieronymo falsò adſcriptis.

QUæ ſequuntur Epiſtolæ ex vetuſtioribus Typis Tomo quarto inſeruntur, ex recentioribus autem Tomo nono, & à Hieronymi ſtylo, & phraſi omninò diſſidentes, quarum multæ doctæ quidèm, ut infrà dicetur, nonnullæ verò non itèm. Sunt, quia aliquas Paulini Nolani Epiſcopi, aliquas Maximi, alias maximi Auguſtini Præſulis Taurinenſis, alias verò Tertulliani ſtylum redolere affirment:

Paulini cenſentur eſſe epiſt.4. ad Marcellam, epiſt.5. ad Virginem, epiſt.23. ad Levitam lapſum, vel epiſt.24.

Maximi cenſetur eſſe epiſt. 7. Amico ægroto; in ea enìm fit mentio de Sancto Ambroſio, & de inventione Sanctorum corporum Gervaſii, & Protaſii, quæ à Sancto Ambroſio inventa fuerunt. Epiſt.20. Theraraſiæ Thetrantiæ, vel Terentiæ de vera Circumciſione.

Auguſtini cenſentur eſſe, ſtylo ſuadente, epiſt.21. vel 22. ſecundùm alias editiones de celebratione Paſchæ, epiſt. 22. vel 23. ad Suſannam, & docta quidèm, & erudita epiſtola eſt, quæ inter epiſtolas Auguſtini apponi ſolet. Sunt tamèn qui ob periodos Auguſtini eam non eſſe dicant.

Tertulliani cenſetur eſſe epiſt.6. ob ſtylum; & ſcribitur amico ægroto.

Sophronii cenſetur eſſe epiſt.10. ad Paulam, & Euſtochium de Aſſumptione Beatæ Virginis. Hic Sophronius fuit Hieronymi amicus, qui Catalogum de Scriptoribus Eccleſiaſticis græcum reddidit.

Epistola prima ad Demetriadem doctissima profecto habetur; sed nimium libero arbitrio tribuere videtur, etiàm sinè Dei gratiâ, & Pelagiani alicujus hominis esse creditur. Hinc jure ab Augustino, & Alipio insequenti epistola, quæ est 2. ad Julianam Demetriadis virginis matrem redarguitur. Et exemplaria quædam Celestii Pelagiani nomine præseferre nonnulli ajunt.

Epistola Eusebii ad Damasum de Hieronymi obitu falsis nominibus circumferre videtur, ut ait Sanctus Antoninus, cùm Damasus longè antè Hieronymum obierit.

Epistolæ de magnificentiis, & miraculis Hieronymi falsis etiàm nominibus Augustini, & Cyrilli circumferre videntur, salvo tamèn in his, & omnibus aliis in rebus à me pronunciatis meliori judicio, cui me submitto semper.

Hieronymus Stridone in Dalmatia natus est, & Romæ baptizatus in liberalibus disciplinis à Donato, & ab aliis doctissimis viris eruditus. In Græcia Philosophia, & eloquentia instructus, & in Gallia divinis literis operam dedit, summorum Theologorum consuetudine floruit, & in his usus est Didymo, & præsèrtim Gregorio Nazianzeno Constantinopoli præceptore, quo Doctore se sacras literas didicisse fatetur. Hunc Hieronymum propter singularem ejus doctrinam, latinam linguam, & græcæ, hebraicæ, & chaldaicæ peritiàm Damasus Pontifex, & Sanctus Augustinus de locis Sacræ Scripturæ difficillimis sæpè consuluerunt. Hic etiàm Damasi jussu ex hebræo vetus Testamentum, & Novum ex græco convertit; & latina Biblia in linguam Illiricam transtulit. Multa prætereà, ut visum est, Doctorum scripta latinè reddidit, & multa suo ingenio scripsit. Origènem præcipuè inter cæteros Græcos expositores imitatus est, non ut dogmatistam, sed tamquàm interpretem, ex cujus voluminibus multa in suos libros transfudit. Hinc ab æmulis *Compilator Origènis* appellatus; multis in locis sese excusavit, præsèrtim verò in præfatione secundi Commentarii in Michæam, ubi ex Terentianis versibus centonem pro sua defensione aptavit, concludens: Græcorum benedicta transferre, si crimen sit, non solùm Ennium, Maronem, Plautum, Cæcilium, Terentium, & Tullium culpandos esse, verùmetiàm Hilarium furti reum esse ait, qui in Psalmos 40. tot versus Origènis ad sensum vertit; Quorum omnium diligentiam æmulari potiùs optat, quàm aliorum obscuram negligentiam.

Hieronymi stylus varius est, juxtà diversitatem rerum, ac personarum, ad quas scribebat, sicùt de Augustini libris dictum est; Utitur autèm ubiquè dictione succintâ, simplici, & apertâ, verbisquè, ut ipse ait, è trivio desumptis, ut per eum lector divinæ Scripturæ verba intelligat; & hanc solam laudem sibi esse testatur, cujus rei rationem reddens in quæstionibus ad Damasum Papam hunc in modum scribit; *De Scripturis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est rivulus; nec aures Quintiliani floseulis, & scholari declamationem mulcendæ; pedestris, & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat. Sint alii diserti, laudentur, ut volunt, & inflatis buccis spumantia verba trutinent. Mihi sufficit sic loqui, ut intelligar, & de Scripturis loquens, & disputans Scripturarum imiter simplicitatem.* Hæc Hieronymus, qui postremò sanctitate, & miraculis illustris fuit. Moritur autèm anno Domini 422., ætatis verò suæ 91. Pridiè Kalend. Octobris sub Bonifacio Primo.

SANCTI HIERONYMI

Regulæ scripturales.

ANtequàm, sivè priusquàm, sivè antè, licèt consequentiam indicent, tamen nonnumquàm ea, quæ cogitabantur, ostendùt.

Exemplum est in Matthæo dicente de Joseph, & Mariâ semper Virgine; Antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. *Mater enim Domini quàmvis Joseph fuerit desponsata, cognita tamèn ab eo non fuit unquàm. Ex Hieronymo adversùs Helvidium, tom. 2.* Cap. 3.

Hieronymus loco citato deridet Helvidium asserentem contrarium ob falsam intelligentiam dicti loci Matthæi, & post multa alia retorquet rationem Helvidii contrà eundem dicens; Helvidius antequàm pœnitentiam ageret, morte præventus est; ergò aliquandò pœnitentiam egit, non est dicendum, quià post mortem non datur pœnitentia, cùm Scriptura dicat: In inferno quis confitebitur tibi? Hæc igitùr dictio: *Antequàm*, non semper consequentiam significat, sicùt nec hoc loco; Antequàm in portu prandierem, ad Africam navigavi; sententia enim stare potest, etiamsi numquàm in portu prandium sumpserim. *Hæc ex eodem.*

2. Cùm plures numeri ponuntur, consuevit Sacra Scriptura, maximè vetus Testamentum minorem præponere, & sic ad majorem gradàtim conscendit. Hoc est.

Hic fuit annorum quinque, & septuaginta, & centum; nec tamèn quinque, & septuaginta plura possunt esse, quàm centum. Ità etiàm in Matth. Dabit fructum, unum trigesimum, unum sexagesimum, & unum centesimum. *Ex lib. 2. contrà Jovinianum, tom. 2.* Cap. 13.

3. Hanc habet consuetudinem sermo divinus, ut per tropologiam, & metaphoram historiæ exprimat veritatem, & mendacia ibi non sunt. Ex cap. 10. in Oseam tom. 5.

Cùm Christus, Petra, Leo, *aut* Vitis *dicitur per similitudinem, non per proprietatem. Augustinus etiàm, & Beda hujusmodi tropos omnes in Scriptura Sacra ponunt, & exemplis exornant. Vide suprà pag. 10.*

4. Tropologia libera est, & his tantùm legibus circumscripta, ut pietatem sequatur, intelligentiæ, sermonisque contextum, neç

in

in rebus multùm intèr se contrariis violentèr sit copulanda. Nequè enìm eadem est historiæ lex, & tropologiæ. Ex com. in 1. cap. Abacuc.

Galat.4. Eph.5. Gen.1. *Agar, & Sara ad duo Testamenta referuntur ab Apostolo; non tamèn omnia, quæ in illa historia referuntur, tropologicè interpretari possumus. Itèm de Adam, & Eva idem Apostolus disputans, ait:* Proptèr hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhęrebit uxori suę; & erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum est: Ego autèm dico in Christo, & Ecclesiâ. *Nec ob id totum principium Geneseos, & fabrica mundi, & hominum creatio ad Christum, & Ecclesiam referri possunt. Quod enìm scriptum est:* Relinquet homo patrem suum, *si referamus ad Christum, dicendum erit, eum in Cœlis patrem reliquisse Deum, ut gentium populus jungeretur Ecclesiæ. Hoc itèm, quod sequitur:* Relinquet matrem suam, *quomodò possumus interpretari de Christo, nisi fortè dicamus reliquisse eam cœlestem Jerusalem, quæ est mater Sanctorum, & cætera multò his difficiliora? Illud etiàm, quod ab eodem Apostolo dicitur:* Bibebant autèm de spirituali consequente eos petra; Petra autèm erat Christus, *nequaquàm nos arctat, ut omnem Exodi librum ad Christum referamus. Quid enìm possumus dicere, quòd hæc petra à Moyse percussa sit non semèl, sed bis; Quòd aquæ fluxerint, & torrentes repleti sint. Ex eodem Hieron. in cap. 1. Jonæ.*

Cap.5. *Illud Ephesios Anselmus exponens, ait:* Homo iste Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus significabatur, qui reliquit patrem, quandò semetipsum exinanivit formam servi accipiens; non quià deseruit, & recessit à Patre; sed quià non in ea formâ apparuit hominibus, in qua æqualis est Patri. Reliquit matrem, idèst, Synagogam Judæorum, de qua secundùm carnem natus erat; & adhæsit uxori suæ, idèst sociavit, & conjunxit se electorum Ecclesiæ; & ipsi duo, idèst, Christus, & Ecclesia sunt in carne unâ; quià carnem, quam ille de Virgine sumpsit, quotidiè in Missarum celebrationibus sumit Ecclesia. *Hæc ex Anselmo ubi suprà. Cætera tamèn omnia Geneseos, ut dictum est, ad Christum, & Ecclesiam referri non queunt, quàmvis tota Scriptura Sacra Christum respiciat.*

5. Sacræ Scripturæ Interpretes nonnunquam per prolepsim, ideſt, per anticipationem loca quædam aliis nominibus vocant quàm in sacris Literis habeantur. Hieron. multis in locis.

Cap.30. *Exemplum est, Alexandria civitas, de qua Ezechiel:* Faciam judicia in Alexandria, *quæ tunc,* No, *dicebatur, postea verò* Alexandria *dicta est. Hæc anticipatio græcè* Prolepsis *dicitur juxtà illud Virgilianum:*

Lavinaque venit littora.

Non quòd eo tempore, quo Æneas venit in Latium, littora illa dicerentur Lavina, *sed per prolepsim, hoc est,* Anticipationem, *quæ postea* Lavina *appellata sunt. Ex Hieronym. in cap. 30. Ezechielis.*

6. Multa in Scripturis Sanctis dicuntur juxtà opinionem temporis, quo gesta referuntur, & non juxtà id, quod veritas continebat.

Cap.22. *Ananias in Hieremia dicitur Propheta, non qui esset, sed qui crederetur. Et Joseph in Evangelio Pater Domini vocatur. Et Maria semper Virgo, quæ de Spiritu Sancto concepit, dixit ad Filium:* Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. *Herodes etiàm contristatus dicitur; sed tristitia erat dissimulata, proptèr convivas, cùm ipse lætitiam haberet in mente. Ex Com. in cap. 28. Hierem., & in cap. 14. Matth.*

7. Scriptura Sacra hanc habet consuetudinem, ut omnes Reges veteris Testamenti mortuos referat, & sepultos, præter Joakim Josiæ filium tom. 3.

4. Reg. 25. Cap.21. *Joakim Josiæ filius interfectus Latrunculis Chaldæorum proptèr suam ipsius impietatem insepultus narratur; sed à Hieremia ipsum sepultura asini sepeliendum pulchrè ait, hoc est,* insepultum à bestiis, avibusque lacerandum.

8. Secundum Hebræorum idioma infans vocatur omnis filius ad comparationem parentum. Ex quæstionibus in Genesim. tom. 4.

Gen. 2. *Exemplum dari potest de Ismaele, qui cùm esset decem, & octo annis major, quandò de domo Abrahæ cum matre Agar fuit ejectus* Puer, *seù* Infans *appellatur. Ex eodem Hieron.*

9. Auditus, & auribus percipere non est iste qui ad aures sonat: sed qui corde percipitur Hieron. in 2. cap. Joel.

Gen.4. *Ubicumque hæc duo verba ponuntur, non ad simplicem verborum sonum, sed ad reconditam quoque dictorum intelligentiam pertinere intelligendum est. Hìnc in Genesi:* Audite verba mea uxores Lamech; auribus percipite sermones meos. *Et Isaìas:* Audite cæli, & auribus percipe terram. *Ex Hieron. ubi suprà.*

10. Donèc, vel, usquè, duplicitèr intelligitur in Sacris Literis: Sæpè enìm ex idiomate Sacræ Scripturæ certum tempus in ejus assumptione significat; & sæpè infinitum. Hieron. adversùs Elvidium tom. 2.

Psalm. 103. Isa.49. Matth.28. *De hac dictione;* Donec, *tempus certum significante, ubique occurrunt exempla. Quòd autèm tempus infinitum significet, multæ reperiuntur auctoritates Scripturæ Sacræ, quæ tempus infinitum demonstrant, ut:* Sede à dextris meis, donèc ponam inimicos tuos. *Et;* Ego sum, ego sum, donèc senescatis. *Et;* Ecce ego vobiscum sum, usquè ad consummationem seculi. *Multa in hunc sensum loca reperiuntur in Sacrâ Scripturâ. Ex Hieron. ubi suprà.*

11. Mos est Sacrarum Literarum, ut primogenitum non vocent eum, quem fratres sequuntur; sed eum, qui primò natus sit. Ex Hieron. adversùs Helvidium, & in 1. cap. Matth.

Hìnc omnis unigenitus est primogenitus, non autèm omnis primogenitus est unigenitus. Ex eodem Hieron. qui loco citato hanc observationem exemplis, & rationibus declarat, & confirmat.

12. Sponsi in Sacris Literis dicuntur *Viri*, & sponsæ *Uxores*, etiamsì non concubuerint. Ex Hieronymo in cap. 1. Matth. tom. 6.

Exemplum dari potest de Beatâ Mariâ semper Virgine; quæ apud Matth. Vxor *appellatur. Hæc, & multa alia Hieron. ubi suprà.*

Cap. 1.

Hinc colligitur, quòd non concubitus, sed mutuus consensus matrimonium facit, teste Augustino in homil. super Matth.

13. Filius hominis, in singulari dumtaxàt numero; in bonam partem accipitur: Filii hominum, in malam, in Sanctis Literis accipi solet. Ex Hieron. in cap. 30. Ezechielis to. 4.

Exempla de prima acceptione reperire licet in Daniele, & in Evangelio. De secunda in Psalmis, ut; Filii hominum usquequò gravi corde. *Et*: Filii hominum dentes eorum arma, &c.

Psalm. 4.

Psalm. 56.

14. Spiritus tàm in novo, quàm in veteri Testamento, ubicumque sinè additamento ponitur in bonam partem intelligitur. E contrario malus spiritus semper cum additamento legitur. Ex Hieron. in cap. 2. Micheæ tom. 5.

De primo; Fructus, spiritus, charitas, &c. *Et*; Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. *De secundo*; Spiritus immundus. Spiritus malus invasit in Saul. *Et id genus alia. Ex eodem Hieronymo.*

Galat. 5., & 6.

Luc. 11.

1. Reg. 10.

15. Hanc habet Sacra Scriptura consuetudinem, ut unumquemque vaticinationis suæ, & sermonis prophetam nuncupet. Ex Hieron. in cap. 13. Ezechielis.

Appellantur prophetæ Baal, & prophetæ Idolorum, & prophetæ confusionis. Hinc Apostolus poetam Græcum prophetam appellat, inquiens: Dixit quidam proprius eorum propheta; Cretenses semper mendaces. *Et in Osea*: Propheta insaniens, homo portans spiritum.

2. Tit. 1.

16. Apostoli, & Evangelistæ ubicumque de veteri Testamento ponunt testimonia, si inter Hebraicum, & Septuaginta nulla sit diversitas, vel suis, vel Septuaginta verbis uti solent. Si autèm aliter in Hebraico, aliter in veteri editione sensus est, Hebraicum magis, quàm Septuaginta Interpretes sequuntur. Hieron. in proemio Comment. 15. in Isaiam tom. 4.

Hoc latè ostendit Hieronymus multis in locis. Sed videre licet suprà pag. 9. de novo Testamento.

17. Apostoli, & Evangelistæ aliquandò veteris Testamenti adducunt testimonia, ut sensum non verba citent. Et tamèn sermonum varietas spiritus unitate concordat, quàmvis nec cum Septuaginta, nequè cum Hebræis verba conveniant. Hieronym. ad Pammachium de optimo genere interpretandi tom. 2. epist. 101.

Hujus observationis explanationem suprà videre licet pag. 9. de novo Testamento.

18. Si verbis dissentiant, quæ ab Apostolis citantur ex veteri Testamento non confugiendum ad apocrypha, sed sciamus veteris Testamenti esse, quæ ab Apostolis citantur. Hieron. in cap. 5. ad Ephesios tom. 6.

Has tres ultimas observationes scripturales, vide suprà in pag. 9. de novo Testamento, ubi earum declarationes ponuntur.

SANCTI GREGORII MAGNI

Opera omnia ordine alphabetico disposita, argumentis, aliisque rebus illustrata, & in sex Tomos distincta.

A

Antiph. tom. ultimo.

C

Cantica Canticorum tom. 2.

D

Decreta tom. 5.
Dialogi tom. 4.

E

Epistolæ, sivè Registrum tom. 5.
Elogia in Sanctum Gregorium tom. 1.

H

Homil. in Ezechiel. tom. 2.
Homil. in Evangel. tom. 3.
Hymni varii tom. ultimo.

I

Index rerum notabilium, & locorum Sacræ Scripturæ tom. 6.

M

Moralia tom. 2.

P

Pastorale tom. 4.
Paterius in libr. S. Gregorij tom. 6.
Psalmi pœnitentiales tom. 2.

R

Regum libri tom. 1.
Registrum, sivè Epistolæ tom. 5.

S

Sacrament. tom. ultimo.

V

Vita Sancti Gregorij tom. 1.

OPERA EX SANCTI GREGORII

Editionibus vetustioribus in duos Tomos distincta.

C

Antica Canticorum tom. 2.

D

Dialogorum libri quatuor tom. 1.
Decreta tom. 2.

E

Epistolæ tom. 2.

H

Homilia in Ezech., & in Evang. tom. 2.

I

Index rerum notabilium, & locorum Sacræ Scripturæ tom. 1.

M

Moralia tom. 1.
Moralium libri inventi miraculosè tom. 1.

P

Pastorale tom. 1.
Psalmi pœnitentiales tom. 2.

R

Registrum, sivè Epist. tom. 2.
Regum libri tom. 2.

V

Vita Sancti Gregorij tom. 1.

EPI-

EPISTOLÆ SANCTI GREGORII

Ordine alphabetico dispositæ, & Tomo quinto comprehensæ.

Lib. I. Indict. IX.

A

Anastasio Episcopo Antiocheno, cui dicit ab Imperatore se reditum eius postulasse, ep.7.

Anastasio Episcopo Corinthiensi conqueritur de onere pastorali, & hortatur, ut succurrat portitori præsenti, epist.26.

Anastasio Patriarchæ Antiocheno, scribit epistol. de onere pastorali sibi nupèr impositio, epist.24.

Eidem conqueritur de onere pastorali, ep.28.

Anthemio Subdiacono, Ancillas Dei, Paulinum Presbyterum, & alios commendat, ep.23.

Anthemio Subdiacono, ut dominæ Paterichiæ, & Vivianæ necessaria subministret, ep.37.

Anthemio Subdiacono de monachis circumquàque vagantibus, epist.40.

Anthemio Subdiacono, quòd mulieres circà monasteria monachorum non maneant, ep.48.

Anthemio Subdiacono scribit de oppressione Gaudiosi, epist. 53.

Anthemio Subdiacono pastorem quemdam infirmum commendat, epist.65.

Eidem castigationem injungit illorum, qui sacra vasa Judæis vendiderunt, epist.66.

Anthemio Subdiacono Palatinam illustrem feminam commendat, ep.57.

Anthemio Subdiacono scribit domum Petronij injustè titulatam, ep.63.

Andreæ de Dibiria transmittit clavem à corpore Sancti Petri, epist.24.

Aristobolo de expositione epistolarum suarum, epist.28.

B

Baccandæ Episcopo Formiensi Menturiensem Ecclesiam desolatam Formiensi conjungit, ep.8.

Balbino Episcopo Rosellano Populonensem Ecclesiam commendat, epist.15.

C

Clementiæ patriciæ consolatoriam epistolam facit de morte Eutherii Episcopi, ep.11.

Corsicæ Nobilibus, & Clero de Martino Episcopo eis de aliâ Ecclesiâ ordinando, ep.79.

D

Demetrio Episcopo Neap. præcipit hæreticos in communionem suscipere, ep.14.

Dominico Episcopo Centumcellensi commendat Luminosam viduam Zemarchi. ep.13.

E

Episcopis per Siciliam constitutis, ut semèl in anno in unum conveniant, ep.1.

Episcopis Italiæ scribit, ut filios Longobardorum in hæresi Arianâ baptizatos, ad Fidem Catholicam concilient, ep.17.

Episcopis universis Illyric. de Episcopis ab hostibus expulsis suscipiendis, ep.43.

Episcopis universis per Siciliam, ut hi caveant de his, qui fallacitèr angarias accipiunt, ep.68.

Episcopis universis Numidiæ, ut nullum ex Donatistis ordinent, ep.75.

Eulogio Alexandrino scribit epist. de onere sibi nupèr impositio, ep.24.

Exarcho Italiæ scribit de Blando Episcopo restituendo, ep.31.

F

Maximo Episcopo Salonitano, de scriptis ejus sinè subscriptione non suscipiendis, ep.13.
Messenato Episcopo, epist.31.
Eidem, de negligentia Episcoporum Campaniæ, ep.33.

P

Panhormitanis Civibus, de eligendo Episcopo, epist.17.
Panthaleoni Notario, de mensura rusticorum injustâ, ep.39.
Paschali, & Consolantiæ, de spe ad æternam Patriam tendendâ, epist.23.
Paschasio Episcopo Neapol. de Judæis non apprimendis, ep.15.
Passivo Episcopo Firmano, de Reliquijs S. Savini, & Oratorio, ep.18.
Paulo Scholastico, de ultione ejus in maleficos, epist.56.
Philippo Presbytero, de obita Andreæ Presbyteri epist.26.
Phocæ Augusto, de revelatione afflictionis Reipublicæ, ep.36.
Eidem, de Responsalibus Apostolicis, ep.43.

R

Romanis Civibus, quòd si necesse fuerit, corpus die Dominico lavare possint, & de Sabbato non custodiendo, ep.3.
Rusticianæ Patriciæ, de quodam Beatoro plurima injustè faciente, ep.24.

Savino Subdiacono Regionario, de negligentia Palumbi Episcopi, ep.27.
Eidem, de absentia Palumbi Episc. ep.28.
Smaragdo Patritio, de violentia Severi contrà Firminum Episc. ep.38.
Senatori Presbytero, & Abbati, de Xenodochio, & privilegio ejus, ep.10.

T

Theodoro Curatori, de Petro viro magnifico, epist. 55.
Theodorico Regi, de pace in Republica faciendâ, epist.9.
Thessaliæ Abbatissæ, de Monasterio S. Mariæ, & privilegio ejus, ep.11.

V

Venantio Episc. Patricio, de persona Urbici Abbatis, ep.14.
Vitali Defensori, de Consiliariis excommunicatis Januarij Episc. ep.51.
Eidem, de Xenodochio neglecto, & Ecclesiis vacantibus, ep.57.

LIB. XII.

A

ANthemio Subdiacono, de malis, quæ patiebatur Romana Civitas, ep.28.
Aleyssono Episc. Corcyræ, de Cassiopi Castro injustè pervaso, ep.2.
Eidem, de corpore S. Donati in Cassiopi Castro, epist.8.
Asclepiodoto Patricio, Patrimonium Ecclesiæ commendat, ep.17.
Augustino Episc. Anglorum, de usu pallij, & Eboracensi Ecclesia, ep.15.
Augustini Canthuariensis Angliæ Archiepisc. ad Beatissimum Gregorium Papam interrogationes undecim.

B

Bacandæ, & Agnello Episc. de Synagoga Judæorum, ep.18.
Bonifacio Diacono Constantinopol. de pervasione Castri Cassiopi, epist.3.

C

Conductoribus massarum per Galliam, quòd eos Arigio Patricio commendavit, epist.12.
Cypriano Diacono, de persequendis maleficijs, epist.13.

D

Decreta S. Gregorij, tempore Mauricij, Tiberij, Theodosij Augustorum.
Desiderio Episc. Galliæ, de milite, qui ancillam Dei de Monasterio rapuit, epist.5.

E

Episcopis omnibus, de Rainaldo Abbate S. Medardi Monasterij Suessionensis, & de privilegio ejusdem, epist.32.
Episcopis omnibus Neapol. de obedientia Constantio exhibendâ, epist.24.

F

Felici Episcopo Siciliæ, de tribus Capitulis, & de Episc. non detrahendis, ep.31.
Felici Subdiacono, de redditibus Ecclesiæ S. Pauli concessis, ep.9.
Felici Episcopo Messan. de construenda Ecclesiâ, epist.10.

H

Honorato Diacono, de Venantio honorando, epist.27.

I

Joan. Episc. de Ecclesia S. Mariæ consecrandâ, epist.4.
Eidem, de eligendo Episcopo Anconitanæ Ecclesiæ, ep.6.
Joan. Abbati de Monte Syna, petit pro se orare, epist. 16.
Juliano Scribonij de Maximi inquisitione, epist.11.
Juvino Episcopo Cathan. de societate legendi, epist.25.

M

Mariniano Episc. Raven. de Fortunato Abbate injustè depositio, ep.1.
Mauricio, & Vitaliano magistris militum, de Arnulpho, ep.22.
Eisdem, de fide Suanensium, ep.23.
Maximiano Episc. de Eusebio Abbate refovendo, epist. 26.

P

Petro Subdiacono Siciliæ, de diversis causis, epist. 30.

R

Romano Defensori, de necessitatibus Annonæ in Urbe, ep.29.

S

Sabino Subdiacono, de horto Feliciani Monasterio ancillarum tradendo, ep.19.
Stephano Chartulario, de Monachis fugitivis restituendis, ep.20.

T

Theodolindæ Reginæ, de scriptis Secundini, epist.7.

V

Velocî magistro militum, de persecutione Arnulphi, ep.21.

Finis Epistolarum.

Hoc loco animadvertendum est, ordinem Epist. Edit. Vat. interdùm huic non respondere.

SANCTI GREGORII

Regulæ Scripturales.

1. OMne, quod dicitur in Sacris Literis, quadripartitâ potest qualitate distingui. Aùt enim mala malè, aùt bona benè, aùt mala benè, aùt bona malè dicuntur.

Malum malè dicitur, ut: Benedic Deo, & morere; *res enim perversa laudatur. Malum benè dicitur, ut*: Fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum, qui est contrà naturam, *inhonesta enim, & execranda honestè narrantur, ut reprobentur. Bonum benè, ut*: Pœnitentiam agite; appropinquabit enim Regnum Dei; *nàm recta rectè prædicantur. Bonum malè, ut*: Tu sis Discipulus ejus; *nàm rectum hoc loco non rectè dicitur cæco à Judæis,* Job 2. Rom. Matth.3. Joan.9.

sed

sed studio maledictionis, sicùt etiàm per Caipham dicitur bonum, sed non benè hunc in modum: Expedit unum mori pro populo, ut non tota gens pereat; *nàm crudelitatem necis appetiit, dùm gratiam Redemptionis prophetavit. Ex lib.*23. *Moral. cap.*3. *tom.*2. Joan. 11. & 18.

2. Corporalium rerum modò Deus loquitur, ut ad excellentiam Divinarum rerum per corporalia homines attollat.

Incorporali Deo corporalia interdùm tribuuntur in Scriptura Sacra, ut naturæ humanæ sensus ad fidei scientiam erudiatur, & per nostrorum corporum membra operationes Dei nobis innotescant: Hìnc per manum, operatio; per oculum, universitatis cognitio; per cor, voluntas; per scapulas, tolerantia, *significantur*. Per uterum, *ex quo Deus incorporeus* Filium suum se genuisse *dixit*; *Generatio æterna non ex nihilo, sed ex se esse dignoscitur*. Per pupillam oculi, & per alas, protectio designatur. *Dei memoria nec oblivione rumpitur, nec recordatione sarcitur. Dicitur tamèn* Deus oblivisci nostri, cum aliqua deserit nostra, & prætermittit; recordari verò, cùm visitat, quæ vult, *longum post tempus, à mentibus humanis similitudines trahens. Ex Homil.*11. *in Evang. Matth.*13. *Et lib.*32. *Moral. cap.*4. *&* 5.

3. Mos Sacri eloquii est, ut à plurali numero ad singularem subitò transeat.

Hujus regulæ exemplum desumi potest ex Job, ubi Heliu cùm dixisset: Clamabunt, & ejulabunt, *posteà subdit*: Non dixit, ubi est Deus, qui fecit me, &c.. *Ex lib.*26. *Moral. cap.*10.

4. Consuevit Scriptura aliquandò totum pro parte, aut partem pro toto ponere.

Hujus regulæ exempla sunt multa; *Gregorius tamèn ponit illud Joannis*: Tulerunt Dominum meum, *cùm corpus tantùm ibi intelligatur. Et illud Geneseos*: Intravit Jacob in Ægyptum cum animabus septuaginta. *Hoc enim loco fit mentio de animabus tantùm, cùm etiam corpora intelligantur. Ex lib.*3. *Moral. cap.*9.

5. Mos Sacri eloquii est, ut res semèl dicta pro confirmatione replicetur.

Hujus Regulæ exemplum est illud Job: Usquè huc venies, & non procedes ampliùs, & hìc confringes tumentes fluctus tuos. *In multis hisce verbis quasi per exaggerationem, & amplificationem ostenditur, mari terminum positum*, nè transiret fines suos. *Ex lib.*28. *Moral. cap.*16.

6. Intellectus Sacri eloquii intèr Textum, & mysterium tantâ est liberatione pensandus, ut utriusque pars lance moderatâ, hunc nequè nimiæ discussionis pondus deprimat, nequè rursùs torpor incuriæ vacuum relinquat.

Exemplum hujus rei amplissimum est illud, quod in Genesi legitur de Jacob, qui virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis decorticavìt, & posuit in canalibus antè gregum oculos; *Id quod de Scripturâ Sacrâ exponi potest, cujus interdùm cortex ex parte detrahitur, & ex parte relinquitur. Ex lib.* 21. *Moral. cap.*1.

7. Sacra eloquia in exordiis narrationum qualitates exprimunt, terminosque causarum, 2. Moral. cap.2.

8. Aliquandò res gesta in facto culpa est; in scripto autèm prophetia virtutis, aut è contrario in Sacris Literis, 3. Moral. cap.21.

9. Sacra Scriptura plerumque de virtutibus, & vitiis sic agit, ut, dum loquendo aliud insinuat, aliud tacendo innotescat, 1. Moral. cap.5. & 6.

10. Scriptura Sacra ex his, quæ tenuitèr præmittit, divina reverentèr expectanda indicat, quæ subjungit, 4. Moral. cap.4.

11. Sacra Scriptura in superioribus suis partibus solet breviter longè post secutura perstringere, cùm studet ad alia enuncianda properare. Præfat. Moral. cap.1.

12. Scriptura Sacra omnibus respondet. 23. Moral. cap.17. 19.

Eloquium tale est, ut cunctorum quæstionibus satisfaciat, singulorum cordibus, vocibus privatis, non respondens.

13. Mos est Divinarum Literarum, ut, cùm aliquid narrant, interpositâ alterius causæ sententiâ, ad superiora protinùs redeant. 5. Moral. cap.29.

14. Divina eloquia tantò quisque altiùs intelligit, quantò altiùs in eis intendit. Homil.7. in Ezechiel.

15. Mos est Sacri eloquii, ut ipsi, qui scribunt, sic de se in illo quasi de aliis loquantur. Præfat. in Job cap.2.

Moyses de se ait: Erat Moyses mitissimus. *Joannes de se*: Hic est Discipulus ille. *Lucas itèm de se ait*: Cleophas, & alius. 1. *Lucas*, *Num.*22., *Joan.*19., *Luc.*24.

16. Scripturæ Sacræ liber intùs scriptus est per allegoriam, foris per historiam. Homil.9. in Ezechiel.

17. Deus in Sacrâ Scripturâ aliquandò nuncupativè, aliquandò essentialitèr dicitur. Homil.8. in Ezechiel.

Nuncupativè: Diis non detrahes. 1. *Sacerdotibus*: Constitui te Deum Pharaonis. 1. *Judicum*: Deus stetit in Synagoga Deorum. *Essentialitèr*: Deus Abraham, &c. *Gen.*6., *Exod.*22., *Psal.*81., *Exod.*3.

18. Sententia cum finè addito dicitur in Sacris Literis, sempèr bona intelligitur. 25. Moral. cap.2.

19. Prophetæ dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu proferunt, & se hæc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur. Homil.1. in Ezech.

20. Prophetæ veri à falsis differunt, quià veri siquid de suo spiritu dicunt, per spiritum edocti, citiùs illud corrigunt; falsi autèm & falsa denunciant, & in sua falsitate perdurant. Homil.1. in Ezech.

21. Intèr cætera prophetiæ miracula, hoc quoque mirandum habent libri Prophetarum, quòd sicùt in eis verbis res, ità nonnunquàm verba rebus exponuntur, ut eorum non solùm dicta, sed etiam res gestæ prophetia sit. 22. Moral. cap.21., & Homil.11. in Ezech.

22. Consuetudo prophetiæ est nùnc ista, nùnc illa conspicere, & ab aliis in aliud

subitò

subitò verba derivare. Homil. 7. in Ezechiel.

Exempla multa sunt, & ferè innumera, ideò sunt silentio prætermittenda, & unum tantùm adducam, quod est illud Psalmi septimi: Deus Judex justus, &c., *deindè ait*: Nisi convertimini. *Ubi Propheta narrat Dei justitiam, & statìm intulit culpam peccatorum.*

23. Prophetiæ tempora tria sunt, scilicèt præsens, præteritum, & futurum. Quoniàm præsens, & præteritum prophetiæ etymologiam perdunt. Ipsa autèm tempora sibi invicem concinunt ad probationem. Homil. 1. in Ezech.

Exemplum de præterito est: In principio creavit Deus Cælum, & Terram; *cætera patent.*

24. Spiritus prophetiæ nec sempèr, nec eodem modo Prophetæ animum tangit. Homil. 1. in Ezech.

Ex præsenti, prophetiæ Spiritus prophetantis animum tangit, non de futuro; interdùm ex futuro non de præsenti; aliquandò verò ex futuro, & præsenti; aliquandò ex futuro, præterito, & præsenti, ità dicendum est de proximo, & longinquo, & è converso. Exempla in Scripturâ Sacrâ non desiderantur; quæ brevitatis causâ prætermittuntur.

25. Scriptura Sacra cùm dubitativè loquitur, non secundùm visionem Prophetæ, cui certum est, loquitur, sed secundùm ipsos, qui monentur. Homil. in Ezech.

Exemplum est de eo, quod dicitur in Ezechiele: Si fortè vel ipsi audiant; & si fortè quiescant. *Constat enim, Deum Omnipotentem omnia scire. Loquitur tamèn Deus interdùm ambigentis affectu, ut liberum hominis arbitrium demonstret, nè præscientia futurorum mali, vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum noverit. Non enim quià ille ventura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præscivit; sed quod nos propriâ voluntate sumus facturi, ille, ut Deus, novit futurum.*

GREGORIUS, ut Sigebertus testatur, fuit natione Romanus, ex Prætore Urbano Monachus, Hilarione, ac Maximiano Magistris, & Abbas septimus, Romanæ Ecclesiæ Levita, Apochrisiarius, Papa Romanæ Ecclesiæ; exque Frangipanorum Familiâ vetustissimâ, Landino teste, ortus fuit, ex Patre Gordiano, viro Senatorio, ut Philippus Bergomensis in suo Supplementi Supplemento Chronicorum testatur; & quià, ut idem Philippus ait; *Neminem ad ea usquè tempora suis ex Prædecessoribus nec superiorem, nec parem habuit, vel sanctitate vitæ, vel diligentiâ in rebus agendis, vel doctrinâ, & scriptis, meritò terrestris Angelus vocari promeruit.* Beatus itèm Isidorus hoc idem testatur, dicens: *Gregorius compunctione timoris Dei plenus, & humilitate summus, tantùmque per gratiam Sancti Spiritus, scientiæ lumine præditus, ut non modò illi præsentium temporum quisquam Doctorum, sed nec in præteritis quidèm illi par fuerit unquàm.* Nec mirùm, cùm non desint, qui ad aures ejusdem Gregorii scribentis Spiritum Sanctum in columbæ specie non semèl visum fuisse dicant. Hinc Divus Honorius de Scriptoribus Ecclesiasticis, ait: *Gregorius, organum Sancti Spiritus, incomparabilis omnibus suis Prædecessoribus, multa præ Sole præclara, ac præ obrizo auro pretiosa conscripsit.* Hildephonsus autèm dixit, *Gregorium vicisse sanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, sapientiâ Augustinum.* Omnia ejus scripta miram redolent humilitatem, pietatem, ac doctrinam, sed libri Moralium omnia alia antecellit; de quibus Beatus Isidorus ait: *Librum B. Job Gregorius mystico, ac morali sensu disseruit, totamque prophetiæ hujus historiam in triginta quìnque voluminibus largo eloquentiæ fonte explicuit; in quibus quidèm quanta mysteria Sacramentorum aperiantur, quantaque sint in amorem vitæ æternæ morum præcepta, vel quanta clareant ornamenta verborum, nemò sapiens explicare valebit, etiamsi omnes artus ejus vertantur in linguas.* Hæc Beatus Isidorus. Quę de rebus sacris conscripsit sunt stylo sanè non spernendo; cætera verò, velùt sunt Epistolę, libris 13. comprehensæ, juxtà annorum numerum, quo in Pontificatu vixit, Summis Pontificibus, Episcopis omnibus, cunctisque Ecclesiasticis viris valdè necessariæ, habent nonnullas voces barbaras, & locutiones interdùm non satìs elegantes, ut ad illam ætatem, in qua barbaries ob dominium Barbarorum vigebat, qui non solùm latinam linguam, sed Italiam ipsam deturparant, ac devastarant, sese accommodaret. Uti etiam solebat nonnunquàm vocibus modò græcis, modò à græcâ linguâ parùm detortis, ut ætas illa ferebat, in qua Summi Pontifices è Græcia oriundi, ut plurimùm tùnc temporis creabantur, multique Græci in Italia degebant. Hic superbiam Joannis Patriarchæ Constantinopolitani nomen *Universalis* affectantis, sibique tribuentis, depressit; multas ad bonam frugem, vitæ sanctitatis exemplo revocavit. Quatuor Conciliis, Nicęno primo, Constantinopolit. 1., Ephesino, & Chalcedonensi tanquàm quatuor Evangeliis honorem præstandum decrevit. A Benedicto Pontifice Maximo Diaconus Cardinalis creatus est; & post Pelagium summo omnium consensu in spelunca deprehensus, Pontifex Summus electus fuit, & primus se *Servum Servorum Dei* nominavit, & scripsit, ut videre est supèr Proœmium lib. 6. Decret.. Vixit in Pontificatu annos tredecim, menses sex, dies decem. Floruit, Mauritio Augusto imperante; Obiitque in Christo, exordio Phocę Romani Principis, Anno Domini DCV.

B. THO-

B. THOMÆ AQUINATIS
OPERA OMNIA

Pii V. Pontificis Maximi jussu, & industriâ Fratris Vincentii Justiniani Ord. Prædicatorum, Generalis Magistri, deindè Cardinalis, illustrata, & Romę excusa MDLXXI. Tomis 18. distincta.

A

Aimæ Comment. tom.3.

C

Canticum Canticorum Comment. illustratum, tom.13.
Catena aurea in quatuor Evangelia, tom.15.
Concordantiæ dictorum, tom.18.
Conclusiones Doctoris, tom.18.
Causarum libri, Comment. illustrati, tom.4.
De Cęlo, & Mundo, tom.2.

D

Davidis prima quinquagesima, tom.13.

E

Ens, & essentia, tom.4.
Epistolæ Pauli, & Sermones, tom.16.
Ethnicorum Commentarij, tom.5.

G

Generationis, & corruptionis Comment. tom.2.
Contrà Gentes summa cum Comment. M. Francisci Ferrarienſis, tom.9.

H

Hieremias Commentarijs illustratus, tom.13.

I

Joannis Evangelium Commentar. illustratum, tom.14.
Isaias Commentarijs illustratus, tom.13.

M

Matthæi Evangelium Commentar. illustratum, tom. 14.
Metaphysicæ libri 12. tom.4.
Meteororum libri quatuor, tom.3.

O

Opuscula omnia, tom.17.

P

Parva naturalia Comment. illustr. tom.3.
Perihermenias expositio, tom.1.
Politicorum expositio, tom.5.
Posteriorum expositio, tom.1.
Physicorum expositio, tom.2.

Q

Quæstiones disputatæ, & quolibetales, vel Placitorum, tom.8.

S

Scriptum secundum in quatuor libros Sententiarum, tom.12.
Sententiarum libri Magistri Petri Lombardi Comment. illustrati, tom.6., 7., & 8.
Summa contrà Gentes, tom.9.
Summæ prima pars cum expositione in librum Dionisij de Divinis nominibus, tom.10.
Summæ prima pars secundæ, & secundæ secundæ, tom.11.
Summæ pars tertia, tom.12.

T

Tabulæ aureæ in omnia opera ex Magistro Petro de Bergomo Ordinis Prædicatorum, tom.18.

V

Vita Beati Thomæ ex varijs Auctoribus collecta, tom.1.

Hic habuit Præceptorem in Philosophiâ, ac Theologiâ Albertum Magnum, & 25. annos natus, *Magister* appellatur; & ob ingentem rerum molem, varietatem, & facilitatem in scribendo, & in rebus difficillimis explicandis, *Angelici Doctoris* nomen jure fuit adeptus; & Neapoli, cùm ad imaginem Crucifixi, qui nunc in Ecclesia Sancti Dominici maximâ devotione visitur, vehementiùs oraret, hanc vocem audivit: *Benè scripsisti de me Thoma; quam ergò mercedem accipies?* Cui ille: *Non aliam Domine, nisi teipsum.* Neapoli in Cœnobio ejusdem, Commentarius in Dionys. Areopag. ipsius Sancti Thomæ manu exaratus asservatur, & Cubiculum dicti Sancti adhùc usquè conspicitur; quod in Oratorium conversum est; Obiit quinquagenarius Anno Domini 1274. in Monasterio, seù Abbatiâ Fossæ novæ Terracinæ, dum iret ad Concilium Lugdunense magnum, eò à Gregorio X. missus, ubi ægrotans, Cantica Canticorum explanavit. A Joanne XXII. 1323. in Sanctorum numerum relatus est; & à Pio V. Pontifice Max. inter Doctores Ecclesię adscriptus fuit. Hinc eum hoc in loco apposuimus, ordinem temporum haudquaquàm observantes.

SANCTI BONAVENTURÆ

Opera omnia ordine alphabetico, Tomis octo distincta,

Sixti V. jussu in unum corpus collecta, citationibus innumeris, multisque alijs rebus illustrata; multis codicibus hinc indè conquisitis, qui anteà non fuerunt impressi;

Omnia denique ab infinitis mendis expurgata, in Typographia Vaticana incredibili labore, immensisque expensis in lucem edita.

A

Alphabetum boni Monachi, tom.7. par.4.
Amatorium, tom.7. p.3.
Amoris incendium, tom.7. p.3.
Animæ regimen, tom.7. p.3.
Appendix, tom.7. p.4.
Apologia Evangelica paupertatis, tom.7. p.4.
Apologeticus in eos, qui Ordini Minorum adversantur, tom.7. p.4.
Breviloquij Proœmium, tom.6. p.1.
Breviloquij pars 1., 2., 3., 4., 5., 6., & 7., tom.6. p.1.

C

Cardinales virtutes, tom.6. p.1.
Centiloquij pars 1., 2., 3., & 4., tom.6. p.1.
Collationes in Joannem, tom.2.
Collationes Monasticæ, tom.7. p.4.

Com-

Compassio B. Mariæ Virginis, tom.7. p.2.
Compendium Theologicæ veritatis, tom.7. p.4. in Append.
Contemplationis gradus, tom.6. p.2.
Confessionale, tom.7. p.3.
Confitendi peccata ratio, tom.7. p.3.
Corona B. Mariæ Virginis, tom.7. p.2.
Cherubin sex alæ, tom.7. p.3.
Christi Jesu Festivitates, tom.6. p.2.
Christi paupertas, tom.7. p.4.
Christus, & Apostoli nudis pedibus incesserunt, tom.7. p.4.
Christianæ vitæ institutio, tom.7. p.3.

D

Dei essentia, invisibilitas, & immensitas, to.7.p.4.
Dicta salutis, tom.6. p.1.
Dona septem Spiritus Sancti, tom.6.p.1.

E

Ecclesiæ illuminationes, seù expositio in Hexaemeron. tom,1.
Ecclesiastica Hierarchia, tom.6. p.1.
Ecclesiastes expositio, tom.1.
Elogium S. Bonaventuræ, tom.4.
Exercitiorum spiritualium libellus, tom.7. p.3.

F

Fasciculus, tom.7. p.3.
Festivitates Christi Jesu pueri.

H

Hierarchia Ecclesiastica, tom.6. p.1.

I

Jeremiæ lamentationum expositio, tom.1.
Illuminationes Ecclesiæ, tom.1.
Index in opera omnia, tom.8.
Institutio vitæ Christianæ, tom.7. p.3.
Joan. Evang. expositio postillaris, tom.2.
Itinera æternitatis, tom.7. p.3.
Itinerarium mentis in Deum.

L

Laudismus de Sancta Cruce, tom.6. p.2.
Lamentationum Jeremiæ expositio, tom.1.
Lignum vitæ, tom.6. p.2.
Lucæ Evangelij expositio, tom.2.

M

Matthæi cap.6. expositio, tom.2.
Meditationes vitæ Christi, tom.6. p.2.
Meditationum libellus, tom.6. p.2.
Memorialia viginti, tom.7. p.3.
Mentis reformatio, tom.7. p.4.
Minorum Fratres, cur prædicent, & Confessiones audiant, tom.7. p.4.
Missæ expositio, tom.7. p.3.

N

Novitiorum formula, & regula, tom.7. p.4.

O

Officium de Passione Domini, tom.6. p.2.
Opusculum de quatuor virtutibus Cardinalibus, tom.6. p.1.
Opusculum de septem Donis Spiritus Sancti, tom.6. p.1.
Opusculum de resurrectione à peccato ad gratiam tom.6. par.1.
Opusculum de tribus ternarijs peccatorum, tom.6. p.1.
Opusculum, quod Diæta salutis *inscribitur, tom.6. p.1.*

P

Peccatorum tria ternaria, tom.6. p.6.
Postillaris expositio in Evangelium Joannis, tom.2.
Præparatio Sacerdotis ad Missam, tom.7. p.4.
Præcepta decem Dominica. tom.7. p.3.
Principium compendiosum in libros Sententiarum tom.6. p.1.
Prologi Magistri Sententiarum expositio, tom.4.
Psalterij expositio, tom.1.
Psalterium B. Mariæ Virginis, tom. 6.; Alterum ibidem, p.2.
Pharetra liber primus de personarum varietate: lib.2. de vitiorum, & virtutum multiplicitate; lib.3. in quo de periculosis agitur; lib.4. in quo de gratiosis agitur, tom.6. p.1.
Philomena Passionis Domini aptata per septem Horas Canonicas, tom.6. p.2.

Q

Quæstiones in primum, & secundum librum Sententiarum, tom.4.
Quæstiones in tertium, & quartum librum Sententiarum, cum Indice in quatuor lib. tom.5.

R

Reductio artium ad Theologiam, tom.6. p.1.
Regulæ Franciscanæ defensio, tom.7. p.4.
Regulæ minora expositio, tom.7. p.4.
Religionis processus, tom.7. p.4.
Religiosorum status triplex, tom.7. p.4.
Resurrectio de peccato ad gratiam, tom.6. p.1.

S

Salve Regina expositio, tom.6. p.2.
Salutationis Angelicæ expositio, tom.6. p.2.
Sapientiæ expositio, tom.1.
Seculi contemptus, tom.7. p.4.
Sententiarum lib. 1. & 2. tom. 4., lib.3. & 4. tom.5. cum Indice in eosdem.
Sententiæ Sententiarum quatuor libri, carmine digesti, tom.6. p.1.
Seraphin alæ, tom.7. p.3.
Sermones de tempore, tom.3.
Sermones de Sanctis, tom.3.
Soliloquium, tom.6. p.2.
Speculum disciplinæ, tom.7. p.4.
Speculum de laudibus B. Virginis, tom.6. p.2.
Speculum animi, tom.7. p.3.
Stimulus amoris, tom.7. p.3.

T

Ternaria tria peccatorum, tom.6. p.1.
Theologia mystica, tom.7. p.4. in Append.
Theologia terminorum declaratio, tom.6. p.1.

V

Verba Domini in Cruce, tom.9. p.2.
Vitæ lignum, tom.6. p.2.
Vitæ Christianæ institutio, tom.7. p.3.
Vitæ perfectio ad sorores, tom.7. p.4.
Virtutum gradus, tom.7. p.3.
Virtutes Cardinales, tom.6. par.1.

SANCTI BONAVENTURÆ

Opuscula omnia.

OPuscula Sancti Bonaventuræ in quatuor Partes, & Appendicem distributa sunt. *Prima*, & *secunda Pars* tomo uno; *Tertia* verò, & *quarta* cum *Appendice*, tomo altero comprehenduntur. *Pars* itèm *prima* ea opuscula continet, quæ magis ad Theologicam do-

doctrinam spectant. *Pars secunda* comprehendit ea, quæ ad meditationes potissimùm, & ad Christi Salvatoris nostri Passionem, ejusque Sanctissimæ Matris laudes solutâ oratione, & carmine idem Sanctus Bonaventura composuit. *Pars* verò *tertia* complectitur, quæ ad vitæ institutionem, & exercitium, pro cujusque status ratione præcipuè pertinent. *Pars* etiam *quarta* continet opuscula, quæ ad Religiosos, ac præsertim ad Fratres Ordinis Minorum attinent. *Appendix* denique quorumdam opusculorum est, quæ S. Bonaventuræ attribuuntur. *Index* verò *opusculorum* juxtà novæ hujus distributionis seriem, quam in fine cujuscumque Tomi invenies, *is est*.

Pars Prima.

De reductione artium ad Theologiam.
Breviloquium.
Centiloquium.
Pharetra.
Declaratio terminorum Theologiæ.
Principium compendiosum in libros Sententiarũ.
Quatuor libri Sententiarum carmine digesti.
De quatuor virtutibus Cardinalibus.
De septem Donis Spiritus Sancti.
De tribus ternarijs peccatorum.
De resurrectione à peccato ad gratiam.
Dicta salutis.
De Ecclesiasticâ Hierarchiâ.

Pars Secunda.

Soliloquium.
De meditatione vitæ Domini N. Jesu Christi.
Meditationum libellus.
De septem gradibus contemplationis.
De quinque festivitatibus pueri Jesu.
Officium de Passione Dominica.
Laudismus de Sancta Cruce.
Lignum vitæ.
Speculum, sivè de laudibus B. Mariæ Virginis.
De Corona B. Mariæ Virg.
De Compassione ejusdem.
Philomena Passioni Domini aptata per septem Horas Canonicas.
De septem verbis Domini in Cruce.
Psalterium B. Mariæ Virg.
Psalterium minus ejusdem.
In Salutationem Angelicam.
In Salve Regina.

Pars Tertia.

De institutione vitæ Christianæ.
De reginime animæ.
Speculum animi.
De decem Præceptis Dominicis.
De gradibus virtutum.
Itinerarium mentis in Deum.
De septem itineribus æternitatis.
Stimulus amoris.
Parvum bonum, sivè incendium amoris.
Amatorium.
Exercitiorum Spiritualium libellus.
Fasciculus.
Vigintiquinque memorialia.
Confessionale.
De ratione confitendi peccata, & puritate Conscientiæ.
De institutione Sacerdotis ad se præparandum ad Missam.
De præparatione ad Missam.
Expositio Missæ.
De sex alis Cherubim.
De sex alis Seraphim.

Pars Quarta.

De triplici statu Religiosorum.
Speculum disciplinæ, sivè de ratione informandi Novitios.
Viginti passus, sivè formula Novitiorum.
In regulam Novitiorum.
De processu Religionis.
De contemptu seculi.
De reformatione mentis.
Alphabetum parvum boni Monachi.
De perfectione vitæ ad Sorores.
Declaratio supèr regulam Minorum.
Quæstiones circà eamdem regulam.
Quarè Fratres Minores prædicent, & Confessiones audiant.
De paupertate Christi.
Quòd Christus, & Apostoli nudis pedibus incesserint.
Apologia Evangelicæ paupertatis.
Contrà Franciscanæ Regulæ calumniatorem.
Apologeticus in eos, qui Ordini Minorum adversantur.
De non frequentandis quæstibus ad Fratres.
Collationum Monasticarum ad Fratres libellus.
De reformandis Fratribus ad Ministros Provinciales.

Appendix.

Compendium Theologicæ veritatis.
De essentia, invisibilitate, & immensitate Dei.
De mysticâ Theologiâ.

Bonaventura, qui & *Joannes Bonaventura* dicitur, ab aliis *Eustathius*, vel *Eustachius*, necnon *Eutichius*, vocitatur, ut apud Græcos: quia hoc nomen italicè redditum, *Bonaventura* interpretatur: *Eustathius* autèm, vel *Eustachius* ab aliis nuncupari solet ob disputationem Lugduni cum Græcis habitam, in qua doctrinæ veritatem, ac disciplinæ grauitatem perpetuâ constantiâ servavit. Hic in Balneo regio Hetruriæ, siuè Tusciæ, quæ est una ex Italiæ Regionibus hodie Florentissima, natus, & Religionem Seraphicam professus, ejusdem Ordinis, Fratrum scilicèt Minorum Minister Generalis fuit: deindè S. R. E. Cardinalis, Episcopus Albanensis, Alexandri Alensis Auditor, ac discipulus extitit. Hinc divinis Scripturis eruditissimus, & seculari Philosophiâ insignitèr doctus, ingenio subtilis, & sermone, doctrinâque clarus, Theologicæ Scholæ præfuit. Vitæ sanctitate perspicuus, & morum

ſuavitate, familiarique conſuetudine, ità charus, & amabilis, ut Præceptor ejus Alexander, homo Anglus, ipſius Bonaventuræ ingenium, dotem naturæ, & vitæ puritatem contemplans, hunc in modum dicere ſolebat: *In Fratre Bonaventura Adam peccaſſe non videtur*: & S. Thomas eum viventem *Sanctum* nuncupavit.

Quod ad ejuſdem doctrinam pertinet, profundus eſt, non verboſus: ſubtilis, non curioſus: diſertus, non vanus: flammantia, non inflantia verba proferens: undè & ſecuriùs legitur, faciliùs ab amante intelligitur, utilius frequentatur, dulciùs, & fructuoſiùs retinetur. Multi doctrinam proferunt, devotionem prædicant multi: pauci ſcribendo libros, docuerunt utramque: Bonaventura autèm, & multos ſuperavit, & paucos, dum eius doctrina devotionem, devotio inſtruit doctrinam. Si ergò, & doctus vis eſſe, & devotus, ejus doctrinam diligentèr attende. Hæc ex Trithemio. Quàmvis autèm omnia ejus ſcripta ſint mirâ doctrinâ, & utilitate, inenarrabilique devotione chriſtianâ, ſanctoque ardore ſint refertiſſima, in opuſculis tamen, quæ duobus Tomis diſtincta ſunt, hæc omnia non ſolùm apertiſſimè; & copioſiſſimè cernuntur, ſed tota Sacroſancta Scriptura, necnon Gregorii Magni, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Cypriani, Chryſoſtomi, Iſidori, Anſelmi, Bernardi, Caſſiodori, aliorumque multorum doctrina, quaſi per centones inſerta eſt: ità verò ut dicas oportet, eum univerſam Scripturam Sacram, & ſcripta Antiquorum memoriæ mandaſſe, & in promptu habuiſſe. Nec mirum eſſe debet, quòd de Scriptura Sacra dictum eſt, cum conſtet, eum ſua manu deſcripſiſſe duo Bibliorum Sacrorum exemplaria: quorum unum Balneoregii in Cœnobio Fratrum Minorum extare dicitur, alterum verò in Bibliotheca Borrhomejana.

Tanta in omnibus ejus ſcriptis doctrina extabat, ac devotio lucebat, tantoque in Chriſtum Salvatorem noſtrum, & in ejus Sanctiſſimam Genitricem, ſemperquè Virginem Mariam, ardebat amore, verbis, & moribus patefacto, *ut Lucerna lucens, & ardens* non immeritò vocitaretur. Quam rem Guillelmus Blancus, natione Gallus, & Poeta ætate noſtrâ inſignis, perbellè in hanc verborum formam verſibus explicavit:

Quid Bonaventura eſt? Lucens, ardenſq; Lucerna:
Lucet enim reliquis, ardet & ipſe ſimul.
Lucet doctrinâ, divino exardet amore:
Ardet lux, ardor lucet, utrumque manet.
Nec potis extingui lux, nec conſumier ardor,
Nam neque lux noctem, nec timet ardor aquas.
Hanc candelabro imponis tu, SIXTE, Lucernam,
Sic abeunt tenebræ, ſic procul algor abit.

Sanctus enim Bonaventura per pictoriam artem ad vivum effictus, antè Sacratiſſimam Crucifixi Imaginem, Lucernamque lucentem, & ardentem, eidem impoſitam, actu ſcribendi pulcherrimè repræſentatur.

Hoc loco Doctorem hunc apponere viſum eſt, temporum ordine non ſervato, cum inter Sacros R.E. Doctores à Sixto V. Pont. Max. fuerit adnumeratus. Floruit Anno Domini MCCLXXXIII.

IRENÆI
LUGDUNENSIS EPISCOPI

Opera ordine Alphabetico digeſta.

A

Apoſtolicæ prædicationis liber ad Marcianum fratrem.

D

Dei Monarchiæ lib. ſive quòd Deus non ſit conditor malorum ad Florinum.
Diſciplinæ liber.

E

Epiſtolæ ad Victorem Pont. Max. de Paſchate celebrando.

F

Florino Epiſcopo ab Eccleſia prolapſo ſcripſit.

G

Gentes contra Gentes volumen breve.

H

Hæreſes Libris quinque confutavit.

O

Ogd. de Ogdoade egregium documentum.

P

Prædicationis Apoſtolicæ liber ad Marcinianum fratrem.

S

Schiſm. de Schiſmate lib. ad Blaſtum.

T

Tractatuum varicrum liber.

VALENTINI præcipuè hæreſeon, & ſimilium, impias, ac portentoſas opiniones mirè detegit, & confutat, opere ſanè eruditiſſimo, & egregio, quinque libris digeſtos, in cujus fine ſe Apoſtolicorum temporum vicinum fuiſſe innuit: & hunc in modum opus illud ſubſcripſit: *Adjuro te, qui tranſcribis librum iſtum, per Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, & per glorioſum ejus adventum, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos, ut conferas poſtquàm tranſcripſeris, & emendes illum ad exemplar, undè ſcripſiſti, diligentiſſimè: hanc quoquè obteſtationem ſimilitèr tranſferas, ut inveniſti in exemplari.* Irenæus, vt ait B. Hieronymus de Viris illuſtribus, Pothini Epiſcopi, qui Lugdunenſem in Gallia regebat Eccleſiam, Presbyter, à Martyribus ejuſdem loci ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones Legatus Romam miſſus, honorificas ſupèr nomine ſuo ad Eleutherum Epiſcopum Romanum perfert literas. Poſteà jàm Pothino propè nonagenario ob Chriſtum Martyrio coronato, in locum ejus ſubſtituitur. Conſtat autèm, ut idem Hieronymus teſtatur, Polycarpi, qui Joannis Apoſtoli diſcipulus fuit. Sacerdotis, & Martyris hunc fuiſſe diſcipulum. Floruit potiſſimùm ſub commodo Imperatore, qui Marco Antonino Vero in Imperium ſucceſſerat, vel circà Annum Domini CLXXV.

Q. SEPTIMII FLORENTIS

Tertulliani Carthaginenſis Presbyteri Opera omnia Tomis quinque diſtincta, & Jacobi Pamelii adnotationibus illuſtrata, Pariſiis 1583.

A

AD amicum Philoſophum de Nuptiarum anguſtiis, ſe de Virginitate pag.106. tom.4.
De anima adverſus Hæreticos, Philoſophos pagin.568. tom.3.
Animæ cenſus adverſus Hermogenem pag.1109. tom.4.
Aduerſus Appellatianos, qui diſputabant, an qui ſpiritum, & voluntatem, & virtutem Chriſti habuerint, ad ea opera dignum aliquid pœnitentia egerint pag.1110. tom.4.
Apologeticus adverſus Gentes prò Chriſtianis pag.24. tom.1.
Adverſus Appollonium pag.1115. tom.4.

B

De Buptiſmo adverſus Quintillam pag.459.to.3.

C

Caro Chriſti adverſus quatuor Hæreſes pag.649. tom.3.
Cenſus animæ adverſus Hermogenem pag.1109. tom.4.
Cibi Iudaici pag.1272. tom.5.
Circumciſio pag.1108. tom.4.
Circumciſio vera, & ſabbatum verum pag.1278. tom.5.
Corona militis pag.340. tom.2.
Cultus fœminarum pag.311. tom.2.

D

De Extaſi lib. ſex pag.1114. tom.4.

E

Exhortatio Caſtitatis pag.1123. tom.5.

D

De fato pag.1107. tom.4.
De fuga in perſecutione, ad Fabium pag.1158. tom.5.

G

Geneſis in cap.2. de Paradiſo in 7. cur animalia munda, & immunda in arcam fuerint introducta: in 18. de Sodomitica conflagratione pagin.1092. tom.4.
Adverſus Gnoſticos Scorpiacum pag.989. tom.3.
Græcorum operum fragmenta pag.1102.1105. 1106. tom.4.

H

Habitus muliebris pag.303.tom.2.
Adverſus Hermogenem pag.488.tom.3.

I

Jejunium adverſus Pſychicos pag.1174.tom.5.
Idololatria pag.281.tom.2.
Index Scripturarum Sacrarum pag.90. tom.1.
Index generalis in opera omnia pag.152.tom.1.
Adverſus Judæos pag.159.tom.1.
De Judicio Domini pag.1083.tom.4.

M

Adverſus Marc. lib. quinque pag.740.770.800. 834.938.tom.3.
Adverſus Marcionem lib.quinque pag.1050.to.4.
Ad Martyr. pag.223. tom.2.
Monogamia pag.1137.tom.5.
Mundo, & immunda animal. pag.1107.tom.4.

N

Novatiani de Trinitate pag.1233.tom.5.
Ejuſdem de Cibis Judaicis pag.1272.tom.5.
Ejuſdem Epiſtolarum de vera Circumciſione, & vero Sabbato Notulæ pag.1278.tom.5.

O

Oratio pag.211.tom.2.

P

De Pallio pag.5.tom.1.
De Paradiſo pag.1111. tom.4.
De patientia pag.233.tom.2.
Paradoxa Tertulliani pag.4. tom.1.
Adverſus Praxean. pag.1013.tom.3.
De præſcriptionibus adverſus Hæreticos p. 389. tom.3.
De pudicitia pag.1195.tom.5.
Proverbiales formulæ pag.68.tom.1.

R

Reſurrectio carnis pag.676.tom.3.

S

Ad Scapulam pag.152.tom.2.
Scripta aliquot Tertulliano falsò tributa p.1117 tom.4.
Ad Senatorem ex Chriſtiana Religione ad Idolorum ſervitutem converſum pag.1099.tom.4.
Sodoma pag.1095.tom.4.
Spectacula pag.250.tom.2.
Spes fidelium pag.1112.tom.4.

T

Teſtimonium animæ adverſus Idola p.146.tom.1.
Trinitas pag.1109.tom.4.
Novatiani de Trinitate Notulæ pag.122. tom.5.

V

Adverſus Valentinianos pag.488.tom.3.
Veſtes Aaron pag.118.tom.4.
Ad Victorem libri duo pag.322.33.tom.2.
Vita Tertulliani pag.3.tom.1.

Tomus Quintus, complectens ea, quæ in hæreſi, ſive adversùs Eccleſiam ſcripſit, cum iis, quæ aliena ſunt.

QUàmvis omnia Tertulliani Opera fuerint ordine Alphabetico digeſta, ut ſuperiùs videre eſt, hoc tamèn loco quæ adversùs Eccleſiam ſcripſit, ſimul recenſere libuit, ut quæ cavenda ſunt, ſtatim cuique ſeſe offerant.

De exhortatione caſtitatis pag.1123.
De Monogamia pag.1137.
De fuga in perſecutione ad Fabium pag.1158.
De Jejuniis adverſus Pſychicos pag.1174.
De Pudicitia pag.1195.
Novatiani de Trinitate pag.1233.
Ejuſdem de cibis Judaicis pag.1272.
Ejuſdem Epiſtolarum de vera Circumciſione, & vero Sabbato Notulæ pag.1278.

TERTULLIANUS Presbyter Carthaginenſis, Patre Centurione Proconſulati, acris, & vehementis ingenii, vixit ad decrepitam uſquè ætatem. Floruit autèm Severo Principe, & Antonino Caracalla, Anno ſalutis CC. ſecundùm alios CLX. Hunc Beatus Cyprianus appellabat *Magiſtrum*: quem tanti fecit, vt nullam diem ſine ipſius librorum

rum Lectione præteriret, vt B. Hieronymus testatur de Scriptoribus, dicens, *se vidisse, quendam Paulum Concordiæ in Italia Oppidi affirmantem, se eum vidisse; & audisse non semel dictum Cyprianum de Tertulliano talia dicentem.*

Hic doctor animam esse corpoream, & Deum itèm corporeum affirmavit. Nec proptèr hoc a B. P. Augustino lib. 10. supèr Genesim cap. 25. appellatus est hæreticus: sed quia transivit ad Cataphrygas tanquàm stupra contrà doctrinam Apostolicam Timoth. 5. damnans secundas nuptias lib. 1. de hær. 86. Tomo 6. Eum resipisse, non legitur, quamvis Montanum, ejusque æmulos intèr hæreticos numeraverit in libro *de Præscriptionibus*: & miror cur Hieronymus *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, de hoc nil dicat: Dicit tamèn in Apologia adversùs Ruffinum: *In Tertulliano laudamus ingenium, damnamus hæresin: In Origène miramur sententiam scripturarum, & dogmatum falsitatem non recipimus.*

CYPRIANI CÆCILII

Episcopi Carthaginensis opera omnia,

Jacobi Pamelii adnotationibus illustrata, ac tribus Tomis distincta.

A

ANtoniano de Cornelio, & Novatiano tomo primo.

C

Caldonio Fratri accedens ejus sententiæ tom. 1.
Cæcilio de Sacramento Dominici Calicis tom. 1.
Clero Romano de dormitione Episcopi Vrbici to. 1.
Clero suo de cura pauperum; & confessorum tom. 1.
Clero, de Gajo Diddensi, qui lapsis communicabat tom. 1.
Clero, & plebi Furnitanorum tom. 1.
Concilium Carthaginense de baptizandis hæreticis tom. 2.
Confessoribus ut ad unitatem redeant tom. 1.
Cornelio, quòd ordinationem Novatiani non receperit tom. 1.
Cypriani vita tom. 1.
Cypriani secessus à Clero Romano descriptus tom. 1.

D

Demetriano liber unus tom. 2.
Dominicæ orationis tractatus tom. 2.
Donato de gratia Dei tom. 2.

E

Ecclesiæ Catholicæ unitas tom. 2.
Eleemosynarum, & operum liber tom. 2.
Epitetto, & plebi Assuritanorum de Fortunatiano quondam eorum Episc. tom. 1.
Episcopis Numidiæ, de redemptione fratrum to. 1.
Euchratio de hystrione tom. 1.

F

Fido de Infantibus baptizandis tom. 1.
Florentio Pupiano, de obtrectatoribus tom. 1.
Fortunato, de iis, qui per tormenta superantur tom. 1.
Fortunato, de exhortatione martyrii tom. 2.

H

Hyspaniarum Clero, & plebi, de Basilide to. 1.

I

Januario, & cæteris Episcopis Numidiæ to. 1.
Idolorum vanitas tom. 2.

L

Lapsorum tractatus tom. 2.
Lapsis, qui de usurpata pace illi scripserant to. 1.
Livoris, & zeli liber tom. 2.
Lucio ab exilio reverso tom. 1.

M

Magno de baptizandis Novatianis tom. 1.
Martyribus, & Confessoribus, de Mappalico tom. 1.
Maximo, & Moysi, de eorum confessione tom. 1.
Mortalitatis liber tom. 2.
Moysi, & Maximo de confessione eorum tom. 1.

N

Nemesiano, & cæteribus martyribus in metallo constitutis tom. 1.

O

Orationis Dominicæ tractatus tom. 2.

P

Patientiæ bonum tom. 2.
Plebi de rescripto Martyrum tom. 1.
Pompejo contrà Epistolam Stephani tom. 1.
Pomponio de Virginibus tom. 1.

Q

Quirino contrà Judæos libri tres tom. 2.
Quinto de baptizandis hæreticis tom. 1.

R

Rogatiano, & cæteris Confessoribus de observanda disciplina tom. 1.
Rogatiano Juniori in carcere constituto tom. 1.
Rogatiano Episcopo de superbo diacono tom. 1.

S

Stephano Papæ de Martiano Arelatensi tom. 1.
Spectacula tom. 3.
Sicccæsso de Nunciis Romam reversis tom. 1.

T

Thybaritanis, exhortatoria ad martyrium to. 1.

V

Virginum de disciplina, & habitu tom. 2.
Vita Cypriani tom. 1.

Z

Zeli, & livoris liber tom. 2.

Cypriano adscripta.

A

ABlutio pedum tom. 3.
Abusiones seculi duodecim tom. 3.
Aleatarum ludus reprehensio tom. 3.
Apostolorum Symboli expositio tom. 3.
Ascensio Christi tom. 3.

B

Baptismus Christi est Trinitatis manifestatio to. 3.

C

Carmen Sodoma tom. 3.
Carmen ad Senatorem apostatam tom. 3.
Christi nativitas tom. 3.
Chrismatis unctio, & aliorum Sacramentorum tom. 3.
Circumcisionis ratio tom. 3.
Clericorum singularitas Origènis tom. 3.
Cœnæ Domini institutio tom. 3.
Cornelio Papæ de Cardinalibus operibus Christi tom. 3.

Cypriani oratio in die passionis suæ tom.3.

D

Disciplinæ, & pudicitiæ bonum tom.3.
Dispositio Cœnæ.

F

Fortunato de duplici Martyrio tom.3.

G

Geneſis Carmen tom.3.

I

Jejunium, & Christi tentationes tom.3.
Jo: Baptistæ de revelatione capitis tom.3.

H

Hymnus de Pascha Domini tom.3.

M

Martyrii laus ad Moysen tom.3.
Martyrum oratio tom.3.

N

Novatiano, quòd lapsis spes veniæ non sit neganda tom.3.

O

Oratio in die Passionis tom.3.

P

Passio Christi tom.3.
Plebi in Evangelio stanti, de spectaculis tom.3.

R

Resurrectio Christi tom.3.

S

Sina, & Syon de montibus tom.3.
Spiritus Sancti missio tom.3.
Stellæ, Magorum, ac Innocentum nex tom.3.

V

Vigilio Celsi, de altercatione Jasonis tom.3.

HIc suadente Presbytero Cæcilio, à quo & cognomentum sortitus est, christianus factus omnem substantiam suam pauperibus erogavit,& non multum post temporis in Presbyterum electus fuit; ac deindè Episcopus Carthaginensis, Doctor quidèm gravissimus, qui absque Tertulliani lectione nullam diem præterire permisit. Ab Augustino lib.2. de Doctr. Christ. tom.3. appellatus fuit *Doctor suavissimus, & Martyr beatissimus*, & passus est sub Valeriano, & Galieno Imperatoribus, persecutione 8. eodem die, quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno. Claruit Anno salutis 240. Martyrio coronatur Anno Domini 259.

Ab hoc Doctore cavendum est, quod dixit de filiis baptizandis, eorum Parentibus invitis, necnon de rebaptizandis iis, qui ab Hæreticis sunt baptizati, quia nunc aliter declaratum est. Contra Hæreticos baptismum iterantes, & auctoritate Cypriani se defendentes agit B. P. Augustinus in libro de Baptismo contra Donatistas Tomo 7. Concilium primum Carthaginense de Hæreticis rebaptizandis celebratum est sub ipso Cypriano: sed ab Ecclesia Catholica Romana receptum non est.

ORIGENIS ADAMANTII

OPERA OMNIA.

A

Apologia Pamphilii martyrio, pro Origène tom.4.

C

Cantici Canticorum explanatio prima, Homiliæ 2. tom.2.
Cantici canticorum explanatio secunda, Homil.4. tom.2.
Contra Celsum libri octo tom.4.

E

Epistolæ ad Romanos libri 10. tom.3.
Exodi Homiliæ 13, tom.1.
Ezechielis Homiliæ 14. tom.2.

G

Geneſis Homiliæ 17. tom.1.

H

Homiliæ 10. in diversa loca Testamenti novi to.3.

I

Jeremiæ Homiliæ 14. tom.2.
Job libri tractatus tom.2.
Josue libri Homiliæ 26. tom.1.
Isaia Homiliæ 9. tom.2.
Judicum libri Homiliæ 9. tom.1.

L

Levitici Homiliæ 16. tom.1.
Lucæ Homiliæ 39. tom.3.

M

Matthæi Homiliæ 36. tom.3.

N

Numerorum Homiliæ 26. tom.1.

P

Periarchon libri 4. tom.4.
Psalmi 36. Homiliæ 5. tom.2.
Psalmi 38. Homiliæ 2.
Psalmi 38. Homiliæ 2. tom.2.

R

Regum Librorum Homilia una tom.1.
Ruffinum contrà depravatiorum librorum præcipuè Origènis tom.4.

T

Threnorum Origènis tractatus unus tom.4.
Vita Origènis tom.1.

ORIGENIS

Regulæ Scripturales.

1. MOris est scripturarum imperativum modum pro optativo ponere. Homil.1. in Cant. Cant.

Exemplum est hujusmodi: Sanctificetur nomen tuum, &c. *Matth.6. pro*, utinam sanctificetur. *Et*: Osculetur me osculo oris sui: *pro*, utinam osculetur, *Cant.4. Exempla hac de re in Scriptura Sacra sunt in usu frequenti.*

2. Scriptura divina ex visibilibus, & invisibilibus constat, veluti ex corpore quodam, litera scilicèt, quæ videtur, & anima. Per literam corporalia significant divinæ literæ: per spiritum intellectualia, quæ spiritalia dicimus. Periarchon lib.4.

Exempla in Scripturæ Sacra de hac regula multa sunt: quæ brevitatis causâ omisimus.

3. Scriptura Sacra pro auditorum viribus, & utilitate dimetitur quæ denunciat. Lib.4. contra Celsum.

Exemplum desumi potest ex eo: Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum. *Deut.1. Et vide pro hac re tertiam regulam S.P. Augustini.*

4. Quæ in divinis libris ſcripta non ſunt, tractare debemus per ea, quæ ſcripta ſunt. Comment. in Matth.cap.23.

Scriptum eſt, Matth. 25. Chriſtum propter eſurientes, & ſitientes dixiſſe. Eſurivi, & ſitivi. *Et propter alios*; Nudus fui &c. *ità etiàm de injuriis, quas juſtus patietur, dicendum erit: ideſt, pone Chriſtum in eos, qui fecerunt injurias, dicentem eis*: Quando uni ex minimis iſtis feciſtis injuriam, mihi feciſtis, & mè blaſphemaſtis &c.

5. Scriptura divina memoriæ eſt commendanda. In Levit.Homil.4.

6. Contraria quæ videntur eſſe in Scriptura Sacra, contraria non eſſe, debet oſtendere qui fideliter, & integrè ſacrorum voluminum colligit ſenſum. Lib. 3. in Epiſt. ad Rom. cap.3.

Lex in ſacris literis, ut B. Hieronymus ait ad Algas. Multiplicitèr accipitur: quæ ſi non diſtinguatur per loca ſingula, confundere poterit ſenſum legentis. Exemplum poteſt eſſe illud ad Rom.3. Scimus autèm quòd quæcumque Lex loquitur his, qui in Lege ſunt, loquitur, ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro coram illo: Per legem enim cognitio peccati.

7. Scripturæ Sacræ locus quilibet ſi diligentèr excutiatur, ingentem doctrinæ materiam poteſt ſuppeditare Homil.1.in Exodum.

Hujus regulæ exempla ſunt penè innumera, quæ brevitatis cauſa omittuntur.

8. Nemo ex omnibus Sanctis invenitur diem Feſtum, vel convivium magnum egiſſe in die Natalis ſui prætèr Pharaonem, & Herodem. Nemo invenitur habuiſſe lætitiam in die Natalis filii, vel filiæ ſuæ. Soli peccatores ſuper hujuſmodi nativitate lætantur. Sancti verò non ſolùm non agunt feſtivitatem in die natalis ſui, ſed & Spiritu Sancto repleti execrantur hunc diem. Homil.8. in Levit. & Hieron. in Matth.cap.14.

Exemplum de Sanctis eſt illud Hieremiæ: Maledictus dies, in quo natus ſum. *Hieremias 20. &c. Et Job*: Maledicta dies, in qua natus ſum &c.

Hujus generis maledictio reſpicit peccatum, & miſerias ex peccato ſubortas, ut Propheta David oſtendit dicens. In iniquitatibus conceptus ſum, &c. in peccatis concepit me mater mea. *Hinc Natalis dies non eſt gaudio, nèc conviviis celebrandus.*

ORIGENES habuit Patrem Leonidem, Chriſti martyrio coronatum, & Præceptorem in Doctrinis Clementem Alexandrinum: & Romę una cum Porphyrio, & Amelio condiſcipulis. Plotinum Platonicum Ammonij diſcipulum, Galieni, Taciti, & Probi temporibus audivit. In Hebraicis literis Huillum habuit: In divinis appetendis, & obſervandis, aperiendiſque nihil eo incitatius, nèc vehementius: in humanis abiiciendis nihil promptius, & abſtinentiam, & vitæ paupertatem ità ſervabat (imitatus Hierophates Athenienſium Sacerdotes, qui ſorbitione cicutæ ſe caſtrabant (quo caſti in Sacerdotio viverent) ut ſe ſpontè caſtraverit, ut ait Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 6. cap. 6. &, ut refert Mutius, potiùs Idolis honorem dedit, quàm alterum ſibi ſpurciſſimum, ſibi ex neceſſitate ab impio quodàm propoſitum efficeret, cujus deindè rei dolorem meximum patefecit, & reipſa præſtitit mœrorem, & pœnitentiam. Hic Doctor à S. Hieronymo duobus in locis, videlicèt in epiſt.65. tom.3. in præfatiuncula ad Damaſum, & in Homilia Cant. Cantic. & in libr. Hebr. nominum miris, & innumeris laudibus exornatus eſt: ità verò ut omnibus mortalibus anteferri poſſet, ac deberet: &, ut Ruffinus itèm in quadàm Apologia teſtatur, alter poſt Apoſtolos appellatus eſt. Hic etiàm tantò in Sanctarum Scripturarum labore ſudavit, ut eodem Ruffino teſte juſtè *Adamantii* nomèn acceperit. Scripſit tamèn multa, quæ, ut ait B. Bernardus, non ſinè circumſpectione legenda ſunt, cùm plurima ſint abundantius forſitan, quàm circumſpectius, nèc jam ſobriè, quàm diſcretè, & hiperbolicè, immò nonnulla evidentiſſimè contrà fidem ſcripta, & aliqua forſitaſsè deridenda, ut eſt præſertim illud *de Damnatis, ac Dæmonibus ſalvandis*. Hinc Sanctus Hieronymus in Apologia adverſus Ruffinum, cùm intèr ſe diſceptarent de Didymo, ac Origène ſic ait: *Omittamus Hæreticorum patrocinium, & præſertim cum ambo Catholicos ſe videri velint; & nulla erit intèr nos contentio. Eodèm fervore, quo Origènem antè laudavimus, nunc damnatum toto orbe damnemus; Erravimus juvenes, emendemus ſenes. Ignoſce mihi, quòd Origènis eruditionem, & ſtudium ſcripturàrum antequàm hæreſim ejus pleniùs noſſem in juvenili ætate laudavi. Et ego tibi dabo veniam, quod Apologiam librorum ejus, cano ſcripſeris capite.* Hæc ipſe, & quia Hieronymus appellavit Origènem, *alterum poſt Apoſtolos, & Didymum Prophetam, & Apoſtolicum virum* deſignavit, deinde comprobavit, ut Ruffinus ei exprobrat in quadam Apologia; Hieronymus in Apologia ſua Ruffino reſpondens ait: *In Tertulliano (exempli cauſa) laudavimus ingenium, ſed damnamus hæreſim: in Origène miramur ſcientiam Scripturarum, & tamèn dogmatum non recipimus falſitatem. In Didymo verò, & memoriam prædicamus, & ſuper Trinitate fidei puritatem; ſed in cæteris, quæ Origènes malè credidit, nos ab eo retrahimus.* Nèc ſilentio prætereundum eſt, ipſum Origènem in quadàm Epiſtola ſua ad quoſdàm charos ſuos in Alexandria ſcribentem, conquæſtum eſſe his verbis: *Nihil mirum mihi videtur, ſi adulteretur doctrina mea ab inimicis, & tali adulterio corrumpatur, quali adulterio corrupta eſt Epiſtola Pauli Apoſtoli, ut Theſſalonicenſes conturbarentur.* De Origènis adulteratis libris multi graviſſimi viri hoc ſenſerunt. Et vide Picum Mirandulanum. Origènes autèm in Scripturarum labore tàm Græcos, quàm Latinos operum ſuorum numero ſuperavit: & ſunt qui velint, Origènem ſex millia librorum conſcripſiſſe. Floruit decimo Severi pertinacis Anno, & vixit

uſquè

usquè ad Gallum, & Volusianum, & usquè ad LXIX. ætatis suæ annum; & mortuus est Tyri, in qua Urbe, & sepultus est.

HILARII PICTAVENSIS

Aquitaniæ Episcopi opera omnia: Sed hæc omnia in qualibet Editione non extant.

A

AD Apram filiam suam epist. 1.
Contrà Arrianos lib. 12. *de Trinitate.*
Contrà Arrianos de Synodis habitis lib. 1.
Contrà Auxentium Arrianum lib. unus eleganti stylo.
Auxentii Epistola blasphemiæ plena.

C

Cantici canticorum expositio: quam B. Hieronymus se non vidisse ait.
Contrà Constantium hæreticum lib. 1.
Ad Constantium Imperatorem lib. 2.
Chronicorum lib. 1.

D

Contrà Dioscorum lib. 1.
Defensio Catholicæ fidei.

E

Epistolarum ad diversos lib. 1.
Evangelium Matthæi.

F

Fidei Catholicæ defensio.

H

Hæresum lib. 1.
Hymnorum lib. 1.

I

Job tractatus, sive lib. ex Græco Origènis ad sensum translatus.

M

Mysteriorum lib. 1.

P

Psalmorum Tract. 42. *vel lib.* 2., *& in hoc imitatus est Origènem.*
Psalmi Beati Immaculati in via, *Tract.* 22.

S

De Synodis ad Episcopos Galliæ contrà Arrianos lib. 1.

T

De Sancta Trinitate contrà Arrianos lib. 12.

V

Contrà Valentem, & Ursatium lib. 1. *in quo historia Ariminensis, & Seleuciensis Synodi continetur.*
Vita Hilarii.

HILARII.

Regulæ Scripturales.

1. EX verbis sensum sequamur, ex sensu rationem, & ea ratione veritatem apprehendamus lib. 5. de Trin.

Regula hæc per se clara est: quare nihil est quod in ipsa immoremur.

2. Corporalium rerum nuncupationibus utitur Deus, ut ad excellentiam divinarum rerum per corporalia homines attollat lib. 6. & 12. de Trin.

Divus Pater Auguſtinus.
Auguſt. de Ancona Triumphus Ord. S. Aug.
Cornelius Janſenius.
Euthymius.
Franciſcus Coſterus in Ave Maris Stella.
Jacobus Peretz Ord. S. Aug.
Jo: Clictoveus.
Theodoretus.
Ludulphus Carthuſianus.

In Hymnos.

Dionyſius Carth.
Iſaias Ord. S. Aug.
Donatus Beneventanus Ordinis S. Aug. deleta pagina. R. 2. Bb. 2. Qqq.
Jacobus Alora.
Jacobus Clictoveus.
Laurentius Maggius.
Timotheus.

SPECULUM EPISCOPALE,

IN QUO

Nomen, Status, & Munus

Episcoporum expressè repræsentatur, & luculentèr explicatur.

Pasce Agnos meos, pasce Oves meas.
Græcè βόσκε, ποιμαίνε pasce, ac rege. De Episc. Tit. pag. 10.

Jacobi Epist. cap. 1.

Estote factores Verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos: quià si quis Auditor est Verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in Speculo: Consideravit enim se, & abiit, & statìm oblitus est, qualis fuerit.

De Speculi Necessitate.

icer. lib. Tu-
ul quæst.

QUAM quisque novit artem, seù potiùs profitetur, in hac debere sese illum exercere, non solùm sapiens dixit, sed & ratio ipsa persuadet: Propterea quod habitus, ἕξις à Græcis dicta, hoc est promptitudo illa, ut ajunt, ex frequentibus actibus collecta, quam Philosophi alicujus rei, siuè in animo, siuè in corpore naturam conceptam, sed vsu corroboratam, & plenam perfectionem vocant, nonnisi quotidianâ exercitationis assiduitate acquiri potest, rebus ad artem pertinentibus rectè perceptis, & intellectis. Hinc Menedemus, philosophus inter Socraticos insignis, ac Discipulus Phædri à Platone edocti, cujus nomine Plato edidit librum, qui *Phædrus* inscribitur, artem, vt Cicero testatur, negabat esse ullam, nisi quæ cognitis, penitùsque perspectis, & in unum exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus contineretur. Huic ego sententiæ libentèr assentior: quoniam qui artem, quam frequenti non callet exercitatione pertractat, is jurè comparari potest illi, qui dum cæcâ in nocte tenebricosus incedit, nusquam non cæspitat, hoc est, vel in lapidem, vel in parietem, vel in aliquid hujusmodi aliud impingit, sivè in foveam labitur aliquam. Si autem in qualibet arte tantum studii adhibendum est, quid præstandum in functione Episcopali, quæ quanta sit, verbis vix unquam explicari posset? Qui itaque hujus generis dignitate insignitus est, in eam, tamquam in speculum, frequentèr inspicere studeat meditando, ne tamquam Erroni adsimilis, modò huc, modò illuc, non sine functionis offensione incurrat. Sicut autem per Speculum ex vitro, chalybe, stanno, argentove conflatum, cujus inventionem Æsculapiorum primo Apollinis filio Cicero assignat, speciem, aut imaginem suam quisque contemplatur, ità qui Episcopali dignitate insignitus est, in speculum Episcopale, singulo quoque die, ac frequentèr quidem intueatur oportet: Nam sicut per illud Speculum, quod omnibus cujuscumque status hominibus concessum est, nosmetipsos noscimus, vt formosi devitemus infamiam, bonis moribus dignitatem corporis exornantes; Deformes autem, redimendum sciamus esse virtutibus, quidquid corpori deest, veluti Socrates, ut id facerent, Discipulos suos sapientèr monebat; ità per hoc se, suamque Episcopus speciem, vel imaginem quotidiè contemplari debet, quid sci licèt Episcopi nomen sibi velit, quonam in statu sit, quodque, vel quale sit ejus munus, vt hoc in Speculo, si moribus & institutis, atque doctrinis se formosum viderit, formosior ut in dies evadat, omnibus viribus contendat; Si autem deformem, deformitatem depo-

riſt. 2. poſt.
', & 1. Me-
aph. cap. 1.

ic. de Orat.
ib. 1.

Cicer. lib. 3. de Nat. Deor.

Socrates ex Apuleio philoſ. Platonico Apol. 1. de Speculo, procul ab initio, & longè antè medium.

deponere omni ſtudeat conatu, ut Deo imprimis, deindè probis viris formoſus undequaque appareat, ac reipſa exiſtat.

De neceſſariâ Nominis Explicatione.

UT autem tria à nobis ſuperiori loco propoſita dilucidanda aggrediamur, ab Epiſcopi nomenclaturâ explicanda exordiemur: quoniam, præterquam quod turpe cuique eſt, ſi ſuæ vel dignitatis, vel functionis nomen ab eo ignoretur, exacta etiam nominis notitia, vim totius negocii, reive tractandæ præter naturam, quæ à Græcis οὐσία, & à Neotericis, præſertim verò Scholaſticis, *Eſſentia* vocitatur. Nam interior nominis explicatio vice diffinitionis luculentèr fungi ſolet, quæ omnem rei cujuſpiam vim, & poteſtatem dilucidè proponit, & brevitèr explanat, vt Cicero, & Ariſtoteles teſtantur.

Cic. ad Heren. & Ariſtot.

De Epiſcopi Nominis Explicatione, & Antiquitate.

HÆc vox, Epiſcopus, Græca eſt, ab ὀπὶ, particula, quæ à Latinis, *ſupèr*, dicitur; & σκοπεῖν, intendere, vt Iſidoro placet. Epiſcopus enim *Superintendens* interpretatur. Idem ſentit Hieronymus dicens: quod quidèm Græcè ſignificantius ἐπισκοπῦντες, ideſt *Superintendentes*: Undè & nomen Epiſcopi tractum eſt. σκόπος etiam Græcè, *cuſtos*, *ſpeculator*, & *explorator* latinè nuncupatur. Hinc ut ait Eudæus σκοπὴ, ſpeculatio, conſideratio, mens, propoſitum, ſivè in tertio, & uno Vocabulo à Latinis *cogitatio* dicitur. Undè ἄσκοπος Græcè, inconſideratus, inopinatus, vel inopinabilis interpretatur, & ἀπὸ τῦ ἀσκοπως, ideſt præter propoſitum, prætèr conſilium, vel intentionem, hoc eſt, abſurdè, & ab re. Sagittariorum itèm propoſitum, ſcopus, ſivè ſcopulus, pro parvo ſcopo, vel ſigno, ad quod ſagittæ diriguntur à Svetonio dictum fuit, quod Herodotus Epiſcopum, dicens: ἐπίσκοπα τοξεύειν, hoc eſt ſagitta umbilicum ferire. Indè manarunt proverbiales locutiones, attingere ſcopum, aberrare à ſcopulo, & id genus aliæ. Per metaphoram autem ſcopus itèm pro fine illo, quo mentem, & propoſitum noſtrum dirigimus, accipi ſolet, ut auctor eſt Cicero dicens: *ſcopus enim hic eſt huic noſtro, nihil ferire*. Hinc vox Græca illa σκοπὴ, vel σκοπια à verbo Græco σκοπέω, quod eſt conſidero, contemplor, & ſpeculor, latinè dicitur *ſpecula*, ideſt omnis locus editus, & eminens, undè aliquid eminus videri, & proſpici poteſt, ſivè ſit mons, ſivè turris, ſivè lapis, vel ſcopulus, ſivè arbor, ſivè quid aliud eminens, ut videre licet apud Virgilium, Livium, & alios Auctores. Nam ſpecula, ut ait Valla in Raudenſem, eſt locus omnis vndè fiunt excubiæ, an hoſtes veniant, tranſeantve, an maneant, quotve ſint, & id genus alia. Undè Navis exploratoria Epiſcopia à Cicerone nuncupatur hunc in modum: *Quinto novas conſcendens ab Hortis Clavianis in Phaſelium Epiſcopium has dedi literas*.

Gratian. Diſt. 21. cap. 1. ex Iſidoro lib. 7. Etym. de Clericis cap. 12.

Eudæus in Comment.

Sveton. Tranquill. in Domitiano c. 19.

Herodotus Hiſt. 3.

Cicer. lib. 15. ad Attic. ep. 4.

Virgil. 3. & 8. Æneid. Liv. lib. 8. de Bell. Punico.

Nec ſilentio prætereundum, hanc vocem, *Epiſcopus*, antiquam eſſe, & à Romanis fuiſſe uſurpatam pro Magiſtratu quodam, cujus officium erat, panis, & cæterarum rerum, quæ ad victum pertinent, curam habere, ut in Digeſtis, ſeù Pandectis ex verbis Arcadij Imperatoris conſtat, qui de muneribus perſonalibus loquens, de hoc Magiſtratu hunc in modum ait: Item & Epiſcopi, qui præſunt pani, & cæteris venalibus rebus, quæ Civitatum Populis ad quotidianum victum uſui ſunt, perſonalibus muneribus funguntur. Hùc ſpectare videtur illud Ciceronis ad Atticum ſcribentis in hanc verborum formam: *Ego negocio præſum non turbulento: vult enim me Pompejus eſſe, quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & ſumma negocii referatur. Ità vagus eſsè cogitabam*. Hujus item generis apud Athenienſes fuiſſe ait Suidas Magiſtratum quemdam, quo fungentes in ſuæ ditionis Urbes mittebantur ad Statum rerum cognoſcendum, & conſtituendum, *Inſpectores, & Cuſtodes* dicti, ſicut etiam legitur apud Plutarchum in Scipione, quem ipſe à Senatu Epiſcopum Gentium, Regumque miſſum fuiſſe ſcribit. Numam item Pompilium Regem Roman. Plutarchus vocat Virginum ſacrarum Epiſcopum. Rhodiginus prætereà ex Leonidæ Epigrammate Mercurium Epiſcopum, hoc eſt glorioſum inſpectorem, ſive Cuſtodem gregis celeberrimum nuncupatum fuiſſe teſtatur. Pindarus etiam Magnetum Σκοπον, ideſt Epiſcopum, ac Regem appellavit, cum Epiſcopum, & ſcopum pro eodem ferè accipiat Euſtathius, præpoſitione, ἐπὶ, Epi, redundante, ſicut in aliis hujus generis vocibus idem Rhodiginus ait. Hunc denique Magiſtratum, Epiſcopatum ſcilicèt apud Lacedemonios extitiſſe, eoque fungentes, Harmoſtas, quaſi coagmentatores, ſeù compoſitores, vel Aptatores, Legatos, Proregès, Prætores, Viſitatores, & Cuſtodes dictos fuiſſe Suidas affirmat, necnon Diodorus Siculus, qui ait: *Lyſandrum claſſis Prætorem creant, cui mandatur, ut Urbes ubique omnes adeat, ac per ſingulas Viros conſtituat, qui rebus civilibus, & adminiſtrationi, cuſtodiæque ſui quiſque Oppidi præſint, qui apud illos Harmoſtæ appellantur*. Hæc Diodorus.

Par. 7. lib. 5. tit. 4. de Mūd & hon. §. 18 Munerum.

Cic. lib. 7 epiſt. 10. ad Atticū propè finem.

Suidas Hiſt dict. Epiſcopi

Plutarch. in Scipione Aphr.

Pindarus in Nemeiſ. Antiſtroph. ſtroph. 2.

Rhodigin. lib. 18. cap. 3. tom. 2.

Suidas Hiſt. in dict. Harmoſtæ, & Epiſcopi.

Diodor. Biblioth. lib. 14. & Plutar. in Alcibiade, & Xenoph. rerum Græcarum 5. de Harmoſt.

Idem quoque ex Livii auctoritate comprobatur, qui ait: *Placuit mitti legatos in Hiſpaniam ad res Sociorum inſpiciendas*.

Liu. de Bell. Pun.

Quamvis autem Romanorum, ac Lacedemoniorum duo illi Magiſtratus quantum ad vocem differant, quorum ille *Epiſcopus* dicitur, hic verò *Harmoſta*, re tamen ſi Ciceronis, Pindari, Suidæ, ac Diodori, necnon Plutarchi in Alcibiade perpendantur verba, eos inter ſe convenire dicas neceſſe eſt. Quod ut planum fiat, videre eſt Dionyſium Areopagitam, qui Epiſcopos Eccleſiaſticos *Harmoſtas* appellavit, ad quos non ſinè ſumma Religione μετὰ τῆς μεγίστης εὐλαβείας (hoc eſt cum maxima veneratione) accedendū docet.

Dionyſ. Areopag. de Eccleſ. Hierarch.

De

Esdræ lib. 2. cap. 11.

De Episcopi denique nomine in veteri Testamento apud Nehemiam mentionem factam fuisse reperimus. Nam in 11. cap. d. libri habetur sermo de Episcopo Levitarum, ideſt Præpositō: *Soli enim Sacerdotes*, ut ait Glossa, *erant Pontifices, sivè Episcopi* [*propriè loquendo*] *habentes tamen super se unum tantùm Summum Pontificem*, ut fusiùs in Speculo Pontificali dicemus.

Glossa Ord.

Speculum Pontific.

Episcopatus etiam nomen scriptum est in Psalmo, in quo David, dum Christi Salvatoris nostri Passionem, præsertìm verò proditionem à Juda perpetrandam, jamque præstitam, & inter maledictiones eidem Judæ eventuras, amissionem Episcopatus, prophetaret, dixit: *Et Episcopatum ejus accipiat alter*, ideſt Apostolatum, quia Episcopi in Ecclesiâ Sanctâ sunt Apostolorum successores, ut infrà uberiùs dicetur.

Rectè igitur, & concinnè quidèm, qui alicui Ecclesiæ præest, Episcopus vocitandus est, ideſt Legatus à Deo per Summum Pontificem missus, observator, Visitator, Inspector, Administrator, Aptator, Speculator, & Superintendens, quibus item nominibus Harmosta suo quodam Jure gaudet, sicut ex auctoritatibus suprà citatis satis constat. Hæc enim omnia Episcopus præstare debet, ut infrà suo loco fusiùs declarare conabimur, dum scilicèt Episcopi munera explicare studebimus: propterèa quod Episcopi Legatio, Observatio, Visitatio, Exploratio, Inspectio, Administratio, Aptatio, speculatio, &, ut ità dicam, superintendentia in præsidiis Christi, vel Christiani Gregis est.

Nec hoc loco subticendum reor, Constantinum Magnum, Imperatorem, iuxtà dictorum nominum vim sese Episcopum coram Episcopis, quos convivio excepit, nominasse, ut Eusebius testatur, in hanc verborum formam: *Atqui vos intùs* (*ideſt intrà Ecclesiam*) *Episcopi, Ego verò foris adeò possum dici Episcopus*. Quæ sanè verba Eusebius se ab eo audivisse narrat dicto in convivio. Id quod à ratione alienum non videtur, si dicta nomina Episcopo congruentia diligentèr perpendantur. Hoc tamen discriminis est, ut Hieronymo placet, intèr Regem, sivè Imperatorem, & Episcopum, quòd Episcopus Regi antecellat: *Ille enim nolentibus præest, hic volentibus*: *Ille terrori subiicit, hic servitutem demit*: *Ille corpora custodit ad mortem, hic animas servat ad vitam*.

Euseb. Cæsar. lib 4. in Vita Constant. c. 24

Hieronym. ad Nepotian. de Vita Cleric.

Hæc pro Episcopi nominis dilucidatione in medium afferre visum nobis est, ut hac càdem explicatione, ejusdem item nominis antiquitatem, id ipsumque ad Ecclesiasticos Antistites translatum fuisse ostenderemus. Nam inde à nascentis Ecclesiæ primordio, seù ut sic dixerim, incunabilis, nomen Episcopi in usu esse cæpit, ut ex Epistolis Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, necnon ex actibus Apostolicis videre licet. Quamvis autem nomina multa sint, quæ in Episcopali Dignitate constitutis jure tribuuntur, ea tamen in Speculo Pontificali, dum Nomenclatura Summi Pontificis, qui omnia Episcopi nomina sibi sortitur, verba faciemus, explicanda esse censuimus. Hæc de Episcopi nominis declaratione, & antiquitate; nunc reliquum, est, ut ad ejusdem statum accedamus.

1. Petri 2. 1. Timoth. 3 Tit. 1. Act. 1., & 20.

Speculum Pontificale.

De Statu Episcoporum generatìm considerato, & primùm de quadruplici Dignitate Episcopali.

ANteaquàm de Episcoporum statu disputationem aggrediamur, quadripartitam eorundem Dignitatem considerabimus, quam sanè rem ad propositum nostrum explicandum facere dijudicavimus: nam teste Aristotele priùs distinguendum, quàm diffiniendum esse novimus. Hæc dignitas, quamvìs Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitis, & Episcopis jure quidèm distinguatur, ut ait Isidorus, à quo distinctionem eandem Gratianus in prima Decreti parte accepit, hi tamen omnes Episcopi nomine vocitantur, ac reipsà sunt insigniti, sed eorum quisque proprio, ac distincto potitur nomine ad distinctionem potestatum præseferendam, quam singuli quique susceperunt.

Isid. lib. 7. Etym. cap. 12.

Gratian. d. 21. cap. 1. Clerof.

Patriarcha enim *Summus Pater* interpretatur, vel *Patrum Princeps*. Ἄρχος, *Archos* Græcè, Princeps Latinè dicitur. Appellatur autem Summus Pater, vel Patrum Princeps, quià primùm, eodem Isidoro teste, ideſt, Apostolicum retinet locum. Hinc summo fungens honore, hujus generis potitur nomine; quo in numero sunt in primis Patriarcha Romanus, Antiochenus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus, ut habetur in prima Decreti parte.

Isidor. lib. 7. cap. 12.

Gratian. d. 96. cap. 14. Constantinus.

Hæc autem, ut Bellarminus eruditè scribit, alitèr olim sese habebant. Nam Ecclesiæ Patriarchales tres tantùm erant, Romana scilicet, Alexandrina, & Antiochena, ut videre est in Concilio Nicæno, & Chalcedonis, in ep. 3. Anacleti, & 53. Ep. Leonis, & 37. Gregorii Magni lib. 6. Post autem quingentos ferè annos inter has adnumerata fuit Ecclesia Hierosolymitana in Concilio Nicæno, in quo primus locus datur Romanæ, secundus Alexandrinæ, tertius Antiochenæ, quartus Hierosolymitanæ, cui competit non re, aut potestate, sed honore tantùm. Postremò Ecclesia Constantinopolitana intèr has posita est; quia in Concilio Nicæno Constantinopolis nondùm erat, sed quinto anno post Nicænum Concilium ædificata fuit, ideſt vigesimo quinto Imperii Constantini anno. Hic autem Episcopus Constantinopolitanus in Concilio 1. Constantinopolitano non solum nomen Patriarchæ, sed locum intèr Patriarchas secundum habere conatus fuit. Id quod non antè Justiniani tempora à Summis Pontificibus impetravit. De numero, dignitate, antiquitate, aut, ut sic dixerim primitate Patriarchalium Ecclesiarum sermonem habet Bellarminus in loco citato: Patriarchales enim, & primæ Ecclesiæ ita dictæ sunt, quas Petrus fundaverat.

Bellarm. to. 1. lib. cap. 24.

Nicæn. can. 6. Chalcedon. act. 16.

Can. 7.

Bellarminus ubi suprà.

Quamvis autem Urbs Roma totius Terrarum Orbis caput, instar universi Orbis qua-

tuor Patriarchales Ecclesias habeat, ut ait Alvarus, hoc est, Sancti Joannis Lateranensis, Sanctæ Mariæ Majoris ad Præsepe, Sancti Laurentij extrà Muros, & S. Pauli; Præsens tamen in tempus Basilica item S. Petri Patriarchalis, & Episcopalis habetur, & vocitatur: Sed licèt, ut refert Alvarus, nonnulli Ecclesiam Sancti Petri, nec Patriarchalem, nec Episcopalem sed Episcopo Portuensi subjectam esse dicant; Ex secunda tamen Decreti Parte colligitur, Ecclesiam Sancti Petri Patriarchalem esse; ubi ex Julii Papæ Epistolâ hæc leguntur: *Et sicut Beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ità & hæc Ecclesia suo nomine consecrata* [*Domino instituente*] *prima, & caput sit cæterarum*. Prima verò hoc loco dicitur, hoc est, *Apostolica*, ut Glossa in 12. quæst. 1. interpretatur, & Hugo. Hæc de Patriarcha.

Alvar. depl. Eccl. lib. 2. cap. 11.

Alvarus ibid. & in Postilla Cantus 22. quæst. 1. c. 15. Futuram. 3. q. 6. Dudum Julius Papa Episc. Orientalibus ep. 1.

12. qu. 1. c. 15. & postilla in hunc locum, & Alvarus ubi suprà.

Archiepiscopus *Princeps*, vel *summus Episcoporum* interpretatur; vice enim, ut Isidorus, & Gratianus locis superiùs citatis ajunt, fungitur Apostolicâ, tàmque Metropolitis, quàm cæteris Episcopis præest. Hoc autem loco sciri debet Archiepiscopos interdum *Primates* interdum vero *Metropolitas* vocitatos fuisse à Magistro Sententiarum.

Isidor. ubi suprà. Grat. dist. 21. cap. 1.

Mag. Sentent. lib. 4. dist. 24. §. Ordo autem.

Metropolita dicitur à Civitatum mensurâ, quam μέτρον metrum vocant; singulis enim Provinciis præest, cujus auctoritati, ac Doctrinæ cæteri Sacerdotes subjecti sunt, sine quibus nihil reliquos agere licet, ut Isidorus, & Gratianus testantur, ac decem, vel undecim Suffraganeos habere debet, ut ait Glossa in hunc locum. Vel Metropolita, ut aliis placet à *Metropoli* nuncupatur, quæ latinè *Mater Civitas* interpretatur. Nam μήτηρ, Mater; πόλις Civitas. Metropolis enim (inquit Budæus in Pandectas) dicitur *Urbs*, ex qua Coloniæ deductæ sunt, quales multæ Athenis, & ab Urbe Româ. Sic enim se habet Metropolis ad Coloniam, ut mater ad filiam. Id quod illo Thucidis loco manifestè declaratur: *Colonia beneficio affecta honore Metropolim suam prosequitur: injuriâ autem affecta ab ea alienatur*. Hæc Budæus ex Thucidide. Suidas etiam idem ferè hunc in modum ait: *Metropoles dicuntur Civitates, quæ Colonias miserunt*, vel ut alia editio habet, *deduxerunt*. Hinc latinè *Matrices Civitates*, & *Ecclesiæ* dici possunt.

Isidor. & Grat. ubi suprà.

Budæus in Pandectas adnotat. prioribus.

Suidas in Dict. Metrop. Μητροπόλεις.

Episcopi, sicut superiùs declaratum est, *Superintendentes*, aut *Speculatores* interpretantur juxtà Etymologiam assignatam, secundùm quam, ut ait Isidorus, & Gratianus, omnes superiùs designati ordines, uno, eodemque vocabulo *Episcopi* nominantur. Sed ideò privato nomine quidam utuntur, propter distinctionem potestatum, quam singularitèr acceperunt. Hæc Auctores suprà citati.

Quòd Episcopatus non est Ordo, sed Ordinis Eminentia.

Opiniones contrariæ de Ordine Episcopali.

HOc autem loco animadversione dignum videtur quod ab Isidoro, & Gratiano dicitur de ordine Episcoporum. Etenim Canonistæ, & alii, qui eos sequuntur Episcopatum Ordinem Sacrum esse volunt: Theologorum verò major Pars contrariam, ac veriorem tuentur opinionem, satisque Canonistarum facit rationibus, quæ tamquàm minùs veræ infirmæ statim redduntur: Episcopatus namque, ordo proprii dici non potest, sed Ordinis eminentia, sivè dignitas, in qua nec characteris impressio datur: Si enim accipiatur Episcopatus, quatenùs Ordinem Sacerdotii complectitur, & in se retinet, Ordo quidèm dici potest: Si autem consideretur, ac sumatur tamquàm à Sacerdotio distinctus, nonnisi *dignitas* quædam vocitari potest: Ordinis namque Potestas, cum ad Sacramentorum dispensationem in primis faciendam, præsertim verò ad illius nobilissimi Sacramenti, Corporis scilicèt Salvatoris nostri sit instituta, post Sacerdotium nullus Ordinis gradus reperitur. Quia distinctio cunctorum ordinum, & graduum omnis, nonnisi propter Altaris ministerium, hoc est, propter Sanctissimum, & omni veneratione dignissimum Sacrificium, data est; in qua omnis divini cultus consumatio est. Hinc Sacri Ordines *Sacramenta* dicuntur, ut ait Magister, quia in eorum perceptione res sacra, idest, gratia confertur, quam figurant ea, quæ ibi geruntur. Quamvis autem dignitatum, & officiorum ultrà gradum, & ordinem Sacerdotalem distinctio detur, veluti Archipresbyter, Episcopus, Archiepiscopus, vel Metropolita, Patriarcha, & Summus Pontifex, non novum ordinem ultrà Sacerdotium addunt, sed tantùm dignitatem, & officium constituunt. Hugo enim de Sancto Victore, cui adstipulatur Magister sententiarum hunc in modum ait: *Sacerdotii gradus dispares in eodem ordine habet dignitates, Episcopos scilicèt, Archiepiscopos &c.*

Hugo lib. 2. Sacr. part. 3. Mag. Sent. d. 24.

Rationes etiam id ipsum persuadent, & confirmant: nam fieri potest, ut Sacerdotium quis per saltum accipiat prætermisso Subdiaconatu, vel Diaconatu, ut patet ex primâ Decreti Parte, in qua narratur, quemdam Clericum ordine Subdiaconatus prætermissò, non superbiâ, sed negligentiâ, Diaconatum, & Sacerdotium suscepisse. Qua in re Grimaldus Episcopus Constantiensis quid hac in re faciendum esset, Alexandrum Secundum Pont. Max. consulvit, qui ei post alia verba respondit in hanc verborum formam: *Nos consulendo charitati vestræ mandamus, ut ab officio Sacerdotali eum prohibens, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus ministerium sibi ritè imponas: Et sic deinceps ad majora officia eum redire concedas*. Id quamvis in sacris Ordinibus suscipiendis fieri queat, in Episcopatu tamen non item. Nemo enim in Episcopum assumi, vel consecrari potest, Sacerdotio prætermisso, sicut dicitur *Extrav. de Excessibus Prælatorum*. Quarè Innocentius pro hac re confirmandâ, Pontificale officium sine Altaris Ministerio adimpleri non posse ait. Promotus item in Sabbato ad sacrum Ordinem, die sequenti alium ordinem sacrum suscipere non debet: Sed Promotus ad Sacer-

Dist. 72. cap. 1. Solicitudo. Et Extra. de Cleric. per saltum ordinat. Tuæ literæ.

Extra d. Excess. ex literis, Innoc. III.

cerdotium die Sabbato, die sequenti, idest Dominico in Episcopum promoveri, & consecrari potest, sicut experientia ipsa docet. Episcopatus ergò Sacer ordo dici non potest: Sed *Ordinis Eminentia*, vel *dignitas* nuncupari debet: quia in Episcopatu novus non imprimitur character, nec nova Ordinis datur Potestas, sed jam data in Sacerdotio amplificatur: & quemadmodùm in ipso Episcopatu alię non dantur claves, ità nec alius elargitur ordo, sicut Hugo de Sancto Victore, & Magister Sententiarum cum aliis Theologis optimè senserunt.

Idem per diffinitionem Ordinis Sacri confirmatur. Ordo enim, ut à Magistro Sententiarum, & ab Hugone diffinitur, *est signaculum Ecclesiæ quoddam, quo spiritualis Potestas traditur ordinato*. Hæc autem Diffinitio Episcopatui congruere non videtur: nam Character, qui est signum, vel signaculum, quod in anima imprimitur, est potestas ad aliquid spirituale, & in quocumque Ordine imprimitur per traditionem Instrumenti, pertinentis ad actum illum, qui est in illo Ordine præcipuus, sub formâ verborum præscriptâ, ut Sanctus Thomas docet: quod nos infrà suo loco, cum scilicèt de officiis Episcoporum sermo habebitur, diffusè, ac distinctè ostendemus: sed in Episcopatu Character non imprimitur: quia si Character imprimeretur, posset quis consecrari in Episcopum non Sacerdos: quod fieri non potest. Quarè per illam dictionem, *Signaculum*, in diffinitione Ordinis, loco generis positam, Episcopatus ab Ordinis diffinitione excluditur.

Adde etiam, quòd Episcopo per Episcopatum susceptum nova non datur potestas, sed solum potestas ligandi, atque solvendi in Sacerdotio per manuum impositionem juxtà formam verborum præscriptam ei tradita amplificatur, per baculum videlicèt pastoralem, per anulum, per mitram, & per id genus alia, quæ ut suo loco distinctè explicabimus, spiritualem potestatem præferunt, & potiùs Sacramentalia, quàm Sacramenta dici possunt: Sacramentalia enim non solùm præcedunt Sacramentum, sed etiam post ipsum sequuntur, ut ait S. Bonaventura.

Id ipsum hoc item modo confirmatur: Nam si quis Episcopali Dignitate insignitus, & consecratus ad Archiepiscopatum promoveretur, non item consecraretur, sed solùm Pallium, atque usum ejus, non ad novum ordinem significandum, sed ad dignitatem altiorem demonstrandam eâ in promotione acciperet.

Quamvis autem Ordine Sacerdotali insignitus, cùm ad Episcopatum promovetur, inungitur, quando consecratur, & solemnior inunctio in Episcopo, quàm in Sacerdote consecrando fit; Illa tamen inunctio non respicit ordinem, quatenùs Ordo est, sed majorem dignitatem, sivè eminentiam Status, & Dignitatis Pastoralis, in qua debet esse major eminentia sanctitatis, & status perfectionis, quàm in Ordinibus Sacris suscipiendis, per superabundantem inunctionem significata, ut Sanctus Bonaventura docet.

S. Bonavent. lib. 4. Sent. d. 24. q. 3. ad ult. arg.

Quòd autem inunctio non ordinem, sed dignitatem præseferat, id exemplo Regum intelligi potest, qui Ordines Sacros non suscipiunt, inungi tamen solent ad regalem Dignitatem conferendam, aut significandam. Epilogus dictorum. Episcopatus ergò non est Ordo, sed Ordinis Eminentia, sivè Dignitas, nec in eo imprimitur Character; nisi Ordinis nomen ad officia, & dignitatem referatur: Et hoc pacto, & hac significatione sumi potest dictum Isidori dicentis, *Ordinem Episcoporum quadripartitum esse*, hoc est, quadrifariam esse Dignitatem Episcopalem. Hunc denique in modum explicari potest dictum Gelasii Papæ, qui Ordinum gradus distinguens, in calce capitis ait: *Si quis Episcopus esse meretur, fit primùm Ostiarius, deindè Lector, posteà Exorcista, indè sacretur Acolythus, demùm verò Subdiaconus, deindè Diaconus, & posteà Presbyter: Et exindè, si meretur, Episcopus ordinetur.*

Isid. lib. 7. Etym. cap. 12.

Decr. part. 1. dist. 75. cap. 1.

Hùc etiam spectare videtur dictum Dionysii Areopagitæ, qui frequenter in prima, quinti capitis parte de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, Episcopatum appellat *Ordinem*. Idem affirmat Ignatius Martyr scribens ad Smyrnenses, dum Episcopatum *sublimiorem ordinem* nominat: atque item Leo ad Anastasium Episcopum scribens Episcopatum inter Ordines Sacros manifestè ponit. Hujusmodi autem auctoritatibus, & id genus aliis, unico illo responso, quod in medium attulimus fieri satis profectò potest.

Dionys. lib. de Eccl. Hierarch. p. 1. c. 5.

Ignat. Epistolâ ad Smyrn.

Leo lib. Can. cap. 34.

Quamvis autem Canonistæ Episcopatum esse ordinem, eoque Characterem indelebiliter imprimi velint, propterèaquod, ut ipsi ajunt, Papa à Degradato, vel Excommunicato Episcopo ordines conferendi facultatem auferre non potest, etiamsi absolvendi, sivè excommunicandi potestatem, hoc est, usum potestatis, quæ *Jurisdictio* dicitur, auferre valeat, ut etiam S. Thomas non in ordine ad verum, sed in ordine ad mysticum Christi Corpus, affirmare videtur; major tamen Theologorum pars oppositum statuit, idque rationibus probat, Episcopatum scilicèt non esse ordinem, neque in eo imprimi Characterem; Idque hæc præsertim ratio persuadet, ut superiùs dictum est, quia Episcopi consecratio per saltum facta, hoc est absque Sacerdotio irrita, & nulla est, cum in præcedenti Sacerdotii ordine fundetur; In sacris autem Ordinibus suscipiendis res non ità se habet: propterèa quod ordinatio per saltum facta tenet. Nam si quis Sacerdotium, Diaconatu prætermisso, susciperet, Sacerdotium ab eo non esset ampliùs resumendum, sed Diaconatus Ordinem suscipere deberet, sicut superiùs satis probatum esse constat.

Canonistarum Opinio ex 9. q. 1. Ordinationes.

S. Thom. lib. 4. dist. 24. q. ult. arg. 2., & q. 2. ad 2., & 3., & d. 25.

Dist. 52. c. 1. Solicitudo. De Clerico per saltum ordinato. Tuæ literæ.

Quoniam verò Episcopatus in Sacerdotio fundatur. hinc secundùm Canonistas dici posset, ab Episcopo degradato, vel Excommunicato facultatem conferendi Ordines auferri non posse: Id tamen multi Theologi negant dicentes Episcopatum, & Sacerdotium esse unam, eandemque potestatem, ex qua multi actus proveniunt, partim ad Sacer-

Ordinis Eminentia dictum.

Hugo lib. 2. cer. par. 3. Mag. lib. 4. ds. 24.

Mag. lib. 4. ist. 24. §. Si item quæritur. Hugo de Vict. part. 3. e Sac. lib. 2. Character uid.

Thom. lib. 4 ent. d. 24. q. 3.

Character in Episc. non imprimitur.

Potestas nova Episcopo non datur, sed olim data amplius.

S. Bonavent. lib. 4. Sent. dist. 24. q. 3. ad respons. arg. 5.

cerdotium, partim verò ad Episcopatum pertinentes; quorum illi absque Jurisdictione, ut Eucharistiam conficere, hi verò, ut absolvere, ordinare, confirmare, & consecrare, non sinè Jurisdictione exerceri possunt. Hinc juxtà Innocentii opinionem, cui adversatur Triumphus, ut infrà videbimus, volunt, ut per hanc Jurisdictionem simplici Sacerdoti demandatam, Sacerdos ipse consecrare, ordinare, & alia, quæ Episcopo congruunt, facere possit: Sed Episcopus Degradatus, sivè Depositus actus suos perficere non queat, quamvis exercere tentaret.

Hugo, Innoc. assentit. d. 75. cap. Pervenimus. De Conscrip. cap. Quanto, & ibi Glos., & Innoc. Augustin. Triumph. de Eccl. pot. 9. 74. art. 2.

Nec diffinitio Ordinis à Canonistis data pro suâ ipsorum opinione tuendâ sufficiens videtur. Dicunt enim; *Ordo est gradus Clericî in Ecclesiâ Militanti*: quæ sanè diffinitio, seù descriptio, quamvis Episcopus sit Clericus gradatus in Ecclesia Militanti est insufficiens juxtà Theologorum doctrinam dicentium: *Ordo est gradus Clerici in Ecclesia Militanti ad perfectissimum Ecclesiæ actum disponens, qui est Eucharistiæ confectio*. Ex qua diffinitione exactiùs à Theologis considerata, omnis Ordo est propter Altaris Ministerium, & Sacrosanctum Sacrificium, in quo omnis divini cultus consummatio est, ut legitur apud Dionysium Areopagitam. Et post Sacerdotium nullus Ordinis gradus reperitur, sicut superiùs probatum est. Nec diffinitio à Magistro Sententiarum tradita, quam recitavimus, ac discussimus, Episcopatui convenire potest ob rationem inibì assignatam. Reliquum est igitur, ut concludamus, Episcopatum Ordinis Eminentiam, ac Dignitatem esse, non autem propriè Ordinem, nisi quatenùs Episcopatus ipse Sacerdotium, & Corpus Christi verum complectitur, & in se retinet, sicut multis jam verbis demonstratum est. Et hac præsertim ratione apud Cyprianum, & alios Doctores Episcopi absolutè, & absque alio additamento Sacerdotes vocitati sunt.

Dionys. Areop. de Eccl. Hierarch.

Epilogus rei propositæ.

Cyp. ep. 66. tom. 1.

Sacerdotes olim omnes Episcopali nomine erant insigniti.

TAmètsi Episcopatus Dignitas est gradus ab Ordine Sacerdotali distinctus, simplices tamen Sacerdotes olim omnes Episcopi vocitabantur, sicut veterum scriptorum monumenta testantur. Id quod pro statu Episcopalis explicatione nobis declarandum sese offert. Duo autem in causâ fuerunt, cur simplices Sacerdotes antiquitùs Episcopi dicerentur, Christi scilicèt Corporis consecratio tàm à simplici Sacerdote, quàm ab Episcopo pari effecta modo, nec non Ecclesiæ, ut ità dicam, nascentis necessitas, quæ multis in rebus ad Episcopos pertinentibus cogebat ipsam, ut Presbyterorum Ministerio uteretur. Hinc Sacerdotes illi ob hujusmodi ministerium sibi demandatum, modò Episcopi, modò Chorepiscopi, quasi Vicarij Episcoporum vocitabantur, nondùm in ipso Ecclesiæ Primordio distinctione nonnullarum vocum factâ.

Chorepiscopi quinàm fuerint.

DE Chorepiscopis, eorumque Officijs fit mentio in Concilio Ancyrano in Provinciâ Galatiæ habito ex Editione secundâ hunc in modum: *Vicariis Episcoporum, quos Græci* Chorepiscopos *vocant, non licet, vel Diaconos ordinare; Sed nec Presbyteris Civitatis, sine Episcopi præcepto amplius aliquid imperare, vel sine auctoritate literarum ejus in unâ quaque Parochiâ aliquid agere*. De iisdem in Concilio Neocæsariensi, tempore Eusebii, vel Melchiadis Papæ circà annum Dom. 311. vel 316. habito, cujus Canones quatuordecim 6. Synodus Generalis in Trullo habita, approbavit, sermo habetur eo in Canone, in quo Presbyteros alterius Regionis in Ecclesiâ præsentibus Episcopis, vel Presbyteris Civitatis, nec offerre, nec dare panem sanctificatum, nec calicem porrigere posse decernit. Si autem Sacerdotes Civitatis sint absentes, id eos solos facere posse ajt. De Chorepiscopis in hunc decernit modum: *Vicarii autem Episcoporum* [*quos Græci* Chorepiscopos *vocant*] *constituti sunt quidèm ad exemplum septuaginta seniorum, sed tamquàm Consacerdotes propter solicitudinem, & studium, quod in Pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur*. Quibus sanè verbis non solùm Chorepiscopi origo dignoscitur, atque Etymologia, verùm etiam ejusdem officium aliquâ ex parte declaratur. Id quod in Concilio Antiocheno tempore Julii Papæ Primi habito, à sextâ Synodo Generali Trullensi approbato, ut ex secundo Canone Editionis Græcæ constat, magis explicatur can. 8. in hanc verborum formam secundùm Editionem primam: *Presbyteri, qui sunt in Agris, Canonicas Epistolas dare non possunt: ad solos tantùm vicinos Episcopos literas destinabunt. Chorepiscopi autèm, qui sunt irreprehensibiles, dare possunt pacificas, ideſt generales Epistolas*. Alia Editio, quæ dicitur secunda, extat in hanc verborum formam: *Neque Presbyter ad Regiones longinquas, formatas (ideſt Canonicas) epistolas dare, & nisi ad finitimos Episcopos, simplices Epistolas mittere præsumat. Vicariis verò Episcopi, qui à Græcis* Chorepiscopi *vocantur, formatas facere licet*. Hoc in loco Differentia inter Presbyteros, & Chorepiscopos, quantùm ad literas commendatitias, quæ vocantur Pacificæ, vel formatæ in Peregrinis commendandis tantùm assignatur: infrà verò, ejusdem scilicèt Antiocheni Canone decimo, Chorepiscopi munia magis hisce explicantur verbis: *Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen Sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent sibi subjectas Ecclesias, earumque moderamine, curâque contenti sint. Ordinent etiam Rectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus Promotiones istæ sufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare, præter Civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est; Si quis autem transgredi statuta tentaverit, depositus, quo utebatur*,

Ancyr. Concil. cap. 12. e tom. 1. Concil. ann. Dom 303.

Neocæs. Concil. ann. Dom 316. tom. 1. can. 13.

Neocæs. Concil. can. 13. ex tom. 1. Conc.

Euseb. lib. 7. cap. 24. & 25. in hist. Eccl.

Antioch. Conc. can. 8.

Antioch. Conc. can. 10. Manus impositio, ideſt cõfirmationis Sacramentũ, quod solum Episcopi conferre possunt.

tur, honore privetur. Chorepiscopum verò Civitatis Episcopus ordinet, cui ille subjectus est.

Ex hoc Canone munia à Chorepiscopo exercenda dignoscuntur, ejusdemque Etymologia insinuatur, propterea quòd in Canonis calce ab Episcopo Civitatis Chorepiscopus dicitur ordinatus, eique subjectus, quasi ejus Vicarius, & in Vicis præsertim, hoc est, in Villis, sicut prima Canonis verba docent. Id quod Damasus Papa Primus apertè declarat, dùm ad Episcopos Aphricæ scribit de Chorepiscopis, quinam scilicèt ipsi sint, ac de vanâ superstitione eorum vitandâ, deque eorundem non semel prohibitâ, atque damnatâ præsumptione ait, Chorepiscopum à voce græcâ χώρη, quæ apud latinos *Villa* interpretatur, dictum esse, quasi Vicanum, vel Villanum, hoc est in Villis degentem, & in Vicis tantùm Jurisdictione sibi delegatâ utentem. Chorepiscopi enim in Primitivâ Ecclesiâ ob necessitatem, ut dictum est, Instituti fuerunt ad formam septuaginta Seniorum, vel septuaginta Discipulorum, ut in Conciliis, & in Epistolis Summorum Pontificum constat, pro quibusdàm officiis exercendis in Villis tantùm: hique à pluribus Episcopis primitùs ordinabantur. Inter Episcopos autem, & Chorepiscopos hæc erat differentia: quia Episcopi nonnisi in Civitatibus, Chorepiscopi in Vicis ordinari poterant: Episcopi formatas tribuebant Epistolas, Chorepiscopi, nonnisi commendatitias, & pacificas dare poterant. Episcopi Jus consecrandi habebant, Chorepiscopi minores Ordines dare valebant: Leviticam autem, & Sacerdotalem benedictionem præstare non poterant, hoc est minores Ordines usque ad Subdiaconatum inclusivè conferre quibant, non autem Diaconatum, & Presbyteratum, nec Chrisma conficere, nec Chrismate Baptizatorum frontes signare, nec publicè quemquam in Missâ reconciliare, ut ex Concilijs, & Summorum Pontificum Epistolis constat.

Chorepiscopus undè dictus.

Et Antioch. Neocæsar. Conc. can. 13.

Epist. Damasi 4., & alibi, & dist. 63. c. 5. & ep. 86. Leonis I. tom. 1., & 2. Concil., & p. 3. Joann. Papæ tom. 2. Concil. Episcoporum & Chorepiscoporum differentia ex Cõcil. Neocæs. can. 13. & Antioch. c. 8., & 10. tom. 1. Cõcil. & ex epist. 4. Damasi tom. 1., & ex ep. 86. Leonis tom. 2. Concil. & ex Gratian. dist. 63. c. 4., & 5.

Hinc Marianus Scotus in Chronicis, Franciscus Horatius lib. 6. locorum cathol. cap. 12., & Panuinius annot. 1., & 2. in Platinam, Linum, & Cletum Chorepiscopos fuisse in hanc verborum formam ait; *Linus Chorepiscopus sub Petro Apostolo, exteriora curavit per annos undecim, mensesque tres.* Et infrà: *Linus his consulibus, scilicèt Capitone, & Rufo est passus nono Kalendas Octobris. Cletus Chorepiscopus successit annis duodecim.* Damasus enim Primus ait, Clementem fuisse institutum successorem à Petro, qui ut ait Leo II. Linum, & Cletum accivit, tamquàm Chorepiscopos ad exteriora ministranda, non autem ad Potestatem Pontificiam exercendam, quam tamquàm successori suo Clementi commisit: Et hunc Marianus ibidèm ait Romanam Ecclesiam rexisse primum post Petrum cum Lino, & Cleto, qui etiam cum Petro fuerunt. Eusebius autem Cæsariensis Clementem post Anacletum, ac tertium ab Apostolis in Urbe Româ Papam successisse scribit. Idem ferè ait Joannes III. in Epistolâ suâ decretali. Et hoc Canoni Sacro respondet, in quo Linus primo, Cletus secundo, Clemens tertio loco nominatur. Multi enim Clementem à Petro successorem fuisse institutum, sed successionem Lino, & Cleto dedisse scribunt. Græci Cletum cum Anacleto miscent, & ex duobus unum constituunt. Sed Latinis potiùs credendum est. De hac difficultate, præsertim verò de hujusmodi successione videre est Franciscum Turrianum, qui hanc quæstionem diffusè tractat. De hac item loquitur Tertullianus, necnon B. Hieronymus in Cathalogo de Scriptoribus, & contrà Jovinianum in cap. 52. Isaiæ. Utcumque autem sit, usus Chorepiscoporum fuit, inter quos numerantur Linus; & Cletus, Petro vivente.

Marian. Scotus in Chron. ex tom. 1. Concil.

Damas. in lib. Pontif. ex tom. 1. Conc. Leo in epist. Decr. ex to. 1. Concil., & 3. Euseb. lib. 3. hist. c. 14.

Joann. III. ex tom. 1. Cõcil., & 2.

Turrian. lib. 2. pro Ep. Pot. cap. 10.

Tertullianus.

Hieronymus.

Ex hac Institutione Chorepiscoporum, qui in primitivâ Ecclesiâ erant necessarii, ortus fuit abusus, quantùm ad nomen, quantùm ad officium, & quantùm ad ordinationem: quia in Processu temporis Episcopi nomen, & officia sibi improbè usurpabant; & cum à pluribus Episcopis institui deberent, ab uno solo, pro ipsius Episcopi quiete, ac voluptate capiendâ absque ullâ necessitate instituebatur, eisque Populi Civitatum committebantur. Quarè Damasus Primus de Episcopis, qui hujusmodi Chorepiscopos instituebant suis in Civitatibus ait in hanc verborum formam: *Illi namque Episcopi, qui talia sibi præsumunt, videntur mihi esse meretricibus similes, quæ statimut pariunt, infantes suos aliis Meretricibus tradunt educandos, ut suam citiùs libidinem explere valeant. Sic & isti fratres suos aliis nutricibus tradunt educandos, ut suas libidines expleant, ideſt, ut pro suo libitu sæcularibus curis inhient, & quod unicuique fuerit visum, libentiùs agant. Pro talibus animæ pereunt, morbi crescunt, hæreses, & schismata prodeunt; Ecclesiæ destruuntur, Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt.* Ad hæc auferenda Chorepiscoporum improba Institutio, ut inibì idem Damasus ait, tàm à Sanctâ, & Apostolicâ Sede, quàm à totius Orbis Episcopis damnata fuit ob tres præsertim causas: tùm quia Chorepiscopi contrà Canones nonnisi ab uno Episcopo ordinari cœperunt; vel si à pluribus, non in loco solito, ac legitimo, vel in Civitatibus ordinabantur, ità verò, ut duo in eàdem Civitate contrà omnem prohibitionem forent Episcopi; tùm quia hic tertius Ordo, scilicèt Chorepiscoporum in sacris, ac divinis literis auctoritatem non habet, cum duos tantùm ordines inter Discipulos Domini fuisse constet, duodecim videlicet Apostolorum, quibus succedunt Episcopi, & septuaginta Discipulorum, quibus Sacerdotes omnes succedere dignoscuntur, ut in Conciliis, in Epistolis Summorum Pontificum, ac Decretis suprà citatis videre licet. Hinc Damasus Chorepiscopi Etymologiam, & originem in locis suprà citatis insinuatam, & alia incongrua perpendens, ait: *Cum autem dixit Chorepiscopum profectò Villanum voluit intelligi Episcopum. Et si Villanus, quid agit in Civitate, cùm in una Civitate duo omninò prohibeantur esse Episcopi?*

Epistolâ eâdem ubi suprà.

Dist. 63. cap. 5.

Dist. eâdem.

Dist. 4. ex tom. 1. Conc.

ſcopi ? Et ſi in Villâ, & in eo loco, ubi anteà non fuerunt Epiſcopi [*cum in modicâ Civitate, vel in Villâ, aut Caſtello Epiſcopus fieri prohibeatur, & in omnibus omninò locis, ubi anteà Epiſcopi non fuerunt, ne vileſcat authoritas, & nomen Epiſcopi*] *fuerint conſtituti, quid* (*rogo*) *ermnt?* Quibus profectò verbis Damaſus vult intelligi, nomen, & officium Chorepiſcoporum nihil prorsùs eſſe : & propterea dictam Chorepiſcoporum ordinationem jure olim fuiſſe damnatam, & iterùm damnandam, vel potiùs damnatam eſſe confirmandam. Hinc ut objectioni omni reſpondeat, ſubinfert dicens : *Ecce nec locus cum ordinatione concordat, nec ordinatio cum loco : quoniàm ſi Epiſcoporum manus impoſitionem perceperunt, & ut Epiſcopi ſunt conſecrati, ubi ſunt conſecrati ? Ad Villam : quia χώρη Villa eſt apud Græcos.* Deindè cùm in Villa Epiſcopus eſſe non poſſit, ut infrà inſinuare videtur, [quod ſuperiùs apertè dictum eſt] in Epiſtolæ calce concludit per eandem meretricum ſimilitudinem jam recitatam, dicens : *Ceſſet ergò, ceſſet tot vicibus prohibita, & damnata præſumptio: nec imitentur ſummi Sacerdotes Mulieres meretrices, quæ Infantes ſuos, præſtâ voluptate aliis ad nutriendum tribuunt: Sed ipſi nutriant, ipſi Domino ſuo fructum cum uſurâ reddant, fructuoſoſque manipulos ei cum gloriâ præſentent.* Hæc Damaſus.

Epiſcopi dicuntur ſummi Sacerdotes reſpectu ſimplicium Sacerdotum.

De hac Chorepiſcoporum damnatâ ordinatione fit etiam mentio à Leone Papâ Primo in Epiſtolâ ad Univerſos Germaniæ, atque Galliæ Eccleſiarum Epiſcopos, & à Joanne Papâ III. in Epiſtolâ Decretali ad eoſdem, in qua Sermonem habet de Damaſi, Leoniſque Summorum Pontificum Decretis, quibus dicta Chorepiſcoporum ordinatio damnata fuit: Tempore enim Joannis Papæ circà annum Dom. 561. temeritas Chorepiſcoporum aliquâ ex parte adhùc vigebat, ut ex Epiſtolâ ipsâ conſtat, qua Chorepiſcopos quoſdam temerarios olim damnatos reprehendit. Idem fit in Concilio 2. Hiſpalenſi can. 7. circà annum Dom. 619., & in Concilio Pariſienſi circà annum Dom. 829. cap. 27. necnon in Concilio Meldenſi circà annum Dom. 845.

Epiſt. 86. to. 2. Concil.

Epiſt. Decretali tom. 2. Concil.

Hiſpalenſe Concilium.

Concilium Parienſe. Concil. Meld. cap. 4. tom. 3. Concil.

Poſtremò Concilium Tridentinum Epiſcopis, qui *Titulares* vocantur, quià ſunt Epiſcopi Eccleſiarum, quæ in Partibus Infidelium conſiſtunt, expreſsè prohibuit, ne audeant aliquos ordinare ſinè literis dimiſſoriis, & expreſſo conſenſu proprii Epiſcopi, e cujus Diœceſi erunt ii, qui Ordines Sacros, aut minores, aut primam Tonſuram ſuſcipere cupiunt. Hi enim Titulares Epiſcopi aliquâ ex parte quibuſdam Chorepiſcopis reſpondent. Chorepiſcopi enim in duplici fuerunt genere, quorum alii erant veri Epiſcopi: alii verò ſimplices Sacerdotes. Illi conſecrabantur à pluribus Epiſcopis, & tamquàm veri Epiſcopi omnia munia Epiſcopalia exercere poterant. Dicebantur autem Chorepiſcopi à voce Græca χώρη, quæ eſt locus ſivè vicus, ſivè Villa, ut ſuperiùs dictum eſt, quia propriam non habebant Eccleſiam, cujuſmodi ſunt hodiè quidam Epiſcopi, quos Suffraganeos, vel Titulares vocant, de quibus diſſerè loquitur Hieronymus Vielmius Venetus, Æmoniæ Epiſcopo in lucubratione, quæ inſcribitur : De Epiſcopis, quos *Titulares* appellant. Chorepiſcopi verò, qui ſimplices erant Sacerdotes ab uno Epiſcopo ordinabantur, nonniſi in Villis, & in aliis hujus generis locis nonnulla de mandato ſui Epiſcopi exercebant. Hinc Damaſus Papa de his ait : *Presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum conferre non poſſunt, nec Virgines, nec Altare erigere, nec ungere, aut ſacrare, nec Eccleſias dedicare, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate Baptizatorum frontes ſignare, nec publicè quidèm in Miſsâ quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas Epiſtolas mittere, nec Populum benedicere, nec antè Epiſcopum in Baptiſterio, aut in Sacrario introire, nec præſente Epiſcopo infantem erigere, aut ſignare quibant, nec alia niſi Epiſcopo jubente.* Hæc Damaſus. Quamvis autem in nonnullis Conciliis prohibeatur Chorepiſcopis, qui ſimplices tantùm Sacerdotes repræſentant, ne Presbyteratum, & Diaconatum conferre valeant, nullumque verbum de Subdiaconatu fiat, de hoc item prohibitio intelligenda eſt, cum ipſe Sacer Ordo ſit, & à veteribus eodem nomine interdum Diaconatus, & Subdiaconatus fuerint nuncupati. Si quando verò ſecundi generis Chorepiſcopis conceſſum eſt, ut Subdiaconatum conferre poſſent, tunc cum iis diſpenſatum eſſe dicas oportet, ſicut de confirmationis Sacramento factum eſſe conſtat, præſertim verò à Beato Gregorio Magno, qui abſente Epiſcopo, conceſſit, ut ſimplices Sacerdotes illud ſubminiſtrare valerent, ſicut ſuperiùs dictum eſt, ad ſcandalum auferendum. Id quod etiam à Beato Ambroſio de Sacerdotibus Ægypti narratur.

Vielm. Epiſt.

Damaſus ep. 4. ex to. 1. Concil.

Gregor. lib. 3. ep. 26. in fine.

Ambroſ. in cap. 4. Ep. ad Epheſ.

Hæc de Chorepiſcopis pro cauſâ explicanda, cur ſcilicèt ſimplices olim Sacerdotes Epiſcopi dicerentur. Altera verò hujuſce rei cauſa fuit ob parem, & eandem Poteſtatem, qua tàm ſimplices Sacerdotes, quàm Epiſcopi omnes inſigniti ſunt in conſecratione Corporis Chriſti conficiendâ. Nihil enim facit Epiſcopus, quod non faciat Sacerdos, vel Presbyter, ordinatione, & confirmatione exceptâ. Hinc B. Hieronymus ad Evagrium ſcribens, ait : *Quid facit, exceptâ ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat ?* Quod autem Hieronymus de confirmatione hoc loco ſubticuit, in Dialogo contrà Luciferianos explicavit, dum Baptizatos nonniſi ab Epiſcopo confirmandos affirmavit. Alio item in loco Hieronymus, in primum ſcilicèt Epiſtolę Pauli ad Titum Commentario, ait Presbyterum, & Epiſcopum eundem olim fuiſſe in Eccleſiâ, ſed ob ſchiſma in eâ ortum, ſtatutum deindè eſſe, ut è Presbyteris unus cæteris præeſſet. Dicit igitur in hanc verborum formam : *Olim idem erat Presbyter, qui, & Epiſcopus. Et antequàm Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent, & diceretur in Populo : Ego ſum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos, quos baptizaverat ſuos putabat eſſe, non*

Hieronym. ep. 85. tom. 2.

Hieronym. in Dialog. cont. Luciferianos tom. 2.

Idem Commentario in Epiſt. ad Tit. tom. 8.

Chri-

Christi; *In toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & Schismatum semina tollerentur*. Hæc Hieronymus: qui ad Evagrium scribens, ex nonnullis Scripturæ Sacræ locis idem comprobare nititur, utrosque scilicèt Presbyteros, utrosque Episcopos fuisse olim vocitatos. Ad hanc rem demonstrandam extat Beati Pauli Apostoli testimonium in Epistolę ad Philippenses exordio, in qua ipse hunc in modum præfatur: *Paulus, & Timotheus, Servi Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconibus*. Hoc loco Paulus ad Sacerdotes, & Diaconos, Sanctosque omnes Philippensis Ecclesiæ scribens, per Presbyteros Episcopos intelligit: Non enim, ut S. Hieronymus ait, in unâ Urbe plures Episcopi esse potuissent. Idem Paulus in Actibus Apostolorum loquitur in hanc verborum formam: *Attendite Vobis, & cuncto Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, ut regeretis Ecclesiam Domini, quam acquisivit sanguine suo*. Hoc item loco Paulus ad unius Ecclesiæ Sacerdotes loquitur, quos per Episcopos intelligendos esse constat. Ad Titum quòque idem Paulus scribens, in unâ & eâdem periodo ipsum dicit Episcopum (Hieronymo interprete) quem jam jam Presbyterum nominavit. Idem, dùm ad Timotheum scribit, se Presbyterum, suumque Episcopatum Presbyterium, quamvis ipse foret Episcopus, qui dictum Timotheum in Episcopum ordinavit. Petrus etiam, cum esset Episcopus, & Summus quidèm, tamquàm Christi Vicarius, se compresbyterum nominat in primâ suâ Epistolâ canonicâ dicens secundum Editionem Græcam: *Presbyteros in vobis precor Compresbyter testis passionum Christi*. Vel ut Editio vulgata, & latina habet: *Seniores obsecro consenior*; quod idem sonat: nam Presbyter, *Senior* latinè interpretatur. Joannes item Apostolus, quem Jesus amavit plurimùm, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit, dum super pectus Domini in cænâ recubuit, cum jam esset Episcopus, Presbyterum, vel Seniorem se nominat in secundæ, ac tertiæ Epistolæ initio, sivè salutatione. Hæc ex B. Hieronymo ad Evagrium, & ex Decreto Gratiani, qui totam ferè B. Hieronymi Epistolam recitat, ut utrosque Presbyteros, utrosque Episcopos olim fuisse nuncupatos ostendat.

Hieronym. ubi suprà.

Philipp. 1., & Hieronym. in hunc locum n. 8.

Hieronym. in hunc locum. Actor. 20.

Tit. 1. Hieron. in hunc cum tom. 8.

1. Timoth. 4.

1. Petri 5.

Presbyter id.

Joann. 13. 21.

Joann. 1. Joann. 1.

Hac Epistolâ dictis, aliisque Scripturæ locis refertâ, B. Hieronymus invehitur in quendam, qui Diaconos ob officium, vel ob quandam jurisdictionem Presbyteris anteferebat. Hinc ut magis hanc rem coarguat, Presbyteros cum Episcopis eosdem facit: at in Episcopo Presbyterum, contrà autem non item, contineri omninò affirmat. Mirum igitur cuiquam videri non debet, si, ut superiùs diximus, idem Hieronymus hunc denique in modum dictâ in Epistolâ dicat: *Quid facit exceptâ ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Hic enim Doctor non minùs prudens, quàm eruditus, & Sanctus, atque de Christianâ Republicâ optimè meritus, facit, perindè ut fecit S. P. Augustinus, qui ad confutandos hæreticos nimiùm liberum arbitrium, vel gratiam extollentes, sivè fidem sinè operibus, vel his nimium deferentes, partem contrariam suprà oppositam opinionem omni tuebatur conatu, non secùs, atque ille, qui dum ex unâ parte curvam dirigere conatur virgam, eam tantumdèm, ac tantisper retrorsum flectit, dum rectam, hoc est, neque ad hanc, neque ad illam partem videat declinare. Hoc igitur modo Hieronymus facere visus est, sicut etiam alii Doctores Sancti facere solent, quorum sententiæ excessum interdum videntur admittere, ut ait Ægidius Romanus, non sunt tamen extendendæ, sed piè interpretandæ. Ut itaque Doctor Sanctus Diaconi cujusdam audaciam cohiberet, Presbyteros Episcopis pares facit; Vel quantùm ad vim nominum ipsam; (Sicut enim Episcopus *Superintendens*, vel *Speculator* interpretatur, ut superiùs demonstratum est; Juxtà quam interpretationem, Presbyteri, Parochi omnes, Episcopi jure dici possunt; Sic nomen Presbyteri, qui *Senior* interpretatur, Episcopis omnibus congruere potest, non ætatis tantùm, sed etiam dignitatis ratione in Scripturis Sanctis usurpatum, ut eas diligentèr intuenti constabit;) Vel quantùm ad Presbyteratus ordinem, non quòd in cæteris rebus ad Jurisdictionem pertinentibus, Episcopis Presbyteros, aut Diaconos Episcopis æquare velit, sicut nonnulli somniarunt, antidoti nomine venenum, juxtà consuetudinem fundentes, ut nullam cuivis obtrectandi omittant occasionem.

Ægid. Columna Rom. lib. 1. sent.

Presbyter dici potest Episcopus, & cōtra quantùm ad nomina.

Idem quantùm ad consecrationem.

Quandò autem in eàdem Epistolâ B. Hieronymus ad Evagrium scribens ait: *Quod postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in Schismatis remedium factum est: ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet*. Non satis hisce verbis propositum suum concludit: nam eadem Schismatis permansisset occasio: omnes enim unius Civitatis ab Antonio *Antoniani*; à Cæsare *Cæsariani*, à Jacobo *Jacobitæ* dici potuissent, juxtà illud: *Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephæ*.

Epist. 85. to. 2. & in primum caput Epist. ad Titū to. 8.

1. Cor. 1.

Hinc ad hujusmodi Schisma omninò extirpandum Discipuli primùm Antiochię, Christiani omnes vocitari cæperunt, sicut in capite Actuum Apostolorum undecimo testatur B. Lucas. Id quod Rabanus hunc locum explicans ait: *Omnes sectæ nomen trahebant de suo Authore: ideò fundatâ fide, & firmitatem obtinente, primùm in Antiochiâ, ubi præ cæteris locis fides florebat, sumptum est à Christo nomen Christianum*. Non igitur in Schismatis remedium, sed ex divinâ Institutione, Christo disponente unus ex Presbyteris, qui cæteris præesset, eligi cœpit. Quamvis autem Hieronymus in primum Epistolæ caput ad Titum dicat, sivè quivis alius eum dixisse voluerit hæc verba: *Episcopi noverint se magis consuetudine, quàm dispensationis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere*; non est tamen hoc loco immorandum ob dictorum verborum correctio-

Act. 11. Rabanus.

Hieronym. tom. 8. Grat. prima Decret. p. dist. 95. cap. 5.

Epist.85. to.2. rectionem, quam ponit in Epistolâ ad Evagrium dicens: Presbyter, & Episcopus aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. Undè ad Titum, & ad Timotheum de ordinatione Episcopi, & Diaconi dicitur: *De Presbyteris omninò reticetur, quia in Episcopo & Presbyter continetur.* Cum igitur loco citato Episcopatum esse Dignitatem, & in Commentario in primum Epistolæ caput ad Titum, nomen esse honoris, & oneris apertè dicat, superius dictum non est dilatandum, sed piè interpretandum, ut infrà id facere conabimur, tùm ex eo quod in calce Epistolæ ad Evagrium scriptum reliquit, dum traditiones Apostolicas ex veteri Testamento sumptas fuisse testatur, Episcopis autem, Presbyteris, ac Diaconibus partes esse tribuendas, quibus Aaron, & filii ejus, atque Levitæ potiti sunt, dicens: *Quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesiâ.* Et in Epistolâ ad Nepotianum de Vitâ Clericorum, dum Episcopos, & Clericos, ut invicem sibi honorem exhibeant, cohortatur ait: *Esto subjectus Pontificî tuo, & quasi animæ parentem suscipe, &c. Sed Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non Dominos, honorent Clericos, quasi Clericos, ut & ipsis à Clericis, quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud Oratoris Domitii: Cur ego te (inquit) habeam, ut Principem, cum tu me non habeas, ut Senatorem? Quod Aaron, & filios ejus, hoc Episcopum, & Presbyteros esse noverimus.* Hæc B. Hieronymus, ex cujus verbis satis constat maximum esse discrimen inter Episcopos, & Presbyteros, quantùm ad Jurisdictionem, non solùm ex Aaron summi Sacerdotis exemplo, & filiorum ejus, tamquàm simplicium Sacerdotum, ut in Levitico legitur, sed exemplo itèm Domitii (seù potiùs L. Crassi Oratoris ejus Collegæ, qui ab Imperatore se honorari volebat, ut ipse etiam Imperatori honorem præstare jure posset. Ex postremis igitur Epistolæ ad Evagrium verbis, necnon ex Epistolâ ad Nepotianum satis constat, B. Hieronymum Episcopis maximum detulisse honorem, quippè qui dignitatem, & authoritatem à Christo illis relictam non ignorabat. Neque ipsum latebat, Episcopos Apostolorum, simplices autem Sacerdotes, Discipulorum successores remansisse, ut infrà ad intimiorem status Episcoporum notitiam percipiendam ostendemus.

Tit.1. 1. Tim.3.

Hieronym. tom. 6., & Gratian.8.q.1 illud inferendum.

Ep.85.tom.2.

Ep.2.tom.1.

Levit.cap.8.

Cic.3.deOrat.

Ep.85.tom.2. Ep.2.tom.1.

Episcopi sunt superiores Presbyteris, quia Apostolos; Sacerdotes autem, septuagintà Discipulos repræsentant.

QUo in statu sint Episcopi, ex eo facilè intelligi potest, quòd successores Apostolorum sunt, quos tandem in statu perfectorum fuisse demonstrabimus. Sicut hodiè in Ecclesiâ Sanctâ Catholicâ Romanâ nonnisi ab Episcopo officium Confirmationis exerceri potest, ità etiam in primitivâ Ecclesiâ à solis Apostolis, ut videre licet in octavo Actuum Apostolorum, ubi legitur, Philippum, ex septem Diaconibus unum, & à Stephano secundum, in Civitatem Samariæ venisse, ibique Christum, hoc est, verum hominem ac verum Deum prædicasse; & ex ejus prædicatione viros, ac mulieres in nomine Jesu fuisse baptizatos. Hinc venerunt deindè Petrus, & Joannes eandem in Civitatem, ut eos per manuum impositionem confirmarent. Quod hisce constat verbis: *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondùm enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus, & actipiebant Spiritum Sanctum.* Qua ex re satis patet, solos Apostolos habuisse potestatem confirmandi. Nam si Philippus, ut ait Rabanus, unus ex septem Diaconibus hoc facere potuisset, nihil erat, quod Petrus, & Joannes illùc adiissent, & jam à Philippo Baptizatos confirmassent. Idem legitur in Actuum Apostolorum 19. Paulus enim, cùm quosdam Ephesi reperisset baptizatos Joannis Baptismate, quod erat quædam protestatio faciendi pœnitentiam, & dispositio ad Christi baptismum, eos Christi fidem edocuit, deindè in nomine Jesu Baptizatos, per impositionem manuum confirmavit. Ait namque B. Lucas ibidem: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Adventus enim, vel descensio Spiritus Sancti per hujusmodi signum visibile, hoc est, per notitiam linguarum, ac doctrinam, vel p... rerum futurarum prædicationem dabatur Spiritus Sanctus in confirmatione ab Apostolis in Primitivâ Ecclesiâ. Dabatur etiam in Baptismate, sed invisibilitèr, quemadmodùm nunc in Baptismate, & in Chrismate datur. Confertur Spiritus Sanctus utrobique, sed diversis tantùm causis, in Baptismate scilicèt pro remissione peccatorum, in confirmatione autem ad robur, & fidelium armaturam. Signum Spiritus Sancti visibile in ipso nascentis Ecclesiæ primordio erat necessarium ad Christianam fidem promulgandam, & propagandam, in adultâ verò, & propagatâ, ac dilatatâ non itèm. Quamvis autem Presbyter, sivè simplex Sacerdos baptizet, sivè præsente Episcopo, vel absente, sicut ait Rabanus, & experientia ipsa demonstrat, non tamèn oleo frontem signat, quod solus Episcopus facit, cùm Spiritum Sanctum jam Baptizatis tradit; Sed caput inungit Chrismate, quod est ab Episcopo consecratum.

Confirmationis munus.

Act.8. Act.6.

Act.8.

Rabanus in hunc locum

Baptismus Joannis qui erat ex Ra... in hunc locum.

Act.19.

Signum Sp... Sancti visibile in p... Ecclesiæ.

Spiritus Sanctus datur in baptismate, in confirmatione.

Rabanus.

Hoc autem loco animadversione dignum videtur, quod Hieronymus dixit adversus Luciferianos de Chrismate, ac Baptismo hunc in modum: *Indè venit, ut sinè Chrismate, & Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi: quod frequentèr, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere Laicis.* Jussio Episcopi pro Baptismate conferendo, vel intelligitur, quando minor majore præsente Baptizat; vel de Sacerdote nonnisi ab ordinario pro administratione Sacramentorum admisso. Interim vetustissima consue-

Dialog. to. post. ep.58.

tudo

tudo adhibendi Chrisma in Baptismo considerandâ est contrà nostri temporis hæreticos. Id quod à Cyrillo etiam in Catechesi Mystagogicâ tertiâ, Innocentio Primo ad Decentium, Gregorio Primo ad Januarium Calaritanum, Ambrosio de Sacramentis, Synodo Aurelicensi, Belvacensi, Valentinâ, & cæteris, necnon à Rabano, & à multis aliis observatum constat.

Hieronym. in Dial. adversus Luciferian. post Epist. 58. tom. 2.

Cur verò confirmatio nonnisi ab Episcopo conferatur, B. Hieronymus id explicat in Dialogo adversus Luciferianos in Orthodoxi Personâ dicens: *Quòd si hoc loco quæris, quarè in Ecclesiâ Baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui, disce hanc observationem ex eâ authoritate descendere, quòd post Ascensum Domini, Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit.* His tandem verbis facilè dignosci potest, Episcopos esse juxtà B. Hieronymi sententiam, Apostolorum successores eâ dispensatione, vel dispositione divinâ, cùm confirmandi munus nonnisi ad Episcopum pertinere dicat, ob descensum scilicèt Spiritus Sancti super Apostolos post Domini nostri Jesu Christi ad Cælos ascensum.

Bellarmin. tom. 1. contr. 15. de Cler. lib. 1.

Quamvis autem non desint, qui confirmandi munus ad Jurisdictionis potestatem, quæ ab Episcopo Presbyteris committi potest, pertinere, & ab ipsis baptizatos confirmari posse ex dispensatione, sed Sacerdotum ordinationem ità ad Episcopos spectare dicant, ut nullo modo Presbyteris committi, aut permitti queat; non tamen sequitur, quin solis Episcopis confirmandi officium adeò propriè conveniat, ut à Presbytero, idest simplici Sacerdote, nisi ei à Summo Pontifice demandetur, exerceri nullo pacto possit; Nam secundùm S. Thomam solus Papa, qui in Ecclesiâ habet plenitudinem Potestatis, videtur posse committere simplici Sacerdoti confirmandi munus, & ordinationem (quod pertinet ad Potestatem Episcopalem) sicut Gregorius Magnus ad auferendum scandalum, simplicibus Presbyteris, aut Sacerdotibus Sacramentum confirmationis commisit scribens hac de re ad Januarium Episcopum Calaritanum: Quidam enim scandalizati erant, videntes hoc Sacramentum à Sacerdotibus subministrari non posse. Hinc ego non video, quomodò confirmationis collatio simplici Sacerdoti committi queat, nisi à Summo Pontifice, cum Episcopus Januarius hanc Potestatem Sacerdotibus committendam à Gregorio Papa postularit, & ad tempus impetrarit. Id quod etiam ab Eusebio Papâ observatum, confirmatumque fuit, ne scilicèt Sacramentum confirmationis, olim ab Apostolis tantùm, deindè verò à solis eorum successoribus, hoc est, Episcopis, peractum, à simplici Sacerdote exerceri valeat. Huic opinioni adversatur Hugo, qui à simplici Sacerdote Chrisma confici, & ab eo omnes ordines conferendi facultatem exerceri posse vult. Augustinus autem Triumphus Anconitanus contrariam opinionem tuetur, nullum Episcopale officium simplici Sacerdoti committi posse probat. Sed hanc quæstionem discutiendam relinquimus, cum de Episcopi Potestate verba faciemus.

Thom. 3. p. q. 72. art. 11.

regor. lib. 3. ep. 26. in fin.

Eusebius 3. ep. 1 Episc. hujus. & habetur de consecr. d. 1. c. 4. Januarius.

Grat. d. 95. c. Pervenit.

Augustin. Triumph. de Eccl. q. 74 [illegible]

Episcopi ergò ex hac B. Hieronymi sententiâ, quæ nonnisi ab eis confirmandi officium solis in Primitivâ Ecclesiâ Apostolis divinitùs datum exerceri posse affirmat, Apostolos repræsentant. Hinc vel Hieronymum sententiam mutasse dicas oportet, quia in Commentario primi capitis Epistolæ Pauli ad Titum oppositum videtur affirmare: quod favere videtur hæresi Ærii, atque Wiclephi, necnon Lutheranorum, & Calvinistarum, qui simplices Sacerdotes cum Episcopis pares omninò faciebant.

Aug. hær. 53. tom. 6. Prateolus de Wiclepho, ac Thoma Valden. lib. 2. doctr. fid. art. 3. cap. 60.

Quamvis igitur B. Hieronymus in primi capitis Epistolæ Pauli explicatione dixerit: *Sicut Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ità Episcopi noverint, se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere*; hujusce tamen erroris correctionem, sivè morbi, aut veneni antidotum scriptum reliquit, dùm ad Evagrium scribens, ut superiùs diximus, Episcopum ipsi Aaron, Sacercerdotes verò filiis ejus scitè comparavit. Sicut autem Aaron jure divino, & ordine, & jurisdictione, major erat filiis suis, necnon Apostoli omnibus Christi Discipulis; Ità Episcopi Apostolos repræsentantes, cunctis Sacerdotibus, qui Discipulis comparantur, majores esse debent, ut infrà Sanctorum Patrum Testimoniis apertè comprobabimus. Hinc Cajetanus explicans dictam Hieronymi sententiam ait, ipsam esse intelligendam quantùm ad nominalem distinctionem. Non enim (inquit) idem re fuit Presbyter, & Episcopus, sed nomine tantùm. Nunc autem ex Ecclesiæ consuetudine, etiam quantùm ad nomen distincti sunt, ut schisma vitetur: Et ità Hieronymum sensisse affirmat. Nec Hieronymus (ait ipse) dum de Episcopo, & Presbytero quantùm ad rem loquebatur, authoritatem Dominicæ dispositionis excluśit; sed hujusmodi distinctionem ab Ecclesiâ promulgatam, à Domino explicitè datam non fuisse dixit. Nec denique Hieronymus [ut inquit Cajetanus] per illa verba diversitatem quamdam quantùm ad rem intèr Episcopum, & Presbyterum in dubium revocavit, sed causa hujus diversitatis, magis consuetudinem Ecclesiasticam, quàm Dominicam dispositionem cognitam esse ait. Hæc ex Cajetano in summam B. Thomæ.

Hieronym. ep. 85. tom. 2.

Cajetan. in secunda secundæ quæst. 184. art. 6. ad 1. arg.

Non enim B. Hieronymus ignorabat, Presbyteros in Sacratissimâ illâ Cænâ ordinatos à Christo fuisse, sicut Catholici omnes affirmant; Petrum verò ab eodem Christo Episcopum fuisse ordinatum, quem etiam solum ex viris, fuisse Christi manibus baptizatum, sicut Euthymius, & Nicephorus narrant: qui solam item Virginem Matrem suam ex Mulieribus à Christo filio baptizatam dicunt. Quam rem Evodius in Episcopatu Antiocheno Petri successor, testatur. Sicut autem

Euthym. in 3. c. Ioannis. Nicephor. lib. 2. hist. c. 13 Euod. in Ep. quæ inscribitur τὸ φῶς.

autem Hieronymus Petrum à Christo baptizatum, & à Petro Andream, Jacobum, & Joannem, & ab iis cæteros, ità à B. Petro Jacobum, & Joannem, & ab his cæteros Apostolos in Episcopos ordinatos fuisse scire poterat, idque eum sciviſſe opinandum est, cum dicat adversus Jovinianum, unum ex duodecim, Petrum à Christo fuisse electum, & à Petro Jacobum Minorem fuisse Episcopum ordinatum, ut ex ipsius verbis videre licèt, in libro scilicèt de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi Jacobum Minorem statim à Christi Ascensione, Episcopum Hierosolymorum fuisse ordinatum scribit, dicens: *Jacobus statim post Passionem Domini ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatur*. Hunc item Jacobum à Petro, à Jacobo Majore, & à Joanne Episcopum ordinatum fuisse testatur Anacletus Papa in Epistolâ, in qua Episcopum nonnisi à tribus Episcopis ordinari debere ait: Idem Clemens Alexandrinus apud Eusebium narrat: Tertullianus etiam adversus hæreticos, Clementem Episcopum à Petro, & Polycarpum Episcopum Smyrnensem à Joanne ordinatum fuisse ait. Hinc B. Hieronymum simplices Sacerdotes cum Episcopis pares denique feciſſe non est credendum, quamvis dixerit: *Episcopi noverint se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse majores, & in communi debere Ecclesiam regere*. Nam in Epistolâ ad Evagrium, ut dictum est Episcopos ipsi Aaron, simplices autem Sacerdotes filiis ejus, ipsosque Episcopos in Dialogo contrà Luciferianos Apostolis comparavit, præsertìm verò, magisque apertè in Epistolâ ad Marcellam de erroribus Montani in hanc verborum formam: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent*. Qua de re nos cum Sancto Thomâ verba Hieronymi in explicatione primi capitis Epistolæ ad Titum interpretantes, dicemus, Hieronymum dicto in loco non de re ipsâ, sivè de pari Presbyterorum, & Episcoporum dignitate, aut jurisdictione, sed solùm de eorundem nomenclaturâ locutum fuisse, hoc est, ut sic dixerim, de nominum majoritate: Si enim Episcopi nomen spectetur, *Superintendens* interpretatur, ut suo jam loco id fusiùs explicavimus. Quæ sanè vox, sicut superioritatem præsefert, ità reverà Episcopos suprà simplices Sacerdotes jure optimo ipsam retinere Beatus Hieronymus confessus est, nosque cum eo ex Sanctorum Patrum testimoniis, & Sacris Conciliis confitemur. Si quis autem Hieronymi verbis velit insistere, ea diligentiùs perpendens, tamquàm non solam vocum communitatem, sed potiùs dignitatum paritatem præseferentia, eum non satis hac in re constantem fuisse, eundemque denique sententiam mutasse dicas, oportet, nisi quis dictum locum aliis Hieronymi locis contrarium depravarit: nam ante illum Beatus Dionysius Areopagita B. Pauli Apostoli Discipulus, & B. Hierothei Auditor, Episcopus Athenarum, Galliarum Apostolus, & Martyr inclytus, in libro de Ecclesiasticâ Hierarchiâ Episcopos Presbyteris superiores facit, dum triplicem ordinem, Episcoporum scilicèt, Presbyterorum, ac Ministrorum in Ecclesiâ esse ostendit, distribuens ipsum in purgantem, illuminantem, & consummantem: per purgantem Ministros, per illuminantem simplices Sacerdotes, per consummantem Episcopos intelligit. De Episcopis, quos Pontifices nominat, in hanc loquitur verborum formam: *Divinus igitur Pontificum Ordo primus quidèm est eorum, qui Deum vident; Summus autem, & postremus rursùm idem est: In eo enim, & absolvitur, & completur omnis Hierarchiæ nostræ distinctio.* Et infrà post multa de eodem ait: *Est igitur Pontificatus Ordo, qui perficiente vi præditus, munera Hierarchiæ, quæ perficiunt, secretus à cæteris, ac cum delectu exequitur, sacrorumque disciplinam interpretando tradit, sanctumque, & consentaneum eorum statum, atque vim docet*. Infrà etiam Sacerdotum, ac Ministrorum ordinem explicat, & post multa triplicem ordinem concludit, Epilogum dictorum faciens hunc in modum: *Demonstratum est igitur Pontificum quidèm Ordinem vim perficiendi habere, ac re perficere: Sacerdotum autem illustrandi vim habere, atque lucem asserre: Ministrorum verò expiandi, & secernendi vim habere*. Deindè cùm dicat Dionysius, Episcopum efficere posse quod Sacerdotes, & Ministri faciunt; Itèmque Sacerdotem posse facere quod Ministri efficiunt, non è converso, de hac doctrinâ rationem reddit hisce verbis: *Nam inferiores quidèm ordines [hoc est Sacerdotes, & Ministri] ad majora, superioraque munera ascendere non possunt, ac prætered nefas eis est, hoc sibi arrogare, & sumere. Diviniores autem ordines [ideſt Episcopi] una cum suis (hoc est partibus, aut scientiis) inferiores suâ perfectione, ac virtute sanctas scientias tenent*. Ex his itaque verbis Episcoporum, ut ità dicam superioritatem inter simplices Sacerdotes manifestam colligimus: quam Beatus item Ignatius Ecclesiæ Antiochenæ Tertius post Petrum Apostolum Episcopus, & Martyr insignis, scribens ad Trallianos, Asiaticos Populos, multis verbis illustrat, & prædicat, Docet enim in primis Episcopum esse illum, qui omnem principatum, & potestatem tenet. Deindè post Episcopi munus, necnon Sacerdotum, Diaconorum, cæterorumque Ecclesiæ Sanctæ Ordinum, ac Ministrorum officia declarata, venerationem Episcopis præstandam explicat, suam concludens sententiam hisce verbis: *Decet enim unumquemque vestrum benè obsequi Presbyteris, Episcopum in honorem Dei Patris, & honorem Jesu Christi, atque Apostolorum venerari*. Idem Ignatius ad Philadelphienses, Mysiæ Populos scribens, postquàm omnes ad concordiam, & ad honorem sibi invicem præstandum cohortatus est, convertit sermonem suum ad Venerationem Episcopo ab omnibus exhibendam dicens: *Principes subditi estote Cæsari, Milites Principibus, Diaconi Presbyteris, ut Sacrorum Administratoribus: Presbyteri verò, & Diaconi, atque omnis Clerus cum omni Populo, & Militibus, atque Principibus, sed & Cæsare obediant Episcopo. Episcopus verò*

Chri-

In princ. to. 2. lib. 1. adverſ. Iovin.

Hieronym. de Script. Eccleſ. tom. 1.

Anaclet. ep. 2.

Euſeb. lib. 2. hiſt. cap.

Hieronym. in cap. 1. Ep. ad Tit. tom. 6.

Ep. 85. tom. 2.

Tom. 2. poſt ep. 58.

Tom. 2. ep. 54.

S. Thom. ſecunda ſecundæ quæſt. 184. art. 6. ad 1. Argum.

Dionyſius Areopagita, eiuſque encomium.

Dionyſ. de Eccl. Hier. c. 3. Edit. Lugd. ſed Pariſ. c. 5. p. 1.

Dionyſ. ibid.

Dionyſ. ibid.

Ignatius ep. 2.

Ignatius.

Christo, sicut Patri Christus, & ita unitas per omnia servatur. Quis igitur, Episcopos Presbyteris superiores esse non videt? Illi profectò his existunt Superiores. Id quod Sanctus Pater Augustinus, Hipponensis Episcopus, & Ecclesiæ Doctor insignis hanc Episcoporum superioritatem docet, dum in libro Quæstionum veteris, & novi Testamenti, Episcopos à Christo fuisse institutos per manus impositionem hunc in modum ait: *Nemo ignorat Episcopos Salvatorem Ecclesiis instituisse; ipse enim priusquàm Cœlos ascenderet, imponens manum Apostolis, ordinavit Episcopos. Hos Apostolus* [*inquit Augustinus*] *Spiritui Sancto deputat, cùm dicit: attendite vobis, & universo Gregi: in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Domini nostri Jesu Christi.* Ecce quomodo Augustinus hanc superioritatem docet, dum Apostolos per Episcopos repræsentari insinuat. Nec huic veritati obstat, quod Sanctus idem Doctor in Epistolâ ad Hieronymum scriptum reliquit dicens: *Quamvis enim secundùm honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* His namque verbis Augustini nemo sibi persuadere debet, Episcopos, & Presbyteros fuisse olim æquales, sed posteà usum obtinuisse, ut nonnisi quantùm ad vocabula honores præseferentia, Episcopatus major Presbyterio sit. Id enim si ità se haberet, priori ejusdem Augustini sententiæ adversaretur. Itaque pro hujusmodi nodo dissolvendo Bellarminus, vir sanè doctissimus, præcipuarum scilicèt linguarum peritus, Theologiam optimè callens, & non minùs veterum Patrum lectione, Traditionibus Ecclesiasticis, Sacrorumque Conciliorum sanctionibus versatus, quàm vitæ probitate minimè fucatâ, atque animi demissione insignis, ut veritatem tueatur, huic difficultati satisfaciens, ait: *Antè Christiana tempora, nomina ista, Episcopus, & Presbyteri non erant honoris vocabula, sed officii, aut ætatis: nunc autem honoris, & dignitatis nomina sunt: Et secundùm hæc nomina Augustinus Hieronymo major est, quamvis aliis multis nominibus, Augustinus Hieronymo minor sit.* Hæc Bellarminus, cujus verbis non refragatur quod ipsemet Augustinus in libro de Civitate Dei scriptum reliquit: in quo explicans, illud Apostoli dictum, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; ait: *Exponere voluit, quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris.* Hoc enim loco Augustinus ab Episcopatu nomen honoris non excludit, sed, ut Glossa interpretatur, Episcopatus est utique nomen laboris, & non honoris tantùm: quia qui præficitur, pro subjectis laborare debet: Immò, eodem Augustino teste, qui præesse voluerit, & non prodesse, Episcopum se putare non debet. Ideò, ut ipse inquit, *qui præesse cupit, non ut præsit, sed prosit*, Episcopatum desiderare potest juxtà Apostoli dictum, modò decentèr [electione præmissâ] appetat appetendum: quia, teste Gregorio, *sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ità fu-*

gientibus est offerendus: quomodò autem Isaias per activam vitam proximo prodesse cupiens, prædicationis officium, ultrò, & laudabilitèr appetierit dicens, *Ecce ego, mitte me*; Et Hieremias per contemplativam vitam, illud idem laudabilitèr expaverit dicens: *Nescio loqui*; infrà, suo loco scilicèt explicabitur. Episcopatus igitur, ut eò, undè digressi sumus, revertamur, est nomen honoris, & oneris, laboris, & dignitatis; & propterèa Presbyterio major, quamvis Augustinus multis rebus se minorem Hieronymo existimet, & apertè dicat, id fortassè referens ad ætatem, vel ad vitæ sanctitatem, & ad Cardinalitiam dignitatem, qua Hieronymum fuisse insignitum nonnulli affirmant, & nos in Bibliothecâ nostrâ, quæ inscribitur, *Vaticana*, probare studuimus; Episcopus enim, ut ait Glossa, Presbytero Cardinali major est, ratione Episcopalis dignitatis: quia Episcopi Apostolis successerunt, ut probabimus, & summi Sacerdotes dicuntur, sicut in Epistolis veterum Patrum, & Conciliorum sanctionibus videre licet; Cardinalis autem, etiam Diaconus Cardinalis est maior Episcopo ratione assistentiæ, & administrationis: Cardinales enim Papæ assistunt, & regimen Ecclesiæ Universalis exercere solent. De hoc autem fusiùs locutus est Soto in lib. 4. Sententiarum; Juxtà cujus rei sententiam Hieronymus Presbyter Cardinalis multis in locis Epistolarum suarum appellat Augustinum, tamquàm Episcopum, Dominum verum, ac Sanctum, & Beatissimum Papam: & in calce unius Epistolæ sermonem suum concludit hunc in modum: *Vale mi amice charissime, ætate fili, dignitate parens: & hoc à me rogatus observa, ut quidquid mihi scripseris, ad me primum facias pervenire.*

Qui huic veritati opinionem contrariam, sivè hæresim tueri conantur, afferunt etiam in medium nonnullas authoritates veterum Patrum à vero sensu detortas: quarum una est Ambrosii ex Commentario in cap. 4. Epistolæ ad Ephesios; in quo Ambrosius [modò illius Commentarii Author sit Ambrosius, ut Bellarminus ait, qui dictum Commentarium ab eo non esse editum opinatur] dùm de Episcopis, & Presbyteris loquitur, ait in primitivâ Ecclesiâ Presbyterum antiquiorem semper ordinari in Episcopum consuevisse, quasi per successionem: Ex quibus verbis volunt ipsi, Authorem dicti Commentarii nullum inter Episcopum, & Presbyterum fecisse discrimen. Id quod à veritate prorsùs alienum est: nam Author ille non negat Presbyterum illum antiquiorem, qui Episcopo Defuncto succedebat, iterùm consecrari debuisse in Episcopali Dignitate suscipiendâ, & novam potestatem, ac jurisdictionem accipere, ut Bellarminus optimè ad Cavillum respondet: Et ex hujusmodi responso reiicitur scrupulus ab Aduersariis injectus; qui nondùm, ut ait ille, in scirpo quærunt, tantumque abest, ut Ambrosius hoc senserit, ut multis in locis sententiam huic opinioni contrariam apertè protulerit. Nam non solùm in eodem Commentario superiùs citato, ait, Episcopum

Isa. 6.

Hierem. 1.

Bibl. Vatic. pag. Alphons. Ciaccon.

Glos. in 2. q. 7. c. 34.

Vide Bellarmin. to. 1. controv. lib. De Cler. c. 16.

Soto lib. 4. dec. 24. juxtà Conc. Trid. sess. 23. c. 4. Hieronym. ep 92. tom. 2.

Ambros. to. 3. in 4. cap. Ad Ephes.

Bellarm. to. 1. controv. lib. De Cler. c. 15. Terent.

Tom. 3. cap. 4. ad Eph.

S. Aug. lib. 2. q. 97. tom. 4.

Act. 20.

Aug. epist. 19. non procul à fin. tom. 2. Et Gratian. 2. q. 7 cap. 34.

Bellarmini encomium.

Tom. 1. controv. lib. 1. de Cler. c. 15.

Aug. lib. 19. c. 19. tom. 5. & Decret. 2. p. 8. q. 1. c. 11.

Glossa in hunc locum.

Aug. ibidem. & Decr. ubi suprà.

Vide Gloss. ibi suprà. Gregor. lib. 6. ep. 5. & Gratian. 6. dist. cap. 9.

pum esse Principem Sacerdotum, & in eo esse Ordines omnes; sed etiam in Commentario primæ Epistolæ ad Corinthios, omnium in Epiſcopo ordinationum esse dignitatem affirmat. Prætereà in explicatione Epistolæ primæ ad Timotheum, ait, *Epiſcopum esse Presbyterum, sed non è converso*: In libris item de Sacramentis Epiſcopum *Sacerdotem summum* appellat. Multa quoquè in hunc sensum testimonia ex probatis Authoribus deprompta in medium afferre possem, quæ brevitatis causâ, reticenda esse censeo. Sacrosanctum tamen Concilium Tridentinum pro hac veritate confirmandâ silentio prætereundum non videtur: Cujus Canon in hanc exorditur verborum formam: *Si quis dixerit, Epiſcopos non esse Presbyteris superiores, &c. anathema sit.* Epiſcopi ergo Presbyteris Superiores existunt: Si qua autem aliorum Scriptorum, & veterum Patrum præsertim dicta, contrariam opinionem redolere videantur, ut Chrysostomi, Primasii, Theophylacti, Œcumenii, Theodoreti, & Anselmi, iis per responsa suis locis superiùs edita satisfactum esse credimus. Anselmus enim recitat verba Hieronymi. Theodoretus, quamvis in caput primum Epistolæ ad Philippenses dicat, Presbyteros fuisse, quos Paulus Epiſcopos appellat, idest olim Presbyteros Epiſcoporum nomen habuisse; ibidèm tamen, necnon in explicatione Epistolæ primæ ad Timotheum, Epiſcopos nomine Apostolorum tunc temporis appellari solitos, & re, & nomine Epiſcopos Presbyteris majores semper fuisse affirmat. Chrysostomus itèm, Primasius, Theophylactus, & Œcumenius, quamvis in cap. tertium Epistolæ ad Timotheum dicant, inter Epiſcopum, & Presbyterum fermè nihil interesse, ibidèm tamen, saltèm quantùm ad ordinationem, quæ simplici Sacerdoti committi non potest, & ad Epiſcopum solùm pertinet, non negant Epiſcopos Presbyteris esse majores, immò ex eorum verbis, Epiſcoporum scilicèt superioritatem suprà Presbyteros colligere quis potest. Hoc autem loco animadversione digna videntur, quæ apud veteres Patres de Epiſcopis, & Presbyteris dicta sunt. Nam ut videre est apud Clementem Papam, & apud Ignatium Epiſcopum Antiochenum, Epiſcopi nonnunquam *Os Dei* appellantur, & locum Dei tenere dicuntur, Presbyteri locum Christi, Diaconum locum Apostolorum, interdùm Epiſcopis locum Christi, Presbyteris locum Apostolorum, Diaconis locum septuagintà Discipulorum assignant: Nonnunquàm verò dant Epiſcopis locum Apostolorum, & Presbyteris locum septuaginta. Sed dictis in locis, ut Epiſcopi Presbyteris superiores ostendantur, dum Presbyteri Apostolorum sibi locum sortiri dicuntur, Epiſcopi Deo Patri, vel Christo Jesu assimilantur; nec propterèa Presbyteri Apostolorum successores absolutè, sed respectivè nuncupandi sunt. Quandò enim B. Ignatius Martyr, & Epiſcopus ad Smyrnenses scripsit, dicens: Omnes Epiſcopum sequimini, sicut Christus Jesus Patrem; Presbyteros, sicut Apostolos, Diaconos autem veneramini, sicut Dei mandato ministrantes; Id sanè dictum voluit, non quòd Presbyteri Apostolorum sint successores, sed ut subditos cohortaretur ad venerationem, & obedientiam iis præstandam, veluti Paulus à Galatis interdùm sibi factum testatur, dicens: *Sicut Angelum Dei accepistis me, sicut Christum Jesum.* Nec ob id Paulus se in locum Christi successisse, vel Christi Vicarium, quem sciebat esse Petrum, & hujus deindè successores, sed maximâ veneratione, & obedientiâ ab iis Populis se susceptum fuisse indicare voluit.

To. 5. in c. 1.
To. 3. in c. 3.
To. 4. l. 2. c. 6., & lib. 3. c. 1.
Concil. Trid. sess. 23. can. 7.
Anselm. in c. 1. Ep. ad Tit.
Theodoret. in c. 1. Epist. ad Philipp., & in cap. 3. ep. 1. ad Tim.
Chrysostom. in c. 3. ep. 1. ad Tim. hom. 2.
Clem. lib. 2. const. c. 30. 31. & 32. Ignat. ep. 2. ad Trall. & ep. 7. ad Smyrnens.

Nec B. Paulus ad Timotheum Epiſcopum scribens, Epiſcopatum à Diaconatu, sivè Ministerio indistinctum esse voluit, dum ei dixit: *Ministerium tuum imple*, idest Diaconatum: nam Διάκονος, Diaconus, vox Græca est, quæ latinè *Minister* interpretatur. Hinc *Mercurius* ab Ethnicis Diaconus vocitatus fuit, quià, ut ipsi fabulantur, falsorum Deorum omnium Minister existimabatur, ac dicebatur; Et sicut Diaconus est Minister Sacerdotis in Sanctissimo Altaris Sacrificio, ità Diaconatus, sivè Diaconium, vel Diaconia, *Ministerium* dici solet. Quamvìs autem Diaconatus ab Epiſcopatu distinctus sit, & non solùm eo, sed Presbyteratu sit etiam minor; Epiſcopo tamen juxtà nominis vim non inconcinnè tribui potest, si Epiſcopi Ministerium ad Christum referatur: Epiſcopus enim *Christi Minister* jure nuncupatur, & est, non secùs atquè Dei Patris Minister est ipse Christus, qui se Ministrum nominavit dicens: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et: *In medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Epiſcopus igitur, quamvìs Diaconus, idest Minister, si ad Christum referatur, non incongruè dici queat; Si tamen cum Diaconis, & Sacerdotibus conferatur, iis semper superior dicendus est. Si verò alia veterum Patrum dicta contrariam opinionem, Presbyteros videlicèt Epiſcopis æquales esse, redolere videantur; vel ratione Ordinis Sacerdotalis intelligenda sunt, vel ad ea tempora sunt referenda, in quibus Chorepiſcopi erant in usu, vel Epiſcoporum, & simplicium Sacerdotum nomina erant indistincta. Epiſcopi enim, si confirmandi munus, vel saltèm sacros ordines conferendi spectetur potestas, quæ simplici Sacerdoti, ut diximus committi non potest; sunt semper Presbyteris superiores, tamquam Apostolos repræsentantes.

1. Tim. 4.
Matth. 20. Luc. 22.

Epiſcopi Apostolos, Sacerdotes Discipulos repræsentant.

HAc de re luculentissimum extat Testimonium, Clementis videlicèt Papæ, qui cum B. Petro fuit. Clemens enim Papa, & Martyr in Epistolâ ad Jacobum fratrem Domini de Epiſcopis Apostolorum successoribus loquitur hunc in modum: *Epiſcopos ergò vicem Apostolorum gerere, Dominum docuisse discebat, hoc est, Sanctus Petrus, & reliquorum Discipulorum vicem tenere Presbyteros debere insinuabat.* Anacletus itèm post Petrum tertius

Clem. ep. 1. tom. 1. Con.
Anacl. ep. ex to. 1. Con.

tius, vel quartus, ut superiùs declaravimus, de ordinatione Archiepiscoporum, Aaron summum Sacerdotem, hoc est Episcopum fuisse, sed filios ejus Presbyterorum demonstrasse figuram in Epistolâ secundâ ait: Deindè Episcopos in locum Apostolorum successisse; Presbyteros autem septuaginta Discipulorum typum gerere affirmat. Idem in tertiâ scribit Epistolâ dicens: *Episcopi verò Domini Apostolorum: Presbyteri quoque septuaginta duorum Discipulorum locum tenent.*

Idem epist. 3. ex tom. 1. conc.

Cyprianus item Sanctus, Episcopus Carthaginensis, & Martyr, in Epistolâ ad Cornelium de ejus ordinatione à se comprobatâ, Episcopos Apostolorum successores esse ait: Idem Cyprianus aliâ in Epistolâ ad Rogatianum Episcopum de quodam superbo Diacono docet, Episcopos à Domino tamquàm Apostolos fuisse electos: Diaconos autem ab Apostolis, tamquàm Episcopatus, & Ecclesiæ Ministros in hanc scribens verborum formam: *Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, ideſt Episcopos, & Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in Cœlos, Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui, & Ecclesiæ Ministros.* Quo ex loco, non solùm Episcoporum dignitatem Apostolicam à Christo Domino traditam, verùm etiam Diaconorum Officium, ac Ministerium colligere possumus contrà eos, qui Diaconos nil aliud esse volebant, quàm mensarum Ministros: Nam etsi occasione illâ fuerint olim instituti, ut Mensis ministrarent; statim tamen à suâ ordinatione, ut in Actis Apostolicis legitur, & prædicare, & baptizare, ac miracula edere cœperunt. Hæc obiter ex optimâ loci occasione dicta sint. Cyprianus item in Epistolâ ad Florentium Puppianum de Obtrectatoribus, omnes Præpositos, per quos Episcopos intelligit, Apostolis vicariâ ordinatione, succedere hunc in modum scribit: *Nec hæc jactо, sed dolens profero, cum te Judicem Die constituas, & Christi, qui dicit ad Apostolos, & per hoc, ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicariâ ordinatione succedunt: Qui audit vos, me audit; & qui me audit, audit eum qui me misit.* Idem dicit Firmilianus Episcopus ad Cyprianum scribens, idemque ab eodem Cypriano in libello de Aleatoribus sub initium affirmatur.

Cypr. epist. 42. tom. 1.

Cypr. ep. 65. to. 1. vel lib. 3. epist. 9. juxtà aliam edit.

Act. 6.

Cypr. ep. 69. tom. 1.

Luc. 10. Firmil. ep. 75. tom. 1. Cypr. tom. 3.

Urbanus Papa, & Martyr in suâ Epistolâ Decretali de Vitâ communi, necnon de possessionibus, ac rebus Ecclesiasticis ait: *Ipsæ verò res inditione singularum Parochiarum, Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum erant; & sint usque adhuc, & futuris semper temporibus.*

Vrb. I. in ep. Decr. ex to. 1. Concil. Et Grat. d. 68. cap. ult.

Eusebius insuper Papa in Epistolâ ad Episcopos Tusciæ, atque Campaniæ, ad Epistolæ calcem, dum de manus impositione, vel confirmationis Sacramento nonnisi à summis Sacerdotibus, hoc est, Episcopis conferendo loquitur, etsi aliter fiat irritum, & vacuum esse affirmat, hunc in modum ait: *Nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse; neque ab aliis (sicut jam dictum est) quàm ab illis, qui eorum locum tenent, unquàm perfici potest, aut fieri debet.*

Euseb. ep. 3. ex tom. 1. Conc. Et de Consecr. dist. 5. Manus. & 4. p. 3. Decr.

Damasus item Papa hujus nominis primus, & sanctitate insignitus in Epistolâ de Chorepiscopis, quorum nomen, & officium quantum ad munia Pontificalia exercenda, à Sanctâ Sede Apostolicâ, & ab omnibus totius Orbis Episcopis abrogatum jam erat, non solùm Episcopos Moysi, & Aaron, & filiis Aaron. Presbyteros perbellè comparat, verùm etiam ipsos Episcopos Apostolorum successores esse, & Presbyteros septuaginta duorum Discipulorum typum, ac speciem repræsentare ait, dum Chorepiscopos, quos septuaginta duobus Discipulis assimilat, nonnisi Sacerdotes simplices in Ecclesiâ Sanctâ posse esse demonstrat hisce verbis: *Nam non ampliùs, quàm duos Ordines inter Discipulos Domini esse cognovimus, ideſt, duodecim Apostolorum, & septuaginta Discipulorum. Undè iste tertius processerit, funditùs ignoramus. Et quod ratione caret extirpare necesse est.*

Damas. ep. 4. ex to. 1. Conc.

Damas. ubi suprà. Et Grat. dist. 68. cap. 5. Chorepisc.

Ex his verbis Damasus per Apostolos nonnisi Episcopos, & per septuaginta Discipulos simplices Sacerdotes intelligi debere annuit. Id quod infrà in eàdem Epistolâ expressiùs ostendit hunc in modum: *Quod autem solis Apostolis, eorumque successoribus (hoc est Episcopis) proprii sit officii tradere Spiritum Sanctum, liber Actuum Apostolorum docet, præsertim cum nullus ex septuaginta Discipulis, quorum isti in Ecclesiâ speciem gerunt, legatur donum Sancti Spiritus per manus impositionem, ut prædictum est tradidisse.*

Damas. ibid.

Act. 8.

Sanctus quoque Hieronymus huic veritati adstipulatur ad Evagrium scribens, dum scilicet Episcopos Aaron, Presbyteros filiis ejus, & Diaconos Levitis comparat hisce verbis: *Quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesiâ.* Hanc autem veritatem apertiùs fatetur aliâ in Epistolâ ad Marcellam adversus Montanum dicens: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent.* Sanctus item Ambrosius super illud B. Pauli: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas*; per Apostolos intelligit Episcopos; per Prophetas scripturarum Interpretes; per Evangelistas Diaconos: qui quamvis Sacerdotes non sint, evangelizare, ut ipse affirmat, sine Cathedrâ possunt. Ait enim: *Apostoli Episcopi sunt: Prophetæ verò Explanatores sunt scripturarum.* Et infrà: *Evangelistæ Diaconi sunt, sicut fuit Stephanus, & Philippus.*

Hieron. ep. 85 ad calcem ep. tom. 2.

Hieron. ep. 54. tom. 2.

Ambros. in cap. 4. epist. ad Ephes. tom. 3.

Act. 7., & 8.

Sanctus insuper Augustinus Beati Ambrosii Auditor, & in Christo Jesu per Evangelium ab eo genitus, eodemque Christi ministro Lavacrum regenerationis accepit, hanc veritatem edoctus docet, & illud Psalmi: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii*, insignitèr explicans ait: *Quid est, pro Patribus tuis nati sunt tibi filii? Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodiè enim Episcopi, qui sunt per totum Mundum, undè nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit*

August. in Psalm. 44. non procul à fin. to. 8. Et Grat. d. 68. cap. ult.

Psal. 44.

ſtituit in ſedibus Patrum. Hoc loco juxtà Beatum Auguſtinum, per Patres intelliguntur Apoſtoli, & per Apoſtolos Epiſcopi in Sedibus Patrum poſiti, vel conſtituti.

Innoc.I. ep.3. c.3.ex tom.1. Concil.

Innocentius Papa hujus nominis primus, vir doctus, atque Sanctus in Epiſtolâ ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ait: *De conſignandis verò Infantibus, manifeſtum eſt ab alio fieri, quàm ab Epiſcopo non licere: nam Presbyteri licèt Sacerdotes ſint, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis, ut vel conſignent, vel Spiritum Paracletum tradant, non ſolùm conſuetudo eccleſiaſtica demonſtrat,* Act.8. *verùm etiam illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum, & Joannem eſſe directum, qui eum Baptizatis Spiritum traderent.* Ex quibus verbis planum fit, Epiſcopos Apoſtolorum eſſe ſucceſſores.

Greg.hom.26. in Evang.to.3. Joan.10.

Beatus quoque Gregorius hujus itèm nominis primus, cognomento Magnus, dum explicat illud Joannis: *Accipite Spiritum Sanctum; Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Apoſtolis Spiritum Sanctum datum eſſe, iiſque ligandi, ac ſolvendi authoritatem collatam eſſe contemplatur dicens: *Horum [ideſt Apoſtolorum] profectò nunc in Eccleſiâ Epiſcopi locum tenent; ligandi, atque ſolvendi authoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur.*

Iſid.lib.2. c.5. de Eccl. Offic.

Iſidorus Junior, Epiſcopus Hiſpalenſis, vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & vitæ ſanctitate clarus, in libro de Eccleſiaſticis officiis, de Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus hunc in modum apertè ait: *Apoſtolis ſucceſſerunt Epiſcopi, qui ſunt conſtituti per totum Mundum in Sedibus Apoſtolorum.* Id quod Auguſtini dictum redolere non parum videtur.

Beda lib.3. comment. in c.10. Evang. Lucæ tom.5. Et tom.7. in feſto S. Lucæ in princ.

Venerabilis item Beda in ſacris literis valdè eruditus in Feſto Sancti Lucæ, & Commentario in ejuſdem Lucæ Evangelium, veritatem de Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus affirmat, eamque pro comperto eſſe apud omnes apertis hiſce verbis ait: *Sicut Duodecim Apoſtolos Epiſcoporum formam exhibere ſimul, & prædemonſtrare, nemo eſt, qui dubitet; Sic & hos ſeptuaginta duos figuram Presbyterorum, ideſt ſecundi Ordinis Sacerdotum geſſiſſe ſciendum eſt.*

S. Thom. in cap.1. epiſt.1. ad Corinth. lect.1.

Sanctus Thomas Doctor Angelicus eandem veritatem de Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus mirificè explicat hiſce verbis: *Soli Apoſtoli electi, & miſſi ſunt principalitèr à Chriſto; alii autem Diſcipuli non miſſi ſunt principalitèr, ſed ſecundariò; & indè eſt, quòd Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, qui habent ſpecialem curam Gregis; alii autem Sacerdotes ſuccedunt ſeptuaginta duobus Diſcipulis, qui gerunt vices commiſſas ſibi ab Epiſcopis.*

Auguſtin. Triumphus de Pot. Eccl. q.3. art.1. in corp.

Item Auguſtinus Triumphus vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & Sacroſanctis Pontificum Decretis exercitatiſſimus in libro de Poteſtate eccleſiaſticâ, licèt in tertiâ quæſtione dicat, Cardinales Apoſtolorum perſonas repræſentare ratione aſſiſtentiæ, Epiſcopos verò eorundem Apoſtolorum ſucceſſores eſſe, tamquàm in partem ſollicitudinis, & ſortem prædicationis, vocatos, alibi tamen, propter virgam ſcilicèt poteſtativam, propter claves Juriſdictionis, propter Spiritus Sancti inſufflationem, & propter linguarum diſpertionem, quæ Apoſtolis datæ ſunt, Epiſcopos Apoſtolorum ſtatum repræſentare abſolutè affirmat dicens: *Fuerunt autem quatuor Apoſtolis collata à Chriſto, quæ perfectionem oſtendebant, in quibus Epiſcopi ſunt eorum ſucceſſores.* Quæſt. 103 art.1. in corp Quæ verò Apoſtolis à Chriſto data fuerunt, dicto in loco à Triumpho doctè, ac felicitèr explicantur.

Conc. Trid. ſeſſ.23. c.4.

Sacroſanctum denique Concilium Tridentinum in doctrinâ de Sacramento Ordinis hanc eandem veritatem à divinis ſcripturis, à ſanâ veterum Patrum doctrinâ, necnon ex aliorum Conciliorum ſanctionibus depromptam, tamquàm ſtabilem, & catholicam confirmat in hanc verborum formam: *Proindè Sacroſancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait, à Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei: eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum confirmationis conferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe; quarum functionum poteſtatem reliqui inferiores ordines nullam habent.*

Epiſcopi ergò, ſicut ex iis, quæ in medium attulimus, exploratiſſimum habemus, Presbyteris ſuperiores ſunt, & veri Apoſtolorum ſucceſſores. Nunc reliquum eſt, ut intimiorem Epiſcopalis Dignitatis ſtatum explicemus.

De Intimiore Epiſcoporum ſtatu.

OMnes, qui Epiſcoporum ſtatum contemplati ſunt, eos in ſtatu perfectionis collocarunt, ſicut nos id ità eſſe, & authoritatibus, & rationibus probare ſtudebimus. Anteà verò quàm huiuſmodi rem aggrediamur, hæc in primis conſideranda cenſemus, quid ſcilicèt perfectionis ſtatus ſibi velit, vel ſit; Undè originem trahens ad nos emanet; Quotuplex tandem in eodem perfectionis ſtatu gradus reperiatur. Quæ omnia brevitèr, ac diſtinctè examinabimus, ità verò, ut non minori facilitate, quàm brevitate ſcopum noſtrum attingamus.

Perfecti Definitio.

PErfectum, ac totum inter ſe haùd diſtingui ſentit Ariſtoteles, & rectè quidem; quià ut ipſe ait, & experientia ipſa docet, perfectum, ac totum dici poteſt illud, cui nihil deeſt; vel habet ea omnia, quæ in eo requiruntur, vel ad ſui naturam pertinere poſſunt; ut exempli gratiâ, illud animal totum, ac perfectum dici debet, cui nihil deeſt quantùm ad diſpoſitionem membrorum, necnon quantùm ad alia omnia quæ ad totam, ac perfectam Animalis vitam, ſeù naturam pertinent ſpecificam, quæ ſuo clauditur termino, ſiuè fine, toto, ac perfecto, ut idem Philoſophus eodem in loco docet dicens: *Perfectum autem* Ariſt. lib. 3. Phyſic. contex.63., & 64

nihil

nihil est non habens finem : finis enim terminus est. Hic namque finis, seù terminus est ille, qui rei perfectæ perfectionem demonstrat, & claudit; quam alibi Aristoteles virtutem appellat, & per hanc unumquodque perfectum dici vult, cum propriam sibi comparavit naturam, sivè proprium attigit finem, qui est summa, vel postrema rei perfectio. Philosophi verba sunt hæc: *Virtus perfectio quædam est: unumquodque enim tunc maximè perfectum est, cum adeptum est propriam virtutem, & maximè secundùm naturam: ut circulus tunc maximè secundum naturam est, cùm maximè circulus est.* Ex Aristotelis verbis vera colligitur cuiuscumque rei perfectio, secundùm quam unumquodque perfectum dici potest, cùm propriam virtutem ad naturam rei pertinentem adeptum est. Idque planum fit exemplo circuli, qui tunc maximè circulus est, ideſt perfectus, cum totam suam, vel propriam habet virtutem ad naturam scilicèt circuli pertinentem, hoc est totam suam continet rotunditatem, quæ nec augeri, nec minui potest, *circulus enim*, quem Græci *Sphæram* vocant, *est figura plana*, vt Mathematici eam definiunt, *unâ tantùm lineâ contenta, in cujus medio punctus est, à quo omnes lineæ ad circumferentiam ductæ sunt æquales.* Datur autem ab Aristotele hoc exemplum ad perfectionis vim, atque naturam explicandam, quoniam Sphæra, sivè circulus est omnium planarum figurarum simplicissima, ac perfectissima; Undè per scientiam circularem, absolutam omnium scientiarum notitiam intelligere solemus; quam Græci ἐγκυκλοπαιδείαν appellant. Hanc perfecti naturam, & vim Dionysius Areopagita contemplatus, antequàm suum de perfecto sermonem coarctaret ad perfectionem increatam, qua perfectionem quamlibet creatam in infinitum superari affirmat; Definitioni de perfecto superius ab Aristotele assignatæ adsimile docet, de Deo loquens hunc in modum: *Perfectus quidem est* [*Deus scilicet*] *non solùm quòd per se perfectus sit, & à se uno modo æquabiliterque definiatur, ac totus per omnia sit perfectissimus: verùm etiam, quòd perfectionem superet, ut qui omnibus antecellat, ac omnem quidèm infinitatem determinet &c.* Et infrà: *Perfectus rursùm dicitur, quod nunquam augeatur, semperque suis omnibus numeris sit absolutus, quodque minui non possit, &c.* Hæc definitionis, sivè descriptionis de increata perfectione, pars à Dionysio conscripta, à perfectione creatâ, sivè à perfecto, quod Aristoteles definivit, non abhorret; perfectum enim omne quodcumque sit illud, nec augeri nec minui unquam potest; Hujus autem generis perfectum à Philosophis Perfectum simpliciter, ideſt omnibus modis vocitatur, quibus perfectum ex sui naturâ unumquodque dici valet; Dicitur namque ab iisdem Philosophis perfectum secundùm quid, hoc est aliquâ ex subjecti parte consideratum, velutì si qua res non secundùm omnem sui ipsius naturam, sed secundùm aliquam exteriorem partem sivè qualitatem consideretur,

Aristot. lib. 7. Phisic. con. 18.

Virtus perfectio quædam.

Circuli definitio.

Encyclopedia quid.

Dionys. c. 13. de div. nom.

In Charitate reponitur Perfectus Status.

QUa ex re Perfectum primo modo sumptum constituit sibi perfectionis statum, sivè Christianæ vitæ perfectionem, quam in charitate ponunt omnes, qui de eâ scripserunt: Cùm enim perfectum sit illud, quod proprium attingit finem, qui est ultima cuiuscumque rei perfectio; perfectionis status esse non potest, nisi in charitate, quæ est vinculum perfectionis juxtà Beati Apostoli Pauli sententiam, qui Colossenses ad charitatem amplectendam cohortabatur dicens: *Super omnia charitatem habete: quæ est vinculum perfectionis.* Charitas autem vinculum perfectionis vocatur, ut ait S. Thomas, quià omnes alias virtutes in unitatem perfectionis, tamquàm earundem forma, & perfectio quodam modo connectit, & nos Deo conjungit, Beato Joanne teste, qui ait: *Deus Charitas est: & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Deus enim est postremus humanæ mentis finis, ut scribit S. Thomas. Id quod de perfecti ratione esse affirmatur, cujus est proprium attingere finem. Quamvis autem patientia, ut Sanctus Jacobus ait, opus perfectum habeat; ejus tamen dictum in ordine ad charitatem intelligitur, quatenùs scilicèt patientia ad sufferendas adversitates ex ipsâ charitatis abundantiâ oritur juxtà Beati Pauli sententiam dicentis: *Quis nos separabit à charitate Dei tribulatio, an angustia?* Quasi per charitatem omnem tribulationem, & angustiam, atque omnem hujus Mundi miseriam, vel calamitatem superari omninò possè dicat. Omnem ergò quarumcumqne virtutum perfectionem ex Charitate oriri, & in charitate ipsâ statum perfectionis situm esse dicas oportet. Quod autem de virtutibus dictum est, illud ipsum de sensibus humanis est intelligendum; eorum enim perfectio, ut Doctor ait Angelicus, eo spectat, ut scilicèt in unitatem veritatis conveniant, juxtà B. Apostoli sententiam dicentis: *Sitis perfecti in eodem sensu, & in eâdem scientiâ.* Id quod nonnisi per charitatem fieri potest, quæ consensum in hominibus præstat, & operatur. Perfectionem ergò, tàm virtutum, quàm sensuum humanorum in charitate, tamquàm in radice fundatam esse constat: eamque in consiliis, & in præceptis sitam esse juxtà Sancti Thomæ doctrinam affirmamus, diversis tamen modis: Christianæ namque vitæ perfectio in aliquo duplex esse potest; Primaria scilicèt, & ex se, sivè ut Scholastici Latini ajunt essentialis; altera verò secundaria, & accidentaria, vel instrumentalis. Ad hanc perfectionem instrumentalem pertinet consilium illud Salvatoris nostri ad Adolescentem Evangelicum dicentis: *Si vis perfectus esse; vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.* Et juxtà Sancti Patris Augustini illud alterum Apostoli dictum: *Bonum est homini Mulierem non tangere,* ad consilium itèm pertinet. Consilia enìm ad removenda actus charitatis impedimenta data sunt: quæ quàmvis charitati

S. Thom. secunda secundæ quæst. 184. art. 1. Aug. Triūph. qu. 101. art. 1.

Coloss. 3.

Secunda secundæ q. 184. art. 1.

1. Joann. 4.

Vbi suprà.

Jacob. 1.

Rom. 8.

S. Thom. secunda secundæ quæst. 184. art. 1. ad 1.

1. Corinth. 1.

S. Thom. secunda secundæ quæst. 184. art. 3.

Perfectio secundaria, & Instrumentalis.

Matth. 19.

Aug. tom. 3. in Enchirid. cap. 121. 1. Cor. 7.

contraria non sint, perfectæ tamen vitæ impedimento esse possunt, veluti sunt Matrimonium, divitiarum possessio, secularium negociorum occupatio, & id genus alia. Nec ob id Cælibatus, facultatum abdicatio, mundanarumque rerum abjectio, & cætera id genus permulta, spiritualibus omninò amplexis perfectionis statum constituunt, sed tamquàm Instrumenta accessum ad perfectionis statum nobis subministrant. Hinc Joannes Cassianus in collationibus Sanctorum Patrum à Moyse Abbate de Tranquillitate cordis appetenda hæc dicta esse refert. *Igitur jejunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum non perfectio, sed perfectionis Instrumenta sunt, quià non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa pervenitur ad finem.*

Cassian. coll. 1 c. 7. post med.

Perfectio igitur secundaria, & accidentaria, sivè instrumentalis in consiliis versatur; per quę consilia, tamquàm per Instrumenta, ad primariam, & essentialem perfectionem tamquàm ad finem pervenitur. Hæc autem in præceptis consistit, præsertìm verò in charitate, qua in primis Deus diligitur, deindè Proximus; Sed quià perfectum quodcumque, ut superiùs dictum est rationem totius complecti debet, cum totum, & perfectum, teste Philosopho idem sint, ex toto corde Deum diligere, & proximum, sicut nos ipsos jubemur juxtà Salvatoris nostri prę-ceptum dicentis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Quibus ex verbis dilectio Dei, & proximi, non ad mensuram, sed ad summum nobis præcipitur, ut ratio explicetur perfecti, quòd finem in præcepto dilectionis attingit, quia, *finis præcepti est Charitas*, ut Apostolus ait: In fine autem, qui est ultima rei perfectio, nulla adhibetur mensura, ut Aristoteles inquit, sed in iis, quæ sunt ad finem directa, ut videre est in medicamentis, quæ mensuram admittunt, sed in valetudine, aut sanitate reparandà, quæ medicamentorum finis est, non item; Sanitas enim quæritur quanta unquàm excogitari potest. Ad hunc igitur modum dilectio Dei, & proximi præstanda est, ut perfectio primaria, & essentialis, quæ in præceptis, vel in charitate sita est, constituatur. Idcircò Adolescenti illi Evangelico, post consilium datum, quo quis tamquàm Instrumento ad hanc primariam, & essentialem perfectionem facillimè pervenire potest, dictum fuit, ut Christum, Salvatorem nostrum, per dilectionem in charitate sitam sequi deberet, si perfectus esse vellet; perfectio enim non in divitiarum tantùm abdicatione, sed in Christo Domino sequendo consistit, ut B. Hieronymus rectè explicat, dum Beati Petri verba Christum interrogantis, & Christi responsum perpendit. Petrus enim, qui cum aliis Apostolis omnia reliquisse; seque cum iisdem secutum fuisse Christum narravit, hujus facti præmium à Christo scire voluit dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis?* Christus autem rerum temporalium abdicatione posthabitâ, sui tantùm consecrationi præmium se daturum respondit, dicens: *Vos qui secuti estis me &c. Sedebitis, & vos super sedes duodecim judicantes, &c.* Hinc B. Hieronymus, & interrogantis, & respondentis verba examinans, & veluti trutinâ quadam expendens, de Petri verbis interrogationem præcedentibus ait: *Et quia non sufficit tantùm relinquere, jungit quod perfectum est: Et secuti sumus te.* Et infrà de Christi responso inquit: *Non dixit: Qui reliquistis omnia: hoc enim, & Crates fecit philosophus, & multi alii divitias contempserunt; sed qui secuti estis me: quod proprium Apostolorum est, atque credentium.* Perfectio itaque Christianæ vitæ est, ut quis per dilectionem in charitate sitam, Christum sequatur: quæ sanè charitas, vel perfectio in præceptis, non in consiliis consistit; Et ex consequenti de necessitate salutis est, ut eam consequantur omnes. Hujus autem generis perfectio varias sibi species, varioque sibi sortitur gradus; quos pro hac re dilucidandâ explicabimus, ut quonam in gradu perfectionis Episcopi esse debeant planum fiat.

Perfectio primaria, & essentialis.

Aristot. tom. 2. lib. 3. phys. cont. 64.

Matth. 22. Deut. 6. Levit. 19.

1. Tim. 1.

Aristot. 1. Pol. c. 6. tom. 7.

Matth. 19.

Matth. 19.

Hieronym. tom. 6. lib. 3. in c. 19. Matth.

Perfectio, ut ait S. Thomas, triplex esse potest; Prima, quæ absoluta, & secundùm omnem modum perfectio nuncupatur, versatur, ut ità dicam, circà perfectionis totalitatem, vel totalem diligendi vim, tàm ex parte diligentis, quàm ex parte rei diligibilis, ut exempli gratia; Deus tantùm diligitur, quantùm in se diligibilis est. Et hæc perfectio dilectionis in Deo solùm esse valet. Alia perfectio est juxtà totalitatem absolutam ex parte diligentis tantùm, quæ non hisce in Terris, sed in Cœlo tantùm haberi potest, ut inquit Sanctus Thomas; Hæc enim perfectio, ut idem Doctor ait, postulat, ut quis in amando Deo, actu semper in Deum tendat. Tertia perfectio, quæ hac in vitâ haberi potest, non requirit totalitatem diligendi absolutam, neque ex parte rei diligibilis, neque ex parte diligentis, ut scilicèt actu sempèr in Deum feratur, vel in Deum tendat; Sed ei perfectioni satis est, si ea excludantur, quæ motui dilectionis divinæ adversantur. Id quod duobus modis præstari in hac vitâ potest. Primo modo, dum quodcumque charitati contrarium procul pellitur, sicuti peccatum mortale est, quod cum charitate stare nequit; nec sine hac perfectione charitas esse potest; hinc de necessitate salutis est. Alio modo hæc perfectio tertio loco, aut gradu considerata haberi valet, dum non solùm charitati contrarium amovetur, sed illud omne, quod nobis impedimento esse potest, ità verò, ut omninò in Deum non dirigamur; sed sine hac perfectione charitatem in incipientibus, & proficientibus esse posse Sanctus Thomas affirmat. De Triplici statu Dionysius Carthusianus hunc in modum ait: *Incipientium enim status est in recessu à malo, & primordiali ad bona virtutum accessu; Proficientium est bonum inchoatum strenuè prosequi, & crescere in eodem, quod est, interiùs reformari, in intellectu illuminari, & perfectionem effica-*

S. Thom. secunda secundæ quæst. 24. art. 2.

S. Thom. ibid

S. Thom. ubi suprà. Dion. Carth. de Laude vitæ solitariæ cap. 11.

efficacitèr cupere; Perfectorum autem status est per contemplationem gustare, quòd dulcis est Dominus, atque per ferventissimum charitatis ardorem ad mysticæ Theologiæ secretum pertingere; quod est introire in Sanctuarium Dei, incerta, & occulta sapientiæ Dei per unitivæ flammigeræ sapientiæ donum, & item per actualem desuper infusam irradiationem fulgoream, vibrativam conspicere. Hæc Carthusianus.

Quamvis autem quis medios perfectionis gradus non assequatur, præceptum tamen observat, dummodò infimum, de quo sermonem habuimus, gradum attingat; Infimus enim Divinæ dilectionis gradus postulat, ut nihil suprà Deum, aut contrà Deum, aut nihil æqualitèr cum Deo diligatur; qui autem alitèr facit, gradum perfectionis nullum habet, dilectionisque præceptum nullo modo adimplet.

Ex his igitur, quæ ex Angelici Doctoris sententiâ, atque doctrinâ, de triplici perfectione in medium attulimus, constat, quonam in statu perfectionis Episcopi existant. Sicut enim quisque per charitatem gradum aliquem perfectionis habere potest; ità Episcopos in perfectiori statu, quàm laicos quoscumque perfectos, sivè Prælatos Ecclesiæ, vel quoslibet Religiosos esse dicas oportet, ob charitatem, quam Episcopi in Gregem sibi commissum exercere debent. Nàm sicut Papa in perfectiori statu quàm quivis Episcoporum est; cum in ipso maior charitas, quàm in quocumque Episcopo, intensivè, extensivè, & permansivè requiratur, & esse censeatur, ut Augustinus Triumphus docet, & nos in Speculo Pontificio fusiùs ostendemus; Ità Episcopi omnes in perfectiori statu, quàm cæteri alii perfecti sunt, & esse debent. Hinc à B. Dionysio Areopagitâ Religiosi dicuntur perfecti, Episcopi verò perfectiores. Episcoporum item ordo consummativus, & perfectivus; Sacerdotum omnium illuminativus, & lucidativus; Ministrantium verò purgativus, ac discretivus ab eodem Dionysio in capite octavo libri de Ecclesiasticâ Hierarchiâ sparsim nominantur, & in dicti capitis contemplatione circà Sacerdotum perfectiones hæc summatim leguntur: *Demonstratum est igitur, Pontificum quidèm ordinem vim perficiendi habere, ac re perficere; Sacerdotum autem illustraudi vim habere, atque lucem afferre; Ministrorum verò expiandi, & secernendi vim habere &c.* Episcopo ergò, quos perfectores, ac vim perficiendi habentes, necnon in ordine consummativo, ac perfectivo existentes Beatus Dionysius vocat, in statu perfectionis acquisitæ ob animarum curam sibi commissam absque dubio esse, dicamus oportet. Religiosos verò, quos idem Dionysius appellat perfectos, in statu perficiendorum, vel acquirendæ perfectionis esse, dicendum est. Potest enim esse quis perfectus, non tamen in statu perfectivo, sivè in statu perfectionis acquisitæ; Sicut namque vitæ perfectione aliqui possunt esse insigniti, ut sunt optimi Laici, ac Religiosi, qui cum sint perfecti, non tamen sunt in acquisitæ perfectionis statu; ità è converso se habent aliqui, ut Episcopi non boni, & mali Religiosi omninò charitate, & gratiâ carentes, ut ait S. Thomas; quorum illi quantùm ad animarum curam sibi commissam; hi verò, quantùm ad vitam in solemni voto promissam, sunt in statu perfectionis (ratione diversâ) perfecti tamèn non sunt.

S. Thom. secunda secundæ quæst. 184. art. 4. in arg. in contr.

Quamvis autem Presbyteri Curati, & Archidiaconi, & alii similes in Sanctâ Dei Ecclesiâ constituti ad curam animarum sibi demandatam exercendam, hanc ob rationem ad statum perfectionis aliquâ ex parte accedere videantur; Religiosi tamèn sunt iis & perfectiores, & Episcopo similiores ob perpetuam vitæ obligationem in statu perfectionis requisitam, & per votum solemne spontè promissam, pro studio perfectionis sempèr excolendo; Presbyteri autem Curati, vel Archidiaconi ad curam animarum, quantùm ad pauca quædam, sibi creditam, per totius vitæ suæ curriculum exercendam sese voto non obstringunt. Immò eis, ut meliorem, aut perfectiorem amplectantur vitam, curam sibi commissam deserere, & vitam monasticam in Cœnobio per votum solemne suscipere fas est, ut in Concilio Toletano, & in Decreto legitur in hanc verborum formam: *Clerici, qui Monachorum propositum appetunt, quià meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in Monasteriis oportet largiri ingressus;* Quod eis facere non liceret, si à minori ad majorem statum non transirent, curam deponentes, ut perfectiorem vitam adipiscantur. Si quis autem Monachus, vel Religiosus ad Clericatus ordines, idest à Monastico statu ad Presbyteri munus, animarum scilicèt curam habentis, assumatur, is ex Innocentii Papæ decreto, à priore, sivè Monachali proposito non discedit, quia à minori statu ad majorem, vel perfectiorem ascendit. Innocentius enim ad Victricium scribens ait: *De Monachis, qui diù morantes in Monasteriis, si postea ad Clericatus ordinem pervenerint; statuimus; non debere eos à priore proposito discedere.* Innocentius hisce verbis statuit, ut Monachi, vel Religiosi ad seculares Ecclesias, vel Episcopatum assumpti à Monachali proposito non discedant, hoc est, ut Glossa interpretatur, quantùm ad ea, quæ sunt de substantiâ Monachatus, vel Religionis, continentia scilicèt, & paupertas, & habitus, quem portare sempèr debent, quia, ut ait Sanctus Thomas, est obligationis signum. Ab obedientiâ verò ad Episcopatum Religiosi assumpti, nonnisi per accidens, ut idem Doctor Angelicus ait, absolvuntur, ut scilicèt Prælatis suarum Religionum obedire ampliùs non obligentur, quatenùs eorum subditi esse desierunt; Obligatio tamen voti obedientiæ in iis Religiosis ad Episcopatum assumptis, virtute remanet, quatenùs ipsi obedire debent ei, quem sibi in Episcopatu legitimè præesse noverint. Remanet item in eis paupertatis votum, quià proprium nullo modo habere possunt; Sed facultates Ecclesiæ sibi creditas in ejusdem Ecclesiæ utilitatem, in pauperum subsidium, & in

S. Thom. secunda secundæ qu. 184. art. 8. ad 3. arg.

Concil. Toler. tom. 4. cap. 49. & 19. q. 1. Clerici cap. 1.

Innoc. ep. 2. cap. 10. ad Victric. & 16. q. 1. c. 3.

S. Thom. secunda secundæ quæst. 185. art. 8. in corp.

Aug. Triuph. de Pot. Eccles. q. 101. art. 1.

Dionys. de Eccl. Hier. c. 5.

Dionys. de Eccl. Hier. c. 8. in Edit. Lugd. sed juxtà Paris. c. 5. p. 1.

& in sui ipsius, suæque familiæ sustentationem conservare, ac dispensare debent. Hinc testamentum condere non queunt, nihil proprii habentes; quia rerum Ecclesiasticarum sola eis distributio committitur, & morte finitur; Ex qua Testamentum ipsum valere incipit; & nonnisi ex Papę dispensatione, sivè Juris relaxatione, non de proprio, cum nihil habeant, testamentum facere possunt, potestate dispensationis in robore post mortem manſuræ, per Apostolicam authoritatem ampliata, sicut Sanctus Thomas in locis suprà citatis docet; Ab aliis verò Monasticis observantiis, hoc est à jejuniis, & vigiliis gravioribus, ex quibus dicti Episcopi corpore impotentes redderentur; necnon à solitudine, à silentio, & à cæteris id genus, quæ Pontificali, sive Episcopali officio impedimento esse possunt, absoluti, & immunes habentur.

S. Thom. secundæ quæst. 185. art. 8., & ult. ad 3.

Monachi ergo, & Religiosi, quamvis non in statu perfectorum, sed perficiendorum sint, Presbyteris tamen Curatis, & Archidiaconis absque dubio sunt perfectiores, cum Clerici à Clericatu ad Monasticum statum, hi verò ab hoc statu ad Episcopatum transire queant: Quia ut ait Sanctus Thomas, nemini à majori statu ad minorem transire licet; Quod si non ita esse constaret, nec Clericus ad Monachatum, nec Monachus ad Episcopatum assumi possent; Utrumque enim fieri posse ex Decretis suprà citatis patet. De Religiosis autem alterum item extat Decretum, in quo statuitur, ut cùm aliquem sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit, quæ antè consecrationem habebat, Monasterio: Quæ autem post consecrationem acquisivit, propriæ Ecclesiæ relinquat, hisce verbis: *Statutum est, & rationabilitèr secundùm Sanctos Patres, à Synodo confirmatum, ut Monachus, quem Canonica electio à jugo Regulæ Monasticæ Professionis absolvit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit; velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem posteà jure vendicandi potestatem habeat; sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat, & Abbatis sui arbitrio. Postquàm enim Episcopus ordinatur, ad Altare, ad quod sanctificatur, & titulatur secundùm Sacros Canones, quod acquirere poterit, restituat.* Totum Decretum hoc loco descriptum apponere visum est, ut non solùm à Monechatu ad Episcopatum, tamquàm ad statum perfectiorem, transitum legitimum esse ostenderemus; sed ut etiam ex eodem Decreto, quid de facultatibus Episcopi Regularis, & professi post ejus mortem agendum esset, omninò sciremus.

S. Thom. secunda secundæ quæst. 184. art. 7. arg. in contr.

Decr. 2. p. 18. q. 1. c. Statutum.

Religiosi ergo, quos Dionysius Areopagita de initiandis Ordinibus, Monachos, vel Therapendas, idest Deo famulantes, vel cultores à puro Dei famulatu, & cultu, tamquàm perfectos appellat; sunt Presbyteris Curatis, & Archidiaconis perfectiores, magisque quàm ii ad Episcopi perfectionem ob assignatas rationes accedunt. Idcircò idem Dionysius in capite de Mysterio Monasticæ consecrationis, consummationis, vel perfectionis, Monachorum, aut Religiosorum vitam appellat perfectissimam; Eosque deindè in Altissimo, summoque omnium ordine constitutos esse ait in hanc verborum formam: *Est enim, ut dixi, non medii eorum, qui initiantur ordinis, sed summi omnium.* Hoc autem in loco nonnisi de Monachorum, aut Religiosorum ordine, ac statu sermo habetur; quem scilicèt statum perfectissimum appellat, quippè qui in iis, quę ad statum perfectionis instrumentalitèr acquirendum (cujusmodi sunt rerum temporalium abdicatio, Jejuniorum, ac vigiliarum exercitatio, & id genus alia) pertinent, ad Apostolorum vestigia magis accedunt, quàm Papa, & Episcopi, ut Augustinus Triumphus eruditè docet; Apostoli enim, ut Triumphus ait, priùs ad statum perfectionis, tamquàm perficiendi (cujusmodi sunt Religiosi omnes) quàm ad statum prælationis, tamquàm perfecti, à Christo vocati sunt. Papa verò non in statu perficiendorum est, sed in statu perfectorum est, ut in Speculo Pontificio docebimus, supremum retinet gradum; ad quem Episcopi proximè accedunt.

Dionys. de Eccl. Hier. c. 6. p. 1. vel c. 10. juxtà Edit. Lugd.

Cap. 6. p. 3. in Edit. Paris. sed in Lugd. c. 10. in contempl.

Dionys. de Eccl. Hier. c. 6. p. 2. in Edit. Paris., & 10. in Lugd.

Aug. Triũph. de Pot. Eccl. q. 101. art. 2. in corp.

Soli ergò Episcopi in statu perfectionis existunt, non solùm ob rationes assignatas, verùm etiam ob hanc præsertìm causam; quia Presbyteri Curati, & Archidiaconi dignitatem, & curam, sivè Parochiam possunt relinquere, & simplicem præbendam sine curâ accipere, ut ait Sanctus Thomas; vel Cœnobium, aut Monasterium ingredi valent absque Summi Pontificis, atque item sinè Episcopi veniâ, ut habetur in Decreto; Episcopi verò nonnisi auctoritate Papę (ad quem etiam in cæteris votis perpetuis dispensare pertinet) & nonnisi certis, legitimisque de causis curam Episcopalem deserere queunt, ut Sanctus Thomas docet, & affirmat.

S. Thom. secunda secundæ quæst. 184. art. 6. in corp. Decr. 2. p. 19. q. 2. c. 2. Duæ.

S. Thom. secunda secundæquæst. 184. art. 6. in corp. in fine.

Quamvis autem Episcopi non Regulares, vel non professi, de rebus propriis, tam de bonis paternis, quàm à se acquisitis, hæredibus relinquant, vel de iis testamentum condere queant, ut ait Sanctus Thomas, id tamen statui perfectionis non adversatur, etiamsi à Christo Salvatore Adolescenti Evangelico illi dictum fuerit: *Si vis perfectus esse; vade, & vende quæ habes, & da Pauperibus*; nam facultatum abdicatio, ut ait Sanctus Thomas, duobus modis esse potest; quantùm scilicèt ad effectum, & quantùm ad affectum. Abdicatio, quæ respicit effectum, sivè actum, non est de vi, aut, ut dicunt, de essentiâ perfectionis, sed Instrumentum ad perfectionem ducens, sicut superiùs demonstratum fuit. Abdicatio autem, quæ affectum, & animi præparationem respicit, in statu perfectionis omninò postulatur, & ad ipsam perfectionem directè, & propriè pertinet: Nàm, ut ait Sanctus Pater Augustinus, non in abstinendo, nec in manducando, est justitia, sed in æquanimitate tolerandi inopiam juxtà Apostoli Pauli sententiam dicentis: *Scio abundare, & penuriam pati.* Hanc itaque perfectionem Episcopi omnes in statu perfectionis constituti habere debent, parati existentes,

S. Thom. secunda secundæ quæst. 184. art. 7. arg. 1., & ad primum. Matth. 19.

S. Thom. ubi suprà.

S. Aug. tom. 4. cap. 11. lib. 2. de quæst. Evang. Philipp. 4.

tes, ut si opus fuerit, omnia pro honore Dei, & pro salute Gregis sibi commissi, & pauperibus facultates largiendo, vel rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinendo, ut Doctor Angelicus in summâ docet, & affirmat. Et quamvis perfectio in Dei dilectione præcipuè, & in primis consistat; Cura tamen Episcoporum in Pauperes, & in proximum tàm ardentèr, & avidè habita, ex divinâ dilectionis abundantiâ oritur.

S. Thom. ubi suprà ad primum. Idem ibidem ad 2.

Epilogus dictorum.

Episcopi ergò (ut quæ dicta sunt, paucis verbis concludamus) sunt in statu perfectionis, quæ in consiliis instrumentaliter, in præceptis autem, ut Scholastici loquuntur, essentialiter, sive in Dei, & Proximi dilectione consistit. Quamvis autem, ut ait Sanctus Thomas, triplex perfectio sit; Una scilicèt absolutè sumpta, totalitatem, ut ajunt, dilectionis respiciens, tàm ex parte diligentis, quàm rei diligibilis, Deo tantùm conveniens; Altera verò totalitatem dilectionis absolutam ex parte tantùm diligentis requirens, solisque Beatis in Cœlo conveniens, qui actu sempèr in Deum feruntur, ac tendunt, dum actu sempèr Deum amant; Tertia denique nec totalitatem dilectionis ex parte diligentis, nec ex parte rei diligibilis postulans, & ad nos hisce in Terris pertinens, qui non sempèr actu in Deum tendere possumus, sed habitu: dummodò quæ motui dilectionis in Deum adversantur, excludamus. Ex toto tamen corde Deum, & proximum, sicut se ipsum, quisque diligere jubetur; Nec ob id transgressio præcepti perpetratur, si nulla dilectionis totalitas admittatur: Nèc frustrà totalitas dilectionis illa præcipitur, dummodo habitus diligendi nunquàm dimittatur; Et præceptum, etsi non optimo, aliquo tamen modo impleatur: Si enim illud non extaret præceptum (à quo, ut in libro de perfectione Justitiæ ait S. Pater Augustinus, perfectio dilectionis divinæ in Cœlo præstanda non excluditur) quid faciendum esset, nesciretur. Hinc idem S. Doctor in eodem libro dicit; *Cur ergò non præciperetur homini ista perfectio, quamvis in hac vitâ nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodò autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergò curramus, ut comprehendamus; omnes enim, qui rectè currunt, comprehendunt.* Duo ex his verbis accepimus, totalem scilicet divinæ dilectionis perfectionem hac in vitâ à nobis haberi non posse; nec ob id frustrâ nobis datum esse præceptum de Deo, ut sic dicam, totalitèr diligendo; idque exemplo rectè currentis nobis explicatur. Qui enim rectè currit, comprehendit: Nam qui currunt in viâ Domini, non sunt adsimiles in Theatro, vel agone currentibus; quorum quamvis multi rectè currant, unus tamen bravium accipere solet: Sed rectè cucurrisse sat est. Idcircò Sanctus Pater ait: *Omnes enim, qui rectè currunt, comprehendent: Non sicut in agone Theatrico, omnes quidèm currunt, sed unus accipit palmam.* Episcopi ergò qnoquo modo se habeant, in statu perfectionis constituti sunt, quamvis perfecti non essent, statum enim perfectionis perpetua obligatio facit; Voti autem executio, vel impletio, vel executio perfectum reddit, ut Augustinus Triumphus ait. Qui etiam triplicem modum diligendi Deum alibi explicat, eumque in Christo fuisse docet, modum scilicèt Deo tantùm convenientem, modum Comprehensoribus, sivè Beatis congruentem, modumque denique viris perfectis in hac vitâ consentaneum; neminemque attingere posse, ait, non solùm priores diligendi modos, ob rationes superiùs à Beato Thomâ assignatas, sed nec etiam singularem perfectorum modum, quem Christus habuit; quià, ut ipse dicit Triumphus, *nemini gratia capitis dari potest, & non ad mensuram, sicut data est ei, qui simul caput, & singularis homo erat.* Alibi verò idem Triumphus, primo modo posthabito, explicans præceptum de diligendo Deo ex toto corde, duos homini hisce in Terris degenti dilectionis inesse modos, quorum unum sub consilio, alterum verò sub præcepto esse ait: sed modum ad comprehensores pertinentem, nec sub præcepto, nec sub consilio datum esse concludit. Id quod Sancti Thomæ doctrinæ omninò arridet.

Aug. Triumph. de Pot. Eccles. qu. 101. art. 3. in corp. Aug. Triumph. q. 77. art. 3.

Aug. Triumph. q. 77. art. 2.

Ut autem huic rei finem imponamus, ex his quæ dicta sunt, quinque ad perfectionis statum juxtà Triumphi doctrinam pertinentia colligi possunt, Perpetua Voti obligatio, causa instrumentalis, materialis, formalis, ac finalis: Instrumentalis causa est rerum templium abdicatio, & à licitis rebus abstinentia. Materialis causa in Episcopo est Episcopalis consecratio; in qua votum de curâ suarum ovium habendâ emittitur; & in Religiosis habitus benedictio. Formalis causa est Dei, ac proximi dilectio per charitatem, quæ, juxtà Apostoli sententiam, vinculum perfectionis est. Finalis autem causa est dedicatio sui, suarumque rerum in Dei cultum. Hinc dedicatio personæ, ut ait Triumphus, juxtà tria vota in Religiosis, quantùm ad statum perfectionis finalis causa est: *quià*, ut ait S. Pater Augustinus, *Virginitas non quælibet, sed quæ ad cultum Dei est oblata, est præmianda.*

Triumph. q. 77. art. 1.

Coloss. 3.

S. Aug. tom. 6. ep. 8., & 11. de l. Virg.

Hæc igitur quinque pro statu perfectionis acquirendo requiruntur; sed sicut quædam ex his non æquè in omnibus reperiuntur: Ità etiam alii magis, alii verò minùs, ut ait Triumphus, in statu perfectionis esse dicuntur.

Aug. Triumph. q. 77. art. 1. in fin.

Veterum Scriptorum, Sanctorum scilicèt Patrum Testimonia, non minùs periculosum, quàm perfectum, ac sublimem Episcoporum statum comprobantia, atque explicantia.

PErfectissimum, ac sublimissimum Episcoporum statum esse constat ob rationes superiùs assignatas, quæ eum talem constituunt; sed ipsum multò perfectiorem, ac sublimiorem esse fateamur oportet, si de hujusmodi statu encomia Sanctorum Patrum, & Sacrosanctæ Scripturæ Testimonia, ejusdemque status Authorem contemplemur, Christum

S. Aug. tom. 7. lib. De perfectione Justitiæ antè med.

Aug. ibid. longè antè med.

Augustin. ubi suprà. 1. Cor. 9.

ſtum ſcilicèt Salvatorem noſtrum, Deum, & Hominem, in quo vera perfectio eſt, omnia perfecta perficiens, ut Dionyſius Areopagita ait, quique omnem perfectionem perfectione ſuâ explet, & ſuperat. Sanctus enim Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus in Epiſtolâ ad Magneſianos ex Smyrnâ, necnon Sanctus Anacletus Papa in ſuâ itèm Epiſtolâ, non minùs vitæ ſanctitate, quàm martyrio inſignes, qui Chriſtum Salvatorem noſtrum in carne viderunt, Epiſcopatus ordinem non ab homine, ſed à Deo fuiſſe inſtitutum omninò fatentur, & prædicant. Hinc Beatus Clemens Papa Romanus, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Diſcipulus, in primo Recognitionum libro, Jacobum cognomento Juſtum, Domini noſtri Conſobrinum fratrem ab ipſomet Chriſto in Epiſcopum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ordinatum fuiſſe affirmat. Sanctus item Auguſtinus, vel Author, quiſquis ille ſit, in libro de quæſtionibus veteris, & novi Teſtamenti, Apoſtolos ſanctâ Benedictione inſignitos, eoſdemque Epiſcopos à Chriſto Domino, anteaquàm ad Cœlos aſcenderet inſtitutos fuiſſe ait in hanc verborum formam: *Nemo ignorat Epiſcopos Salvatorem Eccleſiis inſtituiſſe; Ipſe enim priuſquàm Cœlos aſcenderet, imponens manum Apoſtolis ordinavit Epiſcopos. Hoc Apoſtolus Spiritui Sancto deputat, cum dicit: Attendite vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Quamvìs autem alii ſacrarum literarum Interpretes, præſertìm verò Beda, Apoſtolum Paulum hoc loco de Presbyteris ſub nomine Epiſcoporum locutum fuiſſe dicant; hæc tamen ſententia dicti libri, quì ſub nomine Auguſtini, ut alibi à nobis demonſtratum eſt, falsò circumfertur; ab Ignatii, Anacleti, & Clementis doctrinâ, quam nupèr in medium attulimus, non abhorret. Etenim reverà Sanctus Paulus, ut legitur in Actibus Apoſtolicis Miletum accerſivit Epheſinæ Eccleſiæ Majores natu, vel, ut Græco in Textu habetur, Presbyteros; quos paulò inferiùs eodem in capite Epiſcopos, ideſt ſuperinſpectores, ut ait Beda, vocat: Una enim Civitas plures Epiſcopos habere non poteſt; ſed eoſdem Presbyteros, tamquàm verè Sacerdotes, ſub Epiſcoporum nomine intellexit Paulus ob gradum, ſivè ordinem Epiſcoporum, ac Presbyterorum multis in rebus penè ſimilibus conjunctum, teſte Bedâ. Id quod S. Ambroſius explicat hunc in modum: *Epiſcopi, & Presbyteri una ordinatio eſt: uterque Sacerdos eſt: ſed Epiſcopus primus eſt; ut omnis Epiſcopus Presbyter ſit, non tamen omnis Presbyter Epiſcopus. Hic enim Epiſcopus eſt, qui inter Presbyteros primus eſt.* Hinc alio in loco ait: *In Epiſcopo omnium ordinationum dignitas eſt: Caput eſt enim cæterorum membrorum.* Et alibi item dicit: *In Epiſcopo omnes ordines ſunt: quia primus Sacerdos eſt, hoc eſt Princeps Sacerdotum, & Propheta, & Evangeliſta, & cætera adimplenda officia Eccleſiæ in miniſterio fidelium.* Cum itaque Chriſtus Presbyteros ordinarit ultimâ ſuâ in Cœnâ, ut Catholici omnes docent, & omninò affirmant; Epiſcopos etiam ab eodem Chriſto Salvatore, qui caput, ac fundator eſt Eccleſiæ, quam non auro, & argento, quam ſuo pretioſiſſimo ſanguine adeptus eſt; Jure optimo inſtitutos eſſe dicamus oportet. Si enim Deus, ut ait Apoſtolus, ſanguine ſuo (ſanguinem namque Dei dicere ipſe non dubitavit, Beda teſte, propter hypoſtaticam unionem, vel perſonæ in duabus naturis, divinæ ſcilicèt, atque humanæ ejuſdem Jeſu Chriſti) univerſam acquiſivit Eccleſiam, eamque in Petro, tamquàm ſuo Vicario fundatam, ut in Matthæo habetur, uni Petro, ejuſque ſucceſſoribus regendam præbuit, & commiſit per illa verba: *Paſce Agnos meos, & paſce Oves meas*; particulares itèm particularium Eccleſiarum Rectores, ideſt Epiſcopos decernendos eſſe intellexit, ac voluit, ut inter cujuſcumque Eccleſiæ particulares Presbyteros Sacerdos quis primus, & caput extaret, quemadmodùm id re ipsâ comprobavit, dum Sobrinum fratrem ſuum Jacobum, ut ſuperiùs ex Clemente Papâ narratum eſt, Epiſcopum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ inſtituit. Quamvìs autem Chriſtus non omnes Apoſtolos privatìm Epiſcopos hujus, vel illius Eccleſiæ inſtituerit, ſicut Authoritas paulò ſuperiùs ex libro de Quæſtionibus veteris, ac novi Teſtamenti ſub Auguſtini nomine citata innuere videntur; Epiſcopatum tamen, non humanum commentum, ſivè inventum, ſed divinum inſtitutum demonſtraſſe hoc loco nobis ſat eſt. Quando autem Sanctus Paulus in vigeſimo Actorum capite Epiſcopos [qui majores natu, vel ſeniores, ſivè etiam Presbyteri in aliquot divinæ ſcripturæ locis vocitantur] ex Epheſo Miletum, quæ ſunt Aſiæ Civitates acceſſit, eoſque cohortatur, ut univerſo incumbant Gregi, in quo ipſos à Spiritu Sancto poſitos eſſe teſtatur; Accerſitus Epiſcoporum ille non de unius Civitatis, vel ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopis intelligendus eſt, ſed de cæteris aliarum Civitatum Epiſcopis, hoc eſt, Smyrnæ, Epheſi, Myſiæ, Trallis, aut cæterarum Urbium, quæ in Jonia, ſivè Aſia Minore ſitæ ſunt. Fit autem mentio in dicto Actorum loco de Epiſcopis ex Epheſo accerſitis; quià Epheſus erat totius Aſiæ Minoris Emporium celeberrimum, & locus hominum concurſui pluribus de cauſis aptiſſimus. Hinc Bellarminus hanc rem fortaſsè, dictumque Actorum locum perpendens ait: *Paulus hortatur Aſianos Epiſcopos, ut attendant ſibi, & univerſo Gregi, ſtatim adjungens: In quo Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, ideſt non univerſo ſimpliciter, ſed tantùm univerſo illi Gregi, qui vobis commendatus eſt.* Sicut itaque B. Paulus particularium Eccleſiarum Epiſcopos ad eas diligentèr gubernandas cohortatus eſt, ità etiam Sanctus Petrus Chriſti Vicarius, reliquos privatarum Eccleſiarum Epiſcopos, tamquàm Paſtores à Paſtorum Principe Chriſto in Epiſcopatu conſtitutos ad id ipſum faciendum ſuæ in Epiſtolæ Canonicæ initio obſecravit, dum conſeniorem, vel Compresbyterum, ideſt ætate vel potius officio, ideſt

Epi-

Dionyſ. de div. nom. c. 13 de perfecto, & uno,

Clemēs Rom. lib. 1. Recogn. Et Lambertus Gruterus in hunc locum,

Ang. tom. 4. lib. 2. qu. vet. & nov. teſtam. c. 97. Act. 20.

Beda tom. 5. in c. 20. Act.

Act. 20.

Beda ubi ſuprà.

Ambroſ. to. 2. in cap. 3. ep. 1. ad Timoth.

Ambroſ. to. 3. in cap. 1. ep. 1. ad Cor.

To. 3. in c. 4. ad Eph.

Beda ubi ſuprà.

Matth. 16.

Joann. 21.

Clemens lib. 1 Recogn.

Ang. tom. 4. lib. 2. c. 97.

Act. 20. 1. Petri 5., & cap. 1. ad Tit.

Bellarmin. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 14. tom. 1.

1. Petri 5.

Episcopali dignitate consimilem, sivè Coepiscopum se nominat. Sicut enim Christus Dominus Pastorum Princeps, totius Gregis sui curam Petro commisit; Ità Petrus cæteros Particularium Ecclesiarum Episcopos, vel Pastores, qui in partem sollicitudinis à Petro vocati sunt, ut suum quisque Gregem sibi commissum sollicitâ gubernatione tutetur, jure suo cohortatur dicens: *Pascite, qui in vobis est, Gregem Dei &c.* Et infrà: *Cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem coronam gloriæ.*

Ex Gloss. Ordin. in 1. Petri Epist.

1. Petri 5.

Ecce igitur tibi, quonam scilicèt modo ex Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, glorioforum Ecclesiæ Principum testimoniis luculentissimis, Episcopatum non ab homine, sed à Deo ipso institutum esse comprobatur. Quamvis enim solus Petrus immediatè à Christo fuisset in Episcopatu constitutus juxtà communem complurium Scriptorum sententiam, affirmantium, Jacobum Minorem cognomento Justum, Consobrinum Christi fratrem, à tribus Apostolis, Petro scilicèt, Jacobo Majore, & Joanne fuisse Episcopum consecratum; Librumque Recognitionum Clementis à nobis superiùs citatum, esse apocryphum, ut Baronius, vir profectò eruditus, & in sacris historiis optimè versatus, docet; Satis tamen est ostendisse, Episcopatum fuisse à Christo Domino institutum immediatè in Petro; in cæteris verò per Petrum in primis, qui Jacobum Majorem, & Joannem ordinavit.

Anaclet. ep. 2. ad Episc. Ital. tom. 1. Conc. Euseb. lib. 2. c. 1. hist. Eccl. Hieronym. de Vir. illustr. in Jacobo. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. c. 23. Cæsar Baron. Ann. Eccl. anno Christi 34. p. 233. E. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. c. 23., & lib. 1. de Cler. cap. 15. in fin.

De primo Episcopo post Petrum à Christo in Episcopum totius Ecclesiæ ordinatum loquitur Eusebius Cæsarienses Episcopus ex Clemente Alexandrino hunc in modum: *Petrum, Jacobum, & Joannem, post Servatoris ad Cœlos Ascensum, cum essent à Domino summum Dignitatis Gradum adepti, non de Gloriâ, & Honore contendisse inter se, sed uno consensu Jacobum Justum Hierosolymorum Episcopum designasse,*

Euseb. lib. 2. c. 1. hist. Eccl. ex l. 6. Clementis ὑποτυπώσεων

Idem Beatus Anacletus Papa, quartus post Beatum Petrum narrat, dum in Epistolâ ad Episcopos Italiæ de Episcopo non minùs, quàm à tribus Episcopis consecrando scribens ait: *Porrò, & Hierosolymitarum primus Archiepiscopus est Beatus Jacobus, qui Justus dicebatur, & secundùm Carnem Domini nuncupatus est frater, à Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis est ordinatus, successoribus videlicèt dantibus formam eorum, ut non minùs, quàm à tribus Episcopis, reliquisque omnibus Ascensum præbentibus, ullatenùs Episcopus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur.* Quamvis autem alii dicant Jacobum Minorem à Christo Episcopum fuisse ordinatum, præsertìm verò Eusebius in septimo Historiæ Ecclesiasticæ libro, in quo hæc scribit. *Denique, & Jacobi Cathedra, qui primus in Terris Episcopus ab ipso Salvatore, & ab Apostolis Hierosolymis est electus, quem fratrem Domini volumina divina designant, usque in hodiernum diem inibi conservatur.* Ex his tamen verbis distinctio illa de Episcopis à Christo mediatè ordinatis, immediatè verò ab Apostolis ex ipsius Christi Domini Instituto promulgato in Petro, vel etiam ex ejusdem Christi manu Apostolis, priùsquàm Cœlos ipse ascenderet, impositâ, ut Augustini verbis superiùs citatis dictum est, vel saltèm ex illâ prælatione Petro, Jacobo, & Joanni traditâ, quam Eusebius ex Clemente Alexandrino paulò antè narravit; in primis autem Petro, *à quo in novo Testamento*, ut Anacletus ait, *post Christum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo*: hoc est Episcopalis non Presbyteralis; Apostolos enim in ultimâ Cænâ simul omnes Sacerdotes ordinatos fuisse constat, ut Bellarminus rectè observavit in Controversiarum libro. Anacleti doctrinæ de Episcopatus Origine adstipulatur Innocentius Papa Romanus hujus nominis primus, dùm Concilii Carthaginensis Patribus de Actis adversus Pelagium, & Cælestium respondet in hanc verborum formam: *A quo* [scilicet Petro] *ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis hujus emersit.*

Idem Innocentius in Epistolâ ad Concilii Milevitani Patres, dum eorum acta adversùs Pelagianos comprobat hunc in modum ait: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres, & Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris authorem referre debere.* Ex hisce duabus Innocentii authoritatibus colligi potest Episcopatus origo, atque Author, Christus scilicèt, Deus, & homo, præcipuum Ecclesiæ universalis caput, quam in Petro fundavit, cùm ei dixit: *Pasce oves meas.* Quæ sanè verba, sicut omnes Doctores, & Scriptores Catholici affirmant, ad omnes Episcopos pertinent. Augustinus in libro de Agone Christiano, de hac re hunc ait in modum: *Cum Petro dicitur: Pasce Oves meas, omnibus dicitur.* Et Leo Papa hujus nominis primus: *Ideò Petro hoc singularitèr creditur, quià cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur.* Idem dicit Leo aliis in locis sermonum de assumptione Petri ad Pontificatum; necnon Chrysostomus in libro secundo de Sacerdotio, & alii: Quamvis enim verba Joannis superius paulò antè citata, *Pasce Oves meas*, ad Petrum in primis pertineant, omnibus tamen Episcopis à Petro in partem sollicitudinis vocatis suo quodam modo conveniunt. Et quod Summo Pastori, cui universa Ecclesia commissa est, à Christo dictum est; id etiam servatâ proportione cæteris particularium Ecclesiarum pastoribus suo modo dictum esse constat. Id quod Sanctus Ambrosius docuit in libro de Dignitate Sacerdotali, dum illud, *Pasce Oves meas*, explicavit, dicens: *Quas Oves, & quem Gregem non solùm tunc Beatus Petrus suscepit, sed & nobiscum (Episcopis) eas suscepit, & cum illo eas suscepimus omnes.*

Anno Dom. 63.

Anaclet. to. 1. Conc. ep. 2., & hist. 66. Porrò.

Anaclet. ep. 2. Conc. 1. Euseb. lib. 7. Hieronym. de Vir. illustr. in Jacobo. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. c. 23. Cæsar Baron. Ann. Eccl. anno Christi 34. p. 233. E. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. c. 23., & lib. 1. de Cler. cap. 15. in fin.

Euseb. lib. 7. cap. 15.

Aug. tom. 2. quæst. vet., & nov. Test. c. 97 tom. 4.

Anaclet. ep. 1. tom. 1. Conc.

Bellarmin. tom. 1. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 23.

Aug. tom. 2. ep. 91.

Innoc. I.

Aug. tom. 2. ep 93.

Joann. 21.

Aug. tom. 3. cap. 30.

Leo ser. 3. de die assumpt. Petri ad Pont.

Chrysostomus. Dionys. de Eccles. Hier. cap. 5. Iræneus, & alii.

S. Ambros. cap. 2. tom. 4.

Epiſcopatus igitur à Deo est institutus post Christi Resurrectionem, quando tertiâ vice Discipulis suis apparuit, Sacerdotio jam in ultimâ cænâ antè passionem constituto. Et quamvis Apostoli omnes fuerint Episcopi post Domini Resurrectionem, in Psalmo, & in Actis Apostolorum de Judæ Proditoris Episcopatu mentio fiat, cum dicitur: *Et Episcopa-*

Ioann. 21.

Psalm. 105. Act. 1.

scopatum ejus accipiat alter; Episcopatus tamèn dictis in locis vel sumitur pro præfecturâ, qua Judas fungebatur juxtà illam Episcopatus significationem, quam apud Ethnicos fuisse superiùs explicavimus, cum de nomine Episcopi sermonem habuimus; vel suscipitur pro Episcopatu in Ecclesiâ propriè dicto, quem habiturus erat, si in Apostolatu rectè permansisset, ut Bellarminus hunc locum optimè observat.

Bellarm. lib. 1 de Rom. Pont. c. 23. tom. 1.

Episcopatus itaque, tùm ob ipsius perfectissimum statum, in quo omnes Episcopi constituti sunt, tùm etiàm ob ejusdem dignitatis Authorem Deum, cæteris dignitatibus sublimior censendus est. Hinc Clemens Papa hujus nominis primus ad Episcopos hunc in modum ait: *Vos Laicis, qui inter vos sunt, estis Prophetæ, Principes, Duces, & Reges; Mediatores Dei, & Fidelium ipsius; participes verbi, ac nuncii; cognitores scripturarum, ac Tubæ Dei, testesque ejus voluntatis; qui omnium peccata portatis, & de omnibus rationem reddi-tis.* Hæc, si Clementis perpendantur verba, sublimitatem Episcopatus non sine magno vitæ periculo esse dicamus, oportet, cum post Encomia Episcoporum, onus eorum sequatur; quippè qui omnium peccata portare dicuntur, de omnibus sibi commissis rationem reddituri. De Episcopali etiam sublimitate Sanctus Ambrosius in libro de Dignitate Sacerdotali ad Episcopos loquitur in hanc verborum formam: *Audite me Patres beatissimi, & si dignum ducitis Sanctissimi Fratres, audite me Stirps Levitica, germen Sacerdotale, propago Sanctissima, duces, & rectores Gregis Christi.* Et infrà eodem in libro: *Sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum Diademati, longè erit inferius, quam si Plumbi Metallum ad auri fulgorem compares. Quippè cùm videas Regum colla, & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credant se communiri.* Idem Sanctus Ambrosius eodem in libro post Episcopalem sublimitatem enarratam, quali in periculo versetur Episcopus verbis hisce docet. *Honor quidèm Episcopalis coram homi-nibus præclarus est; sed si minam sustineat, dolor magnus est. Nam quantùm præ cæteris gradus Episcopalis est altior, tantò si per negligentiam delabatur, ruina est gravior. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet sollicitudine circumvallari.* Hæc Doctor Sanctus, & Episcopus Ambrosius, cui etiam Augustinus adstipulatur in Regulâ suâ ad fratres, dum periculum sublimitatis considerat hunc in modum. *Qui quanto in loco superiore, tanto in periculo majore versatur.* Hinc idem Doctor Sanctus, & Episcopus Augustinus, Episcoporum sublimitatem, & eorundem statum periculosum contemplatus, utrumque eàdem in sententiâ complexus est ad Valerium Episcopum, cujus Collega, vel Coadiutor erat Augustinus, scribens in hanc verborum formam: *Antè omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vitâ, & maximè hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius; Item nihil esse in hac vitâ, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.* Quibus ex verbis colligi potest, nihil esse Episcopatu facilius, lætius, & optabilius, si perfunctoriè, vel superficietenùs, sivè transitoriè, & adulatoriè consideretur; quatenùs scilicèt ad humanas commoditates, vel utilitates, ac voluptates, pravè, seù præposterè, ac diabolicè tandèm converti potest. Si autem Episcopatus tamquàm opus laboriosum, opibus atque aliis humanis commoditatibus, vel perversis voluptatibus posthabitis, consideretur, nihil eo difficilius, tristius, miserabilius, periculosius, ac damnabilius. Si Episcopatus denique spectetur intimius, honor scilicèt Dei, & Ecclesiæ Sanctæ incrementum, ac Proximi salus, & utilitas (quæ solùm in Episcopatu spectanda, præstandaque sunt) nihil eo apud Deum hisce in Terris beatius, hoc est, si eo modo, quo exerceri, debet, exerceatur,

Clemens lib. 2 Const. c. 29.

S. Ambros. tom. 4. cap. 2.

Ambros. ibidem.

Ambros. c. 3. tom. 4.

Aug. tom. 1. Regula 3. in fine.

Aug. tom. 2. epist. 147., & dist. 40. cap. 7. *Antè omnia.*

VITÆ HUMANÆ
SPECULUM
CLIMACTERICUM
Philoſophicum, Hiſtoricum, ac Theologicum

QUO

Explicatur quinam ſint Anni Climacterici,
Et cur ità dicti,
Quinam item in dictis Annis, & natali ſuo die objerint,
Ex variis Sepulcrorum Epitaphiis,
Virorumque Illuſtrium Vitis, & Hiſtoriis,
Juxtà longam ſeculorum ſeriem
Collecti:
Non ſine conſiliis tàm ad Animæ, quàm ad Corporis
Cautione pertinentibus.
Addito tandèm Commentario
De Hominis ætate poſt Diluvium à Deo intra vigeſimum,
Et centeſimum Annum præſcriptâ.

SPECULUM CLIMACTERICUM VITÆ HUMANÆ.

ANNI Climacterici dicti ſunt, non à Climate, quod eſt Cœli ſpatium inter duos pararellos, ſivè æquidiſtantes circulos ex temporis, & horarum intervallis deſumptos, & inclinatio Cœli à Vitruvio lib. 1. cap. 1. nuncupatur; ſed ab aliâ voce Græcâ, quæ eſt κλίμαξ Climax, & à Latinis *Scala* interpretatur. Climacter autem κλιμακτὴρ *Scalæ gradus* vocitatur. Hinc annus Climactericus, quaſi annus Scalaris, quia velutì per ſcalas quaſdam ad vitæ culmen aſcendimus. Climacterici verò anni formidabiles ſunt omnes, quia ſinè vitæ, aut fortunarum periculo, ut à Veteribus proditum eſt, & ad hanc uſque diem obſervatum, rarò tranſmitti ſolent; quorum nonnulli per ſeptenarium, vel ternarium, & quaternarium, alii per novenarium, pauci autem per numerum denarium computantur, poſtremo excepto, ut infrà videre licet. Omnis autem Climactericus annus, aut *hebdomaticus* à ſeptenario videlicèt numero dictus, aut utroque ſimul modo vocitatur. Hebdomas nàmque apud Græcos ſeptenarius eſt numerus. *Enneas* vero novenarius eſt; Hinc *Hebdomaticus*, ideſt ſeptenarius, & *enneaticus*, ideſt *novenarius*, latinè dicuntur. In omni ætate ſunt anni Climacterici, ut infrà videre eſt: Ætates verò ſunt ſeptem, quarum prima eſt *Infantia*, ſecunda *Pueritia*, tertia *Adoleſcentia*, quarta *Juventus*, quinta *Virilitas*, ſexta *Senectus*, ſeptima *Decrepitas*.

Septem Hominis Ætates.

1 Infantia eſt prima ætas ad Annum uſque ſeptimum —— 7
2 Pueritia uſque ad Annum —— 14
3 Adoleſcentia uſque ad Annum —— 21
4 Juventus uſque ad Annum —— 42
5 Virilitas uſque ad Annum —— 56
6 Senectus uſque ad Annum —— 70
7 Decrepitas uſque ad Annum —— 91

Hæc ultima ætas eſt, quæ reliquum vitæ complectitur.

Anni

Anni Climacterici omnes periculosi existimantur; quorum alii aliis periculosiores dicuntur. Sed quia dicti Anni, vel ex numeris septenariis, vel novenariis constant, Annus sexagesimus tertius, qui ex novem septenarijs, & ex septem novenariis constat, & iisdem numeris mensuratur, omnium Climactericorum periculosissimus censetur.

Quamvis autem Anni Climacterici communiter dicantur, qui infrà leguntur; alii tamèn ob eosdem numeros septenarios, & novenarios, quibus mensurantur, Climacterici dici queunt, veluti est Annus *decimus octavus*, qui ex duobus novenariis, Annum 27., qui ex tribus novenariis; Annus 36. qui ex quatuor novenariis; & Annus 72. qui ex octo novenariis constant, vel iisdem numeris mensurantur.

Alii Climacterici. 18. 27. 36. 72.

Annus *centesimus*, & Annus *vigesimus* suprà centesimum Climacterici non dicuntur; quià etsi Annus *centesimus* constet ex quatuordecim septenariis, vel undecim novenariis; & Annus *vigesimus* suprà centesimum constat ex sexdecim septenariis, vel tresdecim novenariis, iisdem tamen numeris non mensurantur; propterea inter Climactericos Annos non recensentur.

Anni Climacterici Omnes.

Annus VII.	Annus IX.
Ann. 14. ex duobus septenariis.	
Ann. 21. ex tribus septenariis.	
Ann. 28. ex quatuor septenariis.	
Ann. 35. ex quinque septenariis.	
Ann. 42. ex sex septenariis.	
Ann. 49. ex septem septenariis	
Ann. 56. ex octo septenariis.	
Ann. 63. ex novem septenariis, & ex septem novenariis.	
Ann. 70. ex decem septenariis.	
Ann. 77. ex undecim septenariis.	
Ann. 81. ex novem novenariis.	
Ann. 84. ex duodecim septenariis.	
Ann. 91. ex tresdecim septenariis.	

Vide Lelium Bisciolam lib. 15. cap. 7. Horarum. Annus 54. ex novē septiès repetitis.

Annus VII.

Annus VII. qui Græcè ἑβδοματικὸς, *hebdomaticus* dicitur, constat ex numero ternario, qui teste Aristotele, lib. 2. Post. tex. 17. est totus impar primus, & ingenerabilis nuncupatur, quia nec numero mensuratur, nec numeris componitur. Constat etiam ex quaternario numero, qui est totus par, & quadratus. Hinc, ut Rhodiginus lib. 22. cap. 12. tom. 3., & Gellius lib. 3. cap. 10., & lib. 15. cap. 7. ex Varronis libro de Hebdomadibus, aliorumque veterum scriptorum sententiâ affirmant, numerus septenarius gravia semper indicit hominibus pericula. Quarè apud veteres hujusce numeri observatio, ut idem Aristoteles testatur, magna semper fuit. Nato enim Infanti ante diem à Nativitate septimum, haùd nomen imponebant, velutì priùs non vitalis videretur. Huic itèm numero septenario veteres adeò detulerunt, ut per cursum totius vitæ, septimum quemque annum periculosum, & crisimum, idest judiciarum, à crisi, judicio videlicèt, dictum esse voluerunt. Undè *dies critici* à medicis nuncupantur, quos in Dialog. de Nat. Plato, à quo Galenus, & Plinius idipsum nomen sumpserunt, *decretorios* nominavit, impares scilicèt, ac septenarios præsertìm omnes, quòd his ipsi decernant, statuantque quid de Ægrotante futurum sit. Hinc Philosophi, & Medici, dies, & annos periculosiores esse ajunt illos, qui constant ex hebdomadibus, ut 21. constans ex tribus hebdomadibus; 42. ex sex hebdomadibus; 49. ex septem hebdomadibus; 63. ex novem hebdomadibus. Sed multò periculosiorem, magisque formidabilem volunt esse illum, qui constat ex duodecim hebdomadibus, ut 84. est. Alii volunt periculosiorem annum 81. qui ex novem novenariis constat; Quamvis enìm septenarius numerus in qualibet ætate (ut ajunt) sit formidabilis, & periculosus, novenarius tamèn numerus idem afferre solet, ut infrà ostendetur: causam verò, cur scilicèt Anni Climacterici omnes formidabiles, & periculosi existant, Philosophi explorant, & Astrologi, eamque Planetis acceptam referunt ob cæleste in hæc inferiora quantùm ad qualitates corporeas influxum, numerumque septenarium Marti, novenarium verò Saturno assignant. Nos autem nonnisi effectum in annis Climactericis observatum, causarum curiositate silentio prætermissâ nostro Commentario hac in re commemoramus.

Annus VII. Arist. lib. 2. Post. Cælius Rhodig. Gellius lib. 3. Antiquorum mos, & observatio. Plato. Galenus. Plinius. Anni Climacterici sunt formidabiles, & periculosi ob influxum Planetarum in hæc inferiora.

Quoniàm verò pauciissimi sunt, qui annum centesimum attingant, vel excedant anno ultimo Climacterico, qui est nonagesimus primus, Climactericorum annorum indicem concludere libuit, cæteris prætermissis, qui post nonagesimum primum sequuntur; Nam quilibet annus post nonagesimum primum Climactericus quodam modo vocitari potest; hujus enim ætatis homines moribundi potiùs, quàm viventis nomine digni judicantur: Senectus namque vel Decrepitas ipsa morbus est, præsertim verò illa, quæ octogesimum excedit annum, afflictionibus, atque miseriis plena, ut Propheta David innuere videtur dicens: *Anni nostri sicut Aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*; Si autèm in potentatibus (optimè scilicèt constitutis, aut vivacioribus) octoginta anni; & ampliùs eorum labor, & dolor. Quarè si suprà octogesimum ætatis humanæ annum non est nisi labor, & dolor, hoc est afflictionum, & miseriarum acervus, aut congeries, quid de annis suprà nonagesimum, aut centesimum dicendum, statuendumque est? Numerus namque dierum hominum, ut ait Ecclesiasticus, ut multum centum Anni, quos qui attingunt, vel excedunt, moribundi potiùs, quàm viventis nomine vocitari jure possunt. Illud autem, quod Plinius de iis, quos 150., vel 300., vel 600., vel 800. annos longè post diluvium vixisse commemorat, fabulosum esse judicatur [viris illis, quos ipsa-

Psalm. 89. Ecclesiastic. 18. Lib. 7. cap. 48

ipsamet scriptura narrat, exceptis) nisi annum lunarem, vel menstruum, sivè trimestrem fuisse dicamus. Ità etiam dicendum est de eo, quod in hanc rem Baptista Fulgosius, & Valla scriptum reliquerunt. Istùc etiam ipsum de Thomâ Philologo Ravennate, qui rationibus, exemplis, & nonnullorum scriptorum auctoritatibus hominem suprà vigesimum ac centesimum annum vivere posse ostendit, affirmandum omninò esse censeo, divinâ munitus auctoritate, sivè sententiâ in hanc verborum formam latâ: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum: quia caro est; eruntque dies illius centum & viginti annorum.* Hucùsque Moyses Spiritu Sancto edoctus de divinâ sententiâ Vitæ Humanæ præscriptâ, quam ad huiusce nostri Commentarii calcem pro nodo dissolvendo explicabimus, exemplis jam ad annos Climactericos pertinentibus enarratis.

Fulgos. lib. 8. de Senect. & Valla lib. 3. cap. 14.

Thomas Philologus.

Gen. 6.

Quamvis autèm in singulo quoque vitæ anno, multoque fortasse frequentiùs in annis non Climactericis emori contingat, ac proindè cavendum semper sit, ut ne quis exitii, aut morbi, vel mortis causam sibi ipsi subministret instar Turdi, qui sibi, ut ajunt, *malum cacat*; Climacterici tamen anni, quippè qui ob rationes naturales Astrologis, ac Philosophis notas periculosiores existimantur, cavendi omninò sunt rectâ vivendi normâ. Ex Climactericis autèm annis periculosiores, aut difficiliores censentur 21. 42. 49. 63. 81., & 84. ob numeros septenarios, ex quibus constant. Nam 21. ex tribus annorum septenariis; 63. ex novem annorum septenariis; 84. ex duodecim annorum septenariis constant. Sed ex his Climactericis periculosiores, aut difficiliores cæteris esse ajunt, 49. 63., & 81. ob multiplicationem septenariorum, & novenariorum, veluti est 49. qui constat ex septem septenarijs, & 81. qui constat ex novem novenariis. Sed 63. omnium periculosissimus, aut difficillimus censetur: quià ex multo pluribus Climactericis, hoc est ex novem septenariis, & ex septem novenariis constat. Hinc *Octavianus Augustus, & alii Imperatores* anno sexagesimo tertio transacto, plura lætitiæ signa dederunt, ut suo loco fusiùs dicemus. Hæc in universum de annis Climactericis, præsertim verò de septimo, qui est annus Climactericorum primus. Nunc reliquum est, ut scribantur ii, qui hoc obierunt anno, vel die; deindè hoc ipso ordine cæteri Climacterici examinentur, atque illi, qui in suo Climacterico anno ex hac vitâ decesserunt, enarrentur.

Turdi exemplum, & de eo proverbium.

Anni Climacterici periculosiores ex Thoma Philologo cap. 1. de hominis ætate.

Ann. 63. omnium periculosissimus.

Hi VII. Anno sive Die vii. obierunt.

Lucius Verus Cæsar Antonini filius ex Anniâ Faustinâ Uxore secundâ obiit Anno 7. Lamprid., & Panvinius.

Ann. 7.

Infans, quem genuit Rex David ex uriæ Uxore obiit die 7. 2. Reg. 12.

2. Reg. 12.

Annus nonus.

Annus nonus ex tribus ternariis constans, & *Enneaticus* dictus, pericula itèm hominibus præseferre solet, ut Rhodiginus lib. 22. cap. 12. tom. 3. ex veterum, eruditorumque sententiis narrat, & affirmat. Ann. 9.

Hi Anno IX. Enneatico primo perierunt.

Dionysia Verna vixit annos 8. menses 11. dies 15. ergò periit anno ætatis 9. Romæ ex Epitaphio, cui additi sunt hi versus: Ann. 9.

Quod si longa tuæ mansissent tempora vitæ,
Doctior in terris nulla puèlla foret.

Hannibal obstrinxit se Juramento, cogente Patre Amilcare, se hostem Populi Romani moriturum. Obiit natus anno 9. Polybius, Livius, & Æmilius Probus.

Successus vixit annos 9. menses 4. dies 15. ut constat ex Monumento à Cæsiâ Gemellâ Matre filio posito. Ex Epitaphio in Ædibus Cæsiis.

Annus decimus quartus ex duobus septenariis constat.

Annus 14.

Hi Anno XIV. Hebdomatico ii. obierunt.

Philippus Rex Macedoniæ duxit Arsinoem propriam sororem in Uxorem Lisymachi relictam viduam, ut sub eo prætextu occidere posset filios ejus Lisymachum, & Philippum: Quod, & fecit, & illam in Samochram relegavit, ut ibi exularet. Philippus egressus erat 13. ergo interfectus 14.

Drusus Pompejus Claudii Imperatoris filius, piro per lusum in sublime jactato, & hjatu oris excepto, strangulatus est, pubertatis annos jam attingens, quod fuit, ut ego existimo, anno 14. Sveton.

Britannicus filius Claudii Cæsaris à Nerone interficitur veneno anno ætatis 14.

Eucharis Licinia docta, & erudita Virgo vixit annos 14. ex Monumento Romæ apud Delphinos.

M. Julius Licinius Junior Cæsar vixit annos 14. Onuphrius.

Alexius IV. Anglus Imperator Constantinopolitanus laqueo necatus in Carcere Bizantii 5. Kalend. Februar. vixit plus, minus 14. Onuphrius.

Arturus Princeps Henrici VII. Regis Angliæ filius Catherinam Ferdinandi Regis Hispaniæ filiam in Uxorem duxit, & septimo post mense 7. ante patrem annis lentâ febri moritur ann. Christi 1500. annum ætatis agens 14. Polid. Pontus Heuterus. Polyd. Pont. Heut.

Mustapha Imperatoris Bajazetis frater annum agens 13. arma movit contra fratrem, à quo paulò post ex Insidiis captus, & strangulatus periit anno ætatis ferè 14.

Annus vigesimus primus ex tribus septenariis constat.

Ann.21. Septenario autèm intèr omnes numeros plurimum veteres detulerunt, sicut superiùs dictum est: hinc valdè formidabilis.

HI ANNO XXI. HEBDOMATICO III. PERIERUNT.

MAximilianus Junior Maximiliani Imperatoris filius interfectus est ad Aquilegiam cum Patre in tumultu militari anno ætatis 21.

Ludovicus Gratus utriusque Linguæ, Astrorum, & totius Mathemathicæ scientiæ peritus, vixit annos 20. menses 8., & dies 5. obiit Kalend. Aprilis. Sepultus Romæ in Ara Cœli.

Ludovicus ultimus Rex Hungariæ victus, & Turcas fugiens in palude mortuus inventus anno ætatis 21.

Stephanus Proderith Pro-Cancellarius Ludovici.

Annus vigesimus octavus constat ex quatuor hebdomadibus, sivè septenariis.

HI ANNO XXVIII. HEBDOMATICO IV. OBIERUNT.

Ann.28. PErsius Flaccus Satyricus Volaterranus anno Christi 64. sub Nerone mortuus ætatis anno 28. die 24. Novemb. Euseb. Eber.

Lucanus Tragediarum Scriptor periit incisâ jussu Neronis Venâ, quòd inter eos nominatus esset, qui cum Pisone conjurarunt, anno ætatis 28. Crinitus in vita Lucani.

ALII ANNUM ENNEATICUM AGENTES XXVII.

CLaudius cognomento *Caligula* Cæsar Germanici filius in castris eductus cognomentum Caligulæ adeptus est, tres sorores suas constupravit, pro Deo se coli voluit, imperavit ferè 4. annos, & tandèm triginta vulneribus infectus est anno ætatis 28., aut hos paululùm excedens die 24. Januarii. Svetonius, Orosius lib. 2. cap. 3. & Onuphrius Panv. de Princ. Rom. lib. 1. & Guill. Eysegreinerf.

Otho Secundus Imperator natus anno Dom. 955. mortuus anno 983. 8. Decemb. ex vulnere telo venenato inflicto, aut veneno dato, ergò obiit anno ætatis 28. qui Græcos, & Saracenos ab Apuliâ, & Calabriâ ejecit, Henricum Patruelem titulum Imperii assumentem dignitate privavit, sed cum Lothario Rege Franciæ infelicitèr dimicavit, captus à Saracenis beneficio Linguæ Græcæ, quam calluit, evasit, Recollectis deindè copiis Saracenos hostilitèr aggressus planè delevit, undè pallida mors Saracenorum appellatus est.

Otho Tertius Imperator periit veneno à Crescentii Vxore dato anno Dom. 1002. 28. Jan. anno ætatis suæ completo 28. Imperator sapientissimus, qui formam eligendi Imperatorem per Electores primus instituit, Joannem XVII. Pontif. oculis, & vitâ privavit, Crescentium Consulem Romanum suspendi curavit, Uxorem Mariam ob adulterium vivam comburi jussit: Intestina ejus Augustæ condita, reliquum Corpus Aquisgrani sepultum.

Philippus Rex Hispaniarum Maximiliani filius Caroli V. Pater, mortuus ætatis anno 28. Gauricus.

Joannes Medices Pater Magni Cosmi Ducis Hetruriæ: ictu tormentalis machinæ periit anno ætatis 28. Junctinus.

Annus trigesimus quintus ex quinque septenariis constat.

HI ANNO XXXV. HEBDOMATICO V. PERIERUNT.

PTolomæus Philometor VI. Ægypti Rex obiit anno ætatis 35. Ann.35.

Jacobus III. Rex Scotiæ interfectus à suâ nobilitate bellum contrà illum movente anno Dom. 1488. ætatis 35. Buchananus.

Christophorus Longolius diligens imitator Ciceronis, moritur Patavii XI. Septemb. anno ætatis 35. ejus hoc legitur apud Patavinos Epitaphium, cujus est auctor Bembus Cardinalis.

Te Juvenem rapuere Deæ fatalia nentes
Stamina, cùm scirent moriturum tempore nullo,
Longoli, tibi si tempus, seniumque dedissent.

Annus XLII. sex septenariis constat, & propter trinam septenarii duplicationem periculosus item est, & non parum formidabilis.

HOC ANNO VITAM CUM MORTE COMMUTARUNT.

ISboseth qui ex Esbaal Sauli Regis filius, patre defuncto, duos annos regnavit, interfectus à Tribunalibus suis, anno ætatis 42. Anh.42.

Titus Vespasianus, qui Hierosolymam, & Judaicam gentem vicit, Patrem virtutibus superans, amor, & delitiæ generis humani dictus fuit. *Non oportere quemquam à conspectu Principis tristem discedere* dicere solitus erat, Imperio cum Patre beneficè, & liberalitèr gesto, omnium luctu placidè obiit die 13. Septemb. anno ætatis 42.

Lucius Verus natus est Romæ anno Christi 129. obiit Alpini Apoplexiâ correptus anno ætatis 42.

Rolandus Sororis Caroli Magni filius, Blavij Comes, periit pugnans cum Saracenis anno Dom. 796. in Pyreneis Montibus, non ferro, sed siti anno ætatis 42. Turpinus.

Henricus II. Galliarum Rex Francisci filius, accedente febri ardente ad vulnus capitis, quod in Nuptiis sororis cum Duce Sabaudiæ, ac Pedemontano in hastiludio acceperat, periit anno Dom. 1559. die 10. Augusti annum agens 42.

Obiit, & hoc anno Aurelius Verus Imperator.

Annus

Annus quadrageſimus nonus ex ſeptenario ſepties multiplicato conſtat.

Annus quadrageſimus nonus maximè apùd veteres formidabilis fuit, partìm quòd ſit numerus quadratus, quem potentiſſimum credidit antiquitas; partìm etiam quòd ex ſeptenario ſeptiès multiplicato reſultet, cui veteres, ut diximus, plurimùm detulerunt.

SEQUENTES PERIERUNT ANNO XLIX. HEBDOMATICO VII.

Ann.45. LUcius Craſſus Orator, ut Cicero refert lib.3. de Orat. periit anno ætatis 49. die 20. Septembris. Eberus.

Bartholus, Speculum, & Lucerna Juris, in quo, ut ajunt Doctores, fuit ſubſtantia veritatis, moritur, cùm egreſſus annum Climactericum inchoaſſet quinquageſimum, anno Chriſti 1353. Palmerius illum anno ætatis ſuæ 56. mortuum ſcribit.

Maximilianus Secundus Imperator, filius Ferdinandi, Gener Caroli V. Pater Rodulphi II. Cæſarum, mortuus eſt Ratisbonæ in Comitiis, natus annos 49. menſ. 2. dies 20. anno Dom. 1576. 12. Octob.

Annus quinquageſimus ſextus octo ſeptenariis conſtat.

HOC ANNO HEBDOMATICO VIII. DIEM SUUM CLAUSERUNT.

Ann.56. SAturnus fundator Babyloniæ, obiit anno ætatis ſuæ 56. Beronus Nimbrod Imperio Babylonico præfuit annis 56.

Romulus primus Romanorum Rex, qui Civitati nomen indidit, Sabinos in Urbem recepit, centum Senatores à pietate Patres appellavit; tres equitum centurias inſtituit, plebem in 30. Curias diſtribuit, aut interfectus à ſuis, aut igne Cœleſti conſumptus 1. Julii completo anno 55. Solonius, Livius, Dionyſius.

Julius Cæſar devictâ Galliâ, Alexandriâ, Ponto, Africâ, & Hiſpaniâ; 40. Elephantis triumphans Urbem ingreſſus, Dictaturamque gerens, conſpiratione Caſſii, & Bruti in Curiâ Pompei 23. vulneribus acceptis, occubuit die 15. Martii anno ætatis 56.

Auctor Romani Imperii Julius vixit annos 55. menſes 8. dies 4. ſepultus in Campo Martio Dion. & Tabulæ Capitolinæ, & per omnem vitam quinquagies collatis ſignis cum hoſtibus dicitur dimicaſſe.

Periit, & eodem anno Didius Julianus Imperator. Ex Vit. Imp.

Pompeius Magnus, qui Sertorium vicit: Pyratas intrà quadrageſimum diem ſubegit: Tigranem ad deditionem, Mithridatem ad venenum compulit, Cæſarem exercitum juſſit dimittere, mortuâ prius Juliâ Cæſaris filiâ conjuge ipſius, qua morte diſſolutâ eſt Cæſaris, & Pompeii conjunctio; & egreſſus annum ætatis per aliquot menſes 56. bellum civile agitare cœpit: Sed ſuperatus à Julio in Pharſalicis, cum in Ægyptum ad Ptolomæum fugeret, cujus Patrem Exulem in Regnum reduxerat, & multis beneficiis affecerat, ab ipſius Miniſtris perfidè in conſpectu Uxoris Corneliæ trucidatur Kal. Octobris, & natus pridiè Kal. Octobris, ut Plinius ſcribit.

M. Antonius Triumvir, cum Octavio, & Lepido multos nobiles Romæ proſcripſerunt, & interfici curarunt, Brutum, Caſſiumque Interfectores Cæſaris bello proſequuti ſunt. Tandèm intèr ipſos diſſenſione ortâ, Antonius ab Octavio in Actiaco Littore devictus, deindè in Urbe Alexandriâ obſeſſus, cum aliquotìes infelicitèr dimicaſſet, & ei falsò nuntiatum eſſet, Cleopatram ſibi conſciviſſe mortem, in habitu regio, & in ſolio regali ſedens ipſemet ſe interfecit agens annum 56. ſermone fuit promptus, ſerendæ in alios invidiæ artifex, diſcordiis, & ſeditionibus potens, raptor, largitor, ſed tamèn bellandi gnarus, & novarum rerum cupidus. Et cum Auguſtus Ægyptum ſuperavit, menſe Auguſto, ut ex Oroſio, & Macrobio conſtat: Antonius etiàm ſeipſum menſe Auguſto, interfecit, aut paulò poſt. Auguſtus præfuit Imperio annos 56.

Horatius Poeta moritur anno ætatis 56. quamquàm alii ſcribunt, ut Euſebius, illum exceſſiſſe hunc annum.

Julius Agrippa Præfectus in Britanniâ, obiit anno 56. 23. Septembris.

Plinius II. Veronenſis Scriptor naturalis hiſtoriæ, ſuffocatus craſſiore caligine, ſpiritu obſtructo, ut Cajus Plinius Cæcilius Junior ad Marcum ſcripſit, anno ætatis 56. die 2. Novembris. A Monte Veſuvio in Campania.

Dantes Aligerius Poeta Florentinus Ravennæ in Exilio moritur anno Chriſti 1321. ætatis 56.

Matthias Rex Ungariæ Viennæ Apoplexiâ moritur: & obſervandum, quòd anno 14. ætatis ſuæ unà cum fratre incarceratus, frater ſupplicio affectus, ipſe magnâ pecuniâ liberatus ad Regnum Hungariæ pervenit. Formidabilis non ſolùm fuit Imperatori, ſed etiàm Turcis, ac Venetis, obiit 24. Februarii anno ætatis 56. ſecundùm Jovium. Sed Bonfinius illum tantùm vixiſſe affirmat, annos 47. Epitaphium ejus ſubſcribere libuit:

Corvini brevis hæc Urna eſt, quem magnum fatentur.
Fata fuiſſe Deum, fata fuiſſe hominem.

Brachius Adverſarius Sfortiæ interfectus eſt à Sfortianis Militibus paulò poſt, quàm Sfortia ſubmerſus eſſet, ut ambobus prædictum erat ab Aſtrologis [quod colligitur ex Jovio] annum agens 56.

Clemens VII. Papa, qui unà cum Urbe Romanâ fuit captus à Ducibus Caroli V. ſed grandi ære libertatem redemit, Alexandro Medici Propinquo Margaritham filiam naturalem Caroli V. ſpopondit, & Franciſci Regis Galliæ filio Henrico II. genito, Catherinam affinem in Matrimonium dedit. Marſiliæ nuptiæ ſunt celebratæ: Undè Domum rediens, difficili morbo, quem nonnulli mortuum

tuum ex veneno putant, vexatus annum paululùm excedens 56. rebus humanis exemptus est die 25. Septemb.

Carolus V. Imperator mortuus est anno Dom. 1558. die Sancti Matthæi, die scilicèt 21. Septembris, annum quinquagesimum sextum ætatis suæ parum excedens. Anno secundo post Imperium fratri suo Ferdinando, & Regnum filio suo Philippo renunciatum.

Marcus Marcellus de Monte Politiano, qui Concilio Tridentino cum Legationis munere præfuit, ac tandèm factus Pontifex, ut Gauricus, & Pater ejus prædixerant, minus sex diebus vixit annos 56.

Angelus Politianus obiit 24. Septembris anno ætatis 55. ergò per aliquot menses abfuit ab anno 56.

Franciscus Sfondratus, vel Sfrondatus Cardinalis veneno tabifico mortuus est anno ætatis 56. Cardanus.

Henricus VIII. Rex Angliæ, qui Thomam Morum interfici curavit, & nonnullas ex propriis Uxoribus suis decollari jussit, cui successit Eduardus ejus filius 9. annorum, obiit die 28. Januarii anno ætatis 56. Cythreus, alii 3. Januarii.

Andreas Alciatus Mediolanensis Senator, Cæsaris Caroli Jure consultus, obiit anno ætatis 56. mense 8. die 4. die 22. Januarii anno Dom. 1559. ex monumento.

Marcus Antonius Columna, obiit anno Dom. 1527. 13. Septembris anno ætatis 56.

Cosmus Medices Magnus Dux Hetruriæ, periit anno ætatis suæ currente 55. ergo per aliquot menses abfuit à 56. periit anno Dom. 1574. Junctinus.

Hoc ætatis anno B. Mater Monaca ex hac vita decessit. Ex Patre Augustino lib. 9. Confess. cap. 11. die critico ægritudinis suæ nono. Die 20. Octobris 1598.

Eodem hoc anno ex hac decessit vitâ Augustinus Cusanus S. R. E. Cardinalis.

Annus sexagesimus tertius ex novem septenariis, & ex septem novenariis constans.

Annus sexagesimus tertius ob septenarium cum novenario concurrentem, sivè ob septiès novem, vel ob novies septem annos, gravissimam corporis, aut animi ægritudinem, sivè vitæ interitum, vel cladem præsefert aliquam, annusque ob id periculosissimus ab antiquis iudicatus fuit, quia ex septiès tribus ter multiplicatis, idèst novem septenariis, & septem novenariis constat: quem sanè numerum Κλιμακτῆρα *Climactera* Chaldæi, vel Mathematici vocant, & periculosissimum omnibus senibus affirmant. Undè Augustus à Cajo Nepote læto, ac benè valente, natalem diem suum celebrari cupiebat, quòd annum illum omnibus senibus periculosissimum evaserat, Gellio teste lib. 15. cap. 7. Ubi Epistola Augusti ad Caium recitatur in hanc verborum formam: *Ave mi Cai, meus Ocellus jucundissimus, quem semper Mediusfidius desidero, cum à me abes: sed præcipuè diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Cajum, quem [ubicunque hoc die fuisti] spero lætum, & benè valentem celebrasse quartum, & sexagesimum natalem meum; Nam ut vides* Κλιμακτῆρα, *idest* Scalarium *communem seniorum omnium tertium, & sexagesimum annum euasimus. Deos autèm oro, ut mihi, quantumcumque superest temporis, id salvis nobis traducere liceat, & in statu Reipublicæ feliciss imo* ἀνδραγαθόντων ὑμῶν, καὶ διαδεχομένων: *idest*, Fortitèr, *ac virilitèr agentibus vobis, atque succedentibus, susc ipientibusque stationem meam*. Hæc Gellius loco nuper laudato. Qui verò hunc evadit annum, non tam citò, ut ajunt ex hac vita est decessurus. Propterea Principes, aut Imperatores Romani, & Græci posteaquàm hunc annum excesserant, liberalitatem ergà suos familiares exercebant, multaque Dona Templis offerebant, sicut de Octaviano Augusto, Antonino Pio, Alexandro, & Severo legitur.

Hi Anno Hebdomatico IX. Enneatico vero Magno LXIII. interierunt.

ORphæus obiit anno ætatis 63.

Anaxagoras Clazomenius Philosophus vixit annos 63.

Aristoteles, ut Diogenes Laertius, & Censor scribunt 63. Quidam prodierunt illum ob septenarium Euripi fluxum, & refluxum ad furorem, vel ad præcipitium adactum; itaut Euripus dicatur Aristotelem cæpisse, cum ille capere Euripum non posset; alii Aconitum bibendo mortuum esse ajunt. Laertius in Aristotelem.

Demosthenes, ne in manus Antipatri persequentis incideret, in Templo venenum hausit e calamo anno ætatis suæ 63.

Q. Fabius Maximus Augur fuit annis 63. Plinius.

Hannibal Carthaginensis, novem annos natus, odium in Romanos perenne juravit: primò Sagunta in Hispaniâ evertit, & patefactis Alpibus, Italiam intravit: Pub. Scipionem apud Ticinium: Sempronium Longum apùd Trebiam: Flaminium apùd Thrasimenum: Paulum, & Varronem apùd Cannas superavit, & cùm Urbem Romanam capere posset, in Campaniâ deliciis elanguit, deindè à Fabio Maximo fractus: à Graccho, & Marcello fugatus, in Africam revocatus, à Scipione superatus ad Antiochum Regem confugit, quo victo ad Prusiam Bythiniæ Regem concessit, à quo per Legatos repetitus, supradicto veneno, quod sub annuli gemmâ habebat, ne in manus Romanorum perveniret, obiit completo anno 63. Alii anno 70. ut Æmilius Probus.

Scipio Africanus Major propterea dictus, quod Africam subegit, & primus, qui nomine à se victæ gentis insignitus fuit, Syphacem per Cajum Celtum cæpit: Carthaginem expugnavit; Hannibalem superavit; Romam Clade Cannensi afflictam instauravit, cum annos 52. vixisset, è Curiâ Romanâ discedens in Villam suam inter Puteolos, & Ca-

& Capuam ſitam ſe recepit, & ibi vitam ſolitariam egit, ità ut intrà annos 11. quos ibi vivebat, ne ſemèl quidèm Romam, Capuamque ſit ingreſſus, & ſic mortuus eſt, annum ætatis agens 63. Referente in Vitâ Privatâ, Epiſcopo Mondeventano.

Cicero fons Eloquentiæ Româ proſcriptus à Triumviris, & capite à Popilio, qui ob id 25000. Coronatorum ab Antonio accepit, truncatus, ætatis anno 63. ut Panuinius, & Caſſiodorus ajunt in Chron. Quamquàm alij volunt, illum, cum ingreſſus eſſet annum 64. interfectum 7. die Decemb. anno 40. antè Chriſtum natum. Caput, & manus amputatæ pro Roſtris affixa ſunt, cum priùs Fulvia Uxor Antonii, linguam ex interfecti capite extractam aciculis pupugiſſet. Sed hoc obſervandum, quod anno 49. in Exilium ejectus: anno 56. Proconſul Siciliæ factus, qui ſunt Climacterici omnes. Stadius ſcribit illum vixiſſe annos 63. menſes 11. dies 5.

Reuſnerus in Familia Conſulum cap. 57. Elias autem Reuſnerus in Genealogico Romano de Familiis Regum, Principum, Imperatorum, Conſulum, &c. Ciceronem anno ætatis ſuæ 63. periiſſe, & capiti dextram pro Roſtris affixam fuiſſe.

Saluſtius Hiſtoriographus Romanus, & Ciceronis capitalis inimicus, qui repudiatam ejus Uxorem Terentiam duxit; poſtquàm multas hiſtoriæ Romanæ partes ſummâ cum ſapientiæ, & puræ, atque argutæ brevitatis, & elegantis facundiæ laude perſcripſit, anno ætatis ſuæ 63. vitam cum morte commutavit.

Tiberius Claudius ex Druſo Nerone à Militum Turbâ in Imperatorem electus, puer Præceptorem Lucium habuit, naturâ tamen Socors, acris, ac ſanguinolentus, triginta ſex Senatoribus, & triginta Equitibus occiſis, ab Agrippinâ propriâ Uxore veneno ſublatus, ut filium Neronem Imperatorem efficeret, à quo tamèn poſteà necata eſt, obiit anno Dom. 55. die 13. Octobris anno ætatis 63. menſ. 2. diebus 13. Svetonius, Tacitus, Dion., Joſeph.

Chryſippus, Hieronymus, Altander Card. Nicolaus Cuſanus, & Thomas Linacer eodem hoc anno 63. vitam cum morte commutarunt.

Maria ſemper Virgo, Domini Noſtri Jeſu Chriſti mater, ſecundùm traditionem Euſebii, & computationem Buchelzeri obiit anno ætatis ſuæ ſexageſimo tertio: Ille enim ſcribit eam vixiſſe antè conceptum Chriſtum 15. poſt ejus reſurrectionem totidem, cum Chriſto 33. in univerſum 63. annos. Quemadmodùm etiam ex Jacobo Philippo Bergomenſe conſtat, qui in Supplemento Chronicorum libro ſeptimo antè Chriſti Adventum anno decimo quarto hunc verſum cum aliis recitat.

Caſſiod. in Chron.

Supplementum Chronicor. pag. 160.

Virgo parens vixit ſexaginta cum tribus annis.

Ad hujus generis annorum numerum repræſentandum orbiculus ille præcarius, vel Corolla præcaria, quam *Dominæ* vulgò appellant, recitatur; in qua juxtà ejuſdem Matris Domini annorum numerum ter, ac ſexagies Angelica ſalutatio memoritèr recitatur. Et deceſſit die 15. Auguſti ſecundùm Hieronymum, & Viterbienſem; Secundùm Nicephorum ſexagenaria ex hac vitâ deceſſit Juxtà Euſebium, Epiphanium, & Cedrenum, ſeptuaginta duobus annis.

Coccius Nerva, qui tantùm imperavit 13. menſes, & 10. dies; obiit anno ætatis 63. ut Aurelius Sextus ſcribit, eoque die ſolis defectio facta eſt die 27. Januarii; Euſebius autèm, & Eutropius, anno ætatis 72.

Trajanus Ulpius Imperator adoptatus à Nervâ, vixit annos 63. menſes 9. dies 4. mortuus eſt 2. Auguſti Selimitæ vel Selemitæ in Siciliâ, quæ poſteà Trajanopolis appellata fuit. Oroſius lib. 7. cap. 8. Ado Vienn. Chron. ætat. 6. & Guillel. Eyſengreineuſ. p. 7. diſt. 1.

Adrianus Cæſaris adoptatus à Trajano cum legatus eſſet Syriæ aquâ intèr cutem ad Bajas moritur, oſſa condita ſunt in Ædem Adriani, quæ nunc Romæ eſt Arx S. Angeli, cum ageret annum 63. menſ. 5. dies 19. Diodor. Spartiata ait, cum ageret annum 63.

Conſtantinus Magnus Imperator victorioſiſſimus, & in opprimendis Tyrannis feliciſſimus, accepto ante mortem Sacro Baptiſmate, Nicomediæ inter pias preces expiravit feſto Pentecoſtes, cùm exceſſiſſet annum Climactericum, anno 64. periit.

Venerabilis Beda mortuus anno 63. quem tamèn Auctor Speculi hiſtoriarum ſcribit mortuum anno ætatis 70. nonnulli 72.

S. Bernardus Fontanis in Burgundiâ natus obiit 20. Auguſti, cùm vixiſſet annos 63. ex Breviario, & dies totidem; Cœnobii Claræ Vallis primus Abbas, & Monaſteriorum ampliùs 160. fundator ſui Ordinis. Richardus Normannus in Vita Sancti Bernardi.

S. Nicolaus Tolentinus Ord. Fratrum Eremitarum S.P. Auguſtini hoc itèm anno ex hac vitâ deceſſit. Anno Dom. 1294. vel 1305. ut legitur in Breviario vetuſtiori ejuſdem Ordinis.

Mauritius, & Maximilianus Imperatores hoc anno 63. mortui ſunt.

Robertus Apuliæ Dux febri deceſſit apud Caſiopam Epiri Urbem anno ætatis 63.

S. Bernardinus Senenſis Ord. Minorum obiit anno ætatis ſuæ 63. & in Catalogum Sanctorum relatus fuit à Nicolao V. poſt ejus obitum anno 7. Hæc Tritthemius.

Georgeus Scanderbegius Caſtrionus Epirotarum Princeps, qui Turcicam rabiem à vaſtatione Epiri, ac Ungariæ annis 24. arcuit, mortuus anno Dom. 1466. die 17. Januarii anno ætatis 63.

Joannes Boccatius Florentinus Aſtronomus, & Poeta obijt anno ætatis 63. Volaterr. Tritem.

Hieronymus Aleander Cardinalis Brunduſinus è Comitibus Landriæ Hebraicè, ac Latinè valdè doctus abfuit ab anno 63. per quatuordecim dies ex directione ſolis ad oppoſitum Martis, ſecundum Junctinum mortuus anno Dom. 1479. die 19. Decemb. quo die etiã natus erat, ut ex Epitaphio Romæ conſtat.

Martinus V. Romanus ex Familiâ Columnenſium eodem anno 63. obiit.

Æneas Siluius Senensis Piccolomineus, posteà ad Pontificatum euectus, & Pius II. nominatus per aliquot menses annum 63. excedens: quamquàm alii illum hos annos non assecutum affirmant, decessit die 15. Augusti, vel circiter.

Nicolaus Cusanus Cardinalis clarus tempore Friderici Cæsaris, Germanus, Rhetor, Mathematicus, Philosophus, & trium linguarum peritus obiit 11. Augusti anno 1464. ætatis 63.

Hadrianus VI. Pontifex Germanus, qui primò Præceptor fuit Caroli V. posteà Episcopus Dertunensis, Cardinalis, & vltimò Pontifex obiit 13. Septembris anno ætatis 63.

Janus Parrhasius Calaber, Orator, & Poeta celeberrimus interiisse dicitur anno ætatis 63. Junctinus.

Joannes Baptista Montanus Philosophus, & Medicus, extinguitur Teratii in suo Prædio Phrenesi, cum annos plures Patavii feliciter docuisset, anno ætatis 63. anno Christi 1551.

Petrus Pomponatius Mantuanus in Philosophiâ Præceptor Jovii, fato functus est, stranguriâ obortâ, Bononiæ ætatis suæ 63. Jovius.

1532. Ægidius.

Hoc anno ex hac vitâ decessit Cardinalis Ægidius Viterbiensis, olim Generalis Magister Ordinis S. Augustini.

Hoc item anno Aldus Manutius Senior; & Paulus filius eius diem suum obierunt.

Hoc anno Hieronymus Garimbertus, vir prudentissimus, & eruditissimus obiit, ut ex ejusdem Sepulcro in Ecclesiâ S. Ioannis ad Lateranum sito constat.

Cardinalis Cæsius periit anno ætatis suæ 63.

Hoc anno ex hac vita decessit Cardinalis Antonianus 1603.

Annus septuagesimus ex decem septenariis constat.

Hi Anno LXX. Hebdomatico x. perierunt.

Anno 70.

Philo Judæus de mundi Opificio circà finem.

De quo Regius Propheta: *dies annorum nostrorum septuaginta*. Et Philo ait, quòd illo tempore vitæ finis sit optimus, integris etiam, tùm Instrumentis sensuum.

David Rex, & Propheta mortuus est anno ætatis 70. lib. 2. Reg. 5. quem finem vitæ nostræ constituit, qui anno Climacterico 63. à filio Absalone Regno ejectus regnavit annos 40. 2. Reg. 5. anno Climacterico suo 49. ob commissum adulterium à Nathan ad pœnitentiam perductus obiit 4. Kal. Januarii B. Hieronymus reperit in Archivis Judæorum.

Ennius Poeta mortuus est anno 70. Cicero.

Captivitas Babylonica duravit annos 70. 4. Reg. 25. præter hæc Astrologi dicunt, annos Solis medios esse 69. cum dimidio, qui est annus 70. nondùm completùs, quem dat Sol benè collocatus in horâ alicujus nascentis.

Thales Milesius, vnus ex septem sapientibus Græciæ mortuus est, cum certamen Gymnicum spectaret, æstu scilicèt, & siti, & infirmitate fatigatus anno 70. Quamquàm Laertius eum nonagenarium decessisse scribit: prædixit Eclypsim Solis sub Ciaxare: Herodotus.

Cyrus primus Rex Persarum, qui Crœsum vicit, eique pepercit, dum dictum Solonis ei in rogo recitasset, *neminem ante finem beatum judicandum esse*: obiit, vt in lib. de Divinat. scribit Cicero, anno ætatis 70.

Cajus Martius, qui Jugurtham captum antè currum triumphalem egit, Teutones in Galliâ apud Aquas Sextias, Cimbros in Italiâ in Campo Claudio vicit, & cum Sulpitia Rogatione Prouinciam Sillæ eriperet, armis ab eo victus, & captus, sed liber factus in Africam trajecit, & ab exilio revocatus à Cinnâ in Vrbem introductus; cum septimùm Consul factus esset, pluribus cædibus patratis, idibus Januarii anno ætatis 70. mortuus est, cum metu adventantis Sillæ in pleuritidem incidisset, quam Phrenesis comitata fuerat, Floro referente; alii scribunt eum mortuum esse anno Enneatico 72. 7. die sui septimi consulatus.

Herodes Ascalonita Rex Judæorum, qui pueros Bethlemiticos, & filium suum Antigonum quinto die, antequam exhalaret animam, interfecit, anno 70. sævis morbis vexatus obiit, postquam regnasset annos 40.

Flavius Vespesianus Augustus ad Imperium, post familiam Juliorum, pervenit, cùm Vitellium per suos vicisset: convulsum Superiorum furore Imperium, virtute ac vigilantiâ restituit: Hierosolymam misso ad eam oppugnandam cum exercitu Filio, vi cæpit, Templumque Augustissimum cum Vrbe incendit: Romam incendio deformatam, & Capitolium, Ædem Pacis, Claudii monumenta reparavit: natus est post Christi natalem anno 11. juxtà occasum solis: tandem profluvio ventris stans moritur: stantem Imperatorem mori oportere existimans anno ætatis 70. teste Eusebio. Alii tradunt, quod non est diversum, vixisse annos 69. menses 7. & dies 7. ut Dionis. & Guillelmus Eysengreinus p. 7. dist. 1. Sveton. Tranquill. Suidas, & Honuphrius Panvinus.

Ælius Verus ab Hadriano Imperatore adoptatus, veneno tollitur die 1. Ianuarii, anno 70.

Antoninus Pius adoptatus ab Hadriano: nemini bellum intulit, sed inferentes repressit, cujus dictum, *malle se unum Civem servare, quàm mille hostes occidere*: mortuus est anno ætatis 70. Carion.

Aurelius Victor crudelitèr à suis militibus scelere Juliani interfectus anno ætatis 70.

Galenus Medicus moritur anno ætatis 70. Auctore Antonio Fumanello. Quamquàm Cœlius Rhodiginus lib. 15. pag. 40. & Fulgosus illum prosperâ valetudine semper usum usque ad annum 140. perduxisse scribunt.

Origines Theologus acutus; sed multum tribuens allegoriis, mortuus Tyri anno 70.

atque

atque ibidem sepultus. Eusebius lib.7. cap.1.

Hoc anno 70. obiit S. Maurus Abbas, ut videre est in Breviario reformato, ubi hæc leguntur: *septuagenario major migravit in Cœlum*, Anno salutis 565.

Rogerius Normannus Comes Calabriæ, ac Siciliæ, qui Saracenos ejecit ex Siciliâ, & ibidem Posteris Regnum constituit; obiit 70. anno Domini 1101. mense Iulii, cujus Symbolum fuit.

Appulus, & Calaber, Siculus mihi servit, & Afer.

Sancta Birgitta ex Sveviâ, mortua Romæ, sepulta in Monasterio Westemia in Sveviâ, quæ scribit revelationes 70. Æneas Sylvius.

Hoc item anno vitam cvm morte commutarunt Antoninus Pius, P.Lucius Valerianus, Carolus Magnus Imperatores, Andronicus Palæologus Imperator, qui extremam senectutem difficilem habuit, exagitatus insidiis filiorum, attingit annum 70.

Carolus Magnus Imperator obiit Aquisgrani septuagenarius Kalendis Februarii anno Domini 814. ex Epitaphio, & Card. Baronio tom.9. Annal. pag.609. vide num.81.

Hoc etiam anno obiit Alphonsus Salmeronicus Toletanus, Vir doctissimus, & insignis, atque unus ex iis Patribus, qui se Socios dederunt Patri Ignatio ipsius Societatis Auctori. Ex vitâ ejus.

Petrus Mocenigus Dux 69. Venetorum, qui Caramaniæ Reges contrà Ottomannos restituit, Scodram obsidione liberavit: Cyprum pacavit, vixit annos 70. mensem unum, dies 20. Marcellus.

Amurathes Turcarum Tyrannus, qui vicit ad Vernam Bulgariæ Vicum à Constantinopoli distantem 20. miliaribus Ladislaum Poloniæ, ac Hungariæ Regem, ac eum in prælio interfecit, cum Ladislaus juramentum datum ejus jussu Pontificis violaret, cum anteà Ladislaus cum Amurathe decennales inducias contraxisset, apoplexiâ extinctus est anno regni sui 34. ætatis 70. Michael Neander.

Sigismondus Imperator Caroli IV. Filius, qui Constantiense Concilium celebravit, ut ait Cuspianus, obiit die 8. Decembris annum ætatis agens 70. anno Domini 1437. mortuus in Bohæmiâ, sepultus in Ungariâ.

Julius II. Papa in Vaticano Palatio periit 70. anno, die 21. Februarii, fuit Sixti IV. Fratris Filius, Joannem Bentivolum superavit, & Oppida, quæ sunt in Pisauro Bononiam usque redegit sub Dominium Ecclesiæ.

Nicolaus Ursinus Comes Petilianus, Dux Venetorum exercitus contrà Maximilianum I. Imperatorem, obiit ætatis anno 70. Gauricus.

Joanna Mater Caroli V. septiès septèm annos, hoc est 49. permansit vidua, tandem morbo extinctâ anno 70. Zenocatus à Scovemburg.

Blondus Historicus celebris, & multorum Pontificum Romanorum Secretarius moritur Romæ anno ætatis 70. quem aliquot mensibus superavit.

Franciscus Petrarcha, eo ipso die, quo natus, in Orbem recurrente, obiit uno die minor septuagenario in Collibus Euganeis Arquà propè Patavium, sepultus anno Christi 1374. die 18. Julii. Ex vita ejusdem.

Sanctus Pagninus, cujus Lexicon est Hebraicum moritur Lugduni 70. fuit Theologus Ordinis Prædicatorum, Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, & Arabicè doctissimus.

Joannes Argyropolus, Bizantius, Turcarum impetu Græciâ ejectus, immodico melopoponum esu autumnalem accersivit febrim, & ereptus est anno ætatis 70. Jovius.

Paulus Jovius Episcopus Nevocamensis, & Historiographus insignis, mortuus Florentiæ annum agens 70. die 11. Decembris. Nam vixit annos 69. menses 7. dies 22. ut ex ejus Epitaphio constat.

Marsilius Ficinus Medicus Florentinus in Caregianâ ipsius Villâ Febriculâ interiit, provectior septuagenario. Jovius.

Eratosthenes Cyreneus Aristonii Chii, siuè Callimachi Poetæ Discipulus, & Præfectus Bibliothecæ Ptolomæi, cùm diuturno morbo torqueretur, neque remedium inveniret, cibum sibi subtraxit, & inediâ se peremit anno ætatis suæ 70. Svidas.

Hoc anno mortuus est Epicurus, qui tanto studio suæ vitæ consulebat.

Hoc item anno 70. Alexander VI. ex hac vitâ migravit. Ann.72.

Sixtus IV. Papa Romanus Savonensis ex Ordine Minorum vixit annos 70. dies 22. horas 12. mortuus anno Domini 1484. ex monumento Romano, & Platina testatur in ejusdem Pontificis vitâ.

Hoc item anno 70. Sixtus V. obiit, nam vixit annos 69. & menses 8. natus in die Sanctæ Luciæ, & 27. Augusti die ex hac luce migravit anno Domini 1590. anno Pontificatus VI. vixit enim in Pontificatu annos 5. menses 4. dies 3.

Annus septuagesimus septimus ex undecim septenariis constat.

Hi Anno LXXVII. Hebdomatico xi. obierunt.

CLaudius Tiberius Nero Cæsar obiit anno ætatis suæ 77. m.4. Guill. Eysengrinei part.7. dist.1. 77.

Selecus Nicanor Rex Syriæ, & Asiæ, cum superasset per aliquot menses annum 77. & vicisset Lysimachum Macedoniæ Regem, post ejus mortem septimo mense interfectus est à Ptolomæo Cerauno, & perdidit vitam una cum Regno. Justin. Oros.77.

Empedocles Agrigentinus, dum celebritatis cujusdam causâ Messanam proficisceretur, curru cecidit, coxamque perfregit, & megaris obiit anno ætatis 77. Quamvis alii se ipsum in Æthnæ crateres immortalitatis spe præcipitasse tradunt. Auctor Theatri vitæ humanæ.

Septimius Severus Imperator decessit morbo

morbo articulari anno ætatis 77. Ex Theatro vitæ humanæ.

Octavius Augustus, qui Cassium, & Brutum in Macedoniâ vicit: Sextum Pompejum in Siculo freto superavit, M. Antonium in Actiaco Littore debellavit, & reliquam Orbis partem per Legatos domuit, Cæsar, & Dictator factus, sub quo Christus Redemptor noster natus est, vixit annos 76. mense 10. dies 26. tantùm per unum mensem abfuit à Climacterico, ut nonnulli volunt, Sextus Aurelius scribit illum morbo Nolæ interiisse cum annum ingressus esset 77. Josephus idem affirmat die 19. Augusti.

Antoninus Pius anno ætatis suæ 77. obiit, ut ait Cassiodorus.

Livius Patavinus Latinæ Historiæ Princeps, ac verè lacteo eloquentiæ fonte manans, & admirabili orationis gravitate, copiâ, & splendore, omnibus Latinis scriptoribus antecellens, & qui singulari Curâ, & Fide Originem, & formam Reipublicæ Romanæ, legum Sacrorum Magistratuum pacis, belliquè institutа, præstantium Gubernatorum, ac Ducum Imagines illustres, consiliorum maximorum deliberationes, res, domi, forisque gesta, & mutationes insignes, eorumque causas miro, & jucundissimo Orationis candore, & majestate explicavit: mortuus Kalendis Januarii anno 77. teste Apulejo, qui Ovidium eodem die periisse scribit. Quod etiàm colligitur ex ejus Epitaphio Patavii erecto, ubi illum vixisse annos 76. scribitur.

Pomponius Atticus Ciceronis intimus Amicus, febre laborans diutiùs morbum alere noluit; hinc cibo abstinens mortuus est die 31. Martii anno ætatis 77.

Sanctus Pater Augustinus mortuus est Hippone, cum Vvandali oppugnarent illam, & vixisset annos 76. ergo obiit anno 77. die 5. Kalend. Septembris.

S. Columba Scotus, seù Hibernus ab Oppido patrio sic dictus, relictis in Germaniâ Discipulis S. Gallo, & Lœdagario in Italiam ad Reginam Longobardorum Theolindam profectus est, & in Monasterio Bobienti ad Trebiam fluvium propè Placentiam obiit anno Christi 598. 23. Nouembris anno ætatis, ut Beda scribit 77.

Henricus I. Rex Angliæ moritur in Normanniâ 3. nonas Decembris anno Domini 1135. annum agens 77.

Ioannes Mocenicus Dux Venetorum 71. vixit annos 76. Marcellus. Ergò periit anno ætatis 77.

Petrus Bembus Cardinalis Venetus, Vir doctissimus, & eloquentissimus, scripsit Historiam, & Epistolas nomine Leonis X. obiit 18. Januarii anno ætatis 77:

Antonius Hebrissensis Hispanus par antiquis Grammaticis, quem oppressit repentina paralysis, cum perveniisset ad annum ætatis 77. Jovius.

Jovianus Pontanus, Vir ad omne genus Eloquentiæ natus, vixit annos 77. mortuus mense Augusto Jovius.

Hoc item anno mortuus est Cardinalis Seraphinus Gallus, anno Domini 1609. mensè Februarii,

Annus octuagesimus primus constans ex novenario novies.

Annus octuagesimus primus, numerus quadratus, constans ex novenario novies sumpto, Climactericus itèm vocitatur, valdè formidabilis, ac periculosus, quippè qui rarò sinè vitæ, aut fortunarum periculo transmitti solet. Hoc ætatis anno obierunt, qui infrà leguntur. Ann. 81.

HI MORTUI SUNT HOC ANNO LXXXI.

PLato mortuus est, ut ex Cicerone, Seneca, & Censorino constat, anno ætatis 81. eodem die, quo in lucem venerat, recurrente, & quem legitimum vitæ finem existimavit eundem etiam assecutus est. Obiit autem pediculari morbo.

Diogenes Cynicus cibi cruditate in choleram solutus est anno ætatis 81.

Pindarus Poeta vixit annos 80. Ergò decessit anno ætatis 81.

Xenocrates Chalcedonius Platonis Auditor ex hac vitâ decessit anno ætatis 81. Censorinus.

Dionysius Heracleotes, vt vitâ abiret, cibo abstinuit; decessit anno ætatis 81. Censorinus.

Tarquinius Priscus occisus est à Percussoribus per Anci Martii filios habitu pastorali submissis ætatis suæ anno 81.

Eratosthenes Geometra, hoc est Orbis Terrarum mensor ex hac vitâ migravit anno ætatis 81. Censor Svidas.

Simonides Græcus Poeta, qui, ut Eusebio placet, clarus fuit tempore Tarquinii V. Romanorum Regis, cum ad octogesimum perveniisset annum multa composuit, & 81. obiit.

Numam Pompilium Romanorum II. Regem, qui Ædem Vestæ fecit, Virgines Vestales legit, Sacerdotes Martii 12. Instituit, Pontificem Maximum creavit, annum in duodecim menses distribuit, additis Januario, & Februario; sepultum in Janiculo, non longè majorem octogenario obiisse Plutarchus scribit. Ergò obiit anno 81. nonnulli 83.

Marcus Portius Cato Censorinus, qui Carthaginem delendam censuit, Galbam octogenarius accusavit, & ipse quadragiès quater accusatus, gloriosè absolutus, post octoginta annos filium genuit, &, ut multi opinantur anno ætatis 81. aut paulò post obiit.

L. Piso Pontifex placidè obiit annorum 81.

Hircanus Summus Sacerdos interfectus ab Herode post pugnam Actiacam, cum ad Octavium proficisceretur anno ætatis 81.

Gordianus Senior in Imperatorem electus est, cum annum ageret circitèr 80. Qui deinceps, cum Urbs Carthaginensis à Campelliano vi devicta esset, in cubiculo se laqueo suspendit annum ætatis agens, ut verisi-

risimile videtur, 81. Herodianus.

S. Martinus Miles, sub Juliano, ac postea Miles Christi, & Episcopus Turonensis factus, mortuus anno Domini 397. 11. Novembris anno ætatis 81. Marianus, Contractus, Sigebertus, & Breviarium Romanum.

Vide annum de hoc Carolo Magno.

Carolus Magnus Imperator Aquisgrani natali suo tumulatus fuit annos ætatis 81. Granzius lib. 2. Saxonum cap. 20.

Albertus Magnus ex nobili familiâ Bolstadentium primò Monachus Ordinis Prædicatorum, posteà Episcopus Ratisponensis decessit anno ætatis 81. anno Domini 1280. Coloniæ sepultus regnante Rodulpho. Callidius.

Paulus III. Pontifex Maximus ex Nobilissima Farnesianorum Familiâ, ut illi prædictum fuerat, auditâ Nepotis morte, annum ætatis 81. 10. Novembris die mortuus est, anno Domini 1549. ætatis 81. mense 8. die 10. Pontificatus XV. die 28. doloris impatientiâ in Quirinali Monte obiit. Hæc in ejus vitâ conscriptâ à Platina de vitâ Pontificum.

Hoc anno ex hac vita decessit Ptolomæus Gallius Episcopus Ostiensis, Sacri Collegii Decanus Cardinalis Comensis, anno Domini 1607. die 4. Februarii.

Annus octogesimus quartus constans ex duodecim septenariis.

Ann. 84.

Annus octogesimus quartus omnium maximus, ac periculosissimus vocitari solet, novenario novies sumpto, sivè trinâ septenarii triplicatione, ternario adiuncto, vel 12. Hebdomadibus, sivè septenariis, hoc est 12. septenariis constans. Hunc annum octogesimum scilicèt quartum, sivè duodecimam annorum Hebdomadam Varro se ingressum olim fuisse dixit, & ad eam usquè diem septuaginta Hebdomadas librorum ideſt 490. codices conscripsisse testatur in libro de Hebdomadibus, ut Gellius lib. 3. cap. 10. narrat.

Gellius.

HI ANNO LXXXIV. HEBDOMATICO XII. OBIERUNT.

SAnctus Lucas Evangelista, & Apostoli Pauli Comes Uxorem non habens, vixit annos 84. Auctor Bibliothecæ Sanctæ; obiit in Bythiniâ 15. Kalend. Novembris, & S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis.

Anna Prophetissa cum marito 7. annos ætatis 84. Lucæ 2. loquuta est in templo de Redemptione Israel, & verisimile videtur, quòd post cum Simone in Domino dissoluta sit, obiit Kalend. Septembris.

Franciscus Foscarus Venetorum Dux ad æternam requiem commigravit anno ætatis 84. anno salutis 1457. Kalend. Novembris.

Theophrastus Aristotelis Discipulus, Peripateticorum eloquentissimus, & doctissimus, obiit anno 84. qui moriens de naturâ quæstus est, breve sibi vitæ spatium, longum verò Cornicibus dedisse.

Andreas Grittus Venetorum Dux 75. naturæ concessit annum agens 84. 6. Kalend. Januarii. Silvester Girellus.

Joannes Petrus Theatinus Caraffa, posteà Pontifex factus, ac Paulus IV. nominatus, bellum gessit cum Rege Hispaniarum, vixit mensem unum, dies 12. & annos 83. Ergò obiit anno ætatis 84. anno Domini 1559. die 18. Augusti. Cardinalis Alban.

Fr. Aloysius Granatensis Ordinis Prædicatorum, Vir piissimus, vitæ sanctitate, ac doctrinâ clarissimus; post multa opera in lucem edita hoc anno ad meliorem vitam advolavit Ulyssiponæ anno Domini 1589.

Annus nonagesimus primus, & Climactericorum postremus, ex tresdecim septenariis constat,

HI ANNO LXXXXI. ENNEATICO X. ET HEBDOMATICO XIII. PERIERUNT.

Ann. 91.

DIogenes Cynicus fermè excessit, ut nonnulli volunt annos 90.

Dionysius Philosophus obiit anno 91.

Joannes 22. anno ætatis suæ 90. expleto primo 91. attigit.

Sophocles Tragicus Scriptor ex nuncio de Victoriâ sibi allato, nimio præfusus gaudio moritur natus annos 90. ergò mortuus 91.

Hoc anno S. Hieronymus Stridonen. vel anno 99. ex Tritth. pridiè Kalend. Octobris, die vltimâ Septembris anno Domini 422. sub Bonifacio I. & Honorio Imper. ex hac vitâ decessit.

Hoc itèm anno obiit S. Franciscus de Paula à Leone X. canonizatus, ex vitâ ejusdem Sancti, & Breviario.

Annus centesimus constat ex denario numero decies multiplicato.

HOC ANNO C. ENNEATICO II. MORTUI SUNT.

Ann. 100.

JOannes Apostolus Frater Jacobi Majoris in ardenti invocatione Dei Ephesi sub Trajano, cum vix Hebdomaticum superasset, moritur 99. secundum Longobardicam historiam 100.

Hoc anno mortuus est L. Terentius Bononiensis tempore Vespasiani.

Hoc item anno obiit Socrates, ut ait S. Bonaventura, nec non Isocrates, qui acceptâ clade Cheronensi, se ipsum inediâ peremit.

Frater Thaddæus Perusinus, Vir doctissimus, qui fuit Prior Generalis Ordinis Eremitarum S. P. Augustini centum circitèr vixit annos.

Plinius lib. 7. cap. 49. Historiæ naturalis, quatuor, & quinquaginta homines in Italia centum annos vixisse scriptum reliquit. Plin. lib. 7. cap. 49.

Cameades itèm, & Cleanthes Philosophi ad centisimum pervenerunt annum ex historicis.

Suprà centesimum annum vixerunt Dionysius Areopagita, Ignatius Quadratus, Herma Polycarpus, & alii Apostolorum Discipuli,

puli, ut narrat S. R. E. Cardinalis Baronius in tomo Annalium primo.

Baron. to. 1. Annalium pag. 672. Plin. lib. 7. cap. 49.

Plinius autèm in loco nupèr commemorato ait, septem, & quinquaginta homines, annum centum denum vixisse.

S. Paulus primus Eremita, dactilis, & aquâ nutritus ad centesimum, ac decimum tertium vixit annum. Ex Breviario.

S. Antonius Abbas Ægyptius obiit quintum, & centesimum annum agens. Ex Breviario Romano.

Democritus Abderites Philosophus doctissimus, novem ac centum annos attigit, magnâ rerum inopiâ vivens. Ex Dictionario Historico.

Gorgias Leontinus Siculus centum, & octo vixit annos; Valeria Copiola centum, & quatuor, & Ciceronis Terentia centum, ac tres vixerunt annos.

Apollonius Tyaneus, & Seneca centum, & quatuordecim annos vixerunt. Hęc ex Plinio lib. 7. cap. 48. & 49. & ex Baptista Campofulgoso lib. 8. cap. 14. de dictis, & factis memorabilibus.

Plinius, & Baptista Campofulgosus.

Annus vigesimus suprà centesimum.

Annus vigesimus suprà centesimum constat ex denario numero duodecies multiplicato.

HI, QUI INFRA DESCRIBUNTUR ANNO CXX. VITAM CUM MORTE COMMUTARUNT.

Anno 120.

Deut. cap. ult.

HOc anno inter Climactericos vltimo mortuus est Moyses, & sepultus est in Valle Terræ Moab ex Deuter. cap. ultimo.

Quamvis Aaron Moysis frater, primus Hebræorum Sacerdos, viribus imbecillior, anno ætatis suæ 123. ex hac vitâ decesserit in in Monte Hor, post exitum ab Ægypto anno 40. anteaquàm Moyses diem suum obiret,

Num. 33.

Moyses tamen mortuus est anno vigesimo suprà centesimum, omnibus sensibus pollens, ità verò, ut annum quinquagesimum se non superasse videbatur. Nam ut legitur ad Deu-

Deut. cap. ult.

teronomii calcem Moyses centum, & viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes ejus moti sunt. Mortuus est autem hoc anno ob legem

Gen. 6.

in cap. 6. Geneseos à Deo datam, quam Moyses primus executioni mandavit.

Plinius lib. 7. cap. 49. Historiæ naturalis, multos homines centum vicenum annum in Italiâ longè superasse narrat; sed ei hac in re non censeo assentiendum.

Plin. lib. 7. cap. 49.

S. Joannes Apostolus, & Evangelista ætatis suæ anno 120. ex hac vitâ decessit, ut scribit Svidas in Verbo Joannes.

Hoc item anno Symeon Episcopus, & Martyr, filius Clophæ, & Salvatoris nostri Consobrinus, passus, & sub Trajano Imperatore vitam Martyrio finivit die 18. Februarii, Eusebius lib. 3. Hist. Ecclesiast. cap. 32. & ex Breviario Romano.

Lib. 3. Hist. Eccles. c. 32. & ex Breviario Rom. die 18. Febr.

Paulus primus Eremita Sanctus, cum esset quindecim annorum, in Eremi Speluncam se se contulit, ubi palmâ ei victum, & vestitum præbente, vixit ad centesimum, & decimum tertium annum. Obiit ergo anno ętatis suæ 113., ut colligitur ex Breviario reformato; sed ut ait Baptista Fulgosus lib. 8. de dictis, & factis rerum memorabilium, cap. de Senectute anno ætatis 120.

Hoc etiam ætatis suæ anno ex hac luce Anno Domini 1027. decessit S. Romualdus Ravennas, Camaldulensium Monachorum Instituti Auctor, cum centum jam annos in summâ vitæ asperitate Deo servisset. Hæc ex Breviario Rom. die 7. Februarii. Petrus Damianus in vitâ Sancti Romualdi ait, eum vixisse annos centum viginti, quorum viginti in sęculo, tres in Cœnobio, reliquos verò in solitudine. Hæc item ex Martyrologio Cardinalis Baronii die decimâ nonâ Junii.

Ut autem curiositati aliqua tandèm ex parte serviatur, eos, qui natali suo die obierunt, hoc item loco quasi parergon apponemus.

Natali suo die mortui.

Antipater Sidonius Poeta omnibus annis uno die natali tantùm corripiebatur febre, & eâ consumptus est.

Alexander Magnus sextâ die Targelionis natus fuisse dicitur, & eàdem quoque obiisse Alex. lib. 4. cap. 20.

Attalus Rex Pergamenus, & Gneus Pompejus Magnus natalibus suis periere. Plutarch. in Camillo.

C. Julius Cæsar Martiis Idibus natus, & Optimatum conspiratione interfectus in Senatu. Sab. lib. 9. cap. 4.

Augusto Octavio idem dies Imperii suscepti primus fuit. Alex. lib. 4. cap. 20.

Antoninus Caracalla Carris propè Edessam in Mesopotamiâ occisus est natali suo, sexto scilicet Idus Aprilis à Macrino Præfecto Prætorio anno ætatis 29. Imperii VI.

S. Gregorius Magnus, Romanus Pontifex eodem die, quo natus est, ex hac vitâ decessit, quarto scilicèt Idus Martii. Jo: Diac.

Carolus Magnus Imperator Aquisgrani natali suo tumulatus est, anno 81. Grantzius lib. 2. Saxonum cap. 20.

Garsias Petrarchæ proavus paternus centum, & quatuor vixit annos moriens ipso etiam sui natalis die.

Ex his apparet, præcipuos, ac celebres viros annis Climatericis, & natali suo die extinctos esse, ac vitam cum morte commutasse. De cæteris hominum generibus exempla non extant, quià eorum vitæ non ità observantur.

Simplicia Exempla ex historiis, & quotidianâ vitâ colligi possunt quamplurima, quæ sicut ostenditur annos Climactericos, & Enneaticos esse periculosos, ità eosdem ex arcanis cœlestibus, hoc est ex naturali corporum cœlestium in corpora terrestria influxu dependere.

Medici autem Epicuræorum more contemnendi, aut reiiciendi non sunt, sed morbo accedente consulendi. In omnibus item actionibus prudentia adhibenda, temperantiaque in cibo, & potu, rebusque necessariis exercenda est; sed Deus in primis ardentibus

VO-

votis orandus, ut vitam nobis conservet, naturales causas, & eorum effecta, prout ipsi visum fuerit, moderetur, nos, nostraque omnia sibi commendata habeat, & nos tandèm diverso vitæ spatio in verâ fide, & vocatione ad Beatorum consortium tandèm aliquando traducat.

Quoniàm verò non tantùm his annis, sed omni etiam momento obnoxii sumus calamitatibus, & morti; hinc ad hæc omnia toleranda, ut viros fortes, & Christianos decet, semper parati esse debemus, scientes Deum esse vitam nostram, & longitudinem dierum. Qua in re præstanda memoriæ mandare quisque debet Auream illam Sancti Hieronymi sententiam hisce prolatam verbis: *Qui se recordatur quotidiè esse moriturum, facilè omnia præsentia contemnit, & ad futura festinat.*

Hieronym. l. 3. ep. 103 p. 139.

Climactericorum menses periculosiores.

OBservavi etiam cum in historiis, templis, cœnobiis, & monumentis multorum explorarem obitus, eorum præsertim, qui in annis Climactericis mortui sunt, homines plures mori sequentibus mensibus, videlicèt in *Augusto, Septembri, Octobri, Novembri, Decembri, Januario, Februario*, quàm in reliquis mensibus in Europâ, Asiâ, & præsertim in Regnis, locisque septentrionalibus, ubi morbi frigidi domininantur. Nam, ut in herbis, & arboribus Sole ex Leonis signo egresso, atquè ad æquinoctium autumnale properante, humores à ramis, caulibus, & truncis ad radices refugientes non tantùm decus omne rebus terrâ nascentibus adimunt, sed mortem itèm quodammodo adferunt: ità in hominum corporibus circà idem tempus humores à superficie, quasi ad centrum revocantur, qui suo affluxo facultates faciliùs lædunt, & propter longiorem solis à nostro vertice discessum, non tantùm tunc augentur plurimum, sed condensantur, atque, ut medici loqui solent, ingrossantur, suoque lentore meatus corporum variè obstruunt. Undè omnis generis morbos eo tempore in nobis existere experientia testatur, & ideò Autumnus morbidior est Vere, quià magis calido infrigidato, quàm frigido calefacto ægrotamus. In Vere autem frigidum calefit, & in Autumno calidum infrigidatur. Hipp. 3. Aphor. 9. dicit, in Autumno acutissimæ ægritudines, & maximè mortiferæ, ut in pluribus fiunt. Ver autem suavissimum, & minimè mortiferum Galenus addit, Ver cæteris temporibus sanius, & minus mortiferum esse, quia temperatius est aliis. Aristoteles dicit homines magis ægrotare in æstate, sed ægrotantes magis in hyeme mori. Id ità esse testantur etiam dies mortis Pontificum, Imperatorum, Regum, & illustrium virorum, quos ex historiis extraximus.

Hippoc. phor. 9.

Galenus.

Aristoteles.

Cautiones pro tuendâ, & conservandâ sanitate.

HI autem anni Climacterici sunt, non à priori, vel à causâ, ut Philosophi ajunt, sed à posteriori, idest ab effectu, & ab experientiâ ipsâ conscripti, ut statim ex hoc speculo sciri queat, quinam anni præcavendi sint, causam verò hujus generis annorum Mathematicis, sivè Astrologis considerandam relinquo: hi enim, & Planetas, vel Astra meditantur, eorumque in hæc sublunaria, ut omnes Theologi fatentur, præsertim verò in Climactericos annos influxum perscrutantur; sat namque cuique erit præcavere, in quonam ætatis suæ anno vitæ sibi immineat discrimen, quod, Deo adjuvante, evadere poterit, si sui corporis constitutionem, quam complexionem dicunt, rectè norit, prudentèr effugiet. In primis autem insalubris, aut pestilens aer fugiendus est: nam Cicero aerem animabilem, spiritalemque naturam appellat, quoniàm animantes à spiratione ipsius sustinentur, ipseque nobiscum videt, nobiscum audit, nobiscum sonat. Hinc lib. 2. de Divinat. Non verisimile solùm, sed verum esse censet, perindè, utcumque temperatus sit aer, ità pueros orientes animari, atque formari, ex eoque ingenia, animum, corpus, actionem vitæ, casus cujusque, eventusque frangi.

Cautio 1. Cicero lib. 1. de Nat. De[illegible].

Cicero de Divin. lib. 2.

Pellat quis indè adimi moerorem, atrambilem, iracundiam scilicet, malevolentiam, invidiam, & omnem denique malam animi perturbationem: Animus enim gaudens, ut ait Salomon Prov. 1. ætatem floridam facit; spiritus tristis exiccat ossa.

Cautio 2.

Prov. 1.

Tertio loco crapulam evitabit, atque ebrietatem: hæc enim, teste Aristotele, sensum cum mente adimit, illa verò caput affligens, dolorem, ac vertigines facit; hinc plura gulâ, quam gladio interierunt, hinc Eccl. 37. ait: *multi propter crapulam perierunt; qui autem abstinens est, adiiciet vitam.*

Cautio 3.

Eccles. 37. in fin.

Quarto autem loco nimiam ciborum varietatem effugiet. Hæc enim brevissimam reddit vitam, eodem Ecclesiastico affirmante hunc in modum: *In multis escis erit infirmitas*, & aviditas appropinquabit usque ad choleram.

Caut. 4.

Eccl. 37.

Diuturna autem fames, quia sensim homines necare solet, fugienda est, Ecclesiæ jejunio servato, cæterisque abstinentiis ad devotionem pertinentibus juxtâ inspirationem observatis, sed hac in re ætatum ratio habenda est: mediam enim facillimè sustinent ætates mediæ, minus adolescentes, minimè pueri, & senio confecti.

Cautio 5.

Intemperantiam, & Incontinentiam perturbationum, ut ait Cicero, ac malorum omnium fontem scitus quisque homo procul obiiciet; immoderatas item vigilias, immoderatum somnum, noctesque insomnes, immoderatum frigus, immoderatumque æstum, nimiumque laborem, nec non corporis, & animi lassitudinem evitabit.

Cautio 6.

Otiumque tamen nonnisi honestum, & moderatum amplexabitur: nam sicut in otio immoderato non minus corpus, quàm animus hebescit, ac languescit, ità in negocio moderato animus, atque itèm corpus vigorem, ac fulcimentum suscipiunt: nec ex nimio labore subitum otium, nec ex nimio otio subitus

Cautio 7.

labor

labor sequi debet, utrumque enim sine gravi noxâ esse non potest.

Cautio 8. Diuturnam denique solitudinem, quæ hominibus languorem afferre solet, effugiet quisque est, & animi tranquillitatem, familiaremque Amicorum consuetudinem sequetur, nisi solitudinem ad vitę sanctitatem exercendam amore prosequatur, exemplo non solùm Magdalenæ, quę in vastâ altissimi Montis Speluncâ annos triginta vixisse legitur, sed etiam aliorum hominum, qui ad vitæ sanctitatem exercendam diù in Eremis vixerunt, quorum è numero inter multos hujus generis Viros fuerunt Sanctus Paulus Primus Eremita, & Sanctus Romualdus Abbas, quorum ille ad centesimum, ac decimum tertium annum; hic verò ad vigesimum suprà centesimum annum pervenerunt, totamque ferè vitam in Eremis degerunt.

Lib.8. ep.14. Postremò Pauli Manutii Consilium Antonio Fumario datum meditari quisque debet; hoc est: *De anno* (inquit) *quem Scalarem vocant, ne tanti Firmicus, & qui cum eo sentiunt, apud te sit, ut animi tranquillitatem amittas: quæ enim impendent, si sunt ejusmodi, ut vitari prudentiâ possint, spero fore, nihil ut te lædant; Sin ea fixa sunt, præripere molestiam, & angi frustrà certè non oportet.*

Hæc pro tuendâ sanitate observandâ sunt, ne ad postremos annos Climactericos perveniendi nobis via præcludatur: quia quamvis vitæ humanæ termini, quantum ad divinam providentiam, ac præscientiam infallibilem, nec anticipari, nec differri queant, juxtà Beati Job sententiam dicentis: *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*; tamen, quantum ad effectum exteriorem, vel ex gladio, vel crapulâ, vel ex aliquo inordinato vivendi modo abbreviari quidèm valent, differri non item.

Humanæ Vitæ periodus quanta sit.

Job.14.

Verùm tamètsi juxtà Davidis sententiam Psal.89. vitæ hominis periodus septuagesimo secundum communem vitæ cursum, vel octogesimo ferè anno, & ampliùs in potentatibus (optimè scilicèt constitutis, vel complexionatis) at non sine labore, ac dolore concludatur, sicut etiam Solonem statuisse Laertius narrat; Moyses tamen Deuter. 31. cap. 31. & 34. se ad annum vigesimum suprà centesimum perveniisse dicit, sed vltrà ingredi, & egredi, hoc est, non ampliùs laborare, & militiam exercere posse ajebat; vel hoc dixit proptèr sententiam sibi à Deo latam, & revelatam, ut aliqui opinantur, de morte sibi imminente: Nam corporis imbecillitatem non patiebatur, ut videre est in cap. 34. hujus libri, in quo leguntur hæc: *Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.* Idem tamen Moyses lib. Gen. cap.6. homines ad centum, & viginti annos ex divinâ constitutione pervenire posse affirmavit in hanc verborum formam:

Psal.89.

Laertius in Solone.

Deuter. in princ. cap.31. & 34.

Deuter. 34.

Gen.6.

Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum, viginti annorum Gen. 6.

Divina hæc sententia de hominis ætate post diluvium universale præfixa intelligenda est, ut Josepho viro inter Judæos doctissimo, necnon Diodoro Tharsensi Episcopo, Lactantio Firmiano, Francisco Vallesio, & aliis videtur. Hi enim, quamvis non desint viri, etiam insignes, qui contrariam sequantur opinionem; postremum tamen vitæ hominis terminum in cap.6. Geneseos à Deo præscriptum, nonnisi post universale diluvium intelligendum esse volunt, atque id ita esse contendunt & omninò affirmant. Hæc autem lex à Deo humanæ vitæ præfixa non statim executioni mandata fuit (ut objectioni tacitè respondeatur) sed postquam Mundi necessitati, ad Terram scilicèt humani generis multitudine implendam, satisfactum fuit. Nam qui inter Noe, & Abraham post universalem illam alluvionem vitam degerunt, omnes ferè ex divinâ dispensatione trecentos, vel quadringentos circiter annos vixerunt, donec homines multiplicarentur super Terram.

Lactant. Firmian. lib. cap.14. Chrysosto hom.20. S.Hieron.to in Gen. pa 322. Thesaur. cr ticus tom. pag.1107. Gen.6.

Hac re denique præstitâ, humana deinde Natura centum, & viginti annorum spatium sibi à Deo præscriptum, vel ut plurimum non attingit; vel si quis attingat, rebus gerendis ampliùs idoneus non est, sicut David de homine octogenario Psal. 80. intelligendum esse voluit: juxtà enim variam hominum complexionem varius iis præfigitur vitæ terminus, & Climactericus annus: Nam qui optimè sunt constituti, ac vivacissimi, hi, quamvis valdè rari sint, centesimum superasse annum inventi sunt, minus autem vivaces, centum, vel octoginta circitèr annos vivere solent, sed quidèm perpauci. Ultimus itaque vitæ humanæ terminus, & Climactericorum postremus Dei jussu est vigesimus suprà centesimus, quem perrari attingunt: Nam centum annorum ætas nunc apud omnes longissima judicatur, Ecclesiastico istuc ipsum cap. 18. in hanc verborum formam affirmante: *Numerus* [inquit] *dierum Vitæ hominum, ut multum centum anni.*

Psal.80.

Eccl.18.

Quòd autèm postrema humanæ vitæ periodus centum, & viginti annorum sit, verbaque Moysis illa divino jussu conscripta, & initio à nobis proposita, hoc est, *non permanebit Spiritus meus* [indignatio scilicet mea] *in homine in æternum, quia caro est: Eruntque dies illius centum viginti annorum*, non de tempore, quod diluvium præcedebat, sed de vitæ humanæ post diluvium, ut Firmianus cum aliis sentit, longiori ætate intelliguntur, Franciscus Vallesius in libro de Sacra Philosophia satis bellè ostendit. Cur autem verba illa Geneseos nupèr enarrata ad tempus antè diluvium, ut ait Vallesius, pertinere non queant, illud in primis considerandum sese offert, quia tantò prius, hoc est, antè annos centum, ac viginti diluvium Noe revelatum non fuit; quandò enim Noe revelatio diluvii facta est, ipse jam, cum quingentorum esset annorum, filios habebat, Sem videlicet, Cham, & Japheth, qui etiam duxerant uxores, & cum eo in Arcam ingressi fuerant. Quandò verò diluvium fieri cœpit, anno sexcentesimo erat Noe: Sententia enim de diluvio lata fuit viginti annis, antequam Noe generare cœpisset,

Gen.6.

Lact. Firmian. lib. 2. cap.14. Vallesius cap.7.

Notandum.

Gen.6.

Gen.7.

ut

Lyranus. ut ait Lyranus in cap. 6. Geneseos. Inter primam vero Noe generationem, & inundationem diluvii, ut inquit idem Lyranus, fuerunt tantùm centum anni: sed quia quingentorum annorum erat Noe quando generare cœpit, Isidorus in c. 7. Geneseos. ut ait Isidorus Hispalensis, cui etiam assentitur Lyranus cum omnibus ferè Scriptoribus; & quando diluvium fuit, sexcentorum tantùm annorum erat Noè, ut expressè in septimo Geneseos capite legitur; ergò centum anni tantùm fuerunt inter Sententiam de diluvio latam, & inundationem Aquarum, quo sanè intervallo centum annorum, & non ampliùs, Arca à Noe fabricata fuit, ut Isidorus, Lyranus, & alii scriptum reliquerunt. Diluvium ergò centum & viginti annis, antequàm fieret, Noè prænunciatum non fuit. Hinc verba illa non de tempore, quod diluvium præcedebat, sed de postremâ vitæ humanæ post diluvium periodo intelligenda sunt.

Qui contrariam tuentur opinionem, ut propositam dissolvant objectionem, declarant, cur centesimo anno post Sententiam de hominis ætate latam, diluvium fuerit inductum, annis viginti è medio sublatis; atquè ajunt, tempus illud centum & viginti annorum Generi humano ad pœnitentiam peragendam fuisse concessum; Sed pœnitentiâ neglectâ, tempus illud totum Deus expectare noluit, vigintique annis amputatis, anno centesimo post latam Sententiam diluvium induxit.

Huic expositioni adversari videtur Moyses, qui Deuteronomii cap. 21. causam reddens, qua ipsum mori oporteret, neque ampliùs posset vivere, ait hunc in modum: *Centum & viginti annorum sum hodiè, non possum ultrà egredi, & ingredi, præsertim cùm & Dominus dixerit mihi: Non transibis Jordanem istum.* Hæc sanè verba non proptèr corporis imbecillitatem, quam ætas decrepita solet afferre, dicta esse censendum est: Nam ad Exodi calcem hæc de ipso Moyse scripta leguntur: *Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est. Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.* Hæc ibi: Immo ut legitur in libro Numeri, *bellum contrà duos Reges, Og scilicèt, & Seon dimicando suscepit, eodem, quo mortuus est anno.* Hinc verba illa *centum & viginti annorum sum hodiè, non possum ultrà egredi, & ingredi* ad duplicem Dei spectant Sententiam, unam scilicèt, de Moysis antè ingressum Terræ Promissionis, & ante Jordanis transitum morte; Alteram verò de hominis centum & viginti annorum ultimâ vitæ periodo in Genesi latam: Sin secùs nihil erat, quod diceret: Centum & viginti annorum sum hodiè: sed sat erat, si dixisset: Non possum ultrà egredi, & ingredi, quia Dominus mihi dixit: Non transibis Jordanem istum: sed vocem illam, *præsertim*, adjunxit, ut duas Dei sententias explicaret, ob quas tunc temporis moriendum sibi erat; quasi dixerit: Non possum ampliùs vivere, non solùm propter ætatem centum & viginti annorum Generi humano ad summum præscriptam, ad quam ætatem perveni; sed etiam ob verba Domini, qui mihi dixit: Non transibis Jordanem istum, morte mihi prænunciatâ, & subintellectam ob Sententiam de hominis ætate jamdiù latam hisce verbis: *Eruntque dies illius centum viginti annorum.* Gen. 6.

Adde etiam tandèm aliquandò, quod Josephus inter Judæos doctissimus, ac disertissimus, in primo Antiquitatum Judaicarum libro ad septimi capitis calcem ità inquit: Joseph. lib. 1. cap. 7. antiqu. *Post diluvium jàm paulatìm subtrahebatur de vitæ spatiis usque ad Moyses ætatem, post quem 120. annorum terminus, Deo finitore, statutus est, quantum temporis & Moyses ipse vixit.* Hæc Josephus, & rectè quidem: Nam, ut longam hominum seriem post diluvium antè Moysis obitum in Scripturâ Sacrâ enarratam silentio præteream, Abraham vixit centum septuaginta quinque annos, ut in libro Geneseos legitur in hæc verba: *Fuerunt autèm dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni; Et deficiens mortuus est in Senectute bonâ, provectæque ætatis, & plenus dierum.* Hæc ibi. Per quæ sanè verba dictam ætatem satis longam tunc temporis fuisse censendum est. Verùm, quia ut jam diximus post diluvium aliquid de vita hominis paulatìm quotidie subtrahebatur, Aaron Moysis frater nonnisi centum, & viginti tres annos vixit, ut in libro Numeri legitur in hanc verborum formam: *Ascenditque Aaron Sacerdos in Montem Hor, jubente Domino: & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, primâ die mensis, cùm esset annorum centum viginti trium.* Hæc de Aaron ætate.

Moyses autem Aaron frater, primus fuit, qui postremum vitæ humanæ, centum scilicèt ac viginti annorum terminum à Deo præfixum non excessit, ut ex ultimo Deuteronomii capite ostensum jam fuit per hæc verba: *Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: Non caligavit oculus ejus, nec dentes ejus moti sunt.* David tandem aliquando, qui fuit in quartâ Mundi ætate, nonnisi septuaginta vixit annos, ut in lib. 2. Regum capite quinto hisce colligitur verbis: *Filius triginta annorum erat David cùm regnare cœpisset, & quadraginta annis regnavit.* Hæc dicto in loco de David septuagenario, de quo tamquam decrepito habetur Sermo in 3. Regum libro sub hac verborum formâ: *Et Rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat.*

Scriptores, qui contrariam tuentur opinionem.

NOn desunt autèm Scriptores insignes, & Sancti præsertìm Doctores, qui huic opinioni adversantur, dum divinam Sententiam de hominis ætate contractâ ad centum & viginti annos in capite sexto Geneseos latam, non de tempore post diluvium, sed ante diluvium intelligendam esse, rationibus affirmant. Quorum è numero sunt S. Hieronymus in Traditionibus, aut Quæstionibus hebraicis in Genesim; S. Chrysostomus Homilia 22.; Beda in suis Quæstionibus in Genesim; Eucherius lib. 1. in Genesim; Glossa Ordinaria in hunc Genesis locum; Thomas Anglicus; Nicolaus Lyranus; Dionysius Car-

Carthusianus; Oleaster; Hugo de Sancto Claro Card. cap. 6. in Genesim; & Rupertus Abbas lib. 4. in Genesim cap. 13. circà finem idem concludit cum Sancto Hieronymo, cujus verba sunt hæc: Hoc est, *habebunt centum & viginti annos ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annos contracta est: sed generationi illi centum & viginti anni ad pœnitentiam dati sunt. Siquidèm invenimus, quòd post diluvium Abraham vixerit annos centum septuaginta quinque, & cæteri ampliùs ducentis, & trecentis annis. Quià verò pœnitentiam agere contempserunt, noluit Deus tempus expectare decretum, sed viginti annorum spatiis amputatis, induxit diluvium anno centesimo, agendæ pœnitentiæ destinato.* Istucipsum S. P. Augustinus in lib. 15. de Civitate Dei cap. 24. scriptum reliquit quantum ad sensum, alitèr tamen dictam difficultatem explicando hisce verbis: *Quòd autem dixit Deus: Erunt dies eorum centum viginti anni, non sic accipiendum est, quasi prænunciatum sit, post hæc homines centum viginti annos vivendo non transgredi; cum & post diluvium etiam quingentos excessisse inveniamus. Sed intelligendum est, hoc Deum dixisse, cùm circà finem quingentorum annorum esset Noe, idest, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more suo scriptura quingentos vocat nomine totius, maximam partem plerunque significans: sexcentesimo quippè anno vitæ Noè, secundo mense, factum est Diluvium: ac sic centum viginti anni prædicti sunt futuri vitæ hominum perituro-rum, quibus transactis diluvio delerentur.* Hæc S. P. Augustinus ad verbum.

Pro hac opinione comprobandâ afferuntur in medium Generationes, quæ spatium centum & viginti annorum post diluvium excesserunt; Nam Sem primogenitus Noè post diluvium vixit quingentis annis, & biennio post diluvium genuit Arfasàd, qui vixit trecentis triginta octo annis; Sale filius Arfasad vixit annos 405; Heber filius Sale vixit annos 464.; Abraham qui fuit in Ægypto Regum tempore, vixit annos 175.; Jacob autem 147.; Et *Jojada Sacerdos*; qui annos circitèr mille quingentos post diluvium natus fuit, *centum ac triginta vixit annos*, ut legitur in lib. 2. Paralipomenon. sed hæc omnia quatenus Argumenta alteri opinioni contraria facilè dissolvuntur ab iis, qui contrariam tuentur opinionem, dum dicunt, Divinam Sententiam de hominis ætate post diluvium universale ad centum & viginti supremum annorum numerum à Deo contractâ, executioni ex divinâ dispensatione non statim fuisse mandatam, ut homines multiplicarentur super Terram. Postquàm verò Mundi necessitati, ad terram scilicet humani generis multitudine implendam satisfactum fuit, paulatìm subtrahebatur de vitæ spatiis usquè ad Moysis ætatem: Is enim primus fuit, qui centum & viginti annorum ætatem non excessit; nec alius quispiam in Scripturâ Sacrâ post ejus obitum invenitur, qui centum & viginti annorum ætatem non excessit, nec alius quispiam in Scripturâ Sacrâ post ejus obitum invenitur, qui centum & viginti annorum ætatem superarit, ut ipsi ajunt. Id quod veritati consonum haudquàquàm censetur. Jojada enim [qui longè post Moysis tempora natus fuit] vixit annos, utì jam dictum est, centum ac triginta. Adde etiam, quod Job, ut Doctores narrant, Nicolao item Lyrano teste, fuit Moysis contemporaneus, qui post flagella, ut in cap. 42. Job legitur, vixit centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum usque ad quartam generationem: & mortuus est senex, & plenus dierum. Hæc dicto in capite Job. Utcùmquè autem sit, quamvìs post Moysis obitum nonnulli centum & viginti annorum spatium superasse inveniantur; multis tamen ab hinc seculis, vel saltem nostro præsertìm seculo dictam centum & viginti annorum ætatem superatam non fuisse, ad eamque nonnisi pauciissimos perveniisse rationibus persuasi omninò affirmamus.

Vigesimus itaque annus suprà centesimum, tempestate præsertìm nostrâ, est postremus ætatis humanæ terminus, quo nunc longissima concluditur vita; Pauciissimi autem sunt, & valdè rari, vel fere nulli, qui hanc vitæ periodum attingant; Si qui verò sint tales, vel dictum annum aliquantulum excedant, rebus gerendis ampliùs idonei esse non possunt. Ad hanc tàmen ætatem nonnisi vivaciissimi, & optimè constituti pervenire queunt: sed minus vivaces, vel non ità benè constituti centum annorum ætatem attingunt, & quidem perpauci: immò ut in Ecclesiastico legitur, *numerus dierum vitæ hominum, ut multùm centum anni*. Breviorem tamen, ut pluribus communem vitæ periodum, septuaginta scilicèt, vel octoginta annorum esse David affirmat in Psalmo dicens: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*: *si autem in Potentatibus* (hoc est vivacibus, & optimè constitutis) *octoginta anni, & ampliùs eorum labor, & dolor*. Psal. 89.

Historiæ autem, quæ hominem aliquem, vel centum triginta, vel quinquaginta suprà centesimum annum, vel ducentos, aut ampliùs annos nostro seculo vixisse narrant, Fabulæ hac in re judicantur, quarum è numero censetur Historia, quæ Galenum Medicum illum excellentissimum annos centum, & quadraginta vixisse narrat. Hanc opinionem Cælius Rhodigin. lib. 16. cap. 40. recitat; Svidas verò & Fulgosus dictum Galenum nonnisi septuaginta annos vixisse affirmant.

Hæc de Annis Climactericis, necnon de iis, qui suo natali die obierunt; deque hominis ætate post diluvium à Deo præscriptâ mihi dicenda videbantur, salvo tamen meliori judicio illorum, qui hac de re scripserunt, quique unquàm scripturi sunt. Nunc reliquum est, Deum Salvatorem nostrum frequenti divinorum Sacramentorum observatione, necnon piis, & humilibus precibus, sanctisque operibus obsecrare, ut immensâ suâ clementiâ, & bonitate in suæ ipsius divinæ Majestatis obsequium ad annum Climactericorum nobis præfixum, ac tandèm aliquandò ad æternæ vitæ Gloriam nos perducere dignetur. Amen.

BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA A SIXTO V. PONT. MAX.

In ſplendidiorem, commodioremque locum translata,

COMMENTARIO

AUCTORIS

Variarum Artium, ac Scientiarum Materiis curioſis, ac difficillimis, ſcituque dignis refertiſſimo, illuſtrata.

ULTA profectò ſunt ornamenta, quibus Bibliotheca Vaticana magnificentiſſimè conſtructa, egregiè quidèm, & majorem in modum illuſtratur, atque oculi, menteſquè hominum eam intuentium mirificè paſcuntur, ſummâque animi voluptate, ac ſolatio perfunduntur: è quorum numero Emblemata illa ſunt, quibus SIXTI V. immortalitate digniſſimi præclarè, ac fælicitèr geſta, quæ ad hanc uſquè diem prodierunt, repræſentantur, & hinc indè ob oculos ponuntur: necnon in eadem Emblemata Gulielmi Blanci Inſcriptiones: Concilia ìtèm præcipua, Scholæ, & Bibliothecæ inſigniores, atque literarum Inventores. Sed antequàm rerum hujuſmodi expoſitionem aggrediar, id ſciri velim, molem hanc à fundamentis excitatam, tot porticibus ſublevatam, tot cubiculis, & cameris amplificatam, tam vaſto Fornice circumductam, tot Picturis, & Imaginibus intùs, & extrà inſignitam, tot aditibus, & gradibus perviam, tot feneſtris undequàque patefactam, unius anni curriculo, quo vix alius de opere faciundo cogitaſſet, à SIXTO V. ad res ſanè pias, heroicas, atquè arduas, Principe quidèm potentiſſimo, quin Pontifice Summo, ac ſe ipſo digniſſimas, efficiendas, & producendas nato, fælicitèr cœptam, fæliciùſque conſummatam: in cujus rei teſtimonium hæc ad eam partem, quæ Theatrum, ſiue Meridiem ſpectat, legitur Inſcriptio marmore inciſa:

SIXTUS V. PONT. MAX. BIBLIOTHECAM ÆDIFICAVIT PORTICUS CONJUNXIT ANNO MDLXXXVIII. PONT. III.

Hæc itèm Bibliotheca Vaticana quatuor habet facies: unam, quæ vergit ad Orientem, ad Occidentem alteram, tertiam ad Meridiem, poſtremam ad Septentrionem. Porta autem Bibliothecæ primaria eſt ad Orientem, in cujus veſtibulo variæ ſunt picturæ tàm ad Pictoris arbitrium, & ad operis ornamentum, quàm ad Librariam, & Typographicam artem pertinentes. Bibliothecam verò ingredienti, & ſuſpicienti ſtatim fornix ſeſe offert, variis picturis, & imaginibus diſtinctus, & inſignitus, in quo pueri aligeri choros, ſivè coronas, repræſentantes, ſibique invicem Libros porrigentes cernuntur, & in cujuſcumque chori medio imago Librum manu geſtans, & ſcientiam aut artem aliquam præſeferens adſtare conſpicitur, multis itèm id genus aliis picturis, & ornamentis ad ſtemmata gentilitia SIXTI V. non minus ingeniosè excogitatis, quàm venuſtè, atque artificiosè undequàque collocatis, atque ita, ut hæc omnia Cœlum ipſum, quatenùs humana imaginatio hoc ſibi tale ſtruere poteſt, ante oculos proponere videantur. In parietibus verò inter fornicem, & eorundem parietum coronas, varia Emblemata elegantiſſimis Inſcriptionibus explicata, ſeù potiùs iiſdem tanquàm poetico penicillo adumbrata circumſpiciuntur, quæ quidem ſolutâ, & pleniore oratione enucleanda mihi primùm viſa ſunt, ut deindè alia omnia ſingulatim, & ſuo loco explicentur. Id quod pro ingenij mei imbecillitate præſtare conabor.

AU-

AUTHORUM,

Qui in hoc opere passim citantur, nomina, cognomina, origenes, monimenta insigniora, & elogia brevitèr conscripta, atquè ex probatissimis Scriptoribus desumpta,

A

Abben Ezra, & Abraham, & Levita, & Gedalia Iachia Rabini, quorum primus scripsit in 11. *cap. Danielis, secundus de gestis Romanorum, tertius verò Traditionum cathenam, quamvis sint ex iis, qui foris sunt, donationem tamèn Constantini fatentur, velint nolint: quorum primi vixerunt circà Annum Dom. CCCC. tertius verò ætate nostrâ vixit.*

Accursius Aquilanus, dictus Mariangelus, de Typographicæ artis inventore, ac de libero primùm omnium impresso. Floruit circa Ann. Dom. MD.

Ado Viennensis Archiepiscopus, Breviarium Chronicorum ab origine mundi ad sua usquè tempora, ad Annum scilicèt salutis nostræ MCCCLIII. conscripsit, quo scilicèt anno claruit.

Adolphus Mekerchus Brugensis, vir sanè admodùm eruditus, qui de recta, & veteri pronunciatione Linguæ Græcæ scripsit Commentarios: eamque cum Hebraica confert. Edidit etiàm Appendicem de accentibus Græcorum. Claruit Anno Dom. MDLXIV.

Adrianus Papa hujus nominis primus, Natione Romanus, vir quidèm doctus, & sanctus, scripsit librum de veneratione sacrarum Imaginum, libr. itèm ad Carolum Imp., & Epistolas ad diversos. Claruit Anno Domini DCCXCV.

Ægidius Columna Romanus Archiepiscopus Bituricensis, Theologus insignis Ord. Eremit. Sancti Augustini, & Sancti Thomæ Aquinatis auditor, multa in artes varias, ac disciplinas more scholastico, necnon in Scripturam Sacram, atquè in libros Sententiarum Petri Lombardi conscripsit, & alia edidit permulta, sed doctissimè sanè omnia, atquè ita, ut nomen Fundamentarii meritò ei tributum sit. Claruit Anno Dom. MCCLXXX.

Ægidius Tschudus Glaronensis de prisca, ac vera Alpina Rhætia cum reliquo Alpinarum Gentium tractu librum Germanicè scriptum edidit peregratis locis iis, Authorumque monumentis perlectis. Hinc de illarum Gentium lingua, locorumque nominibus scripsit. Anno Dom. MDLXXV.

Ælianus Sophista Romanus, Pausaniæ auditor, & à Philostrato maximè laudatus, quòd Romanus homo tàm probè atticissarit, tamquàm elegantèr peregrinam à Patria vocem retinuerit. Scripsit de animalibus, de varia historia, ac de re militari: quæ omnia in magna habentur existimatione. Claruit sub Adriano Romanorum Imp.

Ælius Spartianus Scriptor insignis, qui quasdam Cæsarum vitas conscripsit, hoc est Adriani Imperatoris, & Ælii veri Cæsaris ad Diocletianum Augustum. Claruit sub Diocletiano Augusto.

Æneas Silvius Senensis, qui fuit deindè Pius II. vir bonarum artium peritissimus, scripsit profectionem in Turcas, quam cum indixisset, non potuit perficere Anconæ mortuus, qui Romam translatus sepultus est in Ædibus Sancti Petri propè Altare Sancti Andreæ. Hic edidit descriptionem Europæ, Abbreviationes Blondi, Historiarum opus imperfectum, Epistolas ad diversos, multaquè alia, quæ in lucem sunt edita, præsertìm verò lib. de rebus à se gestis. Claruit circa Annum Domini MCCCCLXIV.

Aldus Manutius Junior, Pauli Filius, Aldi Nepos de bonis literis, ac literatis optimè meritus, varia scripsit, multos Authorum bonorum libros illustravit, & nonnullos ex Græco in Latinum, & ex Latino in Italicum transtulit sermonem. Claruit Anno Dom. MDXCI.

Aloysius Lippomanus Venetus, & Episcopus Veronensis, qui sanctorum vitas, Chatenam in Genesim, & Exodum omnibus doctis pergratam, & in psalmos conscripsit, & alia, præsertìm verò Cathenam in Leviticum, quæ in tenebris adhùc latet. Claruit Anno Domini MDXLV.

Alphonsus Ciacon Hispanus Biacensis, vir profectò eruditissimus, antiquitatum helluo, librum de Sancti Hieronymi Cardinalitia dignitate doctè quidèm, & exactè conscripsit, necnon historiam de anima Trajani à cruciatibus tartareis erepta, & alia, quæ nondùm edita sunt in lucem, circitèr viginti volumina. Claret Anno Dom. MDXCI.

Ambrosius Sanctus, Episcopus Mediolanensis, Patriâ Romanus, & Doctor Ecclesiæ eloquentissimus, qui sacro Baptismatis fonte Augustinum Christo Salvatori nostro peperit, Commentarios edidit in Scripturam Sacram, multaque alia piè, atquè catholicè scripsit: Ritumque Antiphonarum, Responsoriorum, atquè Hymnorum è Græcâ Ecclesia in Latinam, teste Sigeberto in Chron. Naucl. transtulit. Claruit Anno Domini CCCLXXX.

Ambrosius Bergomensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini Calepinus è Calepio dictus Oppido in Cenomanis ad 14. *lapidem à Bergomo Brixiam versùs ad Colles in sinistra parte sito, & à bonitati vini denominato: καλὸς bonus, καὶ πίνω, bibo, Calepinus dictus est: erat enim ex Familia Comitum Calepii. Hic divinarum, humanarumque literarum studiosus, ac peri-*

tus, magno sanè labore, Dictionarium ex innumeris ferè Auctoribus collectum non solùm voces omnes Latinas, & Græcas ad Poetas, & Oratores, ad Medicos, & Philosophos, & Mathematicos, necnon ad Doctores Ecclesiasticos pertinentes, sed etiàm Auctorum, ac locorum omnium, sivè propositionum attestationem ipsam comprehendens ordine congessit Alphabetico, & in lucem edidit: opus quidem, & doctis, & indoctis valde utile, ac pergratum, & cujusvis literaturæ hominibus pernecessarium, ex eo enim tamquàm è cella penariâ voces omnes Latinæ, Latinique scribendi modi, explosâ barbarie, nobis promptè subministrantur: quæ item ignorabantur, aut à doctis in dubium revocabantur, nunc discussa dubietatis, & ignorationis tenebra, latissimè patent. Nec audiendi sunt ii, qui ajunt hoc opus parvum olim fuisse codicem: erat enim pergrande, ut ego ipse ex Exemplari primo omnium edito novi, atquè hoc idem Trithemius testatur, ipsum pergrande opus appellans. idem ait Jacobus Philippus Bergomensis in supplemento chronicorum, eiquè coætaneus: immò ipsemet Ambrosius opus pergrande appellavit in Epistola nuncupatoria, qua Dictionarium Senatui, Populoque Bergomensi circà Annum Domini MD. dedicavit: nàm secundâ vice MDIX. idem Dictionarium Ægidio Viterbiensi summo totius Ordinis Augustiniani Magistro, tertiâ verò vice Conventus Bergomensis eidèm Ægidio Cardinali MDXIX. dicavit. Dolendum autèm est, ex hoc Dictionario voces innumeras non solùm ad Doctores Ecclesiasticos, verùm etiam ad varias artes pertinentes, quæ scitu sunt dignæ, fuisse sublatas. Laudandi tamèn sunt, qui ex eodem Dictionario, tamquàm è tritico lolium, hoc est voces ob Typographorum, sivè aliorum incuriam corruptas sublulerunt, vocibus quibusdam Latinis, ac Græcis adjectis. Claruit Anno Domini MDIX., & decrepitâ ætate, atquè oculis orbatus MDX. obiit.

Ammianus Marcellinus historiam Romanam ab Anno Christi XCVIII. usquè ad CCCLXXXII. conscripsit, & præsertìm de rebus à Constantio, Juliano Apostata, & Valentiniano gestis: qui, quamvis Ethnicus, nonnihil tamèn de Constantini donatione fatetur. Vixit sub iisdem Imperatoribus circà Annum Domini CCCLXXXIII.

Anastasius Romanus, Apostolicæ Bibliothecæ custos diligentissimus, atquè instaurator, vir sanè non solùm in humanis scientiis, verùm etiàm in divinis scripturis insignitèr eruditus, necnon Græcæ Linguæ, ac Latinæ peritus, jubente Nicolao I., cujus Bibliothecarius erat, transtulit è Græco in Latinum Sancti Joannis Eleemosynarii vitam, unam Dionysii Hierarchiam, vitasque multorum patrum. Scripsit historiam Ecclesiasticam, atquè Summorum Pontificum. Claruit Anno Dom. DCCCLX.

Anastasius Germonius, Archidiaconus Taurinensis, vir profectò doctus, libros de Immunitatibus Ecclesiasticis, ac de Indultis Cardinal. conscripsit, & alia eruditis viris pergrata: edidit enìm Sessiones promeridianas pro Lingua Latina, Paratitla, sivè Summulas ad quinque libros Decretalium, Animadversionumque libros duos ad jus Cæsareum, & Pontificium. Claret ætate nostra MDXCI.

Angelus Politianus, Grammaticus celebris, Philosophus, Orator, & Poeta insignis: Græcæ itèm Linguæ, & Latinæ præsertìm peritissimus, Epistolarum libros 12. conscripsit, & Miscellanea, librumque in errores Latinæ Linguæ: edidit Elogia, Epigrammata Græca, & Latina, Herodianumque historicum de Græco vertit, & alia. Claruit sub Alexandro VI. circà Anno Dom. MCCCCXCIV.

Antonius Ordinis Fratrum Prædicatorum, Archiepiscopus Florentinus, Summam casuum conscientiæ satis grandem, & Chronicos libros, atquè alia edidit. Moritur sub Federico Imperatore III. Anno Dom. MCCCCLIX. Sexto Nonas Maji.

Appianus Alexandrinus Sophista, qui historiæ Romanæ libros, teste Velaterrano, 22. conscripsit, quorum novem tantùm ad nos pervenerunt. Edidit & alia complura de variis populorum bellis. Floruit sub Adriani Principis temporibus.

Aristeas Græcus, Ptholemæi Philadelphi cubicularius, seù potiùs ὑπερασπιστης, idèst protector, qui clypeum ante Regem portabat, historiam de 72. Interpretibus conscripsit. Composuit etiàm librum Mirabilium Orbis, & librum Fabularum. Claruit sub eodem Philadelpho, Olympiade 124. Anno ante Christi Adventum CCCL.

Aristoteles Stagyrites Philosophus insignis, totoque terrarum orbe celeberrimus, omniumque Philosopherum Peripateticæ Scholæ Princeps: cujus scripta, quæ manibus omnium eruditorum, ac studiosorum teruntur, longum esset recensere. Hujus doctrina tanta est apud Philosophos, ac Theologos eâ in facultate, necnon apud omnes bonarum artium professores, quanta vix umquàm verbis explicari posset. De Aristotele Quintilianus loquitur in hanc verborum formam: Quid Aristotelem? quem dubito, scientia rerum an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putem. Hæc Quintil. Libros suprà trecentos, Plutarcho teste in Sylla, reliquit: vel quadringenta volumina, ut Svidæ placet. Hic fuit statura parvus, gibbosus, & balbutiens, sed ob summam eruditionem socius, præceptor, & à secretis Alexandri Magni evasit. Platonem audivit decem annis, vel viginti, ut scribit Laertius. Excessit ætatis suæ Anno LXVIII. eodem quo Demosthenes anno mortuus est: hic in Apulia, ille in Eubœa: ambo profugi, Antipatro persequente.

Arnobius Afer Presbyter, Philosophus, & Rethor insignis in Africa florentissime Rethoricam docuit, & adversùs Gentes libr. conscripsit, & Commentarios edidit in Psalmos, scripsitque alia permulta. Claruit circà Annum Domini CCC.

Asconius Pedianius Patavinus historicus, qui etiàm loculentos in Ciceronis orationes Commentarios edidit. Hìc anno ætatis suæ 73.

captus

captus fuit luminibus: posteà tamèn summo eum honore, & hominum gratia vixit annos 12. Eusebio teste, Floruit circà Neronis tempora circà Annum Domini LV.

Athenæus Naucratita Grammaticus, Dipnosophistarum, idèst argute sciteque in convivio differentium libros 15. conscripsit, opus varium, & eruditum. Floruit sub Marci Antonini Principis tempore, circà Annum Domini CXXXIX.

Athanasius Sanctus Episcopus Alexandrinus, Theologus insignis, qui multa piè, atquè catholicè scripsit, quæ longum esset recensere. Claruit tempore Valentiniani, & Valentis Imperatorum, sed sub Valente obiit Anno Domini CCCLXXIX. Sacerdotii sui XLVI. Sexto Nonas Maji.

Augustinus Sanctus Afer, Tagastensis Eremitarum Ordinis Fundator, baptismate à B. Ambrosio susceptо, anno ætatis suæ 30. cum dimidio die 5. Maji. Hic deindè anno ætatis suæ 36. salutis verò 394. creatus fuit Episcopus Hipponensis, & Doctor Ecclesiæ celeberrimus, Doctorumque jubar fulgentissimum, & lux, malleusque hæreticorum jure nuncupatus, cujus scripta tot tantaque sunt, ut nihil ferè à quopiam docto scribatur, aut dicatur, quòd eorum doctrina respersum non sit. Quamvis autèm omnia ejus opera sint insignia, & præsertim de Sanctissima Trinitate, opus tamèn de Civitate Dei ob mirificam rerum, & doctrinarum varietatem celeberrimum est, quod intèr cœnandum Carolus Magnus sibi legi curabat. Moritur Anno Dom. CCCCXXXIII. ætatis suæ LXXVI. Episcopatus XL. Quinto Kal. Septembris.

Augustinus Triumphus Anconitanus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Theologus insignis, permulta ad 42. scilicèt librorum volumina edidit: scripsit enim, & doctissimè quidèm in varias artes, ac scientias, necnon in Sac. Scripturam. Edidit autèm opus de Potestate Ecclesiastica more scholastico omnibus doctis gratissimum, & numquàm satis laudatum. Milleloquium Augustini incæpit, sed morte præventus imperfectum reliquit, quod Bartholomæus Urbinas ejusdem Ordinis perfecit. Claruit sub Joanne XXII. Anno Domini MCCCXXVIII. ætatis suæ LXXXV.

Augustinus Steuchus Eugubinus ex Congregatione Canonicorum Regularium Sancti Salvatoris, Episcopus Kissami Insulæ Cretæ, & Bibliothecæ Apostolicæ Præfectus sub Paulo III. ex nobilissima Farnesiorum Familia de perenni philosophia decem libros edidit, atque de Constantini donatione contra Laurentium Vallam scripsit, & alia complura, & in Sacram Scripturam, præsertim verò in Pentateuchum. Claruit circa Ann. Dom. MDXL.

Aulus Gellius, qui noctium Atticarum libros eruditè conscripsit, fuit diligentissimus rerum priscarum perscrutator. Claruit circà An. CXLIV.

Ausonius Gallus Burdegalensis Augustorum præceptor, & Poeta insignis, cujus extant Epigrammata arguta quidem, & leporis plena de Augustis, & aliis rebus. Epigrammatum librum ex Græcis Poetis acceptum in Latinos numeros convertit. Variis item carminibus scripsit Epistolas, & soluta etiàm oratione, & præsertim ad Gratianum Imperatorem discipulum circa Ann. Dom. CCCC.

B

Bartholomæus Marlianus, Patritius Mediolanensis, Topographiam antiquæ Romæ, ejusdemque admirandas res conscripsit. Claruit Anno Dom. MDLXVI.

Bartholomæus Platina Cremonensis vir suo tempore doctissimus, scriptor, seù abbreviator Apostolicus, & Sixti IV. familiaris, Bibliothecæque Vaticanæ præfectus, scripsit librum de Gestis, & Vitis Romanorum Pontificum, de naturis rerum, Epistolas, & quædam alia. Moritur Romæ ex peste sub eodem Sixto MCCCCLXXXI.

Bartholomæus Sibylla Dominicanus, Theologus non ignobilis, qui peregrinas quæstiones conscripsit, in quibus multa curiosè tractantur. Claruit Anno Dom. MDXXXIV.

Beda Venerabilis Anglicus, vel Britannus, Monachus Benedictinus, Theologus celeber, qui ob vitæ modestiam Venerabilis dictus, vel ut alii volunt, quia visu orbatus dum in itinere quodam concionem haberet ad id faciendum, cohortatus ab iis, qui eum ducebant, dicentes multas illic Gentes sacrum expectare sermonem, quamvis nemo adesset, audita fuerunt in aere, concione habitâ, hæc verba: Bene dixisti Venerabilis Beda. Multa in Scripturam Sacram conscripsit, necnon Chronica ab Orbe condito ad Ann. usque 700. Edidit quoque Mrtyrologium, & alia permulta. Hic fuit Strabi Glossæ ordinariæ frater, cujus Discipuli fuerunt Rabanus, Alchuinus, & Joannes Scotus, alius à Franciscano scholastico Doctore, & alii Viri insignes. Moritur sub Leone Imp. Anno Dom. DCCXXXII. Ætatis suæ LXXII. Prid. Kal. Junii.

Bernardus S. Burgundus Abbas Clarevallensis, oraculum sui temporis, plurima pie, atque eruditè conscripsit, & præsertim Commentarios in Cantica, & Super Missus est, considerationem divinæ contemplationis ad Eugenium Pontificem: undè muneris Pontificii ratio narratur. Varias insuper Epistolas edidit, Sermones item in solemnibus diebus habitos, & alia permulta. Hujus doctrina, divina potiùs tradita, quàm labore comparata judicatur. Claruit sub Conrado Imp. III. Anno Dom. MCXL.

Bernardus Breitmbachius Itinerarium Terræ Sanctæ conscripsit, varias linguas enarrans. Claruit ætate nostra.

Berosus Chaldæus, Sacerdos, Astrologus, & Historicus, cui ob prædictiones, quas Atheniensis divinas existimarunt, simulacrum in Gymnasio inauratâ linguâ statuerunt, seriem rerum Assyriæ, & aliorum à diluvio ferè usque ad Josue, Gentium item origines Græcis explicavit, & Chaldaicam historiam suam tribus comprehendit libris. Scripsit, & de posteris Noe, sed perpauca ejus extant scripta, quæ Annius Viterbiensis produxit: hæc tamèn adulterina à doctis Viris judicantur. Claruit

sub

sub Seleuco Nicanore, & Antiocho ejus filio, ac successore, cui Chaldaicam historiam dedicavit.

Bessarion Nicænus, vir sanè doctissimus, Patriarcha Constantinopolitanus, & S. R. E. Cardinalis multa eruditissimè scripsit, Platonicam doctrinam secutus, suamque Bibliothecam insignem Reipublicæ Venetæ dono dedit: cujus tanta erga doctissimos viros fuit liberalitas, ut ejus domus artium liberalium, literatorumque Asylum diceretur. Moritur ætate confectus sub Sixto IV. Anno Dom. MCCCCLXXXIII.

Blondus Forolivienſis libros de Italia conscripsit, & alios historicos libros, hoc est de gestis Romanorum, de Roma triumphante, & instaurata, necnon alia quædam. Claruit ætate nostra circà Ann. Dom. MCCCCLXXX.

Bonaventura S. Balneoregienſis Ordinis Minorum, Alexandri de Ales Auditor, & Discipulus, & S. R. E. Episcopus Cardinalis Albanenſis, atque Ecclesiæ Doctor, qui in Scripturam Sacram, & in quatuor Petri Lombardi Magistri Sententiarum libros edidit Commentarios, necnon opuscula permulta doctè, ac piè scripta, quæ omnium manibus teruntur. De hoc Doctore sancto hunc in modum scribit Trithemius: S. Bonaventura in scribendo profundus est, non verbosus: subtilis, non curiosus: disertus, non vanus: flammantia, non inflantia verba proferens. Undè, & securiùs legitur, faciliùs ab amante intelligitur, utiliùs frequentatur: pauci scribendo libros docuerunt utramque. Bonaventura autèm, & multos superavit, & paucos: dùm ejus doctrina devotionem, devotio instruit doctrinam. Si ergo, & doctus vis esse, & devotus, illius opusculis esto intentus. Hæc Trithemius. Doctor iste Sanctus, à B. Thoma Sanctus, dùm viveret, fuit appellatus. Alexander verò de Ales de eo frequentèr dicere solebat: In Fratre Bonaventura Adam peccasse non videtur. Moritur sub Leone Papa X. in Concilio Lugdunenſi Anno Domini MCCLXXXIII. in Ecclesia Cathedrali sepultus.

Boetius vir consularis, Orator, Philosophus, & Poeta, multa, & præsertìm de consolatione philosophica libros versu, & prosâ conscripsit. Edidit etiàm libros, & Commentarios in varias artes, ac disciplinas. Multos Aristotelis libros de Attica lingua in Latinam transtulit: ingenio subtilis, sensu promptus atquè catholicus, & sermone latino Ciceroni non inferior: gener Symmachi Patritii fuit, & Sancti Benedicti amicus. Moritur eodem anno, quo Symmachus Patritius, & Joannes Papa sub Anastasio, jussu Theodorici Regis apùd Ravennam pòst diuturnum exilium in carcere jugulatus Anno Domini DXXIII.

C

Cato Major, Orator, qui, & censorius dictus est, originem ex Tusculano municipio trahens, græcisque literis ab Ennio edoctus in Sardinia, quam subegit, septem libros originum conscripsit. Hujus tempore Græcia Romanis nondùm suas dederat literas, quas tamèn teste Plinio, inspiciendas non perdiscendas esse affirmabat: quìn Græcos ex Italia expellendos sentiebat. Claruit ab Vrbe cond. Anno DLIX. ante Christum CXCIII.

Cœlius, qui dicitur Ludovicus Cœlius Rhodiginus antiquarum lectionum libros 30. curiosè, & eruditissimè quidèm conscripsit. Edidit etiàm quasdam in Ovidii Metamorphoseon annotationes. Claruit circà Annum Domini M. D.

Cæsar Imp. dictus Julius Cæsar, vir sanè celeberrimus, bonarumque literarum cultor maximus, Commentarios edidit, & in Ægyptum profectus Fastos, sivè Kalendarium Numæ Pompilii, qui lunaribus mensibus annos distinxerat, correxit, & ad solis cursum revocavit, ut Plinius lib. 18. cap. 15. testatur. Floruit ante Christi Adventum, Anno LXXXVII.

Cæsar Baronius Soranus, vir profectò in sacris historiis optimè versatus, Martyrologium eruditis Commentariis insignitum edidit, Annalesque Ecclesiasticos in lucem emittit, omnibus quidèm pergratos. Claret ætate nostrâ MDXCI.

Cicero Arpinas vir doctissimus, gracili corpore, & infirmo, collo procero, ac tenui, ut narrat Genebrardus, Oratorum omnium Romanorum celeberrimus, & Latinæ Linguæ parens, exulans pòst oppressam Remp. vacuus negotiis forensibus, & civilibus multos quidèm aureos libros philosophicos, omnium qui Latinè scripserunt, tùm doctrinâ, tùm sermonis elegantiâ primos, quos enumerat initio lib. 2. de Divinatione: sed in tribus de Natura Deorum seipsum superavit, Deo providente, ut Idololatria per suos cultores oppugnaretur, quæ mox per Christum Salvatorum nostrum esset expugnanda, ac triumphanda. Primùm enìm refellit Deum Epicureorum, deindè Deos Stoicorum, Planetas, & alios, denique Deos populares, quos fabulosos, hominesque fuisse contendit. Extant ejusdem Ciceronis libri Rhetorices plurimi, Orationum, & Epistolarum, quarum aliæ Familiares dicuntur, aliæ ad Atticum, Brutum, & Q. fratrem sunt scriptæ, quæ manibus omnium teruntur. Claruit sub Julio Cæsare, & Octaviano Augusto antè Christi Adventum. Anno LXXXVII.

Claudius Claudianus Alexandrinus Poeta insignis, quem nonnulli Florentinum fuisse volunt, sed falsò: hic aptus, & facilis fuit ad carmen componendum variis figuris, ac sententiis plenum. Scripsit libros quatuor de raptu Proserpinæ, libros duos in Ruffinum, duos itèm in Eutropium, unum de Bello Gildonico, ac Getico, & alia permulta. Floruit sub Theodosii, & Honorii temporibus.

Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, Pantherii Discipulus, & Origenis Magister, qui tàm de divinis scripturis, quàm de secularibus literis multa conscripsit. Floruit sub Severo, & Antonino Principibus. Anno Domini CC.

Columella, qui L. Moderatus Columella Gaditanus genere dicitur, libros de re rustica absolutissimos edidit. Claruit sub Claudio Principe.

Cornelius Publ. Tacitus historicus, Eques Romanus

manus, historiæ Romanæ, sivè Annalium lib. 16. ab excessu Augusti, necnon libellum annorum 56. atquè de Germanorum Populis, moribus, ac situ, & alia, conscripsit. Floruit tempore Claudii Tiberii Neronis anno ab Vrbe condita DCCLXVII. Vsquè ad Flavii Vespasiani tempus, Anno ab Vrbe DCCCXXII.

Cyprianus Cæcilius Afer, Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus; & Martyr, Cæcilio Presbytero suadente ad fidem conversus, à quo sortitus est cognomen, multa scripsit opuscula piè quidèm, atquè eruditè. Martyrio coronatur sub Valeriano, Anno Domini CCXLIX. VIII. Kalendas Octobris.

Cyrillus natione Græcus, & Episcopus Alexandrinus, qui Concilio Ephesino contrà Nestorium, & Pelagium præsedit, multa scripsit opuscula, doctrinâ, ac sententiis plena, & præsertim adversùs Nestorium, occulta ejus venena refellens. Edidit quoquè Epistolas, Homilias, & Sermones complures. Claruit Anno Dom. CCCCXXXII.

D

Damasus Sanctus Papa, natione Lusitanus, & Sancti Hieronymi amantissimus, scripsit Summorum Pontificum gesta, necnon Epistolas varias, de fide contrà hæreticos, carminaque diversa: nàm in pangendis versibus fuit peritus. Claruit Anno Dom. CCCLXX.

Diodorus Siculus, qui historiam res Romanas continentem, Bibliothecam inscripsit, historiamque ipsam mille centum, ac triginta annorum libris 40. distinxit. Claruit sub Augusto, teste Svida.

Diogenes Laertius historicus insignis, vitam, & mores, decreta, & responsa Philosophorum conscripsit, idque omne libris decem comprehendit.

Dion Cassius cognomento Coccejus, Patria Nicæus, vir consularis, qui Romanam historiam à Pompejo Magno, usquè ad Alexandrum Mameæ 80. libris comprehendit, & vitam Ariani Philosophi, resque gestas Trajani Imp. conscripsit, Romanam itèm historiam edidit, libris 25. comprehendens. Claruit sub Alexandro Severo.

Diomedes Grammaticus multi ingenii vir, scripsit nonnulla ad grammmaticam pertinentia admodùm quidèm vtilia.

Dioscorides Pedacius Anaxarbeus Medicus, Marci Antonii, & Cleopatræ Familiaris libros VIII. de materia Medica conscripsit, & unum de lethalibus venenis, eorumque præcautione, & curatione. Scripsit etiàm de stirpium, necnon plantarum differentiis, Claruit sub Julio Cæsare.

E

Epiphanius Cypri Salaminæ Episcopus, & Sancti Hieronymi amicus, ad eumque misit Epistolas, tantâque vitæ sanctitate clarus exstitit, ut spiritu prophetiæ meruerit illustrari, sacrarumque literarum scientia excellens scripsit aduersus omnes hæreses, & alia permulta, quæ ab eruditis propter res, à simplicioribus propter verba lectitantur. Scripsit, & alia, de quibus Sanctus Hieronymus mentionem facit. Historiam itèm tripartitam in Latinum transtulit. Claruit Anno Domini CCCXC.

Ephorus historicus Cumanus, Isocratis auditor, ac Theopompi condiscipulus, quorum alter fræno, alter calcaribus indigebat, teste Suida, Epitomen historiarum Herodoti, & quæ Bello Peloponnesiaco gesta sunt, scripsit. Claruit sub Cæsare, cujus erat familiaris.

Evagrius Monachus, & Macharii Ægypti Discipulus, vir sanè doctissimus, & Antiochiæ Episcopus, quem Hieronymus multos diversarum ὑποθέσεων Tractatus eum sibi legisse ait. Scripsit præsertim vitas Patrum, & Vitam Beati Antonii, & Commentarios in Proverbia Salomonis. Claruit Anno Domini CCCLXXX.

Eusebius ob artam cum Pamphilo necessitudinem Eusebius Pamphili dictus est, qui fuit Episcopus Cæsariensis, Chronicos edidit libros, Historiam Ecclesiasticam ex Philone, Josepho, Clemente Alexandrino, Egesippo, & aliis, Scripsit item de præparatione Evangelica, & alia. Claruit Anno Dom. CCCXX.

Eustathius Epiphanæus, qui scripsit temporum Epitomen ab Æneâ Trojano usquè ad Anastasium Principem, sub quo fuit, & alia quædam. Claruit sub eodem Principe, circà Annum Domini CCCCXCVI.

F

Festus Pompejus, qui & Sextus Pompejus Festus dictus est, scripsit de verborum significatione, sivè priscorum verborum cum exemplis, libros viginti. Claruit sub Augusto.

Flavius Vopiscus, qui Principum Romanorum Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Firmi, Saturnini, Proculi, Bonosi, Cari, Carini, Numeriani vitas conscripsit. Claruit sub Numeriano.

Franciscus Sanctus Ordinis Minorum Institutor, Assisii in Vmbria natus, vir sanè vitæ sanctitate celeberrimus, scripsit Regulam, ac Testamentum breve. Claruit Anno Dom. MCCXX.

Franciscus Toletus Cordubensis è Societate Jesu, Vir sanè vitæ probitate clarus, ac doctissimus, Summorumque Pontificum multis ab hinc annis concionator, eruditissimè in Logicam, & Philosophiam Aristotelis, nècnon in Scripturam Sacram Commentarios valdè utiles, & omnibus pergratos conscripsit, & ad hanc usque diem, Evangelio B. Joannis explanato, & in lucem edito, in Lucæ Evangelium scribit, & alia, quæ nunc sub incudine jacent, lectoribus admodum profutura. Hic enim non minùs facilis quàm doctus in scribendo, ac docendo est, hinc ab eruditis de eo passim dici solet: TOLETVS DOCET. Claret ætate nostra, Anno Domini MDXCI.

Franciscus Alumnus Ferrariensis scripsit permulta ad Italicam linguam emendatiorem pertinentia, Fabricam scilicèt mundi, ac Divitias inscripta, opera quidem magni laboris, nècnon

tion magnæ ſtudioſorum utilitatis, atquè commoditatis. Claruit Anno Dom. MDLVIII.

G

Genebrardus vir quidèm eruditiſſimus, Theologus Pariſienſis, Divinarum, Hebraicarumque literarum profeſſor regius, & noſtrâ ætate percelebris, univerſæ Hiſtoriæ Speculum, ſivè Chronographiæ quatuor libros ab Orbe condito ad noſtra uſquè tempora conſcripſit, & in lucem edidit, opus profectò admodùm utile, & omni laude dignum. Floret Anno Dom. MDXCI.

Gratianus Monachus Benedictinus Bononienſis, vel Claſſenſis, ſi credimus Trithemio, qui ex aliena opinione ait eum eſſe Hetruſcum, Summorum Pontificum Decreta congeſſit: opus admodùm utile, quod Gratiani Decretum vocitatur: cui adjectæ ſunt Decretales Epiſtolæ Gregorii IX. Sextus itèm Decretalium Bonifacii VIII. Clementinæ Conſtitutionis Clementis V. Extravagantes Joan. XXII., & Extravagantes communes aliorum Pontificum. Sunt qui velint Gratianum natum eſſe Cluſii, quod eſt Oppidum Mediterraneum in Tuſcia, ut videre eſt in Pomærio Eccl. Ravenn. ſed in Codice vetuſtiſſimo, quod in Bibliotheca Vaticana aſſervatur, legitur. eum eſſe Bononienſem, & in Cœnobio S. Fœlicis Bonon. collegiſſe Decretum: & ab Eugenio III. circà Ann. Dom. MCLXXXV. approbatum. Claruit Anno Dom. MCLI., vèl MCXX., ut Trithemio placet in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vèl MCXXVII., ut idem Trithemius ait libro 2. de Viris Illuſtribus Ordinis Sancti Benedicti.

Gregorius Nyſenus Epiſcopus, & Baſilii Cæſarienſis frater ſcripſit Librum de Hominis Imagine, & Libros duos contrà Eunomium, quos Hieronymus in Catalogo ſibi, & Gregorio Nazianzeno ab Auctore ipſo lectos fuiſſe narrat. Claruit Anno Dom. CCCLXXX.

Gregorius Pontifex Maximus hujus nominis primus Patriâ Romanus ex Ordine Benedictino ſanctitate, ac doctrinâ celeberrimus, & Eccleſiæ Doctor præcipuus, qui multa in Eccleſia, & in Miſſa inſtituit, permulta in Pontificatu etiàm ſcripſit, piè, atquè catholicè omnia, Moralia cæteris excellentiora, & utiliora, quàmvis omnia ſint exiſtimatione digna. Hic propterè res præclarè geſtas, atquè Anglos ad fidem converſos, Magnus, & Anglorum Apoſtolus dictus eſt, cujus precibus animam Trajani Imp. à tartareis cruciatibus ablatam fuiſſe, Alphonſus Ciacon exactè declarat. Moritur anno ſecundo Phocæ Imp. Anno Domini DCV. miraculis clarus. Quarto idus Martii.

Gabriel Frateolus Marchoſius de Vitis, Sectis, & Dogmatibus omnium Hæreticorum ab Orbe condito ad ſua ipſius uſquè tempora libros 21. conſcripſit. Claruit Anno Dom. MDLVIII.

Gabriel Barrius Franciſcanus Calaber de locis, ac rebus Calabriæ ſcripſit, Romanæ linguæ puritate ornatus. Claruit circà Annum Domini MDLX.

H

Henricus Glareanus, doctus quidèm Helvetius ex pago Glarona, ſcripſit librum de Variis Populis, eorumque linguis, & præſertim de recta Latini Græcique Sermonis pronunciatione, nècnon, & alia complura ad Grammaticam, & alias artes pertinentia; conſcripſit etiàm Commentarios, & Scholia in Livium, & in alios Auctores. Claruit ſub Maximiliano Auguſto circà Annum Domini MDLXIV.

Herodotus Halicarnaſſeus, quem Cicero lib. 1. de Legibus, hiſtoriæ Patrem appellat, quia fuit è primis Græcorum Hiſtoricis, hiſtoriam ſcribere cœpit à Cyro Perſarum Rege libris novem, quorum quilibet Muſæ nomine inſcriptus eſt. Strabo tamèn libro ultimo hunc non Hiſtoriam, ſed Mythihiſtoriam, hoc eſt fabuloſam, edidiſſe ait. Claruit Anno ab Urbe condita CCC.

Hieronymus Sanctus Presbyter S. R. E. Cardinalis, ut Alphonſus Ciacon rectè probat, quem nos itèm in hac noſtra Bibliotheca ſecuti ſumus, rationes alias, & auctoritates in medium afferentes, Patriâ Stridonenſis, & vir ſanè Doctiſſimus, ac Doctor Eccleſiæ præcipuus, Latinam, Græcam, Hebraicam, & Chaldaicam linguas callens, ac de divinis Scripturis optimè meritus, multa ſcripſit, quæ in maxima habentur exiſtimatione, & manibus omnium eruditorum teruntur: eaque longum eſſet recenſere. Moritur plenus dierum Anno Dom. CCCCXXII.

Horatius ex Venuſia, Oppido Apuliæ, Poeta Lyricus inſignis, ſententiis plenus, ſed moribus obſcœnis, vitaque incontinentiſſimus, ſectam Epicuream ſecutus, ut ipſemet ait, varia carminum genera edidit, quæ Odæ vocantur. qua in re tulit palmam. Quod Quintilianus etiàm teſtatur, dicens: Intèr Lyricos ſolus ferè dignus eſt legi Horatius: quoniam, & inſurgit aliquandò, & plenus eſt jucunditatis, & gratiæ, variiſquè verbis, & figuris fœliciſſimè audax. Hæc Quintil. Laudatur itèm à Perſio, & Ovidio, Appollinari, & ab aliis. Ejus natalis, Crinito teſte, fuit duobus circitèr annis antè conjurationem Catilinæ, quo tempore celebris erant in Civitate, ex Poetis Catullus, ex Oratoribus Cicero, ex Philoſophis Varro, Terentius. Orbilium, quem alicubì plagoſum vocat, à puero audivit. Amicos ex Poetis habuit Tibullum, Virgilium, & alios clariſſimos Viros. Artem etiàm Poeticam, Epodon lib. Satyras, Epiſtolas, & Sermones carmine hexametro conſcripſit: quæ omnia manibus omnium teruntur, & in Scholis leguntur. Hic brevi ſtaturâ fuiſſe traditur, corpore obeſo, oculis lippis, ut ex carmine illius variis locis colligitur. Floruit ſub Auguſto, & Mecænate, quos miris laudibus celebravit. Mortuus eſt autèm anno ætatis ſuæ ſeptimo, & quinquageſimo, ſi Euſebio credimus.

I

Jacobus Pamelius, Canonicus Burgenſis, & Doctor Lovanienſis, qui in Sancti Cypriani Opera luculentèr conſcripſit, de Libris Sacris hene-

benemeritus. Scripsit Micrologum de Ecclesiasticis observationibus, & Catalogum Commentatorum selectiorum in Biblia, & alia. Floruit Anno Dom. MDLXXXIX.

Ignatius Martyr, Antiochenæ Ecclesiæ tertius post B. Petrum Episcopus, qui Christum post resurrectionem in carne se non semèl vidisse omninò affirmat, & præsertìm cum Christus ad Petrum, & ad alios adivit, ut narrat Hieronymus in Catalogo, scripsit Epistolas aliquot, hoc est, ad Ephesios, Magnesianos, Trallenses, Romanos, Philadelphos, Smyrnæos, & ad Polycarpum, in qua Epistolâ mentionem facit de Evangelio translato à Hieronymo id ipsum affirmante; & in hac eâdem Epistolâ Christum post resurrectionem se vidisse ait. Scripsit etiam Epistolas duas ad S. Joannem, & unam ad Deiparam Mariam semper Virginem, Trithemio teste. Martyrio coronatur Anno Dom. CXI.

Innocentius III. Anagninus Pontifex Maximus vir sanè doctissimus, & non minùs probus, quàm doctus, qui Concilium Lateranense II. omnium, quæ umquam fuerunt in Europâ, celeberrimum coegit, sermones doctrinâ, & elegantiâ plenos, Commentarium in septem Psalmos ad Pœnitentiam pertinentes, libellum de mundi contemptu, & Epistolas Decretales feliciter edidit, & alia quædam. Mortuus est autèm Perusiæ anno sui Pontificatus 18. mense 7. die 16. Anno Dom. MCC.

Joannes VIII. Pontifex Maximus vir doctus, scripsit nonnulla, & præsertìm Epistolas aliquot, ut videre est in Registro, quod in Bibliotheca Vaticana asservatur. Vixit annos 2. mensem 1. dies 4. in Pontif. Anno Domini DCCCLI.

Joannes Chrysostomus, quasi os aureum ob eloquentiam dictus, Patriarcha Constantinopolitanus, Doctor Græcus, & quidèm celeberrimus, permulta, & varia doctissimè, atquè elegantissimè scripsit. Moritur Anno Domini CCCCXL. Sexto Kalen. Februarii.

Joannes Potken præpositus Ecclesiæ Sancti Georgii Colonienſis, qui Psalterium Chaldaicum, Æthiopicis characteribus imprimendum curavit, adjecto Alphabeto, nècnon legendi modo. Floruit circà Annum Dom. MDLXXV.

Joannes Picus, Mirandulæ Comes, summus Philosophus, omnisque bonæ literaturæ studiosissimus, qui tantâ ingenii perspicacitate doctrinâque extitit, ut naturæ monstrum fuerit vocitatus, scripsit in Genesim, & in Psalmos: nongentasque conclusiones philosophicas, multaque alia edidit opuscula. Claruit Anno Domini MCCCCXCIV.

Joannes Nauclerus Præpositus Tubingensis, Chronographiam scripsit ab exordio mundi breviter comprehendentem res memorabiles seculorum omnium, ac Gentium usque ad Annum Christi MD. His Chronicis adnexum est additamentum Nicolai Basilii ab Anno Domini MDL. in annum usquè MDXIV. huic verò tempori adjecta est Appendix usquè ad annum Domini MDXLIV. cujus historia à Surio Carthusiano continuata est. Claruit Anno Domini MD.

Joannes Trithemius ex Ordine Benedictino Abbas Spanheimensis, deindè Peapolitanus, librum de Ecclesiasticis Scriptoribus studiosis admodum utilem, atquè commodum, qui incipit à primitivâ Ecclesiâ ad annum usquè MCCCCXCIV. Scripsit, & Polygraphiam, sex libris distinctam, hoc est varios, sivè multos scribendi modos, qui à Gellio scripta fuit va, ab Italis Cifræ vocitantur. Scripsit denìquè opuscula penè innumera, quæ in lucem non prodierunt, & præsertìm Steganographiam, occultam scilicèt scribendi rationem, ut in Polygraphiâ legitur, opus quidèm admirandum, à voce Græca, στεγανὸς, ideſt occultus, & γραφὴ scriptio, dictam. Claruit sub Alexandro VI. Anno Dom. MCCCCXCIV.

Joannes Baptista Egnatius Venetus, insignis bonarum literarum in Patria Professor, tres de Romanis Principibus, vèl Cæsaribus libros, & novem de Exemplis instar Valerii Maximi edidit in lucem, observationes in Ovidium, & Commentarios in Epistolas Familiares Ciceronis conscripsit, & alia. Claruit Anno Domini MDL.

Josaphat Barbarus Venetus, qui scripsit duo Itineraria, quorum unum est Tanense, alterum Persianum. Vixit circà Annum Domini MCCCCLXX.

Josephus Hebræus Patriâ Hierosolymitanus, & sacerdos scripsit Bellum Judaicum, & lib. de Mundi Antiquitatibus, contrà Apionem, & de potentia dicendi, & alia. Hic quamvìs Judæus, genus tamèn Christianorum persæpe laudavit, atquè de Salvatore nostro Jesu Christo in lib. 18. Antiquitatum insigne testimonium scriptum reliquit. Hujus volumina tantæ auctoritatis apud Romanos adhùc illo vivente fuerunt, ut in Bibliotheca publica fuerint asservata, eiquè post mortem statua ærea à Senatu, & Populo fuerit constructa. Claruit Romæ sub Vespasiano, & Tito Principibus, & ad Trajani usquè tempus vixit. Anno Dom. C.

Irenæus Lugdunensis post Photinum Martyrem Episcopus Lugduni, & Polycarpi Martyris olìm Discipulus, scripsit lib. 1. adversùs Gentes, lib. 5. contrà hæreses, de Monarchia Dei lib. 1., & alia quædam. Claruit sub Antonino Vero. Anno Dom. CLXXV.

Isidorus Junior Episcopus Hispalensis, vir sanè doctissimus, scripsit Etymologiarum libros viginti, & in totam Scripturam Sacram Commentarios, nècnon alia permulta edidit, quæ longum esset recensere. Claruit Anno Domini DCXXX.

Julius Capitolinus vitas Cæsarum aliquot ad Diocletianum Augustum scripsit, hoc est Antonini Pii, M. Antonini Philosophi, Veri Imperatoris, & Pertinacis, qui postremus post Ælii Lampridii historias habetur. Floruit sub Diocletiano Augusto, ad quem scripsit Cæsarum vitas.

Judas Apostolus scripsit parvam Epistolam, quæ catholica est, & in ea fit mentio de libro Enoch.

Justinus Philosophus, & Martyr, Neapoli Urbe Palestinæ natus, vir quidèm doctissimus, scri-

scripsit multos libros adversùs Gentes, Dialogum contrà Judæos, & præsertìm contrà Triphonem Judæorum Principem, contrà omnes hæreses lib. 1. contrà Marcionem lib. 1., & alia. Claruit sub Antonino Pio. Anno Domini CL.

Justinus historiographus, qui Epitomen in Trogum tantâ styli felicitate conscripsit, ut aliorum propè inventum sibi vendicaverit, Floruit sub Pio Imperatore.

Justus Lypsius scripsit in Cornelium Tacitum, & in alios Auctores, necnon Epistolicarum quæstionum 5. lib., & lectionum antiquarum Commentarios edidit, & alia, Claret ætate nostra MDXCI.

Juvenalis Aquinas, dictus Decius Junius, Poeta Satyricus, qui in hoc scribendi genere omnes alios antecellit, sexdecim Satyras conscripsit. Frontonem Grammaticum primo audivit, deindè præceptis atquè institutis Quintiliani fuit eruditus. In satyris conscribendis secutus est exemplum Lucilii, & Horatii: qua in re maximam laudem adeptus est, teste Martiali, qui ei plurimum detulit. Floruit sub Domitiano Principe, & ad Nervæ, ac Trajani ætatem pervenit.

L

Lactantius Firmianus, qui, & L. Cœlius dicitur, Arnobii Rhetoris Discipulus, vir sanè pauperrimus, ut ait Eusebius, sed doctissimus, qui libros de divinis institutionibus, hoc est, de falsa Religione, & de vera, & falsa sapientia piè atquè catholicè scripsit, nècnon alia ad Christianam pietatem pertinentia. Senex in Gallia docet, ubi Crispo Constantini filio Magister præficitur, ut Hieronymus in Catalogo testatur. Claruit sub Constantino Principe, qui fuit amicissimus, suaque scripta dedicavit. Anno Dom. CCCXX.

Leo I. Hetruscus, vèl, ut nonnulli volunt, Romanus, rerum gestarum, doctrinæ, vitæque sanctitatis præstantiâ Magnus, qui omnium Romanorum Pontificum primus in Basilica Vaticana sepultus est, Sermones eloquentiæ, ac doctrinæ majestate refertos edidit, & alia ìtèm conscripsit. Hic fuit Ecclesiasticæ dictionis Tullius: Sacræ Theologiæ Mercurius: Rationum fidei Aristoteles: Auctoritatis Apostolicæ Petrus, & in Christiano pulpito Paulus. Moritur sub Leone I. Imp. Anno Domini CCCCLXI. Quarto Kal. Julii.

Livius Patavinus, historicus insignis, qui res Romanas miro artificio, luculentoque sermone conscripsit, ad quem, Hieronymo teste tom. 3. epist. 103. in princip. ad Paulinum, lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hispaniarum, Galliarumque finibus quidam nobiles adjerunt: & quos ad contemplationem sui, ut Hieronymus ait, Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Hic Historiam annorum 750. ab Urbe condita ad annum 41. Augusti, vèl ad Christi usquè natalem scripsit libris 140., vèl ut alii volunt, 142. teste Genebrardo: de quibus nonnisi 45. supersunt. Claruit circà Annum Domini XXX. Mortuus est Patavii quartò Tiberii anno, ut Eusebius in Chronicis testatur.

Lucanus Cordubensis dictus M. Annæus, Poeta celeberrimus, Senecæ viri gravissimi, ac Tragediarum Scriptoris nepos. Hic Bellum civile inter Cæsarem, & Pompejum hexametris, & alia conscripsit, in quibus maximam ingenii, ac doctrinæ laudem adeptus est. Hunc Martialis valdè laudat, dum multis carminibus ejus natalem describit. Quintilianus autèm ipsum Lucanum magis Oratoribus, quàm Poetis annumerandum esse ait. Est, inquit, ardens, concitatus, sententiisque clarissimis excellens. in concionibus admirandus atquè excultus, adeò ut videatur satis exprimere elegantiam, & majestatem Virgilii. Verè autèm Poeta dici non potest, si vis poematis, à quo nomen Poetæ sumitur, perpendatur, ut Aristoteles optimè docet: non enim versus, sed poema facit Poetam. Hic Romam ab infantia delatus, & adolescens factus, in Grammatica habuit præceptorem Rhemnium Palæmonem Vicentinum eruditissimum, sed tantâ arrogantiâ virum, ut Marcum Varronem porcum appellaret: & secum natas, & morituras literas jactaret. In Rhetoricis præceptorem habuit Flavium Virginium. Græce deindè, ac Latinè non sine summa audientium admiratione declamavit: & inter cæteros Condiscipulos, Bassum, & Persium Satyricos singulari dilexit benevolentiâ, mutuisque officiis prosecutus est. Uxorem habuit nomine Polam Argentariam, mulierem quidem eruditissimam, quæ cum Lucano ipso tres primos Pharsaliæ libros emendavit: cæteri imperfecti, & inemendati fuerunt relicti propter intempestivum interitum, nam patefactâ contrà Neronem conjuratione, C. Pisone hujus præclari facinoris Principe, Lucanus incisione venarum interfectus fuit jussu Neronis, qui eum priùs amabat ob laudes sibi tributas, sed posteà mutavit sententiam, ægreferens laudes alienas, hinc carminum Lucani famam deprimebat: & hac detractione Lucanum fortasè ad conspirationem concitarat. Obiit igitur sub Nerone anno ætatis suæ XXX.

Lucretius, qui dicitur Titus Carus Poeta, & Philosophus antiquissimus, Epicureorum doctrinam, & Empedoclem Poetam secutus, teste Crinito, sumpto amatorio poculo, sicut ait Eusebius, tanto furore percitus est anno suæ ætatis 44. ut manu suâ se interfecerit. Sex de rerum naturâ per insaniæ intervalla conscripsit libros, quos Cicero, cujus ætatem is non multò antecessit, emendavit. Quod autem de Lucano dictum est, de Lucretio ìtèm dici debet. Hic enim verè Poeta ob eandem rationem dici non potest. Lucretii carmen elegantiâ præstare Quintilianus testatur, qui tamèn ipsius carmen multum difficultatis retinere ait, non modò propter ipsam materiam difficultatis plenam, verùm etiàm propter egestatem linguæ, & rerum novitatem, ut ille ait. Ab hoc Poeta Virgilius, ut ait Crinitus, non solùm verba aliquot, sed locos penè integros transtulit. De Lucretio hunc in modum ait Ovidius:

Carmina sublimis tùm sunt peritura Lucreti.
Exitio terras cum dabit una dies.

Et Statius:

Et docti furor arduus Lucreti.

Hic ex Lucretiorum familiâ, quæ Romæ insignis erat, natus censetur, & fuit Ter. Varrone, & M. Tullio paulò antiquior.

M

Macrobius, latinè longævus, vir quidèm Eruditissimus, scripsit Saturnaliorum libros, & Commentarios edidit in Somnium Scipionis. Claruit circà Ann. Dom. DCCCCL.

Marianus Victorius Reatinus, vir eruditissimus, & Episcopus Reatinus, postèà Amerinus, qui Scholiis, multisquè rebus aliis Opera Sancti Hieronymi luculentèr illustravit. Floruit sub Pio IV. cui Opera Omnia S. Hieronymi dedicavit circà Annum Domini MDLXXVIII.

Marsilius Ficinus Florentinus, Philosophus, ac Theologus, vir profectò doctissimus, & Platonicâ doctrinâ perspicuus, & celeberrimus, ac primus omnia Platonis Opera è Græco in latinum felicitèr transtulit, & in ea edidit argumenta, multosquè alios Græcos Libros in latinam vertit linguam, & Epistolarum libros aliquot, compluraquè alia scripsit. Floruit Anno Dom. MCCCCXC. Obiit autèm septuagenarius eodem anno, quo Laurentius Mediceus, Hermolaus Barb. Politianus, Mirandulanus, Landinus, & Savonarola mortui sunt, quorum interitum Ficinus deploravit.

Martialis, dictus M. Valerius Martialis, Poeta lepidissimus, ex Bilbili Hispaniæ, & Celtiberiæ Oppido, qui 14. libros Epigrammatum conscripsit, ingenii acumine, facilitate, festivitate, ac salibus respersos, lascivos tamèn interdùm, & parùm castos. Marsum Poetam, Pedonem, ac Getulicum secutus est. Catullum, & Licinium Calvum plurimi fecit in hoc scribendi genere claros, & inter amicos præcipuos habuit Stellam Patavinum, Silium Italicum, & alios complures, ad quos scribit. Claruit sub Domitiano, Nerva, Trajano, & Adriano Imp. Postremò in Patriam rediit, ubi interiit.

Martianus Capella Carthaginensis, multa ingeniosè, ac doctè conscripsit, & præsertim de Artibus liberalibus libros septem, & alia. De hujus tempore nihil certi inveniri potuit.

Mattheolus Petrus Andreas Senensis vir sanè eruditus in 6. libros Dioscoridis Medici scripsit Commentarios longè doctissimos, ac lib. de Gallici morbi curatione, & alia. Claruit circà Ann. Domini MDL.

Messalla Corvinus, qui fuit tertius vir Terentiæ Ciceronis uxoris, post Salustium, Orator nitidus, & candidus, Quintiliano teste libro 10. cap. 1. &, ut Crinitus narrat libro 1. cap. 12. de honesta disciplina, ex morbo amisit rerum omnium, suique item nominis memoriam. Scripta edidit luculenta, præsertim verò de Augusti Cæsaris progenie, & mirâ diligentiâ, & assiduis officiis fovit Tibullum, qui Romæ, ut creditur, natus est Hirtio, & Pansa Cosso, qui annus etiàm Ovidii Poetæ natalibus fuit insignis. Hunc Messallam euntem in Provinciam Phæacum Tibullus comitatus, in itinere obiit adhùc juvenis non sinè maximo mœrore Nasonis Poetæ, nècnon Horatii, & Macri, quos familiaritèr dilexit. Claruit Messalla sub Augusto.

Michael Mercatus Miniatensis Protonotarius Apostolicus, & vir admodùm eruditus, de Obeliscis perdoctum edidit librum. Scripsit etiàm Metallothecam, opus sanè non minùs doctum, quàm curiosum, ac principibus dignum, quod propedièm in lucem proditurum audivi. Claret ætate nostra MDXCI. sub Gregorio XIV.

N

Nicæphorus Callistus Xanthopulus, Historicus Ecclesiasticus insignis, ac diligentissimus, suam Historiam Ecclesiasticam à Christi Nativitate ad Annum usquè 625. decurrentem conscripsit. Edidit etiàm Opuscula, & Epigrammata, omnia senariis [qui non quantitatem, sed numerum syllabarum observant ut in singulis versibus sint syllabæ 12.] metris conscripta præter Orationem confessoriam, quæ postremò loco solutâ oratione habetur. Claruit Anno Domini MCCCXXXII. Vel secundùm alios, MCCCLXXXIV. sub Paleologo Imp.

Nicolaus Papa Sanctissimus, hujus nominis primus, Patriâ Romanus, piis humilis fuit, & mansuetus, ac blandus, impiis terribilis, Regibus, ac Tyrannis, imperans auctoritate plenus. Scripsit Decretales Epistolas à Gratiano collectas. Extat etiàm ejus Epistola insignis ad Michaelem Imp. de Ignatii Patriarchæ Constantinopol. injusta depositione: in qua Epistola mentionem facit de Justiniano Imp. qui à Joanne VII. Canonum sextæ Synodi confirmationem postulavit. Claruit circà Ann. Dom. DCCCLXII.

Nicolaus Lyranus ex Ordine Minorum, natione Anglus, & Hebraicæ Linguæ non ignarus, utiles in vetus, ac novum Testamentum Commentarios edidit, & alia complura conscripsit. Claruit sub Joanne XXII. Anno Domini MCCCXX.

Nicolaus Myrepsus Alexandrinus libros edidit 24. medicinales, opus utile juxtà 24. literas Alphabeti. De hujus tempore nihil certi inveniri potuit.

Nonius Marcellus Tiburticensis, sivè [ut putat Aldus Manutius] Tuburbigensis, ex Hispaniæ Civitate, Grammaticus insignis aliquot de nominum origine libros eruditè conscripsit, nècnon de proprietate Sermonum, & alia ad grammaticam artem pertinentia. De tempore nihil certi habetur.

O

Onuphrius Panuinius Veronensis Ordinis Erem. Sancti Augustini antiquitatum helluo, ut Paulus etiàm Manutius in Epistolis

ait, in rerum antiquitatibus inquirendis fuit curiosissimus, ac diligentissimus, multosque Scriptorum errores detexit, nèc non à rebus multis tenebras abstulit, dùm plurima atquè utilia, omnibusque eruditis viris pergrata, conscripsit, & in lucem edidit, quæ manibus omnium studiosorum teruntur: fuit enìm vir ad omnes Romanas, & Ecclesiasticas antiquitates è tenebris eruendas natus. Scripsit, & multa alia, quæ in tenebris delitescunt ob illorum causam, qui ea penès se asservant, nullâ publicæ utilitatis, & commoditatis habitâ ratione. Quæ autèm in lucem prodierunt. sunt Fasti, ac Triumphi Romanorum, Commentarii Reip. Romanæ, & in Fastos Consulares, Chronicon Ecclesiasticum, & Epitome Romanorum Pontificum, & Cardinalium, ac de septem præcipuis Romæ Ecclesiis. Hujus effigies ad vivum ex ære expressa in Ecclesia Sancti Augustini Romæ visitur: infrà verò Epitaphium honoris causâ ab amicis in marmore nigro incisum legitur. Obiit autèm Anagnormi Anno Domini MDLXVIII. Decimo octavo Kal. Aprilis anno ætatis suæ XXXIX. Alexandrum Farnesium Cardinalem, & Vicecancellariam in Siciliam prosecutus, præclaris multis, & perfectis, & inchoatis industriæ suæ monumentis relictis.

Orus Apollo Niliacus, qui Hieroglyphicas notas, hoc est sacras Ægyptiorum literas declarare studuit, easque parvo comprehendit libello. Hujus scripta à Plinio lib.30. cap.37. citantur. De tempore autèm nihil certi inveniri potuit.

Optatus Afer, & Milevitanus Episcopus sex contrà Donatistas libros conscripsit, multas itèm Epistolas, & alia edidit. Claruit sub Valentiniano, & Valente Principibus. Anno Domini CCCLXX.

P

Paulus Apostolus Judæus, qui antè Saulus, ex Lupo in Agnum mutatus, ex persecutore Ecclesiæ, defensor factus, & prædicator veritatis, ac Doctor Gentium, multas conscripsit Epistolas tàm publicas tàm privatas Christianâ pietate, ac doctrinâ refertissimas, in quibus nomen JESU quinquies exprimit. Extant ejusdem Pauli Epistolæ ad Senecam scriptæ: Paulus enìm, & Seneca amici se mutuis literis frequentèr salutarunt, quarum meminit Sanctus Hieronymus in catalogo, & Sanctus P. Augustinus Epistolâ 54. Martyrio coronatur unacum Petro sub Nerone Anno Domini LXIX.

Paulus Orosius Presbyter Hispanus, Auditor Beati P. Augustini, cujus hortatu contrà Paganos Imperii lacerationem Christianis temporibus tribuentes, historiam mundi usquè ad Valliam Gothorum III. in Hispania Regem, vèl ad annum usque 421. septem libris conscripsit: cujus etiàm extant Epistolæ ad Augustinum, & ad alios, & Commentarii in Canticâ Canticorum. Claruit vitâ, & doctrinâ illustris cum Sancto Augustino circà Ann. Dom.CCCCXX.

Paulus Manutius Aldi Filius, & Junioris Pater, de bonis literis, literatisque optimè meritus, atquè in Romanæ Linguæ puritate alter Cicero nuncupatus, multos edidit Commentarios, & Scholia, Præfationes, & Epistolas plurimas, omnia quidèm omnibus pergrata, quæ manibus itèm omnium teruntur, & maximâ existimatione, & auctoritate habentur. Claruit ætate nostrâ. Obiit An.Dom.MDLXXIV. Annos natus plus minùs LXIII. quo Anno Aldus ejus Pater obiit, Anno Dom. MDXLV., & Cicero, Romanæ eloquentiæ Pater.

Pausanias Cæsariensis Grammaticus, æqualis Aristidi scripsit librum unum de constructione, & Problematum alterum, & Geographiam universæ Græciæ. Claruit ab Urbe condita circà Ann.CCC. æqualis ferè Herodoto.

Persius Poeta Satyricus, Volaterris natus Hetruriæ Oppido, pauca scripsit, doctè tamèn, sed subobscurè. Hinc ajunt Augustinum antè conversionem satyras ejus lectitantem, & non satìs intelligentem, librum in ignem projecisse dicentem: Non vis intelligi, nèc intelligaris. Prætèr sex satyras, nihil scripsisse aliud Quintilianus testatur lib.10. in hanc loquens sententiam: Multum, & veræ gloriæ, quamvìs uno libello, Persius meruit. Idem testatur Martialis. Præceptorem in Grammatica Rhemnium Palæmonem Vicentinum, qui graves inimicitias exercuit cum Varrone, in Rhetoricis Flavium Virginium, in Philosophia Anneum Cornutum: in scribendis Satyris Lucilium secutus est: Lucanum, Cæsium Bassum, & Macrinum plurimùm dilexit. Claruit, & probis moribus, & egregiâ vitæ integritate sub Domitio Nerone, sub quo obiit anno ætatis suæ XXX.

Petrus Lombardus Novariensis, Magister sententiarum dictus, Parisiensis Episcopus, & in Abbatia Savocina Calabriæ sepultus, summus Theologus scripsit quatuor libros Sententiarum, quibus comprehendit Trinitatem divinarum Personarum atquè unitatem essentiæ, Mundi creationem, Christi incarnationem, nostramque redemptionem, & septem Sacramenta Ecclesiæ, ac denique quidquid ad universam pertinet Theologiam. Hinc factum est, ut docti viri ferè innumeri scholasticè, & , ut sic dixerim, disputativè in quatuor illos scripserint libros. Sunt qui velint Petrum Lombardum, Gratianum, qui Decretum conscripsit, & Petrum Comestorem, vèl Manducatorem ob sua ipsius scripta refertissima crebris Scripturæ Sacræ auctoritatibus, quas quasi manducaverit, & ventri memoriæ mandarit, ità dictum, & Scholasticæ historiæ Auctorem, si nonnullis credimus, fratres notbos fuisse. Scripsit itèm Petrus Lombardus in omnes Psalmos, in Epistolas Beati Pauli, sermones, atquè alia edidit. Claruit sub Conrado Imp.III. & Ludovico Crasso Francorum Rege. Anno Dom.MCXL.

Petrus Crinitus Florentinus vir doctus scripsit vitas virorum illustrium, qui in bonis literis, floruerunt, & Poetarum præsertìm Latinorum. Hic etiàm edidit Poematum, sivè Odarum varii argumenti libros duos, de honesta disci-

plina

plina libros 25., & alia complura. Claruit Anno Dom. MDV.

Petrus Borrana Lucarnensis, vèl de Lacu majori, de Brossago libellum, Corona pretiosa, inscriptum edidit, in quo è regione conferuntur vocabula linguarum quatuor, Italicæ scilicèt vulgaris, Latinæ, Græcæ vulgaris, & veteris Græcæ. Idem Borrana testatur Græcâ vulgari linguâ, qua nunc utuntur Græci, Iliadem Homeri translatam fuisse atquè impressam. Claruit Anno Dom. MDXLIV.

Philostratus Lemnius Sophista Veri Lemnii Sophistæ nepos, & Juliæ uxoris Severi Principis, cujus tempore vixit, Epistolarum Magister, de vitis Sophistarum libros quatuor scripsit ad Severum, ac de vita Apollonii libros octo. Edidit etiàm Declamationes, Epistolas amatorias, Epigrammata, & alia quædam. Claruit sub eodem Severo.

Pierius Valerianus Bellunensis, ex sorore nepos Fratris Urbani Grammatici Ord. Minorum, vir sanè doctissimus, scripsit opus satìs grande ad Hieroglyphicorum declarationem, & intelligentiam pertinens, & in Virgilium castigationes. Claruit circà Annum Dom. MDL. Sepulti sunt ambo Venetiis ad ædem Fratrum Minorum.

Plato Athenienſis, Aristotelis Magister, Apis Attica, & Scholæ Academicæ Princeps, quem S. P. Augustinus lib. 8. cap. 11. de Civit. Dei Moysis, & Hieremiæ libros legisse in Ægypto sentit. Hinc ab Eusebio in libro 10. de præparatione Evangelicâ cap. 3., & ab aliis Moyses Athenienſis nuncupatur. Scripsit enìm permulta Theologiam præsertìm Christianæ Fidei, ac doctrinæ satìs adsimilem. Nàm in Timæo scripsit de mundi Creatione: in Phædone de pœnis Purgatorii temporalibus, de pœnis Inferni æternis, ac de justorum Paradiso: in Epinomi de Sanctissima Trinitate verbis partìm mysticis, partim verò apertis mentionem faciens, & præsertìm de Patre, & Filio: In Alcibidiade innuit Christi adventum, quem Deum, & hominem appellare satìs apertè videtur. Id omne Cyrillus Alexandrinus nititur ostendere, ac probare lib. 8. contrà Julianum. Augustinus itèm lib. 7. confessionum cap. 9. ait se legisse quosdam Platonicorum libros è Græca lingua in latinam translatos, in quibus legebatur Sancti Joannis Evangelii principium, hoc est: In principio erat verbum, &c. usquè eo: Sinè ipso factum est nihil. Idquè verum esse multis rationibus inibi, eodem Augustino teste, probatur. Augustinus etiam libro contrà hæreses quinque, longè post principium ait, Mercurium Trismegistum conscripsisse librum, in quo legitur: Hic est Filius Dei benedicti. Hæc itèm Richardus 1. Sent. distinct. 3. artic. 2. quæst. 2. enarrat. Quare idem Augustinus libro de vera Religione cap. 4. inquit: Platonici, paucis mutatis, Christiani fierent. Hæc de Platone, cujus scripta permulta sunt, ut dixi, quæ longum esset recensere. Natus est post initia belli Peloponnesiaci. Vixit annos XX. cùm Socrate. Floruit circà annum ab Urbe condita CCCC., quo tempore Philippus Macedoniæ regnum adeptus est, simùl, & Alexandrum genuit, ut ait Gellius lib. 17. cap. ultimo: paucisque indè annis post, Plato ad Dionysium Siciliæ tyrannum posteriorem profectus est. Obiit anno ætatis suæ LXXXI. dùm ad mensam in quibusdam nuptiis accumberet, teste Alumno Ferrariensi.

Plautus Poeta Comicus percelebris è Sarsina in Æmilia, teste Joanne Baptistâ Mantuano Carmelitâ ad Julium II., vèl ut aliqui volunt, Farsina, Æmiliæ itèm, vèl Romandiolæ Civitate vetusta, cæteris Comicis præfertur multorum sententiâ, & Varronis præsertìm dicentis: Si Musæ Latinæ loquerentur, Plautino sermone loquerentur. Hic fuit vir sanè eruditus, & in Romana lingua clarus, sed ità pauper, ut siquandò vacabat à mola asinaria, cui ob magnam paupertatem contractam ex pecunia omni in scenicis ornamentis, Crinito teste, erogata, erat addictus, fabulas componebat, quas deindè venditaret. Gellius itaque lib. 7. cap. 18. appellat lautum parentem, ac Principem in omni elegantia Latina. Plautus in conscribendis fabulis, aut Comœdiis secutus est Demophilum, Philemonem, & Epicarmum Siculum Poetas Græcos, Horatio teste: ac de se Epigramma, quod infrà videre est, composuit in hanc verborum formam:

Postquàm est morte captus Plautus,
Comœdia luget, scena est deserta:
Deindè risus, ludusque, jocusque, & numeri,
Innumeri simùl omnes collacrymarunt.

Obiisse traditur paucis annis post Q. Ennium Olympiade CXLV. illudque Epigramma in ejus sepulchro incisum fuit, ut narrat Gellius. Id quod de Nævio etiam, & Pacuvio Poetis affirmatur, eodem Gellio teste lib. 1. cap. 24.

Plinius Secundus Veronensis, qui Vespasiani negotia administrabat, noctibus, & subcisivis horis (ut ipse inquit) opus de rerum natura 37. libris distinctum conscripsit, unius omnium parcissimus temporis. Claruit sub eodem Vespasiano circà Annum Domini LXXI. Sed obiit Trajani tempore, ut Nauclerus alt in fine Gen. 4. ab incendio Vesuvii Montis, qui à Neapoli Urbe quatuor passuum millibus distat, absorptus.

Plutarchus Chæronensis ex Bæotio Philosophus multæ quidèm eruditionis vir conscripsit Vitas Virorum Illustrium 48., & libros Apophtegmatum, quos Trajano dedicavit. Edidit etiàm opuscula quàmplurima, necnon Moralia, quæ sunt omnis elegantis doctrinæ plena. Scripsit denique de proprietate Linguæ Græcæ, sivè de dialectis apud Homerum, opus valdè utile, cum Appendice Lexici Græco-Latini, & alia. Claruit sub eodem Trajano, cujus fuit Magister, circà An. Dom. C.

Polydorus Virgilius Urbinas vir doctus, diligens, & curiosus, de rerum Inventoribus opus sanè admodùm utile conscripsit, necnon Proverbia, tresque de prodigiis libros, & alia quædam. Floruit Anno Dom. MCCCCXCIX.

Pomponius Mela Hiſpanus ex Mellaria Beticæ Oppido ſcripſit libros tres de ſitu Orbis, Claruit ſub Claudio Imperatore.

Pomponius Lætus Vicentinus, ut Jovius narrat, ex populis maris Tirrheni accolis, qui ſunt Lucanis proximi, hoc eſt ex iis, qui loca inter Surrentinum promontorium, & Silarum omnem incolunt, ex illuſtri autèm, ut idem ait Jovius, Familiâ Sanſeverinate. Hic Vallam habuit Præceptorem Romæ, ubi poſteà bonis literis imbutus ludum literarium aperuit, & inter viros inſignes, Alexandrum Farneſium, qui deindè fuit Paulus III. Latinis literis, & perpolitis quidèm edocuit. Scripſit de Romanorum Magiſtratibus, Sacerdotiis, Juriſperitis, & legibus libellum unum, de antiquitatibus Urbis Romæ alterum: Compendium, itèm Romanæ hiſtoriæ ab interitu Gordiani Junioris uſquè ad Juſtinum III. necnon de arte Grammatica libellum. Domum habuit in Quirinali, propè Ædiculam Sacram Sancti Salvatoris de Corneliis, in qua hæc leguntur verba:

POMPONII LÆTI DOMUS, ET SOCIETATIS ECS QUILINAI.

Hæc in Inſcriptione ponitur SOCIETAS pro Academia, ad quam viri docti frequentèr adibant. Vox illa ECS QUILINAI ſapit antiquitatem Latinorum, qui CS, pro X, & diphtongum Græcam A I, pro A E uſurpabant. Claruit ſub Paulo II. qui eum moleſtiâ affecit, necnon ſub Sixto IV., & Innocentio VIII. quibus gratus fuit. Obiit ſeptuagenarius circà Annum Domini MCCCCXCII. ſub Alexandro VI. à cujus Familia, eodem Jovio teſte, purpureis veſtibus indutâ ejus exequiæ fuerunt decoratæ: Sepulchrum autèm variis fuit Epigrammatis honeſtatum: inter quæ Pontani Epigramma primum obtinuit locum.

Priſcianus Cæſarienſis Grammaticus de arte Grammatica ſcripſit ad Julianum Conſulem; ac Patricium, hoc eſt, de octo partibus orationis libros 16. de conſtructione earumdem libros duos, de duodecim primis Æneidos librorum carminibus, de accentibus, de verſibus comicis. Scripſit etiàm de quæſtionibus naturalibus librum unum ad Cosroen Perſarum Regem, & Carmina Dionyſii de ſitu orbis in ſermonem tranſtulit latinum. Hunc ab initio Chriſtianum, deindè fidei deſertorem fuiſſe Volaterranus teſtatur. Claruit Athenis tempore Juſtiniani principis, atque, ut aliis placet, ſub Heraclio Imp., & ſub Cosroe Perſarum Rege circà Annum Domini DC. ut Nauclerus ait, vel DCXX. ut nonnulli volunt: vel ut aliis placet, DCXL. vel tempore Gregorii Magni, vel non multo poſt Gregorium, quem Anno Domini DCV. vixiſſe ſub Phoca Imperatore Trithemius teſtatur.

Procopius è Cæſariæ Palæſtina Orator, & Sophiſta ſcripſit de ædificiis Juſtiniani Imperatoris libros 6. Edidit itèm hiſtoriam Romanam, bella videlicèt, quæ circà Romam, & per Libyam geſta ſunt per Beliſarium Patricium, cujus ſubſcriba, & comes in cunctis expeditionibus fuit. Hiſtoriam quoquè annorum CXLII. pertexuit uſquè ad Annum Chriſti DLIV. à quo Agathias eodem tempore ſuam deduxit hiſtoriam ad ann. uſquè DLVI. ut Cenebrardus etiàm teſtatur. Scripſit præterea librum de non edendis, vel non editis, ubi Comædia quadam, Juſtiniani, ejuſque uxoris Theodoræ vituperationem deſcribit, ut Suidas teſtatur. Edidit quoquè lib. 1. de Coſmographia, atquè itèm libros tres de bello Gothico, ac duos de bello Perſico, duoſque de bello Vandalico. Claruit ſub eodem Juſtiniano, circà Ann. Dom. DLIV.

Propertius, qui dicitur Sextus Aurelius Propert. ex Mevania Umbriæ Oppido, Poeta nobilis 4. Elegiarum libros conſcripſit. Hunc Poetam Quintilianus, cenſor in literis acerrimus, plurimùm commendans, Ovidio, & Gallo in Elegiis præponit, eo quòd ille laſcivior, hic verò durior. Laudatur item Propertius ab Ovidio ipſo, qui eum blandum, tenerum, ac dulcem appellat. Idem ſentit Martialis, qui ejus ingenio, & amoribus plurimùm tribuit. Floruit Romæ Mæcenatis, & Cornelii Galli temporibus, quibus maximè acceptus fuit, Ovidium, Tibullum, & Baſſum maximè coluit. Obiit anno ætatis ſuæ XLI.

Prudentius, qui, & Aurelius Clemens Prudentius dicitur, Poeta Chriſtianus, & vir quidèm in divinis, & humanis literis peritus, necnon metro, & proſâ excellens, anno ætatis ſuæ 75. mundi vanitate relictâ, ad ſacras ſeſe contulit Scripturas, multaque utriuſque Teſtamenti, & carmine, ſolutâque oratione declaravit. Scripſit contrà multos hæreticos, Epiſtolas varias, ſacros Hymnos, hiſtoriarumque librum 1., & alia complura. Sidonius Apollinaris haùd omninò contemnendus auctor in legendis, atque obſervandis antiquis Scriptoribus, cum loquitur de Prudentio Poeta, minimè veritus eſt, illum Horatio adjungere. Præcipuam verò laudem conſecutus eſt, doctiorum judicio, eo ex carmine, aut opere, quo probitatem atque conſtantiam illorum, qui ſe pro Chriſtiana devoverunt Religione, proſequitur, dum Laurentium, Vincentium, Romanum, Hippolytum, Caſſianum, & alios Sanctos complures laudat. Carmina itèm ejuſdem Prudentii de Natali Domini, necnon geſtis, & miraculis Chriſti, atque de animis expiandis, deque vitiorum, ac virtutum conflictu non parum commendantur. Floruit ſub Gratiano Imperatore Anno Dom. CCCLXXX.

Ptolomæus, dictus Claud. Ptolomæus Peluſienſis. Aſtronomus, ac Geographus natione Ægyptius, Alexandriæ profeſſus eſt, artium liberalium, & Græcarum literarum ſtudii clarus fuit temporibus Aatonini, & primus apùd Græcos Cœli rationem diligentiùs explicavit, nullique priorum in Aſtrologiæ ſcientia ceſſit. Hic Geographiæ libros 8. abſolutiſſimè ſcripſit, necnon Almageſtum vulgò ſic dictum magnæ conſtructionis Mathematicæ, idèſt perfectæ cœleſtium motuum pertractationis libros 13. Scripſit etiàm Centiloquium, hoc eſt centum ſententias, & alia quædam. Claruit circà Ann. Dom. CXL.

Pu-

Publius Victor de Urbis Romæ locis, ac Regionibus libellum edidit. De tempore nihil certi potuit affirmari.

Pythagoras, quem nonnulli Samium, è Samo Calabriæ Civitate nunc deletâ, esse contendunt, Teste S. Thoma lib. 1. Metaph. lect. 8. necnon Gabriele Barrio Francicano de situ Calabriæ lib. 2. Alii Samium ex Samo Græciæ insulâ, alii Locrensem Calabrum, alii Hetruscum, ut Plutarchus ait lib. 8. Sympos. q. 7. & Clemens Alexandrinus Strom. 1. Fuit Italicæ philosophiæ auctor, primusque cœpit philosophus appellari, teste Augustino lib. 8. de Civ. cap. 2., & lib. 18. cap. 25. Hieronym. in Catal., & Plutarch. de Curiositate. Navigavit in Ægyptum, ut Ægyptiacas disciplinas disceret, & pro suis apùd Græcos venditaret. Peregrinatus est in Babylonem, ac Persidem, atque Magos convenit, teste Cic. lib. 5. Tuscul. quæst., & in Danielem incidere potuit, ut ait Genebrardus. Deindè in Calabria apud Crotoniatas, ac deniquè Metapontum in Apulia non procùl à Calabriæ confinio, & in sinu Tarentino commigravit, ubi obiit, eique Metapontini Templum magnificè struxerunt, sicùt ad hanc usquè diem vestigia Templi docent. Discipulos ad sexcentos habuisse fertur, intèr quos fuit Archita Tarentinus. Hic ab omnium animalium carnibus, & à fabis religiosissimè abstinebat, Juvenale satyra 15. & aliis id ità esse affirmantibus, hoc esi Callimacho, & Cicerone lib. 1. de Divin. Gellius tamèn libro 4. cap. 11. ex Auctoritate Aristoxeni, qui musicus fuit, ac vir literarum veterum diligentissimus, & Aristotelis discipulus, ait, nullo sæpiùs legumine Pythagoram usum, quam fabis. Claruit, & in Italiam venit, eodem Gellio teste, Tarquinii Filio regnum obtinente, cui cognomentum Superbus fuit, post Urbem conditam circà Ann. CCXLIV.

Q

Quintus Curtius nobilis Historicus, & nihilo inferior Cæsare in scribendo, scripsit Historiam de rebus gestis Alexandri Magni. Hunc Aldus Manutius eum esse putat, qui à Cicerone ad Q. Fratrem Epist. 2. libri 3. nominatur bonus, & pereruditus adolescens. Scripsisse autèm eum sub Augusto, conjicitur ex ejus historia libr. 10. circa finem.

Quintilianus Rhetor insignis ex Calagurio Hispaniæ Civitate in Vasconibus collocatâ, primus Romæ ludum aperuit literarium, & è Fisco stipendium tulit. Institutiones Rhetoricas, atquè Declamationes conscripsit. Floruit sub Domitiano, cujus nepotes instituit, circà Ann. Dom. LXXXVI.

R

Rabanus Maurus Ordinis Sancti Benedicti, Natione Germanus, ac Sextus Archiepiscopus Moguntinus, scriptor Ecclesiasticus, pius, atquè catholicus, scripsit in Testamentum vetus, & in novum, atquè alia quædam. Claruit Anno Dom. DCCCLV.

Raphael Volaterranus ex familia Masseja, quæ etiàm nunc Volaterris est, historicus celebris, multa conscripsit, & præsertìm libros octo, ac triginta Commentariorum Urbanorum, & Procopium de bello Persarum, & Vandalorum è Greco in Latinum transtulit. Edidit etiam Geographiam, Anthropologiam, & Philologiam. Claruit autèm circà Annum Domini MDIII.

S

Salustius, qui Crispus dicitur, historicus Romanus, à Quintiliano Thucididi ex Græcis opponitur elegantiâ scribendi, Attica brevitate, sententiarum crebritate. Quare Martialis lib. ult. ait: [redacted]

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romanâ Crispus in historia.

Hic scripsit conjurationem Catilinariam, & Bellum Jugurtinum. Claruit sub Julio Cæsare, & Octaviano antè Christi adventum circà Ann. XL. ab Urbe condita DCCX.

Scaurus, qui dicitur Q. Terentius Scaurus, Grammaticus antiquus edidit librum de Orthographia, ac decem libros Commentariorum in Poeticam Horatii conscripsit, & librum de Cesellii Vindicis Grammatici erroribus. Hunc Gellius libro 11. cap. 15. nobilissimum appellat, & Adriani temporibus floruisse, & contrà Cesellium scripsisse ait.

Seneca dictus L. Anneus, Natione Hispanus, Patriâ Cordubensis, Philosophus Academicus, Socionis Stoici discipulus, teste Hieronymo in Catalogo, nisi textus sit corruptus, ut præsefert asteriscus ibi appositus: vèl Photini itèm Stoici discipulus, Lucani Poetæ patruus, & Neronis Magister Beati itèm Pauli amicus, ac vitæ continentissimæ, ut idem Hieronymus, & Augustinus testantur. Extant Senecæ non solùm Epistolæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam scriptæ, sed complura etiam doctrinâ, ac sententiis refertissima superioribus annis diligentèr emendata, & in volumen unum redacta à M. Antonio Mureto, viro sanè eruditissimo. Nec silentio prætereundum censeo, Senecam antè biennium, quàm Petrus, & Paulus martyrio coronarentur, Neronis, & crudelitatis, & ingratitudinis vitio valdè laborantis jussu incisis venis mortem obiisse, cùm in Pisonianæ conjurationis suspicionem venisset. Claruit sub eodem Nerone circà Ann. Dom. L.

Sigismundus Gelenius Bohemus vir diversis linguis, & variarum rerum cognitione doctissimus scripsit Lexicon Symphonum, quo quatuor linguarum Europæ familiarum, Græcæ scilicèt, Latinæ, Germanicæ, Sclavonicæ concordia consonantiaque indicatur, ubi in omnibus prædictis linguis ejusdem significationis vocabula è regione ponuntur. Scripsit prætereà Annotationes in T. Livium, & in Plinii historiam naturalem, & multa è Græco in sermonem transtulit Latinum, Obiit circà Ann. Dom. MDLIV.

Sigismundus Liber Baro scripsit rerum Moscovitarum Commentarios. Floruit circà Annum Dom. MDXL.

Solinus dictus C. Julius Solinus Polyhistor, idèst multæ historiæ vir, de mundi miraculis conscripsit libros. Claruit circà Annum Domini CXXII.

Sozomenus, & Socrates Græci historici, necnon Theodoretus itèm Græcus Ciriæ Episcopus historias Ecclesiasticas eodem tempore, hoc est sub Theodosio Juniore Imperatore, Anno Domini CCCCXXX. conscripserunt, quas Epiphanius in latinum transtulit sermonem: & ex ipsis Cassiodorus Senator, & Monachus continuam fecit historiam unam, quam Tripartitam appellavit.

Stephanus Græcus Chorographus celeberrimus librum de Urbibus, ac de earumdem, aliorumque locorum æquivocis. De tempore non liquet: fuit tamèn antè Eustathium Homeri explanatorem, cum ab eo citetur liber de Urbibus sub Tit. περὶ ἐθνικῶν.

Strabo Amaseus Philosophus Cretensis, Historicus, & Geographus insignis, quæ pòst Polybium à Romanis gesta sunt, libris 43. comprehendit. De Geographia verò libros 17. felicitèr conscripsit. Claruit temporibus Augusti.

Svidas historicus ordine Alphabetico suum opus digessit atquè edidit, quem Christianum fuisse nonnullis reclamantibus, affirmat Genebrardus, dicens: Mirum est, nonnullos asserere Svidam non fuisse Christianum, cum ubiquè liber ipsius reclamet, seorsum in voce εἰμαρμένη, *qui est Epitome libri cujusdam Hesychii. Anno Domini MXVIII. adhùc Svidas vivebat, ut ipsemet ait in voce, Adam.*

Svetonius Tranquillus, qui Cajus Svetonius dicitur, scriptor nobilis. Vitas duodecim Cæsarum conscripsit, necnon de illustribus Rhetoribus atquè Grammaticis libellos duos. Floruit sub Adriano, circà Ann. Dom. CXVIII.

T

TErentius Carthaginensis, qui dicitur Publ. Terentius Afer, fuit Poeta Comicus elegantissimus, ac percelebris, cujus Comediæ sex, ob sermonis elegantiam, ut ait Cicero, à Lelio scribi putabantur. Huic sententiæ adstipulatur etiàm Varro: immò Afranius omnibus eum Comicis præfert. Volcatius autèm nonnisi sextum locum ei tribuit intèr Comicos, postponitque ipsum Cæcilio, Plauto, Nævio, Licinio, & Attilio Comicis. Phormionem, & Hecyram vertit ab Apollodoro Poeta Comico Athenienst: Andriam Eunuchum, Adelphos, & Heautontimorumenon à Menandro Poeta itèm Comico Athenienst, à quibus Terentius integros mutuatus est sibi versus, & à Menandro præsertim, ut in Bibliotheca Fulvii Ursini dictum est: in qua Terentius literis majusculis manuscriptus temporibus Alexandri Severi Imperatoris asservatur: cujus margines Scholiis characterè Longobardico, & nonnullis Menandri versibus Græcis ab ipso Terentio in Latinam linguam translatis, & suo Poemati insertis refertissimæ sunt. Hic fuit Terentii Lucani libertus, sed ob egregiam indolem Lælii, & Scipionis operâ ad nobiliorem statum pervenit. Claruit ab Urbe condita circà Annum DCXX.

Tertullianus, qui dicitur Q. Septimius Florens Tertullianus, Latinorum Scriptorum Princeps, teste B. Cypriano, &, ut ait S. Hieronymus in Catalogo, pòst Victorem Pontificem, & Apollonium, Latinorum primus omni scientiarum genere præditus, acris, & vehementis fuit ingenii, cui B. Hieronymus scribens ad Paulinum hæc duo potissimùm illi adscribit, nimirùm quòd sit in sententiis creber, & in loquendo difficilis. Cui sententiæ consonum est, quod Lactantius Firmianus in quinto Divinarum institutionum libro scribit. Septimius (inquit) Tertullianus fuit omni genere literarum peritus, sed in loquendo parum facilis, & minùs comptus, & multum obscurus. Hujus doctrinam Cyprianus magnifaciebat, atquè ità, ut ipsum appellaret Magistrum, & absquè Tertulliana lectione nullam diem præterire pateretur. Hic opuscula multa conscripsit, quæ in lucem edita sunt, sed multò plura sunt, quæ non extant, eloquentissimè scripta, ut B. Hieronymo placet. Hic denique, quàmvis animam corpoream atquè itèm Deum corporeum, non autèm effigiatum esse senserit, non tamèn ob id hæreticus censetur, sed quia transiit ad Cataphrygas damnans secundas nuptias, teste Augustino libro de hæresibus ad Quodvultdeum hæresi 86. Verùm postea Ecclesiasticæ præscriptionis vi consideratâ, eum respuisse opinandum est: Montanum enìm, ejusque æmulos intèr hæreticos numeravit in libro de Præscriptionibus. Claruit Anno Dom. CC.

Theseus Ambrosius J. V. D. Papiensis, & Canonicus Lateranen. Introductionem plurium linguarum scripsit, hoc est Chaldaicam linguam, Syriacam, Armenicam, & decem alias linguas, necnon characterum differentium Alphabeta circitèr 40. Claruit sub Paulo III. Anno Domini MDXXXIX.

Thomas Aquinas Ordinis Fratrum Prædicatorum, Alberti Magni auditor, ac discipulus. Vir sanctitate, ac doctrinâ celeberrimus, ingenio acutus, & sermone clarus, Doctor Ecclesiæ insignis, & intèr Scholasticos Latinos primatum tenens. Plurima in artes, ac scientias, necnon in Scripturam Sacram felicitèr conscripsit, & ob facilitatem, qua in scribendo usus fuit in rebus difficillimis explicandis, Doctoris Angelici nomen Jure adeptus est, cui etiàm à Christo Crucifixo, ad quem orabat, dictum fuit. Benè scripsisti de me Thoma. Claruit Anno Dom. MCCLXXIV.

Thomas Linacer Natione Anglus, Medicinæ professor, Vir utrâque linguâ doctissimus, multa non solùm de arte medica, verùm etiàm de latina lingua, cujus extant Grammaticæ rudimenta, ac de latini sermonis emendatâ structurâ libri 6. Claruit Anno Domini MDXX.

Thomas Fazellus Siculus Ordinis Fratrum Prædicatorum, de locis, ac rebus Siculis conscripsit

Dece-

Decades duas, quas Frater Remigius Florentinus in Italicam transtulit linguam. Claruit sub Carolo V. cui Decades dedicavit: quas duobus pòst annis emendatas, & auctas Philippo ejus Filio, qui successit ei in Regno, dicavit. Anno Dom. MDLX.

V

Valerius Maximus historicus Romanus, qui sub Sexto Pompejo militavit, ut ipse de se testatur eo loci, ubi de institutis antiquis loquitur factorum, dictorumque memorabilium exempla ab illustribus selecta Auctoribus, & in locos communes digesta, libriſque novem comprehensa ad Tiberium Cæsarem scripsit, sed subobscurè tùm ob voces, tùm etiàm ob concisum dicendi modum. Opus tamèn studiosis utile admodùm est. Claruit sub eodem Tiberio.

Varro Romanus, Lælii discipulus, qui dicitur Marcus Terentius Varro, vir eruditissimus, ac Polyhistor fuit, hoc est, multiscius, & ab Augustino sancto literatorum doctissimus appellatus, necnon librorum helluo. Hic quadringentos, ac nonaginta libros doctissimè scripsit, teste Gellio libro 3. cap. 10. qui ex ipsius Varronis primo Hebdomadum libro refert, Varronem anno octuagesimoquarto ætatis suæ quadringentos, & nonaginta libros edidisse: vel, ut narrat S. P. Augustinus lib. 6. cap. 3. de Civitate Dei, unum, & quadraginta. Et Quintilianus lib. 12. cap. ult. de eo inquit: Varro quàm multa, immò penè omnia tradidit. Quarè de Varrone hujus generis paræmia orta est: Varro tot tantaque scripsit, ut nihil videatur potuisse legere: tantum è conversò legit, ut nihil potuisse scribere videatur. *Hujus librorum Catalogum S. Hieronymus olim conscripsit, Varroni Originem conferens: sed hunc injuriâ temporis, hominum incuriæ annexa amisimus. Vetranius tamèn Maurus vir sanè doctissimus, ac diligentissimus, Vitam Varronis describens, ejusdem librorum Inscriptiones ex Cicerone, Gellio, Pompejo, Nonio, Fulgentio, Lactantio, Servio, Macrobio, Augustino, Acronio, Porphirione, Prisciano, & Plinio collegit, quæ hoc loco recensendæ non sunt, cùm in lucem editæ non sint. Extant de re rustica libri tres, quorum Primus est de Agricultura, Secundus de re pecuaria, Tertius de Villaticis pastionibus. Hoc solum opus ex tot Varronis libris integrum ad nostram pervenit ætatem. De Latina lingua libros 24. scripsit, quorum pars una extat: hic enim fuit peritissimus latinæ linguæ, omniſque antiquitatis, & rerum Græcarum, nostrarumque, plus tamèn scientiæ collaturus, quàm eloquentiæ. Claruit sub Cajo Cæsare, tempore Ciceronis, ad quem scribit, & nonagenarius moritur Anno Imp. Augusti XV.*

Vincentius Gallus Natione Burgundus Patriâ Bellovacensis Ordinis fratrum Prædicatorum, quatuor conscripsit Specula, quorum unum Historiale dictum libris 32. Alterum Naturale lib. 33. Tertium Morale lib. 3. Quartum Doctrinale lib. 13. complexus est: opus sanè studiosis valdè utile: his enim libris historiam universalem ab Orbe condito ad annum usquè Christi 1250. compræhendit. Edidit etiàm alia quædam. Claruit autèm anno Domini MCCXL.

Virgilius Mantuanus, qui dicitur Publius Virg. Maro à Marone patre sic nuncupatus, Poeta celeberrimus, primum intèr Poetas Latinos obtinens locum. Hujus Poetæ Bucolicorum Eclogæ extant decem, & Georgicorum libri quatuor ab eodem Auctore emendati: Æneidos verò libri duodecim, quibus tertiumdecimum Maphæus Vegius felicitèr subtexuit, ab ipso non fuerunt correcti: hinc, adventante morte, cremari jussit: ipse enim, ut narrat Gellius libro 17. cap. 10. more atque ritu Ursino versus edebat, hoc est informes, & imperfectos, quos deindè quasi lambendo perpolitos, atque elegantissimos reddebat. His accedunt varia poemata, partìm anonyma, partìm verò Virgilii, quàmvis ea ferè omnia sub ipsius nomine circumferantur. Hìc in Bucolicis Theocritum, qui Bucolicos versus linguâ Doricâ conscripsit, in Georgicis Hesiodum, quem sine ulla quidèm controversiâ longè superavit: In Æneide secutus est ex Græcis Auctoribus, Parthenium, Pisandrum, Apollonium Rhodium, & in primis Homerum Poetas Græcos felicissimè imitatus est: Ex Latinis Q. Ennium, Livium Andronicum, Nævium, Lucretium, & alios complures. Virgilii vitam apùd Donatum, & Crinitum videre est, qui eam copiosè describunt. Claruit sub Cajo Cæsare, & Octavio Augusto II. Rom. Imp. Nec silentio prætereundum videtur, quòd multi dicunt, & præsertim Vincentius, S. Antoninus part. 1. Chron. cap. 6. Tit. 4. §. 7., & Vinc. lib. 7. Spec. hist. cap. 62., & Aug. lib. 10. de Civit. Dei cap. 27. de 4. Virgilii Eclogâ, quam de Christo integram scriptam esse affirmant, sicùt à Sibylla Cumæa fuerat descriptus: quibus verbis confideratis Secundianus Decii Præfectus, Verianus Pictor, & Marcellinus Orator Christiani effecti sunt. Coluit intèr præcipuos amicos, Asinium Pollionem, Corn. Gallum, Quintilium Varum, Horatium Flaccum, & Mecenatem, cum quibus summâ vixit familiaritate. Octavio fuit acceptissimus, & in Exquiliis secundùm hortos Mæcenatis habitasse traditur. Tarenti periit, ut Servius refert: vel, ut alii volunt, Brundisii, contractâ ægritudine exitinere ad visendum Metapontum, propter calores, ac nimios æstus. Ejus cadaver delatum est ad radicem Montis Pausilypi non procùl à Neapoli, ubi sepulchrum visitur ad hanc usquè diem propè Sannazari monumentum, de quo Bembus distichon edidit sepulchro ejus marmoreo inciſum in hanc verborum formam:

Da sacro cineri flores: hìc ille Maronis
Vicinus musæ, proximus, ut tumulo.

In sepulchro autèm Virgilii, cujus adhùc extant vestigia, legitur hoc Distichon:

Man-

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua rura, duces.

Hoc loco Calabri pro Apulis ponuntur: olim enim Apulia, & Calabria dicebatur. Deploraverunt ejusdem obitum complures docti, & inter cæteros Cornelius Gallus ad Cæsarem scribens Augustum. Claruit sub eodem Augusto. Moritur anno ætatis suæ LIII. S. Antonino teste par. 1. Chron. cap. 6. Tit. 4. §. 7.

Vitruvius, qui M. Vitruvius Pollio dicitur, Architectus insignis, quo etiàm omnes hujus artis professores tamquàm Magistro utuntur, libros de Architectura decem conscripsit. Floruit sub Cæsare Augusto, ad quem scripsit.

Vopiscus Flavius historicus, qui varias Romanorum Principum vitas, hoc est, Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, Saturnini, Proculi, Bonosi, Cari, Carini, & Numeriani conscripsit. Avum suum ait Vopiscus vixisse sub Diocletiano.

X

Xenophon Philosophus Athenienſis, Historicus laudatus, Socratis Discipulus, & Platonis æmulus, speciosus, moratus, & gratus omnibus, Philosophorum primus scripsit Historiam, Herodotum, & Thucididem secutus. Claruit circà Ann. ab Urbe condita CCCC.

Z

Zenodotus Ephesius Grammaticus, & Poeta, qui Bibliothecæ Ptolemæi Philadelphi præfuit, & filiorum Ptolemæi præceptor nonnulla ad artem Grammaticam pertinentia conscripsit, præsertim verò Proverbia, primusque Homeri libros correxit, & in ordinem redegit. Claruit sub eodem Ptolomæo.

Zonaras, dictus Joannes Zonaras Monachus, & Historicus, historiam Græcè ab exordio mundi universalem ad sua usquè tempora, hoc est usquè ad Michaelis VII. Imperatoris Constantinopolitani tempus conscripsit. Edidit Chronicam historiam à Julio Cæsare usquè ad Alexium Comneum I. Imp. Constantinopolitanum: Epitomen itèm ab initio mundi: Alexandri Magni vitam: Periphrasim etiam in totam Aristotelis Logicam. Conscripsit præterea Compendium historiarum in tres Tomos distinctum, quorum Primus agit de rebus Judaicis ab exordio mundi usquè ad Hierosolymitanum excidium: Secundus historiam Romanam ab Urbe condita usquè ad Constantinum Magnum brevitèr complectitur: Tertius Imperatorum res gestas à Constantino Magno usquè ad obitum Alexii Comneni. Canones Conciliorum collegit, & exposuit. Edidit Commentarios in Damascenum, & in Acta Apostolorum, ac deniquè Vocabularium composuit. Claruit sub eodem Alexio Comneno, & Joanne Comneno circà Annum Domini MCXX. quo tempore Georgius Cedrenus, & Glycas floruerunt.

Zosimus Comes, homo Græcus, superstitioni addictus, & exitiosus, qui historiam Romanam 414. annorum ab Augusto ad Honorium usquè Imp., & Athalaricum Gothum, qui Romam diripuit, sex libris scelerata fide conscripsit: fictis enim laudibus impios, Diocletianum scilicèt, & Julianum Apostatam exornavit, falsisque criminibus pios Principes, Constantinum Magnum, Gratianum, Theodosium, & alios onerat: & ob id à probis viris, ut canis proscriptus, sed quamvis impiissimus, tamèn velit nolit Constantini donationem fatetur, dolore ob hanc rem, quam damnat, affectus. Vixit sub Honorio Imp. circà Annum Domini CCCCIII.

BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA,

DE

EMBLEMATIS,

EORUMQUE INSCRIPTIONIBUS

GUILIELMI BLANCI

Intimi Cubicularii

SS. D. N. SIXTI V.

A' Tergo introitus Bibliothecæ ad dextram partem apparet,

EMBLEMA I.

De SIXTI V. Coronatione,

HOC Emblemate, quod ingentem utriusque sexus hominum, & cujuscumque status, gradus, & dignitatis virorum multitudinem in medium affert, SIXTI V. Coronatio celebrata Kalendis Maii 1585. antè fores Basilicæ Sancti Petri Apostolorum Principis, ad introitus lævam, totâ Vrbe exultante, Illustrissimorumque Cardinalium Senatu amplissimo adstante, felicitèr repræsentatur.

Nec silentio prætereundum est, cur Coronatio Pontificis antè Ædes Sancti Petri in Vaticano, non autèm in Basilica Lateranensi, quæ Summi Pontificis Ecclesia Episcopalis est, fiat. Nam, vt paucis agam, hæc Coronatio in Vaticano celebratur, vel quia, vt conjici potest, Summi Pontifices præsens in tempus hoc in loco solent residere: vel quia hæc Basilica, prima sub nomine S. Petri, cujus Summus quisquæ Pontifex est Successor, & Christi Vicarius, à Silvestro Papâ hujus nominis primo mirificis Constantini Imperatoris impensis, qui ab eodem Silvestro Baptismum susçepit, constructa est quinque porticibus per intercolumnia distinctis, quas *Naves* vocant, magnis pulcherrimisque columnis circitèr centum sustentata, Anno Domini CCCXIX. ut patet ex vetusto marmore inciso Lapidem porphyreticum continente, & propè Portam Sanctam sito: supèr quem Lapidem Ossa Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli ab eodem Silvestro divisa, & librata fuerunt. Immò, ut ait Onuphrius in Libro de septem præcipuis Urbis Romæ Basilicis, hanc Basilicam paruâ Ecclesiæ formâ primus ædificavit sub ipsa Beati Petri Apostoli morte Anacletus Presbyter S. R. E. ab eodem Petro ordinatus, & tertius ab eo posteà Pontifex Romanus creatus. De Basil. S. Petri.

Hinc Ecclesia hæc in Decreto appellatur *prima, & cæterarum caput*, ideſt, *Apostolica*, ut exponitur ab Hugone: quia prima, ut dictum est, sub nomine Sancti Petri Apostolorum Principis fuit ædificata: ob quam rationem, necnon ob alias jam assignatas Coronatio Pontificis fieri solet ante Sancti Petri Ecclesiam: quæ, vt, occasione sese offerente, parumpèr digrediamur, moxque eo undè digressi sumus reuertamur, ad Sacellum usquè Sancti Petri primarium, in quo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Ossa requiescunt, protendebatur. Sed Julius II. veteris Ecclesiæ parte posteriori disjectâ, Bramantis eximiæ industriæ Architecti operâ, novæ Basilicæ toto Terrarum Orbe celeberrimæ futuræ fundamenta jecit. Hujus deindè fabricam à Leone X., & Clemente VII. nonnihil, ut narrat Onuphrius, intermissam, Paulus III., ex Michaelis Angeli Bonarotæ Architecturâ, auxit. Hæc autèm à cæteris Pontificibus ita continuata est, vt, testudinibus aliquot factis, & Sacello Gregoriano mirâ structurâ confecto, amplissimæ, & mirificæ Basilicæ formam ob oculos ponat, præsertìm verò SIXTO V. sedente, qui Absidam, seù Tholum, quem vulgò *Cupulam* vocant, centum millibus aureorum, singulo quoque anno insumendis per operarios homines ad octingentos, brevissimo temporis spatio perficiendum curat. Quæ res etsi 3. q. 6. c. 9.

ar-

ardua est, ac penè olim ab omnibus desperata, animi tamèn SIXTI V. magnitudo tanta est, tamquàm rerum omnium admirabilis apparatus, ut summâ diligentiâ Fabii Blondi, Patriarchæ Hierosolymitani, cui cura omnis est demandata, necnon Jacobi à Porta Architecti operâ, non solùm ad finem deducatur, sed etiàm totius Ecclesiæ fabrica suis omnibus numeris, Deo adjuvante, absolvenda judicetur. Quod ut eveniat, boni omnes divinam benignitatem supplicitèr deprecantur. De hoc Tholo Franciscus Bencius, & alii ex Collegio Societatis Jesu, necnon Josephus Castalio Jurisconsultus latino scripserunt versu, reique magnitudinem mirâ facilitate, atque felicitate explicarunt.

Hæc pauca de opere tam excellenti dicere mihi visum est: nunc autèm ad propositam Coronationem redeamus. Inscriptionis igitùr Auctor hujus generis Coronationem tàm insignem, tamquàm sublimem, qua nulla major in Terris inveniri potest, secum animo reputans, hunc in modum ait.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

HIC TRIA SIXTE TUO CAPITI DIADEMATA DANTUR:
SED QUARTUM IN CÆLIS TE DIADEMA MANET.

CUM Summus Pontifex, ut brevitati consulam, coronatur, capiti ejus Tiara, quam *Regnum Mundi* appellant, imponitur, tribus constans Coronis, tres potestates, hoc est, *Imperatoriam*, *Regiam*, & *Sacerdotalem*, plenariam scilicèt, & universalem totius Orbis Auctoritatem repræsentantibus.

Per Tiaram ipsam, quam *Regnum Mundi* passim appellant, Imperatoria, ac temporalis Potestas: per Mitram verò, Pontificia, & spiritualis Auctoritas significantur: & quoniam Auctoritas Pontificia prior ac dignior, necnon amplior atque diffusior est Imperiali potestate, quia Sacerdotium in populo Dei Regnum præcessit, sicut Aaron primus Pontifex Saulem primum Regem, & Noe ipsum Nemroth præcessisse leguntur, hinc Summus Pontifex in signum Pontificiæ Auctoritatis semper, & ubique Mitra uti solet: Regno autèm, Imperatoriâ scilicèt Coronâ, non semper, & ubique, sed certis diebus, & locis, intraque Ecclesiam interèundum, ac redeundum, non autèm in divinis Officiis celebrandis, nec in sacris faciendis. Sed quoniam qui hoc in mundo legitimè certaverit, coronam sibi in Cœlo parat, Auctor inscriptionis ait, quartam Coronam SIXTO V. repositam esse in Cœlis: & hanc stabilem, & perpetuam esse necesse est. Id quod etiàm figura quadrata ex sui natura præfefert. Quadrum enim, quacumquè vertatur, stare cernitur: cujus instàr *justus cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Manet igitùr SIXTUM, idèst, quartum Diadema expectat SIXTUM in Cœlo, tamquàm justum: & verè manet, quia stabile est: & amitti non potest, quia sibi æternitatem sortitur.

Inn. III. sermon. 3.

Exod. 28.

Gen 8.

Inn. III. sermon. 1. de S. Silvest.

2. Tim. 2.

Aug. in Psal. 83. tom. 8.

A' tergo introitus Bibliothecæ ad lævam apparet.

EMBLEMA II.

De Episcopatus Lateranensis possessione adipiscendâ, sivè capiendâ.

HOc Emblemate, susceptio Episcopatus Lateranensis repræsentatur, hoc est, cum SIXTUS V. Pontificiâ solemnitate, ac pompâ, Regibus Japonensibus eum comitantibus, Basilicam Lateranensem, ut moris est, tamquàm suam peculiarem, & primariam Ecclesiam agnovit, ac suscepit. Quo loco cernitur Pontifex asturconi, quem *Chineam* vulgò appellant, insidens, præeuntibus longo ordine tam intimis, quàm extimis Cubiculariis, aliisque nobilissimis viris, necnon Urbis primatibus equitantibus (ut interìm Celeres Equites, ac pedestres, & hastatos Helvetios silentio involvam) subsequentibus verò S. R. E. Cardinalibus Illustrissimis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis cæterisque Præsulibus. Idque miro conspicitur apparatu. Ecclesia hæc *primaria* dicitur, propterèa quòd Constantinus Imperator eam quartâ sui baptismi die intrà Palatium Lateranense à *Laterano Cive Romano* dictum, ut in sexto Emblemate ad lævam Bibliothecæ sito fusiùs explicabimus, Salvatori nostro construxit, Summoque Pontifici Silvestro Primo, à quo Baptismum suscepit, dono dedit. Hæc itèm Basilica fuit prima Ecclesia publicè constructa: & in hac totâ Ecclesiâ ligneum est Altare arcæ adsimile, ut memoria præteritorum temporum conservaretur, quibus, cùm tyrannorum persecutionibus vexaretur Ecclesia, à Sancto Petro usquè ad Sanctum Silvestrum, Pontificibus locus certus, ac definitus non fuit, sed in cryptis, sivè in cœmeteriis, aut in piorum Ædibus super illo Altari ligneo consecrare solebant. Hinc idem Sanctus Silvester honoris gratiâ sancivit, ut in eo, quod est Altare majus, præter Romanum Pontificem Missas nemo deinceps celebrare posset. Id quod ad hanc usquè diem executioni mandatur. Nàm in dicto Altari nonnisi Summo Pontifici, & Cardinalibus Episcopis per Pontificiam dispensationem, & in horum defectum, Cardinalibus Presbyteris rem sacram facere licet, sicùt de Altari majori Sancti Petri, Sanctæ Mariæ Majoris, Sancti Laurentii extrà muros, & Sancti Pauli, decretum hujusmodi observatur. Sancitum etiàm fuit, sicut in Decreto legitur, vt hæc Basilica Lateranensis Salvatori nostro dicata, & *Salvatoris* nomine nuncupata, postremò autèm *Sancti Joannis* dicta, principatum haberet non solùm suprà Patriarchales Ecclesias, Alexandrinam scilicet, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, ve-

Dist. 96. c. 14. Cõstantinus.

Dist. 96. c. 14. Cõstantinus. Ibid. ut supra.

verùm etiàm suprà omnes in universo terrarum Orbe Ecclesias Dei. Quarè *Patriarchatus*, *Archiepiscopatus*, *Metropolis*, & *Episcopatus* appellatur: Summus autèm Pontifex, Summus Patriarcha, Summus Archiepiscopus, Summus Metropolitanus, Summusque Episcopus dici potest, ac debet: sicùt enim Ecclesia hæc, ità, & Papa tùm nomina, tùm effectum horum omnium optimo quidèm jure sibi sortitur. Basilica autèm Sancti Petri, cujus fabricam, ut legitur in Decreto, Constantinus, donatione factà, instituit, quàmvis *prima Beati Petri sedes* dicatur, ut in Emblemate de Coronatione diximus, non tamèn Archiepiscopatus, nèc Metropolis, nèc Episcopatus appellari potest, sed *prima* dicitur, idest, *Apostolica*, ut dictum est. Et quàmvis Urbs Roma instàr universi Orbis quatuor Patriarchales Ecclesias habeat, hoc est, *Sancti Joannis Laterani*, *Sanctæ Mariæ Majoris ad Præsepe*, *Sancti Laurentii extrà muros*, & *Sancti Pauli*; Ecclesia tamèn Sancti Petri nèc Patriarchalis, nèc Episcopalis Ecclesia est, ut dicitur à nonnullis, qui eam Episcopo Portuensi subjectam esse, & ad ejus Diœcesim pertinere dicunt. Præsens tamen in tempus hæc Basilica Sancti Petri Patriarchalis habetur, & vocitatur. Hinc quinque Patriarchales Ecclesiæ in Urbe nominantur, & sunt. Hæc dicenda erant, ut sciretur, cur Summus Pontifex jurisdictionem Episcopalem, non in Ecclesia Sancti Petri suscipiat, sed in Basilica Lateranensi, quæ *Lateranensis* à loco: *Sancti Salvatoris* à dedicatione: *Constantiniana* à conditore Magno Constantino: *Faustæ*, ab Uxore Constantini, ut Optatus Melevitanus ait: *Aurea* ab ornamentis, & divitiis: *Sanctorum*, *Joannis Baptistæ*, & *Joannis Evangelistæ* ab eorum invocatione nuncupata est, & Romanorum Pontificum usui ædificata V. Idus Novembris circitèr Annum Christi CCCXVIII., & à Sancto Silvestro consecrata. Auctor autèm Inscriptionis de hac susceptà possessione sic ait:

Ivar. lib. 2. Planctu Ec. cap. 11.

q. 1. c. 15.

Alvar. de Planctu Ecclesiæ lib. 2. c. 1.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

AD TEMPLUM ANTIPODES SIXTUM COMITANTUR EUNTEM,
JAMQUE NOVUS PASTOR PASCIT OVILE NOVUM.

HIc, ut reor, per *Antipodas*, Japones tunc temporis Romæ commorantes ut Summo Pastori obedientiam præstarent, sic dicti, quasi contrà nostros pedes non rectâ lineâ, sed transversali degentes, intelliguntur: Antipodes enim, sunt Populi adversa nobis vestigia urgentes. Per ovile autèm novum, vel est alluso ad illam mundi partem tamdiù nobis ignotam, & non multis ab hinc annis à Columbo inventam: vel Inscriptionis Auctor Gentem illam Japonum intellexit, partem pro toto sumens, ac si dixisset, novam Gentem ad fidem Christi conversam in Catholica Ecclesia tanquàm ovile novum pasci, & gubernari à Pastore novo, idèst, nupèr creato. Id quod non sine divino consilio factum esse credendum est: sicùt etiam de illa fœmina nobilissima, quæ tanquàm Regina Saba ad sapientiam Salomonis audiendam, jam indè ab Aphrico sinu ad SIXTUM V. unacum aliis ejusdem Regionis hominibus, superioribus mensibus venit, dicendum est. Hoc enim novum aliquod Regnum acquirendum, & ad fidem venturum, vel tale aliud præsagire mihi videtur. Quod suâ Deus benignitate faxit.

q. de somn. Scip., & Acad. qu.

EMBLEMATA AD LÆVAM SITA.

EMBLEMA III.

De Italia prædonibus, & exulibus liberatâ.

EMblema, quod Bibliothecam ingredientium oculis primò ad introitus lævam fere offert, liberationem Italiæ complectitur: quæ cùm anteà nefariorum, perditorumque hominum, prædonum scilicèt, atque exulum incursionibus esset exposita, multisque calamititabus præmeretur, SIXTO V. sedente ab omni infestatione liberatur, ac magnâ quiete perfruitur, exulibus, ac prædonibus undequâque expulsis.

Liberationis Symbolum.

OVes triplicem montem circumstantes inspiciuntur, in cujus fastigio positus cernitur leo, qui ignita fulmina deorsùm torquens, Lupos omnes pascenti pecori adversantes terrore, ac metu concussos in fugam hinc indè conjicit. Ovibus populi, Lupis prædones, Montibus qui suprà reliquam terram se extollunt Ecclesia, Leone SIXTUS Pontifex, Fulmine Auctoritas ejus, & potestas repræsentantur: & ad ejusdem Pontificis insignia allusio esse potest, in quibus Montes Patriam significantes pinguntur, necnon, & Leo, qui dominatum, & magnanimitatem, itèmque fortitudinem, vigilantiam, & custodiam significat. Hinc in ædificiorum, præcipuè verò in Fanorum valvis, sacrarumque Ædium vestibulis Leones marmorei siuè æi tamquàm divinorum custodes, ut est passim cernere, statui solent.

Leo enim dum vigilat, oculos clausos, cum verò dormit reseratos habere fertur: immò nonnulli putarunt, sed falsò quidèm, Leonem sempèr somni esse expertem, quippè qui magnos cum habeat oculos palpebrasque perexiguas, oculos penitùs obtegere non potest, hinc splendor ab ejus pupilla emicans insomnem ipsum repræsentat. Huic autèm Emblemati, liberationisque Symbolo, SIXTI V. cum Alcide collatio aptissimè quadrat, si amborum insignia Leonem habentia, fortitudo, resquè gestæ perpendantur. Idcircò Inscriptionis Auctor hæc secum, ut opinor, cogitans, SIXTUM cum Alcide confert, & hunc in modum ait:

IN-

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

ALCIDES PARTEM ITALIÆ PRÆDONE REDEMIT,
SED TOTAM SIXTUS; DIC MIHI, MAJOR UTER?

HÆc Inscriptio præsefert, majora Sixtum præstitisse, quàm Herculem, ab Alcæo, avo paterno, *Alcidem*, Auctore Herodoto, dictum: vel ab Ἀλκὴ, quod est robur. Hercules enim montem Aventinum, Caco Vulcani filio, prædone infami, teste Virgilio, extremamque Calabriæ, & Italiæ oram latrone Lacinio, à quo *Promontorium Lacinium* vocitatum est, dumtaxàt liberavit, ut apùd eumdem Virgilium videre licet. Sed Sixtus V. universam Italiam à prædonum, & exulum incursionibus liberavit, ac tranquillam reddidit. Hanc liberationem Simon Cecchinus utriusque Signat. Refer. distichis ingeniosè factis feliciter prosequutus est.

Æneid. 8.

Æneid. 3.

EMBLEMA II.

De Obelisco Vaticano Sanctissimæ Cruci dedicato.

PRiori Emblemati proximum est illud Obelisci Vaticani altitudinis palmorum 114. citrà basim, olim à Sesostridis Filio Nuncoreo, seù Pharone in Ægypto excisi, deindè ab Imperatore Cajo Caligulâ in Urbem transvecti, & in Vaticano locati, Augustoque, ac Tiberio Cæsaribus dicati, nunc verò à Sixto V. summâ omnium admiratione in mediam Sancti Petri Aream, ante Sacras Ædes translati, ac divino Cultui addicti: cujus fastigio idem Sixtus Crucem imponi jussit. Hinc Auctor Inscriptionis rem tantam perpendens, operosum scilicèt laborem, & Christianam ejusdem Pontificis pietatem à superstitionis memoria ad verum, & divinum Cultum, hominum animos avocantem, Distichon ex suo libro Epigrammatum in eundem Obeliscum superioribus annis edito depromens inquit, multum valere hanc Obelisci translationem ad Sixti V. memoriam sempiternam, atque hunc in modum ait:

Plin. lib. 36. c. 11.

Herod. lib. 11.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

DUM STABIT MOTUS NULLIS OBELISCUS AB EURIS,
SIXTE TUUM STABIT NOMEN, HONOSQUE TUUS.

OBeliscus, ut nonnihil de eo dicam, est lapis asperrimus in figuram metæ cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur paulàtim gracilescens, specie quadratâ in verticem productus angustum, manu lævigatus artificis. Hujusmodi molis inventor, teste Plinio, Mytres fuit, qui Heliopoli, hoc est in Solis Urbe cùm regnaret, somnio jussus Soli ipsi, quem Ægypti colebant, Obeliscum consecravit. De hoc autèm Vaticano, ejusque translatione, ac dedicatione Petrus Galesinius Protonotarius Apostolicus eleganti scripsit oratione, Petrus item Angelius Bargæus de Obelisco eruditum edidit Commentarium. Scripsit etiàm de Obeliscis, & fusissimè quidem Michael Mercatus, vir in variis disciplinis benè versatus. Multi denique alii de Obelisci Vaticani translatione, & versu, & soluta oratione scripserunt, quos brevitati consulens prætermitto. Nunc reliquum est, ut Inscriptiones, quæ dicto in Obelisco Vaticano inciſæ leguntur, in medium proferantur. Harum duæ sunt vetustæ, hoc est:

Amm. Marcell. lib. 17.

Plin. lib. 35. c. 8.

I.

DIVO CÆSARI DIVI JULII F. AUGUSTI F. CÆSARI DIVI AUGUSTI F. AUGUSTO TIBERIO SACRUM.

II.

DIVO CÆSARI DIVI AUGUSTI F. AUGUSTO TIBERIO SACRUM.

Inscriptiones novæ sunt quinque, quarum una in Obelisci fastigio hanc in verborum formulam sculpta est:

I.

SANCTISSIMÆ CRUCI SIXTUS V. PONT. MAX. SACRAVIT E PRIORE SEDE AVULSUM, ET CÆSS. AUG. AC TIB. I. I. ABLATUM MDLXXXVI.

Cæteræ Inscriptiones in Obelisci Basi exculptæ cernuntur, ut infrà:

II.

ECCE CRUX DOMINI FUGITE PARTES ADVERSÆ VICIT LEO DE TRIBU JUDA.

III.

CHRISTUS VINCIT, CHRISTUS REGNAT, CHRISTUS IMPERAT, CHRISTUS AB OMNI MALO PLEBEM SUAM DEFENDAT.

IV.

SIXTUS V. PONT. MAX. CRUCI INVICTÆ OBELISCUM VATICANUM AB IMPURA SUPERSTITIONE EXPIATUM JUSTIUS, ET FÆLICIUS CONSECRAVIT ANNO DOMINI MDLXXXVI. PONT. II.

V.

SIXTUS V. PONTIFEX MAXIMUS OBELISCUM VATICANUM DIS GENTIUM IMPIO CULTU DICATUM AD APOSTOLORUM LIMINA OPEROSO LABORE TRANSTULIT ANNO DOMINI MDLXXXVI. PONT. II.

EMBLEMA III.

De annonâ Urbi, & Italiæ subministratâ.

UBertatis hoc Emblema est. Romam enim Sixtus V. initio sui Pontificatus, annonæ caritate laborantem reperit: hinc idem Sixtus ei prudentissimè succurrit, & coempto frumento, & in Urbem asportato, effecit, ut in summâ inopiâ, summa esset copia. Nec eo contentus, ut non solùm Urbi, verùm etiàm Italiæ universæ magnâ ex parte succurreret, ac tempus in posterùm provideret, Paludes Pontinas Volscorum juxta forum Appii haud longe à Tarracinâ, & ab Urbe XXIX. passuum millibus distantes, olim

à Cor-

Plin. lib. 18. c. 7 & Liv. lib. 14.

à Cornelio Cethego Consule, atquè sequentibus seculis à Theodorico Gothorum Rege iterùm exsiccatas, nunc idem Pontifex ad res egregias omnes, & pias, resquè omnium opinione maximas, ac penè desperatas producendas natus, tertiò exsiccandas mandavit: ex quibus longitudine ad viginti, latitudine verò ad septèm milliaria factus est Ager, ducentis millibus aureis in eam rem impensis: atquè hunc in modum ex Agro Pontino de perpetuâ annonâ non solùm Urbi, sed toti etiàm Provinciæ, quin, & Italiæ sapientèr provisum est. Quam rem Blancus in Eucharistico ad SIXTUM V. describens ait:

Per te exsiccantur vastissima stagna lacusque.
Jamque ferax ager est, quæ fuit antè palus.

Ubertatis symbolum est arbor, Pyrus, fructu onustissima, ad cujus radicem circumstant oves, Leone truncum ungulis complectente, & arborem concutiente. Hinc pyris cadentibus, oves pascuntur. Hoc Emblema venustatem habet, alludens ad gentilitia SIXTI V. stemmata, quæ Leone pyrum tenente constant. Quarè Auctor Inscriptionis, ut frumenti affluentiam, SIXTI V. Pontificis Maximi providentiâ, & pietate, omni ex parte laudandâ, Italiæ, & Romæ præsertìm submini stratam decantet, hunc in modum inquit:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

TEMPORIBUS SIXTI REDEUNT SATURNIA REGNA:
ET PLENO CORNU COPIA FUNDIT OPES,

NEminem latet, regnante Saturno, magnam frumenti in Latio fuisse ubertatem, agrosque mirum in modum excultos, cùm ipse Agriculturam invenisse dicatur. Quarè Inscriptionis Auctor tamquàm probatissimorum Poetarum omnium familiarissimus, mutuato sibi in priori versu Virgilii hemistichio, aurei seculi felicitatem ab eodem Poeta inibì decantatam, nunc etiàm vigere apertè demonstrat, & versu altero alludere sibi visum est, ni fallor, ad illud Horatii:

Eclog. 4.

Lib. 2. Ep. ad Iccium.

Aurea fruges
Italiæ pleno diffudit Copia cornu.

Quibus ex verbis Poeta Cornucopiæ Herculi datum innuere videtur. Copia autèm apùd Poetas pro Dea habita fuit, sicut etiàm ab eodem Horatio expressiùs dictum est in Carmine seculari, ubi eam appellat beatam inquiens:

Carm. secul.

Apparetque beata pleno Copia cornu.

Nos autèm cùm affatìm omnia inesse significare volumus, Cornucopiæ dicimus, & per cornu fructibus, & floribus, frumentique spicis plenum abundantiam repræsentamus.

EMBLEMA IV.

De Sancti Petri Statuâ in Columnæ Trajanæ fastigio erectâ.

EMblema hoc, est de Columnâ Trajana Cochlide, quæ nunc altitudine extat palmorum centum & septuaginta septem, habetque intùs centum, & octuaginta quinque gradus, quibus ad summum fastigium ascenditur: fenestellas verò 45. quibus lumen excipit, egregiis Trajani præliorum, & ab eo subactæ Daciæ sculpturis variè insignita, ejusdemque statuam olìm in summo vertice sustinebat: vel ut alii ajunt, pilam auratam, in qua cineres Trajani asservabantur: nunc verò æneum Sancti Petri Apostolorum Principis Simulachrum à SIXTO V. inibì collocatum sustinet, dextrâ manu librum, quo doctrina Ecclesiastica: alterâ claves, quibus duplex Pontificia potestas declaratur, gestantis. Hujus columnæ dedicationem Petrus Galesinius Prot. Apost. solutâ scripsit oratione, & luculentèr quidèm. Auctor autèm Inscriptionis dedicationem describens hunc in modum ait.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

UT VINCLIS TENUIT PETRUM, SIC ALTA COLUMNA
SUSTINET: HINC DECUS EST, DEDECUS UNDE FUIT.

ACutus est hoc loco Inscriptionis Auctor, sed ejus sententiam facilè assequetur, qui Sanctum Petrum Neronis jussu ad columnam quandam marmoream, quæ etiamnùm hodiè in Ædè Beatæ Mariæ Transpontem religiosè visitur, ferreis vinculis alligatum, & inibì verberibus cæsum noverit. Id quod planum nobis fit ex Altari dictâ in Ecclesia sito, quod Cœlestinus III. Petro, & Paulo, quorum columnæ, ad quas dùm verberarentur alligati olìm fuerunt, inibì visuntur, consecravit, intrà aram ab eodem Pontifice quatuor dentibus Sancti Petri asservatis, ut videre licet ex lapide satìs vetusto dictas columnas indicante, & ex laminâ quadam ferreâ consecrationem Altaris exponente, & nupèr repertâ, cum ipsa ara in Ædes novas translata est. Cæsar itèm Baronius sacrarum historiarum indagator diligentissimus, in Annalibus Ecclesiasticis dictas Columnas commemorat, atquè iis Sanctos Apostolos, Petrum, & Paulum alligatos virgis cæsos fuisse ait. Id verò non absquè divino consilio factum esse credendum est, scilicet tamquàm præcipuas Dei Columnas, & Christianæ Fidei Principes ad Columnas ligatos uno loco, unâ die, uniusque tyranni sententiâ cæsos, martyrioquè fuisse decoratos. Ille autèm, ut Magistrum suum Christum tamquàm ipsius Vicarius imitaretur, fuit Cruci affixus: hic verò, ut nomen suum post conversionem sibi inditum factis responderet, capite fuit truncatus, seù diminutus.

S. Maximus Epi. homil. 5.

Quare, ſicùt Romæ Beato Petro Columna illa fuit opprobrio, ità hæc Trajana nunc in ejus laudem, & honorem, piorumque ſolatium cedit. Et ſicùt olìm, tamquàm Chriſti Athleta fortiſſimus, in columna ſtrenuè decertavit, ità nunc in columnæ faſtigio triumphum agit glorioſum. Nam ratione poſtulante, per quæ quis meretur, per eadem honorem aſſequi eum debere, dicendum eſt. Ob id Inſcriptionis Auctor dixit:

Hinc decus eſt, dedecus undè fuit.

Hoc nonniſi hiſtoriam enarratam præ-ſeferre videtur: cætera adeò plana ſùnt, ut declaratione non egeant. Nunc autèm reliquum eſt, ut Inſcriptiones tùm veterem, tùm novam in baſi Columnæ cochlidis inciſas hoc in loco apponamus. Vetus inſcriptio Trajano Imperatori Cochlidem dedicatam ad illius montis olìm inibì extantis altitudinem erectam fuiſſe docet, ut infrà videre eſt.

SENATUS POPULUSQUE ROMANUS
IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ F. NERVÆ
TRAJANO AUG. GERM. DACICO PONT.
MAXIMO TRIB. POT. XVII. IMP. III. COS. V.
PP. AD DECLARANDUM QUANTÆ
ALTITUDINIS MONS, ET LOCUS
TAN.....IBUS SIT EGESTUS.

Hac in Inſcriptione Cochlidis Trajano dedicatæ, duo ſemideleta reperiuntur verba: hinc eorum ſenſus deſideratur. Sunt qui eas voces imperfectas in integrum reſtituendas opinantur hoc modo: *Tantis operibus*. Alii: *Tantis viribus*. Alii: *Tantis ruderibus*. Alii autèm: *Tantis molibus*. Inſcriptio autèm nova in Columnæ faſtigio ad Sancti Petri pedes inciſa, & in quatuor partes diſtincta in hanc formulam legitur.

SIXTUS V. B. PETRO APOST.
PONT. A. III.

Hac Inſcriptione, atquè dedicatione videre licet, quanta ſit Summi Paſtoris pietas numquàm ſatìs laudata, gentilitatis impietate, ac ſuperſtitione ablata, chriſtiana obſervantia conſervata & aucta, Urbeque undiquè illuſtrata. Dum enim Sacra effigies Beati Petri Ænea in Trajani Columna, tàm celebri piis precibus ritè ex Eccleſiæ præſcripto expiata collocatur, honor Sanctis, & Apoſtolorum præſertìm Principi exhibetur, mentes hominum ad Chriſtianam pietatem excitantur, & Urbs ipſa piis ornamentis decoratur. De hac Columnâ, atquè ipſius dedicatione, Petrus Galeſinius Protonot. Apoſt. Commentarium edidit luculentum.

EMBLEMA V.

De Jubileo in initio Pontificatus Sixti V. celebrato.

HOc Emblemate, illius ampliſſimi Jubilei, quod Anno MDLXXXV. prò Dei ope impetrandâ ad Chriſtianæ Reipublicæ gubernacula capeſſenda SIXTUS V. divino conſilio aſſumptus per univerſum Chriſtianum orbem promulgavit, deſcriptio continetur. Ibi autèm videre licet innumeram hominum cujuſcunque ſexus, conditionis, & ætatis multitudinem, ſupplicem ac demiſſam, turmatìm, longoquè ordine ad Baſilicam Sanctæ Mariæ Majoris ad Præſepe confluentem.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS

SIXTUS REGNUM INIENS INDICIT PUBLICA VOTA.
PONDERIS Ò QUANTI VOTA FUISSE VIDES!

ALludit, ut opinor, Inſcriptionis Auctor ad antiquam illam conſuetudinem, qua non ſolùm inaugurati Pontifices, aut Reges à divinis precibus, & ſupplicationibus Regnum, & Pontificatum ſuum auſpicabantur: verùm etiàm Poetæ, ipſi, ut ille omnium optimè novit, operum ſuorum initia ab invocatione ducebant. Quod autèm ſubjungit exclamans:

Ponderis ò quanti vota fuiſſe vides!

Ingeniosè innuit, qualis, & quantus ſit SIXTI V. Pontificatus, univerſæque Eccleſiæ preces illas non fuiſſe irritas, quantum fructum hodiè ſummâ omnium utilitate, & maximâ Pontificatus gloriâ manifeſtè cognoſcimus, & Sole clariorem videmus. Hinc latè patet, publicarum precum tantam eſſe vim, quantam ego verbis explicare numquàm poſſem. SIXTO enim ſedente, Chriſtiana diſciplina inſtauratur, & propagatur: pax conſervatur, & ſecuritas præſtatur: facinoroſi, & perditi homines puniuntur: boni remunerantur, & foventur: virtutes extolluntur, & vitia funditùs extirpantur: inopia expellitur, & annona affluenter ſubminiſtratur: Vrbs denique Auctoritatis Apoſtolicæ Sedes, Religionis Catholicæ arx, dignitatum omnium parens, legum ſanctarum Seminarium, Chriſtianarum virtutum Templum Sanctiſſimum, gratiarum Cæleſtium theſaurus refertiſſimus, univerſique Chriſtiani Orbis theatrum ampliſſimum, egregiis actionibus in dies magis atque magis illuſtratur, commodis itèm, & beneficiis afficitur, ornamentiſq; paſſim decoratur.

EMBLEMA VI.

De Palatii Lateranenſis reſtitutione, & Obeliſci dedicatione.

HOc Emblemate Palatii Lateranenſis reſtitutio, & Obeliſci tranſlatio, ac dedicatio repræſentantur. Eſt hic Obeliſcus citrà

Obeliſci altitudo.

citrà basim ad altitudinem palmorum centum, & nonaginta octo, omniumque Obeliscorum, qui in Urbe extant, maximus atquè pulcherrimus, Hieroglyphicis, quorumdam scilicèt animalium, aliarumque rerum insignitus notis, Heliopoli, hoc est, in Solis Urbe Ægyptiâ erectus, & indè à Constantino Magno Alexandriam, ut eum hinc posteà Romam asportaret, translatus: quem deindè Constantius ejusdem Constantini Filius in Urbem transvexit, & in Circo Maximo locavit: ex quo deniquè loco Sixtus V. operoso labore antè Sacras Ædes Lateranenses transtulit, erexit, & invictissimæ Cruci dedicavit. In hujus Obelisci, cùm Constantius in Circo Maximo ipsum locavit, & erexit, quatuor Inscriptiones, ut ex fragmentis colligi potuit, fuerunt insculptæ, sicùt infrà videre est.

I.

Patris opus munusque suum tibi Roma dicavit
Augustus toto Constantius Orbe recepto,
Et quod nulla tulit tellus nec viderat ætas
Condidit, ut claris exæquet dona triumphis
Hoc decus ornatum genitor cognominis Urbis
Esse volens cæsa Thebis de rupe revellit.

II.

Sed gravior divum tangebat cura vehendi
Quod nullo ingenio nisuque manuque moveri
Caucasea molem discurrens fama moneret
At Dominus Mundi Constantius omnia fretus
Cedere virtuti terris incedere jussit
Haùd partem exiguam montis pontoq; tumenti.

III.

Credidit & placido vecta est velocius euro
Littus ad Hesperium populo mirante carinam
Intereà Romam Taporo vastante Tyranno
Augusti jacuit donum studiumque locandi
Non fastu spreti, sed quod non crederet ullus
Tantæ molis opus superas consurgere in auras.

IV.

Nunc veluti rursus rufis avulsa metallis
Emicuit pulsatque Polos hæc gloria dudùm
Auctori servata suo cum cæde Tyranni
Redditur atque aditu Romæ virtute reperto
Victor ovans Urbique locat sublime Tropæum
Principis, & munus condignis usquè Triumpis.

Tropæum, ac Triumpus.

Hisce in Inscriptionibus duæ voces, Tropæum, scilicèt ac Triumpus, se se mihi offerunt declarandæ, ne eis qui antiquam scribendi formam ignorant, menda esse videantur. Quod enim Latini *Trophæum*, Græci, aspiratione prætermissâ, Τροπαῖον dicunt: quodque Græci Θρίαμβον, Latini *Triumphum* appellant: hi namquè scilicèt Latini aspirationem ex primâ syllabâ hujus vocis Θρίαμβον in novissimam transferentes, b, in p, mutatâ, Triumphum nunc dicunt. Etenim antiquiores Latini non in consonantibus, sed in vocalibus aspiratione utebantur, græcasque diphthongos frequentèr adhibebant, ut ex vetusto lapide ad Pontem Cestium clarum fit, ad parietem scilicèt cujusdam domus, in qua hæc legitur Inscriptio.

Heic est sepulcrum, hau pulcrum pulcrai fœminæ.
Nomen parentes nominarunt Claoudiam, &c.

Græcorũ scribendi modus.

Ubi ponuntur *heic* pro hic, *pulcrai* pro pulcræ, *& Claoudiam* pro Claudiam, more Græcorum: *& sepulcrum, ac pulcrum* absquè aspiratione. Ità etiàm *Niceporus*, & *Stepanus*, pro Nicephoro, ac Stephano, & id genus aliæ dictiones permultæ sinè aspiratione à veteribus scribebantur, sicùt Aldus Manutius Junior, Vir quidem eruditus, & in Latinorum vetustissimis codicibus manuscriptis, atquè Inscriptionibus optimè versatus, in suâ majori Orthographiâ diffusè docet. Angelus itèm Politianus suis in Miscellaneis nummum argenteum apùd Laurentium Medicem se vidisse testatur hisce literis, *Triumpus*. Sed ne Librariorum, vel eorum qui literas incidebant insciti id factum esse nonnulli credant, ea quæ de hujusmodi scribendi genere Cicero ait, subscribam. Ipse enim in libro de Oratore, se hanc scribendi formam, hoc est, sinè aspiratione in consonantibus, sequutum fuisse apertè fatetur, dicens: *Quin ego ipse, cum scirem ità Majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut pulcrum, & Cetegos, Triumpos, Cartaginem dicerem: aliquandò, idquè ferò, convitio aurium, cum mihi extorta veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Hæc Cicero. Nemo igitùr admiretur, si Tropæum, ac Triumpus absquè aspiratione pro Trophæo, ac Triumpho ab antiquis Latinis scribebantur, ut ex Inscriptionibus superiùs positis patet.

Cicero de Orat. longè post med.

Notæ illæ Instrumentorum, aliarumque rerum, necnon animalium species, quæ in Obelisco ipso videntur insculptæ, sunt literæ, quibus olìm Ægyptii utebantur, ut Strabo, Tacitus, Plinius, & Diodorus affirmant. Nam per speciem Apis mella conficientis Regem indicabant: cui cum jucunditate moderante aculei debent inesse: per accipitrem, rem citò factam: per Cervum, longævum hominem: per Leonem fortitudinem, & vigilantiam: per manum, hominem ædificationis studiosum, vel hominem laboriosum, sivè opus: per oculum, providentiam: per ferram maledicentiam: per falcem, tempus: per gladium, crudelitatem significabant, & hunc in modum scribebant, varioque animi sensus explicabant. Hęc pauca de hujusmodi Hieroglyphicis, hoc est Sacris notis, vel sculpturis, ut Budæo placet, perfunctoriè mihi dicere visum est, nè hoc scribendi genus, de quo quidèm Orus Apollo, necnon Pierius Valerianus diffusè scripserunt, intactum penitùs à me relinqueretur. Quæ

Cor. Tac. lib. 13. Strabo lib. 17. Plin. lib. 36. cap. 8. & 9. Diod. li. 4. in princ.

autèm hoc in Obeliſco Hieroglyphica cernuntur inciſa quamvis à nemine ad hanc uſquè diem, quòd ſciam, fuerint declarata, quid ſcilicèt ſingula quæque animalium, aliarumque rerum nota ſibi velit; eorum tamèn omnium ſenſum, ut apùd Ammianum Marcellinum videre eſt, græcâ interpretatione, Hermapion aliquâ ex parte complexus eſt: Ammianus autem duorum tantùm Obeliſci Laterum Inſcriptiones in Solis, vel magis in Rhameſtis Regis Ægypti laudem inciſas, cæteris duabus omiſſis, declarat: quas etiàmſi Petrus Angelius Bargæus, quem ſempèr honoris causâ nomino, in Latinam tranſtulerit linguam, Hieronymi tamèn Brunelli ex Societate Jeſu, Viri quidèm eruditiſſimi, & optimè Græcum Idioma callentis, verſionem nondùm divulgatam apponere hoc in loco libuit. Inſcriptiones autèm ſunt quæ ſequuntur.

Amm. lib. 17.

A PARTE AUSTRALI.

Hæc ſunt, quæ Regi Rhameſti donavimus: quem Sol amat, & Apollo, qui omnem terrarum Orbem cum gaudio regit. Potens veritatis amicus, Filius Heronis Deo ſatus, conditor orbis terræ: quem Sol diligit, ac cæteris prætulit, ſtrenuus Martis Rex Rhameſtes, cui omnis terra cum vigore, & audaciâ ſubjecta eſt. Rex Rhameſtes, Solis Filius in æternum vivens.

Verſus, vel Ordo ſecundus.

Apollo potens, qui eſt reverà dominus diadematis, & Ægyptum glorificans poſſidet: qui Solis Urbem ſplendidam reddidit, quique condidit reliquum Orbem terræ, & valdè honorat Deos in Solis Civitate conſtitutos, quos amat Sol.

Verſus, ſivè Ordo tertius.

Apollo potens Solis Filius præfulgidus, quem Sol cæteris præfert, & Mars ſtrenuus muneribus ornat: cujus bona in omni tempore permanent: quem Ammon diligit, qui Phœnicis delubrum bonis explevit: cui Dii vitæ tempus donaverunt, Apollo potens Filius Heronis, rex orbis terræ Rhameſtes, qui conſervavit Ægyptum, aliâ gente devictâ: quem Sol amat: cui multum tempus vitæ donarunt Dii, dominus orbis terrarum Rhameſtes in æternum vivens.

Alius Verſus, vel Ordo ſecundus.

Sol Deus magnus Dominus cæli, dono tibi vitam ſinè ſatietate: Apollo potens dominus diadematis incomparabilis, cui ſtatuas dicavit in hoc regno dominus Ægypti, & ornavit Solis Urbem, ſimiliter & ipſum Solem, dominum cæli, qui fecit opus bonum, Solis Filius Rex in ſempiternum vivens.

Verſus, ſivè Ordo tertius.

Sol Deus dominus cæli Rhameſti regi dono Imperium, & in omnes poteſtatem: quem Apollo veritatis amicus, dominus temporum, & Vulcanus Deorum pater delegit, ac prætulit propter Martem Rex omni ex parte lætus Solis Filius, & qui à Sole amatur.

A parte Orientali primus Verſus, vel Ordo.

A Solis Urbe magnus Deus incola cæli Apollo potens, Heronis filius, quem Sol diligit, quem Dii honorant: qui omnem terram regit, quem Sol præ cæteris delegit, ſtrenuus propter Martem Rex, quem Ammon amat, & præfulgidus eligens ſempiternum Regem.

Cæterorum laterum Obeliſci Inſcriptiones ab Ammiano fuerunt prætermiſſæ, quas in Hermapione reperiri credendum eſt, cum idem Ammianus ad earundem Inſcriptionum finem dicat: *Et reliqua*: Immò ex Inſcriptionum ordine multa alia omiſſa fuiſſe dijudicandum eſt. De Hieroglyphicis notis hactenùs. Nunc reliquum eſt, ut alteram Emblematis partem Palatii ſcilicèt Lateranenſis reſtitutionem exponamus.

Palatium, de quo hic agitur, vetuſtiſſimum erat Laterani cujuſdam Civis Romani Conſulis deſignati, qui juſſu Neronis interfectus eſt, & ut Hieronymi utar verbis, *Cæſariano truncatus eſt gladio*. Poſt Lateranum, Ædes haſce, quas Juvenalis appellat *egregias*, incoluit Conſtantinus Imperator, & ad fidem converſus, Silveſtro Papæ, à quo hic fuerat baptizatus, donavit. Hinc Sancti Joannis Baſilica, quæ varia ſortitur nomina, ut ſummatim in Emblemate ſecundo dictum eſt, *Lateranenſis* ad hunc uſquè diem vocitatur, quòd eo in loco extructa ſit, ubi olim erat, teſte Hieronymo ad Marcellam, Palatium Lateranenſium clariſſimæ apùd Romanos Familiæ. Dicta eſt etiàm *Conſtantiniana* à Conſtantino Magno, qui eam ædificavit, necnon *Fauſtæ domus*, ab ejus uxore, Optato Milevitano teſte: *Aurea* itèm ab ornamentis, & divitiis: & poſtremò *Eccleſia Sancti Joannis in Laterano*, vel ob baptiſterium, in quo fuit baptizatus Conſtantinus à Silveſtro Papa, *in Sancti Joannis Baptiſtæ memoriam, & honorem* fuit appellata: vel ob Monachorum, ſeù fratrum Monaſterium titulo Sanctorum Joannis Baptiſtæ, & Evangeliſtæ, & Pancratii ſub Joanne III. Papâ conſtructum juxtà eandèm Lateranenſem Baſilicam, in qua dicti Fratres, ut Onuphrius in libro de ſeptem Urbis Eccleſiis narrat, ſacras horas & Pſalmos canebant: Canonici verò ſacra tantùm in ea faciebant, & ſacramenta omnia adminiſtrabant. Ea autèm Eccleſia appellata eſt *Baſilica*, quaſi regalis à verbo Græco, vel quià fuit olim domus Imperatoria, vel quià Regi omnium Regum Deo ſacrificia inibi offeruntur. Auctor igitur Inſcriptionis Palatii reſtitutionem, & Obeliſci dedicationem tractans hunc in modum ait:

Hier. tom. 1. ep. 30.

Sat. 10.

Optatus Milev. lib. 1. contra Parmen.

Onuph. de ſept. Eccl.

IN-

INSCRIPTIO EMBLEMATIS,

QUINTUS RESTITUIT LATERANA PALATIA SIXTUS,
ATQUE OBELUM MEDIAS TRANSTULIT ANTE FORES.

HÆc Inscriptio adeò facilis, & clara est, ut expositione non indigeat. Addam tamen Inscriptionis Auctorem hoc in loco minùs dixisse, & plura significare voluisse, Palatii Lateranensis restitutionem exponens, ut ex Palatio SIXTI V. jussu à fundamentis restituto, & in ditiorem, nobilioremque formam, & verè Pontificiam redacto, aliaquè inibi instaurata, & in augustiorem speciem reddita, geminasque porticus, & magnificentissimas quidem ejusdem Basilicæ aditui additas, inferiorem scilicet, & superiorem, in qua summus Pontifex benedictionem die sancto Paschatis elargiri solet, necnon celeberrimam illam Scalam sanctam pretioso Christi sanguine conspersam in insigniorem, commodioremque locum translatam, sacrarumque historiarum picturis, aliisque ornamentis ad devotionem, meditationemque excitantibus mirificè insignitam facilè quis intelligat. Nec ab re, ut reor, Blancus illud ingens saxum asperrimum, lævigatum, & quadratum, & excelsum, Obeliscum scilicèt SIXTI V. jussu à Circo Maximo antè Lateranensis Basilicæ fores translatum, & erectum, *Obelum* nominavit. Obeliscus enim, ut nonnullis placet, diminutivum nomen est ab Obelo majore dictum. Hinc hujusmodi lapidem, ut suspicor, *Obelum* non *Obeliscum* Blancus appellavit Plinium imitatus: est enim omnium Obeliscorum, qui Romæ inventi sunt, maximus. Inscriptiones autèm novæ sunt quę infra leguntur;

Plin. lib. 36. cap. 11.

I.

CONSTANTINUS PER CRUCEM VICTOR A S. SILVESTRO HIC BAPTIZATUS CRUCIS GLORIAM PROPAGAVIT.

II.

FL. CONSTANTINUS MAXIMUS AUG. CHRISTIANÆ FIDEI VINDEX, ET ASSERTOR OBELISCUM AB ÆGYPTIO REGE IMPURO VOTO SOLI DEDICATUM SEDIB. AVULSUM SUIS PER NILUM TRANSFERRI ALEXANDRIAM JUSSIT, UT NOVAM ROMAM AB SE TUNC CONDITAM, EO DECORARET MONUMENTO.

III.

FL. CONSTANTIUS AUG. CONSTANT. AUG. F. OBELISCUM A PARTE LOCO SUO MOTUM DIUQUE ALEXANDRIÆ JACENTEM TRECENTORUM REMIGUM IMPOSITUM NAVI MIRANDÆ VASTITATIS PER MARE TIBERIMQUE MAGNIS MOLIBUS, ROMAM CONVECTUM, IN CIRCO MAX. PONENDUM S. P. Q. R. DD.

IV.

SIXTUS V. PONT. MAX. OBELISCUM HUNC, SPECIE EXIMIA TEMPORUM CALAMITATE FRACTUM CIRCI MAX. RUINIS HUMO, LIMOQUE ALTE DEMERSUM MULTA IMPENSA EXTRAXIT, HUNC IN LOCUM MAGNO LABORE TRANSTULIT, FORMÆQUE PRISTINÆ ACCURATE RESTITUTUM, CRUCI INVICTISSIMÆ DICAVIT A. MDLXXXVIII. PONT. IV.

Ang. Rocca Oper. Tom. II.

EMBLEMA VII.

De Fonte, & Aqua Felici.

HOc Emblemate, Fons à SIXTO V. in Quirinali colle, quem hodie Romanorum vulgus à duobus equis marmoreis, Phidiæ, & Praxitelis operibus hoc in colle sitis, *Montem Caballum* appellant, magnificentissimè constructus repræsentatur.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

FONS FOELIX CELEBRI NOTUS SUPER ÆTHERA VERSU,
ROMULEA PASSIM JUGIS IN URBE FLUIT.

FOntem hunc Inscriptionis Auctor Felicem appellat, cujus etiàm aquam Felicem statuit nominandam SIXTUS V. qui sicut olim Felix nomine proprio dicebatur, ità nunc ex re ipsâ vocitari potest. Aqua Fœlix.

Felix igitur tùm nomine tùm re SIXTUS V. Felix itèm fons, Felix aqua, ea saltèm nuncupatione quam Græci Metonimiam, Latini verò Transnominationem, sivè nominationem dicunt, hoc est, eâ ratione qua domus læta nuncupatur, eo quia lætos homines reddit. Hunc ergò in modum hanc aquam Felicem appellare licet; propterèà quòd suâ irrigatione Felices colles, Felices hortos, Felices campos, Felices denique eorundem locorum incolas reddit, cùm dicta omnia ob nimiam aquarum penuriam infelicia quodam modo fuerint ad hanc usque diem. Nunc enim Felix ipsa aqua ingenti copiâ, & salubritate sua Quirinalem, & Exquilinum colles reddit amænos, hinc exultos, & salubres. Hic intereà fons à Blanco locutione Virgilianâ super æthera notus, appellatur, idèst, variis ab ipso versuum generibus insignitèr decantatus eo præsertim in libro suo, qui, *Aquæ Felices*, inscriptus est, ubi inter alia elegantèr & ingeniosè explicata in Eclogâ Mopsi, & Tityri interlocutorum, quatuor versibus tria comprehendit, mirificam scilicèt Fontis structuram, expensas non modicas pro Aquis Felicibus in Urbem deducendis, & pro hac re agendâ incredibilem difficultatem, & laborem, dicens:

Aspice, quàm longo ducantur fornice rivi!
Aspice, ut in Cœlum moles substructa feratur!
Naturam ars superat: fontes natura negavit
Montibus his: fontes ars mõtibus ipsa ministrat.

His versibus Blancus in tantarum rerum admirationem, ac stuporem tractus, expensasingentes innuit, cùm dictas Aquas in Urbem longo fornice, hoc est, vigesimo ab Fontis, & Aquæductus descriptio.

Urbe lapide collectas, & per longos Aquæductus tam arcuatos, quàm subterraneos ad Quirinalem usquè Montem adductas ait. Id quod nonnisi maximis impensis fieri potuit. Difficultatem insuper ostendit, cum ipsam Naturam, quæ aquas Quirinali, & Exquilino montibus negavit, ab arte superatam fuisse inquit, aquæ naturâ reluctante, cujus est deorsùm labi, non autèm sursùm ferri. Mirificam Fontis structuram per admirationem innuit, cùm molem in cælum usquè, hyperbolicè loquens, sublatam esse dicat. Hic enim fons lapidibus marmoreis extructus, columnis, & saxis in Obelisci formam excisis, necnon historiis ad aquam pertinentibus, mirâ arte exculptis ornatur. Habet autèm Fons tria aquæ magna, ut vulgò dicitur, *Capita*, sivè *Ostia*. Supèr horum medium adstat Moysis statua marmorea: Ad lævam supèr alterum aquæ Caput, historia Gedeonis exculpta cernitur, quandò ex decem millibus hominum trecenti tantum selecti fuerunt ad prœliandum: & hi sunt, qui ad aquas ducti, instàr canum aquas lambere visi sunt, cæteris, qui cernui biberant, à prœlio excluſis. Ex alterâ parte supèr tertium aquæ caput historia Moysis, cum ex saxo ad Hebræorum murmurationem, aquam excussit. Qua de re extat ingeniosissimum Blanci Epigramma, quod est:

Judic. 7.

Num. 20.

Ægypti deserto abiens, è viscere montis
Antiquus Moses eliciebat aquas:
Nunc alter Moses in sicci culmina montis
Sixtus aquas Româ ducit ab Urbe procùl.
Magna ambo: sed uter fecit majora, requires?
Mons illi, hic monti suppeditavit aquas.

Cernuntur infrà, ad Columnarum bases, Leones quatuor marmorei aquam faucibus evomentes, quorum duo sunt ex marmaridum lapide subnigro sub suis basibus cum Hieroglyphicis literis. Hi autèm in areâ Pantheonis intèr duo porphyretica labra olim videbantur.

Suprà fontis verticem intèr duos Obeliscos inspiciuntur insignia Sixti V. à duobus Aligeris sublevata, supèr quibus Montes Cruce sanctissimâ insigniti locati sunt. In marmore autèm hæc Inscriptio cubitalibus literis insculpta legitur:

SIXTUS V. PONT. MAX. PICENUS
AQUAM EX AGRO COLUMNÆ VIA
PRÆNEST. SINISTRORSUM MULTARUM
COLLECTIONE VENARUM DUCTU SINUOSO
A RECEPTACULO MILL. XX. A CAPITE XXII.
ADDUXIT, FÆLICEMQUE DE NOMINE
ANTE PONT. DIXIT.

Paulò Inferiùs,

CÆPIT PONT. A. I. ABSOLUIT III.
MDLXXXVII.

In hujusce itèm rei testimonium intrà Urbis mœnia propè Portam Sancti Laurentii, in Arcu ipsius aquæductus ad eandem rem erecto hæc insculpta extat Inscriptio:

SIXTUS V. PONT. MAX.
DUCTUM AQUÆ FELICIS
RIVO SUBTERRANEO MILL. PASS. XIII.
SUBSTRUCTIONE ARCUATA VII.
SUO SUMPTU EXTRUXIT.
ANNO DOM. MDLXXXV. PONT. I.

Ut autèm hoc tandèm Emblema concludam, dicam tantùm, *Felicem Aquam* hujus Fontis in multas Urbis partes latè, & copiosè diffundi: ex eâque Urbem ipsam sese quodam modo recreasse. Hinc Blancus in altero Inscriptionis versu ait: *Romulea passim jugis in Urbe fluit*: hoc est, Roma *à Romulo* dicta, occultiori denominatione posthabitâ, jugitèr, multisque in locis, Felicibus aquis irrigatur, operâ & industriâ Joannis Fontanæ, qui eas in Urbem feliciter deduxit.

In fronte Bibliothecæ ad lævam apparet.

EMBLEMA VIII.

De Viis.

HOc Emblemate, Viæ novæ & amplissimæ quidèm repræsentantur, quas Sixtus V. ab Exquilino monte in quandam sideris formam ad loca diversa aperuit, ac stravit, collibus, & montibus explanatis. Quod quantam commoditatem populis sacras Ædes extrà Urbem novam visentibus afferat, haùd facilè dici potest. Qua ex re pervigilem summi Pastoris curam circà gregem suum nemo non ignorans, velit nolit, fateri cogitur, viam ampliorem, atque faciliorem sibi reddi, qua quisque ad sacratissimas Basilicas ire, ac demùm indè sideream sibi Domum comparare queat. Id quod meo quidèm judicio siderea illa Viarum forma nos docet. Hinc Blancus ait:

Viæ formam sideris repræsentantes.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

DUM RECTAS AD TEMPLA VIAS SANCTISSIMA PANDIT,
IPSE SIBI SIXTUS PANDIT AD ASTRA VIAM.

MIrum est, quantâ carminis facilitate, & felicitate præstet Blancus, qui non solùm ob ingenii acumen cum Martiali, ut dixi, sed etiàm ob dicendi puritatem & facilitatem cum Ovidio est conferendus. Quod qui cætera, eaque varia illius scripta non perspexerit, vel ex hoc Disticho facilè judicabit: & velut ex ungue Leonem dignoscet. Sixtus igitur V. ut dicam quod ex Blanci Disticho desumpsi, dum nobis novas aperit Vias, & facilè ad Basilicas monstrat iter, amplissimam sibi ipse Viam aperit ad Cælum.

De his Viis in Arcu aquæductus Felicis aquæ intrà Urbis mœnia propè portam Sancti Laurentii hæc legitur Inscriptio lapide incisa.

SIXTUS

SIXTUS V. PONT. MAX.
VIAS UTRASQUE
ET AD SANCTAM MARIAM MAJOREM
ET AD SANCTAM MARIAM ANGELORUM
AD POPULI COMMODITATEM
ET DEVOTIONEM
LONGAS, LATASQUE SUA IMPENSA STRAVIT
ANNO DOM. MDLXXXV. PONT. I.

In fronte Bibliothecæ ad dexteram partem apparet.

EMBLEMA IX.

De Triplici continentiâ, sivè castitate.

EMblemate hoc repræsentatur illud, quod providentiâ SIXTI V. operâ, divinoque consilio de servandâ continentiâ virginali, maritali, & viduali sancitum fuit. Est autem hoc loco allusio ad ipsum Pontificem per tres illos albos Montes in ejusdem insignibus positos, necnon per tres illas coronas Pontificias ad id quod *Regnum mundi* appellatur spectantes. Ponitur enim in summitate alborum Montium, qui puritatem, & castitatem significant, Virginum Chorus intrà Coronam locatus, & circumseptus. Secundo loco Viduarum Chorus alterâ Coronâ cernitur circumdatus. Postremo autem loco conjugatorum tertiâ Coronâ circumvallatus, & custoditus conspicitur. Nàm sicut Virginitas Viduitati, ità nuptiis casta viduitas laude, ac merito præferenda est. Hic ordo adsimilis est verbis Matthæi loquentis de fructu centesimo, sexagesimo, ac trigesimo. Virginibus enim centesimus, Viduis sexagesimus, Conjugatis verò trigesimus debetur fructus in fertili Ecclesiæ agro, quem integritatis flore vernantem, quem viduitatis gravitate pollentem, quem conjugii fructibus redundantem SIXTUS V. tamquàm verus cultor omni labore colit, omnique industriâ exornat, & omni denique vigilantiâ custodit, ut Virginitas Angelorum vitâ hisce in terris floreat, fructuque centesimo non defraudetur: viduitas fidei Magistra vigeat, & sexagesimo non careat fructu: conjugalisque societas fecundet, fructuque trigesimo non privetur, sed quasi in unum jugum juncta maneat, & perseveret. Hinc Blancus de hujusmodi beneficio à SIXTO V. ergà Romam collato, ait:

Conc. Flor. Decr. 10.

Matt. 13.

Amb. lib. de Vid. tom. 4.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

VIRGO INTACTA MANET, NEC VIVIT ADULTERA CONJUX,
CASTAQUE NUNC ROMA EST, QUÆ FUIT ANTE SALAX.

SI quis profectò Blancum diligentèr examinet, eum Martialem alterum judicet, nisi quòd ille Hispanus, hic Gallus: ille lascivior, & latini sermonis non adeò candidus observator, hic pudicitiæ, & puritatis latinæ linguæ amator, & cultor: ille Domitiani Imperatoris res Romæ gestas acutis Epigrammatis concludit, hic Mœcenatis sui SIXTI V. præclara facinora ingeniosis versibus Romæ celebrat. Hoc verò admirabilius est, quòd quæ Domitiani cecinit ille, hic eadem ferè à SIXTO V. facta, sed splendidiora, & Christianam pietatem, Pontificiamque potestatem omnino redolentia nunc decantat. Et ut pleraque alia missa faciam, unum tantùm proponam exemplum, quod ad rem nostram mirificè facit. Antè enim Domitiani tempora adeò Romæ viguerat impudicitia, ut Martialis quodam in Epigrammate Domitiani laudes in reformandâ Urbe extollens, ac temporis acti licentiam, effrænatosque libidinis impetus exprobans in hujusmodi exclamationem proruperit:

At prius, ò mores, & spado mœchus erat,

Et alio in loco dum quamplurima ejus merita ergà Urbem recensèt, eique Romam ob tot tantaque beneficia plurimum debere fatetur, hunc in modum Imperatoris laudes concludit:

Plus debet tibi Roma quòd pudica est,

Blancus igitùr ad id quod contrà Stupratores, & Adulteros à SIXTO V. sancitum fuit, alludens, Romam nunc castam appellat, *quæ fuit antè salax,*

EMBLEMA X.

De Sacello Sixtiniano.

HOc Emblemate repręsentatur Sacellum illud Sixtinianum numquàm satis laudatum, tùm ob egregiam architecturam, structuramque magnificentissimam, diversorum generum lapidibus pretiosis, columnis, & statuis marmoreis, pulcherrimisque picturis, auroque ornatam: tùm maxime ob Christi infantis Domini, & Salvatoris nostri Præsepe, quod hunc locum magis verendum, omnique admiratione, atque devotione spectandum, contemplandumque reddit. Nam SIXTUS V. in suum hoc Sacellum transtulit dictum Præsepe, & in medio locavit: ad quod per gradus descenditur. Ex uno Sacelli latere, & Monumentum & Simulacrum Pii V. Ex altero autèm Sepulchrum SIXTI V. ex marmore candenti onychino, aphrico, omnisque alterius generis nobilissimo confecta cernuntur. Infrà antèm Simulacri Pii V. pedes hæc luculenta Epitaphia leguntur:

PIO V. PONT. MAX.
EX ORD. PRÆDICATORUM
SIXTUS V. PONT. MAX.
EX ORD. MINORUM
GRATI ANIMI MONUMENTUM
POSUIT.

Alte-

Alterum verò, quod illi mox subjungitur, in hanc verborum formulam extat:

PIUS V. GENTE GISLERIA BOSCHI IN LIGURIA NATUS, THEOLOGUS EXIMIUS; A PAULO III. IN INSUBRIA HÆRETICÆ PRAVITATIS INQUISITOR, A JULIO III. SANCTÆ INQUISITIONIS OFFICII COMMISSARIUS GENERALIS, A PAULO IV. EPISCOPUS SUTRINUS, DEINDE S. R. E. TT. S. MARIÆ SUPER MINERVAM PRESBYTER CARD. ET A PIO IV. ECCLESIÆ MONTIS REGALIS, IN SUBALPINIS ADMINISRATOR FACTUS: EO VITA FUNCTO, SUMMO CARDINALIUM CONSENSU PONT. MAX. CREATUR, QUI VETERES SANCTOS PONTIFICES ÆMULATUS, CATHOLICAM FIDEM PROPAGAVIT, ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM RESTITUIT, TANDEM GESTARUM RERUM GLORIA CLARUS, DUM MAJORA MOLITUR, TOTIUS CHRISTIANÆ REIPUB. DAMNO NOBIS ERIPITUR. KAL. MAII MDLXXII. PONT. ANNO VII. ÆTATIS SUÆ LXVIII.

Aliis etiàm imaginibus undiquè colluſtratur, quæ non hiſtoriæ inſtàr narrant, ſed ob oculos ponunt præcipua quædam acta. Eſt ea in primis, qua apparatus pompaque exprimitur, cum Pontifex creatus ſollemni ritu coronatur. A dexterâ ejus cernitur actio figuris expreſſa, cum Marcum Antonium Columnam claſſis Pontificiæ Præfectum pronunciat, & conſtituit. A ſiniſtrâ extat etiàm ad poſteritatem prodita, altera actio, qua Sfortiam, ſanctæ Floræ Comitem, Pontificii auxiliarii exercitus ducem, contra perduelles Caroli Noni, Galliæ Regis, Eccleſiæque hoſtes decernit. Pugnæ navalis deſignatio, & claſſis Chriſtianæ contra Turcas ſtrenue ad Echinadas pugnantis deſcriptio, expreſſa item figuris, alio loco apparet, brevique ac illuſtri narratur elogio hoc:

SELINUM, TURCARUM TYRANNUM, MULTIS INSOLENTEM VICTORIIS, INGENTI PARATA CLASSE, CYPRO QUE EXPUGNATA, CHRISTIANIS EXTREMA MINITANTEM, PIUS V. FOEDERE CUM PHILIPPO II. HISPANIARUM REGE, AC REP. VEN. INITO, M. ANTONIUM COLUMNAM, PONTIFICIÆ CLASSI PRÆFICIENS, AD ECHINADAS, HOSTIBUS XXX. MILL. CÆSIS, X. MILL. IN POTESTATEM REDACTIS, TRIREMIBUS, CLXXX. CAPTIS, XC. DEMERSIS XV. MILL. CHRISTIANIS A SERVITUTE LIBERATIS, PRECIBUS, ET ARMIS DEVICIT.

Ex alterâ parte imago cernitur prœlii, & victoriæ, quæ, eo ipſo duce Sfortiâ, in Gallia de hæreticis reportata eſt: habetque itèm inciſam inſcriptionem hanc;

GALLIAM CAROLO IX. REGE, PERDUELLIUM, HÆRETICORUMQUE NEFARIIS ARMIS VEXATAM, UT DE REGNO, DEQ. RELIGIONE ACTUM VIDERETUR, PIUS V., SFORTIÆ, COMITIS SANCTÆ FLORÆ DUCTU, MISSIS EQUITUM, PEDITUMQUE AUXILIARIBUS COPIIS, PERICULO EXEMIT. HOSTIBUSQUE DELETIS, VICTORIAM REPORTAVIT, REGI REGNUM CUM RELIGIONE RESTITUIT. SIGNA DE HOSTIBUS CAPTA, AD LATERANENSEM BASILICAM SUSPENDIT.

Habet prætereà Sacellum hoc Sixtianum hemicyclia ſex ſuo loco diſpoſita; in quorum primo, Apoſtolorum Principis Petri, in altero Beati Pauli Apoſtoli, in tertio Sancti Dominici Confeſſoris, in quarto Sancti Petri Martyris, in quinto Seraphici Franciſci, in ſexto Sancti Antonii Patavini ſimulacra, marmore pulcherrimo exculpta cernuntur.

De his omnibus Petrus Galeſinus Proton. Apoſtolicus in translatione Corporis Pii V. eleganti & ſolutâ ſcripſit oratione. Hæc igitùr, & multo plura, quæ verbis explicare nemo poteſt, contemplatus Inſcriptionis Auctor, mirâ ſcilicèt rerum pulchritudine, ſummâ artis excellentiâ, & loci veneratione captus hunc in modum ait;

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

VIRGINIS ABSISTIT MIRARI TEMPLA DIANÆ,
QUI FANUM HOC INTRAT, VIRGO MARIA, TUUM.

HIſce in Verſibus alluſio eſt Dianæ Virginis ad Beatam Mariam ſempèr Virginem, Virginem ſcilicèt antè partum, in partu, & pòſt partum; Virginem ſine exemplo, Virginemque ut multa paucis complectar, *quæ nec ſibi ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem*, ut Eccleſia ſacroſancta teſtatur. Blancus igitur, hac alluſione, & comparatione poeticâ Sacellum hoc Sanctæ Mariæ ad Præſepe dicatum oſtendit admirabilius eſſe Dianæ Templo, quod adnumeratum fuit inter ſeptem Mundi miracula, quæ ſunt Mauſoleum ab Artemiſiâ Cariæ Reginâ in memoriam viri extructum, Coloſſus ſolis apùd Rhodios, Jovis olympiaci ſimulacrum ex ebore à Phidia factum, Muri Babylonis quos Semiramis Regina conſtituit, Pyramides in Ægypto, Domus Cyri Medorum Regis, quam Memnon arte prodigâ, illigatis auro lapidibus, fabricavit, & Dianæ Epheſiæ Templum quod ſummæ magnificentiæ fuit, & admirationis apùd priſcos, ducentis viginti annis factum à totâ Aſiâ; cujus longitudo erat 425. pedum; latitudo verò 220. Columnæ centum viginti ſeptem à ſingulis Regibus factæ, ſexaginta pedum altitudine; & ex his triginta ſex cælatæ, ut apùd Plinium fuſiſſimè videre licet. Hoc autèm Templum Heroſtratus Epheſius, homo ignauus & ſceleſtus ſuis manibus incendit, ut eâ re nominis immortalitatem compararet.

Antiph. ad Laud. Nat. Dom.

Lib. 34. cap. 7.

Septem Mundi miracula.

Lib. 7. cap. 28. & lib. 36. c. 5. & Strabo lib. 14.

Ut igitùr Blancus Dianę Templum à Sacello Sixtiano ſuperatum eſſe indicet, Beatam Mariam ſempèr Virginem alloquens ait; *Qui tuum, Virgo, ingreditur Sacellum, Dianæ Templum admirari abſiſtit*, ideſt, *deſiſtit*. Abſiſtere enim pro *deſiſtere* ponitur. Sic Virgilius;

Virg. 6. & 8. Æneid.

Abſi-

Abſiſte moveri; *Abſiſte rogando*. Sic Claudianus; *Abſiſte rogari*. Sic & alii hoc verbo uſi ſunt. De hoc Sacello Sixtiano opus elegantiſſimum carmine Heroico in tres libros diſtinctum edidit Franciſcus Badeſius.

EMBLEMA XI.

De Obeliſco ad Ædes Sanctæ Mariæ de Populo erecto.

EMblemate hoc ob oculos ponitur Obeliſcus ille Hieroglyphicis inſignitus notis, & in Circo Maximo olim locatus; nunc verò antè Ædes Sanctæ Mariæ de Populo à SIXTO V. translatus, & erectus, ad Sanctiſſimam Chriſti Crucem ſupèr Montes, ac Stellam in faſtigio Obeliſci poſitam ſuſtinendam, ut ſignificetur, hiſce in terris, atquè in Cælo Crucem ipſam regnare.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

MAXIMUS EST OBELUS, CIRCUS QUEM MAXIMUS OLIM
CONDIDIT, ET SIXTUS MAXIMUS INDE TRAHIT.

Obeliſci altitudo.

CIrcus, in quo erat Obeliſcus hic, altitudinis centum & ſex palmorum citrà baſim, appellabatur *Maximus*, vel quià maximus erat Circorum omnium, qui quatuor erant in Urbe primarii, vel quia, teſte Annio Viterbienſi, Vertumno Jano Deorum maximo ab ipſis gentilibus ſacratus erat. Hic locus, in quo ludi fiebant longitudine ſtadiorum trium, hoc eſt paſſuum 437. latitudine verò 125. à Tarquinio primùm conſtructus, à Cæſare autèm dictatore in ampliorem, & nobiliorem, ditioremque formam 40000. Sextertiis redactus, ducenta & ſexaginta hominum millia ſedentium capiebat. Hinc forſan Inſcriptionis Auctor ad magnitudinem Circi maximi alludere voluit dicens, maximum eſſe Obeliſcum, cùm tamèn Lateranenſi, & Vaticano ſit longe minor. Qui autèm eum è Circo maximo ad hunc locum tranſtulit, & erexit, tùm nomine, tùm re non ſolùm Pontificiâ poteſtate, ſed rebus etiàm geſtis verè maximus eſt, & jure dici debet. In hujus Obeliſci baſi hæc Inſcriptio olim inſculpta legebatur.

Circi maximi longitudo, & latitudo.

IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS
PONTIFEX MAXIMUS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
POPULI ROMANI REDACTA
SOLI DONUM DEDIT.

Inſcriptiones novæ in Obeliſci baſi nondùm exculptæ ſunt, hinc ipſæ hoc in loco apponi non potuerunt.

EMBLEMA XII.

De Domo Mendicantium.

HOc Emblemate repræſentatur Summa SIXTI V. pietas, Domuſque Mendicantium uſui, magnâ liberalitate ab eodem Summo Pontifice conſtructa. Hic enìm tamquàm verus Paſtor ſuis ovibus non ſolùm panem Spiritualem, ſed etiàm corporalem præbere ſtudet, dum tot pauperes mendicitate laborantes unum in locum cogit, atquè inibi pòſt largam annonam Urbi comparatam, divino primùm verbo deindè temporali cibo alendos, & cætera humanæ indigentiæ neceſſaria iiſdem ſubminiſtranda diligentèr curat: nec amplius tot pauperes, tam ſenes, quàm juvenes, & filios parentibus orbatos, & mulieres, necnon Virgines, & Viduas gementes, auxiliumque poſtulantes per Urbem, & per Eccleſias turmatìm ire patitur. Quod qui hodiè fieri non videt, ſed potiùs mendicis Urbem carere cernit, admirari non deſiſtit. Hinc Inſcriptionis Auctor hujus novitatis cauſam, interrogatione præmiſsâ, hunc in modum exponit.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS

QUÆRIS, CUR TOTA NON SIT MENDICUS IN URBE:
TECTA PARAT SIXTUS, SUPPEDITATQUE CIBOS.

PUlchrè dubium dilvit, & admirationem tollit Inſcriptionis Auctor: potuiſſet enìm verè admirari qui olìm tot pauperes, & mendicos in Urbe vidiſſet: vel qui modò tantùm ad Urbem acceſſiſſet, & in tantâ hominum frequentiâ nullum mendicum cerneret. Itaquè Inſcriptionis Auctor ait: *Tecta parat* SIXTUS: Id pertinet ad Ptochodochium, idèſt ad locum mendicis recipiendis deſtinatum. *Suppeditatque cibos*: Id ſpectat ad Ptochotrophium, idèſt, ad locum mendicis alendis paratum. Hinc domus hæc *Mendicantium* dicta, à SIXTO V. conſtructa, & Ptochodochium, & Ptochotrophium ſimùl eſt: in quam domum recipiuntur, & inibi aluntur mendici. In cujus rei teſtimonium ad portam Domus hæc Inſcriptio marmore inciſa legitur.

SIXTUS V. PONT. MAX. PICENUS
PAUPERIBUS PIE ALENDIS
NE PANE, VERBOQUE CAREANT
MULTO SUO COEMPTAS ÆRE,
HAS ÆDES EXTRUXIT,
APTAVIT, AMPLIAVIT,
PERPETUO CENSU DOTAVIT
ANNO DOM. MDLXXXVII. PONT. II.

EMBLEMA XIII.

De ſtatuâ Sancti Pauli in Columnæ faſtigio locatâ.

HOc Emblemate repræſentatur Dedicatio Statutæ Æneæ S. Pauli ſupèr Columnam Cochlidem Antonianam à SIXTO V. collocatæ. Hæc Columna altitudinis palmorum 279. citrà baſim gradus marmoreos intrinſecùs ducentos ſex, & feneſtellas ſexaginta ſex habens, Antonino Imperatori, cognomen-

gnomento Pio, ob pietatem, & clementiam sibi ab hominibus adscriptam, à M. Antonio Philosopho, ejus filio adoptivo erecta, & variis ejusdem gestis, & victoriis miro artificio exsculpta, dedicata est.

De hac historia vide infra.

Euseb. in Chron. Volaterr. & alii.

Hic, anno Domini CXL. regnare cœpit, & Eusebio teste, primus permisit, ut Resurrectio Dominico die celebraretur. Simulacrum ejus in fastigio hujus Columnæ, ut in numismatis videre licet, olim cernebatur: nunc verò SIXTI V. jussu Sanctissimo, Statua S. Pauli jure conspicitur. Quarè Inscriptionis Auctor ait.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS

JURE ANTONINUM PAULO VIS, SIXTE, SUBESSE.
NAM VERE HIC PIUS EST, IMPIUS ILLE PIUS.

ELegantem nominis, & rei allusionem tangit Blancus, dum rationem reddit, cur SIXTUS V. Antonino Pio Columnam ademerit, ut eam Paulo daret: nimirùm, quià Paulus verè pius, fuit Christianæ pietatis disseminator, Doctor egregius, & fortissimus Christi athleta: ille verò, licèt pietatis politicæ nomen sortitus fuerit, re tamèn ipsâ ethnicâ impietate pollutus extitit, & verâ fortitudine, & eloquentiâ, quibus Imperator falsò laudabatur, ab eodem Paulo longè superatus fuit. Itaquè non solùm ob dictas rationes in Columna Antoniana triumphum jure agit, verùmetiàm ob eam causam, quæ de Petro in Columna Trajana triumphum gerente in Emblemate quarto fuit assignata. Inscriptiones novæ in Columnam incidendæ ad hanc usquè diem incisæ non sunt; hinc ipsæ hoc in Emblamate apponi non potuerunt.

EMBLEMA XIV.

De Translatione Pii V.

PIus V. Pont. Max. vitæ sanctimoniâ clarissimus in Basilica Sancti Petri Tumolo non satìs nobili jacebat: SIXTUS autèm V. grato ergà illum animo in Sacello suo Monumentum magnificentissimum eidem extruxit, illiusque corpus sollemni pompâ, mangnâquè cujusvis ordinis hominum frequentiâ eò transferri jussit.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

TRANSFERS SIXTE PIUM: TRANSFERRE AN DIGNIOR ALTER,
TRANSFERRI AN VERO DIGNOR ALTER ERAT?

SUbtilis est Inscriptionis Auctor, & paucis verbis multa complectitur, dum ait; Transferri Pium V. à SIXTO V. hoc est, Pontificem dignissimum à Pontifice dignissimo, nequè digniorem à digniore potuisse transferri. De hac translatione Petrus Galesinius Proton. Apost. elegantèr, & erudite scripsit.

EMBLEMA XV.

De Obelisco ad Ædes Sanctæ Mariæ de Præsepe sito.

HOc Emblema est Obelisci, quem Octavius Augustus erexit in Mausoleo, quod in Valle Martiâ non procùl ab Ædibus Sancti Rocchi sibi, & posteris Augustis magnificentissimè construxit. In hoc celeberrimo Sepulchro erant statuæ Æneæ, atquè marmoreæ cum inscriptione Pacis, & Victoriæ, & PP. ad honorem ipsius Augusti. Erant præterea ingentes, & pulcherrimæ Columnæ cum parietibus marmoreis, porphyreticisque lapidibus incrustatis. Mausoleum autèm erat in excelsis fundatum molibus lapide niveo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum in summum usquè verticem ad fluminis ripam exaggeratum; & in ejus summitate locatum fuerat Cæsaris Augusti Simulacrum ex ære fabricatum, duoque Obelisci Mausoleum ornabant, quorum unus altitudinem palmorum 70. est., quem antè Sancti Rocchi Ædes humi jacentem ad Basilicam Sanctæ Mariæ Majoris, ubi est Christi Præsepe, SIXTUS V. transtulit, & erexit. Hinc Inscriptionis Auctor ait.

Obelisci altitudo.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

QUI REGUM TUMULIS OBELISCUS SERVIIT OLIM.
AD CUNAS CHRISTI, TU PIE SIXTE, LOCAS.

PAuca in fronte, sed à tergo multa hoc videtur continere distichon per hujusmodi antitheton *Tumuli, & Cunarum*, mortis scilicèt, & vitæ, Tyrannorum, & veri Regis Christi Salvatoris nostri. Inscriptionis enìm Auctor his duobus versibus dicta omnia, multoque plura comprehendere visus est, dum ait hunc Obeliscum inserviisse olìm Tumulis, & sempiternę morti Regum, nunc verò servire nascenti Christo, Regi regum, ac veræ, æternæque vitæ Auctori. Hinc quantò præstantior est vita æterna, quam mors numquàm finem habitura, ità Obeliscus præstantius sibi munus, & obsequium comparavit. Quarè non immeritò Joannes Chrysostomus vitam nostram, e Christi ortu nascentem animo revoluens, Salvatoris nostri nativitatem omnium festorum Metropolim esse asseveravit. Inscriptiones sunt quæ sequuntur.

Io: Chrisost. tom. 3. in fine de beato Philogonio.

I.

CHRISTUS PER INVICTAM CRUCEM POPULO PACEM PRÆBEAT, QUI AUGUSTI PACE IN PRÆSEPE NASCI VOLUIT.

II.

CHRISTUM DOMINUM, QUEM AUGUSTUS DE VIRGINE NASCITURUM VIVENS ADORAVIT, SEQUE

SEQUE DEINCEPS DOMINUM DICI VETUIT, ADORO.

III.

SIXTUS V. PONT. MAX. OBELISCUM ÆGYPTO ADVECTUM AUGUSTO IN EJUS MAUSOLEO DICATUM EVERSUM DEINDE, ET IN PLURES CONFRACTUM PARTES IN VIA AD SANCTUM ROCCHUM JACENTEM IN PRISTINAM FACIEM RESTITUTUM SALUTIFERÆ CRUCI FELICIUS HIC ERIGI JUSSIT, ANNO DOM. M. D. LXXXVII. PONT. III.

IV.

CHRISTI DEI IN ÆTERNUM VIVENTIS CUNABULA LÆTISSIMÆ COLO QUI MORTUI SEPULCHRO AUGUSTI TRISTIS SERVIEBAM.

EMBLEMA XVI.

De Triremibus, sivè de Classe Pontificiâ.

EMblema, quod ad dexteram introitus Bibliothecæ Vaticanæ primò cernitur, Classem Pontificiam complectitur: quam Sixtus V. ad abigendos piratas, qui nostra Italiæ maria frequentèr infestabant, & in ipsum Italicum solum non rarò incurrebant, & omni ferocitate grassabantur. De Sixti V. Triremibus elegantissimè, & eruditè scripsit Antonius Quarengus, vir perpolitis quidèm literis ornatus.

Hoc autèm animadversione dignum est, respondere sibi invicem, & ex adverso loco sita esse hæc duo Emblemata, liberationis scilicèt Italiæ, quod à læva primùm apparet: & hoc Classis Pontificiæ, quod ut diximus, primùm à dextra conspicitur. Id quod factum est, ut ex unâ parte, Terra ipsa prædonibus liberata, & ex altera sit Mare piratis perpurgandum. Hinc Inscriptionis Auctor ait:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

INSTRUIT HIC SIXTUS CLASSES, QUIBUS ÆQUORA PURGET,
ET SOLYMOS VICTOS SUB SUA JURA TRAHAT.

MIrum non est, hoc loco Inscriptionis Auctorem non solùm de piratis expellendis, verùm etiàm de sacro bello, & Turcarum extirpatione agere, cum alibì, præsertìm verò in suo Eucharistico carmine omnes ingenii sui vires, & nervos videatur intendisse ad bellum in Turcas concitandum, & promulgandum. Hoc itèm superioribus diebus declaravit elegantissimo illo Epigrammate, quod hunc in modum exorditus est:

Postquàm Italis victos exegit finibus hostes
Et mihi adhùc restant æquora, Sixtus ait.

Sed quamvìs Blancus id apertè dixerit, ego tamèn ex eo Navis Emblemate recondita quædam intelligenda esse suspicor, dum arcana contemplor antiquorum, qui hoc commento, sivè potiùs Hieroglyphico non solùm manifestam oppugnationem contrà hostes, tutelam pro se, refugium, atquè securitatem, verùm etiàm salutem, & felicitatem præseferre studebant. Id quod ex numismate Jani, qui in Italiam venit, nobis planum fit, in cujus numismatis alterâ parte Navis: & ex alterâ ipse Janus geminus in æs incidebantur. Qua de re Ovidius hunc morem scrutatus dixit:

At bona posterìtas puppim signavit in ære
Hospitis adventum testificata Dei.

Ex hoc numismate manavit ad Posteros lusus quidam, sed mysticus, & in quibusdam Europæ partibus ad hanc usquè diem servatus, & à paucis intellectus, quo pueri denarios in sublime jactantes, exclamabant, *aut caput, aut navim*: quorum altero, post firmatum humi nummum, inspecto, ejus erat victoria, qui divinasset: cujus lusus genus hodiè in Italia sub nomine Sanctissimæ Crucis, per quem salus nostra advenit, & sub Sancti nomine fieri solet. Manavit indè in posteriores Romanos usus incidendæ Navis in numismata, sicùt videre est in Adriani nummo: in cujus alterâ facie Navis, cum his literis: S. C. Cos. III. PP. cernitur: in alterâ verò hæc legitur inscriptio: *Felicitati Aug.* Idem in Augusti nummo cum eâdem inscriptione conspicitur. Navis itèm felicitatis, & salutis indicium erat apùd Athenienses, ut Plato in Phædone testatur. Christiana tandèm pietas felicissimi successus, & salutis suæ signum habet, Navem ipsam cum Piscatore Petro tàm in familiari Summi Pontificis annulo, quàm in aureis Apostolici fisci nummis expressam felicitatem, & salutem tot annis anteà præmonstratam, sed ab iis, qui verum Deum ignoraverunt, non intellectam. Quod enim Ovidius de Nave Jani dixit: Plato in Phædone.

Hospitis adventum testificata Dei,

Sumptum fuit ex altiori disciplinâ ab eo ignotâ, qua homìnes admoniti forent, hospitem adventurum, Petrum scilicèt Christi Vicarium, qui Nave, hoc est in Ecclesiâ, verum Dei cultum, & salutem humano generi subministraret, ut factum est. Quod etiàm, ni fallor, numismata quædam, quæ nuper ad manus meas pervenerunt, præseferre videntur: in quorum alterâ parte SIXTI V. effigies: in alterâ verò Navis conspicitur cum hac Inscriptione, *Terra, Mari securitas*: quæ profectò securitas, & salus ex Pontificatu SIXTI V. mirum in modum in Christiano Orbe vigent.

De omnibus penè rebus hucusquè à me explanatis, & à SIXTO V. Pontifice Maximo præclarè gestis Joannes Franciscus Bordinus, varia carmina elegiaca superiori anno edidit, & figuras ipsas suo in libello repræsentavit. Hæc de Emblematis. Nunc reliquum est, ut ad Bibliothecas accedamus.

DE

DE

BIBLIOTHECIS

AD

LÆVAM BIBLIOTHECÆ VATICANÆ,

Per Federicum Ranaldum Valven. Bibliothecæ Custodem excogitatis, & per Petrum Galesinum Protonotarium, Apostolicum, & Silvium Antonianum Sacri Collegii Illustrissimorum S. R. E. Cardinalium Secretarium dispositis, atquè Inscriptionibus illustratis, & per Pictores penicillo repræsentatis.

BIBLIOTHECARUM usus apùd omnes Populos, Hebræos scilicèt, Græcos, Latinos, atquè Barbaros frequentissimus fuit sempèr. Id quod non sinè ratione factum esse asseverandum est, cùm vivos Præceptores habere sempèr nobis non liceat, aut saltèm non sempèr doctos, & præclaros Viros. Hinc à Regibus olim, & Imperatoribus, & locupletibus hominibus, bonarumque artium cultoribus, vel certè earundem amatoribus jamindè à priscis illis temporibus ad hanc usquè diem Bibliothecæ in pretio fuerunt, ut in iis optimorum Auctorum libri reconderentur: & ex iisdem suo itèm tempore tamquàm è Penu depromerentur. Institutum, est verè insigne, & omni ex parte laudandum: & antequàm Typographica ars fuisset inventa, summoperè necessarium, ut veterum scripta ab interitu, & disciplinæ ab oblivione vindicarentur. Harum rerum, Typographiæ scilicèt, ac Bibliothecæ institutum Sixtus V. ad omnia præclara, & Pontificia sanè opera, omnique laude, admirationequè digna conficienda natus, veterum omnium ingenia, generososque animos, eorumquè operam tùm ingenti rerum gestarum copiâ, tùm etiàm magnitudine, atquè præstantiâ longè superans, majorem in modum præstitit. Illam enim in Vaticano ad Sanctorum Patrum codices restituendos, Catholicamquè disciplinam toto terrarum orbe propagandam instituit. Hanc autèm ad veterum Scriptorum monumenta excolenda, atquè conservanda publicæ studiosorum commoditati, universæque Reipublicæ Christianæ utilitati, feliciter, ut solet omnia, omniumque admiratione, restituit. Ad hujus verò Bibliothecæ ornatum, omniumque Literatorum solatium, insigniores, ac vetustiores Bibliothecæ non solùm sacræ, sed etiàm profanæ per Pictores in pariete expressæ, repræsentantur: quarum prima Hebræa est, ut infrà videre licet.

BIBLIOTHECA HEBRÆA

In sinistro angulo depictæ Bibliothecam Vaticanam ingredienti primùm sese offert.

BIbliotheca Hebræa in Templo erat, ubi Prophetarum libri, & Judicum, ac Regum acta asservabantur: & jamindè à Moyse ex diuino jussu ortum habuit: Deus enim, Amalech devicto, dixit Moysi: *Scribe hoc ob monimentum in Libro, & trade auribus Josue.* Exod.17. Hinc de hujusmodi Bibliotheca in 2. Machabæorum libro apertè legitur hunc in modum: *Inferebantur autèm in descriptionibus, & commentariis Nehemiæ hæc eadem, & qualitèr constituens Bibliothecam, congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & Epistolas Regum, & de donariis.* 2.Mac.2. Moyses denique, ut in Deuteronomio legitur, postquàm verba legis conscripsit, Levitis, qui fœderis Arcam portabant, præcepit dicens: *Tollite librum istum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contrà te in testimonium.* Deut.31. Id quod in prima sinistri anguli parte repræsentatur, ubi Moyses Levitis juxtà fœderis Arcam adstantibns librum porrigere cernitur. Quam rem Inscriptio hunc in modum expressè declarat:

MOYSES LIBRUM LEGIS LEVITIS
IN TABERNACULO REPONENDUM TRADIT.

EX alterâ anguli parte nonnullæ imagines depictæ Bibliothecam diligentèr tractare videntur, ubi repræsentatur Bibliotheca illa,

Isid. Hispal. lib. 7. etymol. cap. 3.

illa, quam Esdras Sacerdos, & scriba post incensam legem à Chaldæis, cùm Judæi regressi sunt in Hierusalem, divino afflatus spiritu reparavit, cunctaque legis, ac Prophetarum volumina, quæ fuerunt à Gentibus corrupta, accuratè, ut Rabanus Maurus ait, correxit: totumque vetus Testamentum in

De Instit. Cler. cap. 54.

duos, & viginti libros distinxit, ut tot libri essent in lege, quot literæ apud Hebræos habentur. Hic item non solùm libros emendavit, sed etiam præter illos duos canonicos, qui sub ejus nomine in Bibliis Sacris leguntur, quatuor, ac ducentos libros edidit, ut nos testatum legimus: ex quibus septuaginta libros non nisi sapientibus tradendos esse ait. Hinc nonnulli suspicati sunt Cabbalam apud Hebræos ab ipso collectam fuisse, hujusque

Geneb. lib. 2. Chron.

generis libros Picus Mirandulanus, mirum naturæ Monstrum, sese habuisse scribit. Hic igitur Esdras, ut missa isthæc faciamus, non

Ex 4. lib. Esdræ non canonico c. 14.

solùm libros corruptos correxit, aliosque confecit, sed Bibliothecam Hebræam restituit, restitutam auxit, & auctam diligenter conservandam curavit, ut videtur præseferre Inscriptio, quæ in hanc legitur formam:

ESDRAS SACERDOS, ET SCRIBA
BIBLIOTHECAM SACRAM RESTITUIT.

SCHOLA BABYLONICA

In primo Interfenestrio depicta.

Anno mundi 3568.

IN primo Interfenestrio Schola Babylonica jussu Nabuchodonosor regis instituta repræsentatur: in eâ enim pueri, in quibus non erat macula, formâ elegantes, & decori, & de regio semine orti, literas, & linguam

Dan. 1.

Chaldæorum docebantur, ut inibi per tres annos victu regio enutriti coram Rege deindè stare, ejusdemque Regis negotia tractare

Dist. 37. Qui de mensa.

possent. Hac in Scholâ, Daniel Propheta de stirpe David regiâ adhuc ferè infans captivus è Judæâ in Babyloniam perductus unàcum Ananiâ, Azariâ, & Misaele sociis pueruli cernitur. Hi Chaldæorum linguam, eorumque artes, omnes per trium annorum spatium didicerunt, non ut doctrinam Babylonicam sequerentur, sed ut eam reprobarent, sicut de Moyse legitur, qui eodem consilio omnem sapientiam Ægyptiorum adeptus fuit. Hi propter abstinentiam, ac divinæ legis obedientiam cibis regiis vesci noluerunt, sed leguminibus tantùm, & aquâ contenti cæteris sapientiores, & pulchriores aliis, qui cibo regio vescebantur, reperti sunt: per quos deindè apud Chaldæos, & Persas Dei religio latè propagata fuit. Daniel verò omnium visionum, & somniorum intelligentiam à Deo accepit: & vir factus, ut ait Epiphanius, fuit adspectu aridissimus, & squalore obsitus: in favore autem, & gratiâ perquàm speciosus. Triennio expleto, Daniel cum sociis à Rege accersitur per Eunuchorum Præpositum, qui cum Eunucho, cui horum puerorum cura demandata fuerat, hac de accersione nonnullis præstolantibus loqui præsefert. Hac in Scho-

Dan. 1.

Dan. 2.

Epiph. de vita prophet.

lâ Danielem, tresque ejus socios, necnon & alios literarum studio operam navantes videre est: quorum alii legere, alii scribere, alii verò meditari videntur. Hujus Scholæ Inscriptio est:

DANIEL, ET SOCII LINGUAM,
SCIENTIAMQUE CHALDÆORUM EDISCUNT.

EX alterâ hujusce Interfenestrii parte complures imagines conspiciuntur, quę consultationem, sivè potiùs decretum perquirendum de Templi instauratione repræsentant, ut inscriptio, quæ eo loci legitur, apertè declarat his verbis:

Esdræ 1. c. 5. & 6.

CYRI DECRETUM DE TEMPLI INSTAURATIONE
DARII JUSSU PERQUIRITUR.

Ut autem ambiguitates de instauratione Templi è medio tollantur, nonnihil dicere operæ pretium duxi. Templum Domini à Salomone anno ab Orbe condito 3146. construitur annis centum, & quadraginta tribus, priùs quàm Tyrii Carthaginem Coloniam conderent, Josepho teste. Hoc Templum augustissimum fuit, & omni admiratione dignum, ita verò, ut illa septem Mundi miracula longè superarit: constructumque fuit centum quinquaginta tribus millibus Proselytarum inter Israelitas inventis, qui ad lapicidinas, & ad lapides, & saxa in opportunum locum asportanda operas suas præstarent. Anno verò ab orbe condito 3569. tàm Hierusalem, quàm Templum in tertiâ captivitate à Babyloniis solo æquatur. Anno autem mundi 3638. Templi instauratio à Cyro concedi

Genebr. lib. 1. Chron. anno mundi 3146.

Lib. 8. antiq.

2. Paralip. 2. & 3. Reg. 7.

Genebr. lib. 1. Chron. anno mundi 3146. & 3638.

tur, & à Zorobabele, fundamenta jaciuntur, sed jussu Artaxerxis structurâ intermissâ, anno 2. Darii longimani perficitur. Anno autem Mundi 4157., & anno Christi 69. invito, & renitente Tito, Templum hoc à militibus incensum fuit, ita ut humanâ industriâ ignis extingui non potuerit. Ter Templum deindè Judæi instaurare conati sunt, sub Hadriano, sub Constantino Magno, & Juliano Apostatâ, qui non solùm à vitâ monastichâ, ut fertur, sed etiam à Catholica fide desivit. Hic, ut ait Joannes Chrysostomus, omnium Imperatorum impiissimus bonos sanctosque mores, Christianamque vitam evertere studuit, dum monasticham vitam professos fœdissimâ sævitiâ necandos, scholas item claudendas, sacros Codices omnes comburendos, & Ecclesias devastandas curabat, Ecclesiæque hostes, & apostatas fovebat. Hic denique, tamquàm Christi hostis scelestissimus, ut ejus nomen omninò deleret, si potuisset, Anno à Christi Salvatoris nostri ortu 356. pro Templo Judæis iterùm, hoc est tertiâ vice, ædificando, etsi ipse Idolis serviebat, pecunias tamèn contulit, & artifices undiquè evocavit furens, ut Domini sententiam everteret, qui Templum Salomonicum deincèps instaurari non patitur. Hinc, ut ait Joannes Chrysostomus, cùm artifices hoc tam impium scelus tentassent, fundamentaque aperire cœ-

Esdr. 1. c. 3. 4.

Esdræ lib. 3. non canonico c. 5., & 6.

Geneb. lib. 2. Chron. Anno Christi 69.

Homil. 3. adverſ. Judæos tom. 5.

Homil. ut ſupra ad finem.

pissent, multamque terram exhausissent, restaretque ut jam structuram aggrederentur; protinùs ignis exiliens è fundamentis multos exussit, & intempestivam, atque impiam pertinaciam interrupit. Quare hoc exemplo Judæi, suum ipsorum statum funditùs deletum esse, nec eum ampliùs instauratum iri monentur, Deo ita jubente, qui cum infirmitati nostræ providens Ecclesiam suam sanctam, & Catholicam amplificari vellet, omnia illa subvertit, & penitùs tolli ita voluit, ut sine ullâ cunctatione illis cessantibus, hæc vera esse, pro quibus in illis typus præcesserat, crederemus. Erat enim priùs Hierusalem urbs magna, & regalis, at ubi Templum Dei CHRISTUS venit, qui cælestis Hierusalem cœpit aperire mysteria, deletâ illâ terrenâ, eo in templo lapis super lapidem non remansit. Erat priùs Pontifex sanguine taurorum, & hircorum purificans populum: sed ex quo verus apparuit Pontifex, qui credentes suo purificaret sanguine, nusquàm est ille Pontifex prior, nec ullus ei locus relictus. Altare fuit prius, & Sacrificia celebrabantur: sed ubi venit verus AGNUS, qui seipsum hostiam obtulit DEO, cuncta illa velut in tempus posita cessaverunt. Hæc ex Origene. Non est igitur quòd Judæi tertium Templum materiale amplius expectent: tertium enim Templum spirituale advenit CHRISTUS, qui de seipso, hoc est de Templo corporis sui dixit: *Dissolvam Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Instauratio autem, quæ hoc in loco memoratur, est de secundo Templo, quod Zorobabel inchoavit, ut in tertio libro, qui Esdræ dicitur, videre est. Hic enim, & quartus quamvis canonici non sint, sunt tamen alicujus auctoritatis. Hæc de Scholâ Babylonicâ, necnon de Templi instauratione. Nunc reliqua persequamur.

Geneb. lib. 2. Chron. anno mundi 4157.

Hom. 10. in Levit.

Mat. 14.

Esdr. lib. 3. c. 5.

BIBLIOTHECA GRÆCA.

IN secundo Interfenestrio Bibliotheca Græcorum repræsentatur: in cujus priori parte Pisistratus Athenienſium Tyrannus, in secundâ verò Seleucus Macedoniæ Rex, Nicanor dictus, unàcùm aliis imaginibus depicti cernuntur. Pisistratus enim primus in Græciâ creditur Bibliothecam instituisse: quam deinceps ab Athenienſibus auctam Xerxes Persarum Rex Athenarum potiùs abstulit, & ad Persas asportavit. Seleucus verò longo post tempore Athenas referendam curavit. Id quod Inscriptiones, quæ infrà leguntur, apertè docent; quarum prior in hanc legitur formam:

Gell. li. 6. Noct. c. 17.

PISISTRATUS PRIMUS APUD GRÆCOS BIBLIOTHECAM INSTITUIT.

Altera verò:

SELEUCUS BIBLIOTHECAM A XERXE ASPORTATAM REFERENDAM CURAT.

BIBLIOTHECA ALEXANDRINA.

POst Græcam Bibliothecam in eodem Interfenestrio sequitur Bibliotheca Alexandrina, ab Alexandriâ Civitate nomen suscipiens, & à Ptolomæo Philadelpho, Ægypti Rege, & Stratonis discipulo, constructa. Hic enim, quod ad Bibliothecæ studium pertinet, cum Pisistratum æmularetur, maximis impensis, undiquè conquisitos, libros describi curavit, septuagintaque, vel ut ait Gell. septingentis voluminum millibus Bibliothecam instruit, quam ut sacris etiam Codicibus insigniret, vetus Testamentum ex Hebræo in Græcam linguam per septuaginta duos Interpretes ab Eleazaro Judæorum Pontificè ad hanc rem præstandam selectos trecentis plus minus ante Christum natum annis transferri curavit. Quod ut ab eodem Eleazaro faciliùs impetraret, Judæos, ad centum viginti millia libertati restituit, & auri quinquaginta talenta ad crateras, & libatoria facienda, necnon, & gemmas fere innumeras Hierosolymam misit. Hi autem septuaginta duo viri apud Pharum Nili insulam in singulis cellulis, singuli, ut ait Augustinus, seorsùm locati, Biblia interpretati sunt, tantâ Spiritus Sancti virtute, ut in omnibus planè convenirent; & ne in minimo quidèm verbo discreparent, oracula de CHRISTO obscuriora, necnon de Sanctissimâ Trinitate Spiritus Sancti instinctu contegentes; ne Ptolemæo eorum mysteriorum non capaci scandalum afferrent, & ne canibus sanctum darent. Bello tandèm Alexandrino, quod Julius Cæsar contrà Ptolemæum gessit, ut Cleopatram ab ipso pulsam restitueret, cùm Urbs à Cæsare fuisset incensa, hæc etiam Bibliotheca deflagravit, Translatione septuaginta Interprætum, ob divinam providentiam, servatâ. Hujus Bibliothecæ Præfectus erat Demetrius Phaleræus vir doctissimus, ac Theophrasti discipulus. Quarè in prima hujus Interfenestrii parte Ptolemæus Rex, Demetrius Bibliothecarius, & Aristeas ὑπερασπιστὴς Regis, cernuntur, dum ille Bibliothecam ingenti librorum copiâ struendam curat, & Veteris Testamenti translationem procurandam studet. In alterâ verò parte septuaginta Interprætes Sacros Codices Ptolemæo Regi offerre conspiciuntur. Inscriptiones autem ad hasce res explicandas sunt duæ, quarum prima est.

Ioseph. lib. 11. c. 2. Euseb. lib. 5. hist. Eccl.

Gell. lib. 6. Noct. cap. 17

Aristeas Philadelphi ὑπερασπιστὴς.

Iustin. Mart. Apol. 1. ad Gent. Aug. lib. 18. de Civ. Dei c. 42.

Geneb. lib. 2. chron.

Aristeas protector Regis. Ex Hieron ep. 104. tom. 3.

PTOLOMÆUS INGENTI BIBLIOTHECA INSTRUCTA HEBRÆORUM LIBROS CONCUPISCIT.

Altera verò est:

LXXII. INTERPRETES AB ELEAZARO MISSI SACROS LIBROS PTOLOMÆO REDDUNT.

BIBLIOTHECA ROMANORUM

In tertio Interfenestrio depicta.

BIbliothecæ publicæ, undè triginta fuisse Romæ perhibentur, ex iis autem duas saltem præcipuas, Palatinam scilicèt, & Ulpiam

Pub. Vict.

Gell. lib. 17. Noct. cap. 17.

piam extitisse narrant historici : hæc ab Ulpio Trajano, ut ait Gellius, in Templo fuit instituta : illa verò ab Augusto in Palatino Monte, & in Apollinis templo tàm Græcorum, quàm Latinorum codicum copiâ mirificè fuit constructa, ut Svetonius, & Plinius testantur. Fuerunt itèm privatæ Bibliothecæ permultæ, Domitiana, & Gordiana, necnon Juliana, sivè Cœsariana, Græcis, Latinisque scriptis refertissima à Julio Cœsare Marco Varroni commissa. Primus autèm qui in Urbem librorum copiam advexit, fuit Paulus Æmilius, Porsenâ Macedonum rege devicto, Sed Asinius Pollio Romæ primus tàm Græcas, quàm Latinas Bibliothecas promulgavit, additis Auctorum imaginibus in atrio de Manubiis magnificentissimè constructo.

Plin. lib. 34. cap. 7.

Suetonius Tranquillus.

Plin. lib. 25. cap. 2., & lib. 7. cap. 30.

In hoc autèm Interseneştrio de libris Sibyllinis historia, Palatinaque Bibliotheca repræsentantur : ubi mulier quædam, Sybilla scilicèt Cumæa, ut suspicor, tres libros venales manu gestans, coram Tarquinio superbo rege, sex aliis exustis, quos omnes oracula continere affirmabat, adstare cernitur. Taquinius enim pretium percontatus est : quod cum sibi nimium, & immensum videretur, risit, tantique eos novem codices emere noluit : hinc mulier illa foculum coram eo igni appositi, tresque libros ex novem combussit. Id quod secundâ etiam vice de tribus aliis factum fuit, Tarquinio de pretio percontante, idemque pretium de sex reliquis libris Muliere postulante. Hinc tertiâ vice Tarquinius reliquos tres libros mercatur nihilo minore pretio quàm quod pro omnibus novem fuerat postulatum. Quo facto, Mulier illa, ut ait Gellius, à Tarquinio digressa, nusquam posteà loci visa fuit. Tres autem libri in Sacrarium repositi, Sibyllini fuerunt appellati : & ad eos quasi ad Oraculum quindecim viri adibant, cum Romani aliqua de re publicâ falsos consulere Deos cupiebant. Inscriptio ad hanc rem pertinens, hisce legitur verbis :

Gell. lib. 1. Noct. cap. 10.

Virg. Ecl. 4.

Gell. lib. 1. cap. 19.

TARQUINIUS SUPERBUS LIBROS SIBYLLINOS TRES, ALIIS A MULIERE INCENSIS, TANDEM EMIT.

IN alterâ hujus Interseneştrii parte Augustus Cœsar inter literatos, Virgilium scilicèt, & Horatium Poetas laureâ decoratos, cæterosque bonarum artium cultores, adstare cernitur : ejusque Palatina, & pulcherrima quidèm Bibliotheca, Latina videlicèt, & Græca repræsentatur, in qua Numeriani Imperatoris, & Marci Varronis viventis Statuæ, teste Pollione, fuerant locatæ. Inscriptio hujus Bibliothecæ hæc est:

AUGUSTUS CÆSAR, PALATINA BIBLIOTHECA MAGNIFICE ORNATA, VIROS LITERATOS FOVET.

BIBLIOTHECA HIEROSOLYMITANA

In quarto Interseneştrio depicta.

ECclesiastici Viri, pòst Apostolorum tempora, hæreticis passim ingruentibus, summâ curâ, & pietate adlaborarunt, ut Catholicorum scripta, sacrarumque literarum interpretationes in Bibliothecas, quas in Templis habebant, reponerentur. Quod factum sanè fuit, ut, cùm ab illis vivâ semper voce eruditi homines non possint, literarum saltèm monimentis eruditantur. Quam profectò rem Alexander Episcopus Hierosolymitanus celeberrimus, qui Martyr sub Decio in carcere obiit, egregiè quidèm præstitit. Hic enim Hierosolymis insignem Bibliothecam instituit, in quam virorum Ecclesiasticorum Bibliothecam instituit, in quam virorum Ecclesiasticorum scripta reposuit, Berilli, Hippolyti, Caji, & aliorum, quibus se adjutum in scribendâ historiâ Ecclesiasticâ Eusebius testatur. Floruit Alexander circà Annum Domini CCLIV. temporibus Clementis Alexandrini, Origènis, & Narcissi : & extremâ jàm senectute, venerandâque canicie eximius, ut idem ait Eusebius, & per pictores repræsentatur, Cœsareæ perillustre Christianæ Fidei testimonium præsidis tribunali dedit, bonum certans certamen, stolamque sanguine imbuens Episcopalem. Hoc igitur in loco Hierosolymitana repræsentatur Bibliotheca, in qua tres præsertim viros insignes, Diaconibus, & Clericis scribentibus, & id genus alia facientibus, videre licet, Alexandrum scilicèt, & Narcissum, qui, eodem Eusebio teste, centum, & sexdecim annos vixit, adsidentes, & Origènem adstantem, cum hic annos circitèr triginta tunc temporis natus esset. Hujus Bibliothecæ Inscriptio legitur hunc in modum :

Euseb. lib. 6. c. 14. Et Hieron. de Viris Illust. tom. 1. & Niceph. Gall. lib. 7.

Euseb. lib. 6. Histor. Eccl. cap. 32. & in Chro. Niceph. lib. 5. c. 27.

S. ALEXANDER EPISC., ET MART. DECIO IMP. IN MAGNA TEMPORUM ACERBITATE SACRORUM SCRIPTORUM LIBROS HIEROSOLYMIS CONGREGAT.

BIBLIOTHECA CŒSARIENSIS

In quinto Interseneştrio depicta.

CŒsarea, Urbs Palestinæ, non procùl à Monte Carmelo in litore Maris magni, quæ *Turris Stratonis* vocitabatur, ab Herode in honorem Cœsaris ædificata, *Cæsarea* denique nuncupata fuit. Hac in Civitate Pamphilus Laodicenus Cœsareæ Palestinæ presbyter, qui glorioso tandèm martyrio fuit decoratus, Bibliothecam insignem magno studio construxit, operâ Eusebii Episcopi, cui maximâ familiaritate conjunctus erat, adjutus, Pisistratum in sacrorum codicum ingenti coacervatione adæquare contendens. Hic enim suâ in Bibliothecâ adtriginta voluminum millia habuisse, suâque manu maximam partem librorum Origènis descripsisse narratur. Quæ omnia Hieronymus,

Euseb. in Chron.

Hieron. de Viris Illustr. tom. 1.

mus, & Gennadius, Ecclesiasticos scriptores toto Terrarum Orbe inquirentes, miro ordine prosequuti sunt: eorumque studia uno voluminis Indiculo comprehenderunt. Quarè hac in Bibliothecâ S. Pamphilus, Eusebius Episcopus, & Hieronymus conspiciuntur: Pamphilus videlicèt ex unâ parte, ex alterâ verò Hieronymus actum scribendi repræsentantes. Ad Hieronymi pedes Leo jacere cernitur, sicut passim pingi solet, ut ex eo, si hac in re conjectari fas est, declaretur, maximum sibi in eremo degenti cum belluis fuisse usum, & consuetudinem, ut ipsemet hiscè fatetur verbis: *O' quotiès* (inquit) *ego ipse in eremo constitutus, & in illâ vastâ solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram: horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat: quotidiè lacrymæ, quotidiè gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nudâ humo vix ossa hærentia collidebam: de cibis verò, & potu taceo, cùm etiam languentes monachi aquâ frigidâ utantur, & coctum aliquid acceptisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantùm socius, & ferarum, sæpè choris interueram puellarum.* Hæc S. Hieronymus ad Eustochium scribens. Ex quibus verbis eum inter feras in Eremo fuisse late patet: hinc, si conjicere licet, Leonem secum habere pingitur. In hac verò Bibliothecâ, legendi scribendique actu ipse repræsentatur: propterea quòd eam, aliasque permultas vidisse, contrectasse, necnon diligenter lectitasse perhibetur. Eusebius autem in medio adstans libros inquirendi, seù postulandi actum præseferre videtur; Cæteri verò, vel libros compaginare, vel disponere hinc indè cernuntur. Hujus Bibliothecæ Inscriptio legitur in hanc verborum formam:

Hieron. to. 1. ep. 22.

Hieron. de Viris Illustr. tom. 1.

S. PAMPHILUS PRESB., ET MART. ADMIRANDÆ SANCTITATIS, ET DOCTRINÆ CÆSAREÆ SACRAM BIBLIOTHECAM CONFICIT, MULTOS LIBROS SUA MANU DESCRIBIT.

BIBLIOTHECA ROMANORUM PONTIFICUM.

In Angulo ad lævam frontispicii Bibliothecæ depicta.

BIbliothecam Pontificiam jam indè à Petro, primo Christi Vicario ortum habuisse, & à Bibliorum codicibus, præsertimque Evangeliis, Epistolis Petri, Pauli, Jacobi, Joannis, & Judæ, necnon Apostolorum Actis, & Joannis Apocalypsi, deindè Epistolis Decretalibus, vel Consultationibus, sivè Constitutionibus Synodalibus, vel rebus id genus aliis per Summos Pontifices ejusdem Christi Vicarios, & Petri Successores incrementum paulatim accepisse credendum est. Hujus rei indicium luculentissimum ex eo haberi potest, quod teste Hieronymo, ex cunctis Christiani Orbis partibus ad Archivum Romanum, in quo œcumenica Concilia asservabantur, pro dubiorum solutione frequenter confugiebatur, vel, cum in Canone aliquo quid, corruptum, vel depravatum esse judicabatur. Id quod etiam ex quodam S. Gregorii Magni loco planum fit, qui, cùm dubitatio, seù difficultas quædam de Ephesino Concilio orta fuisset, ait: *Romani Codices multò veriores sunt quàm Græci.* Ex Concilio itèm Romano Gelasii tempore celebrato, in quo de Archivo, & Scrinio Romanis, deque Bibliothecariis, Scribis, & Notariis, & Scriniariis frequens commemoratio fit, Ecclesiam Romanam ingenti librorum copiâ abundasse dicendum est. Ex libro denique Pontificali, constat Hilarum sanctum duas in Palatio Lateranensi construxisse Bibliothecas, quæ, ut dictum est, à S. Petro originem traxerunt. Hinc in priori anguli parte S. Petrus repræsentatur, qui uni genuflexo, aliis adstantibus, mandare videtur, ut Sacros Codices super Altare positos asservandos curaret. Hæc autem Sacros Codices asservandi cura fuisse demandata judicatur, cum Petrus ab Urbe decedere, & in Galliam, atque in Hispaniam, necnon in alias Provincias proficisci statuit, ut Christianam fidem propagaret, ac promulgaret, sicut reipsà fecit: tunc enim, Linum, & Cletum Diaconos, suos itèm discipulos, Corepiscopos, seù coadjutores instituit, eisque Ecclesiasticas functiones Romæ commisit: Cleto autem Clementem, Petri, & Pauli adjutorem, successisse S. Ignatius ejusdem Petri discipulus, & Christi Martyr affirmat. Id quod sacro Missæ Canoni satis consonum esse videtur, ubi priùs quidèm Linus, deindè Cletus, tertio autem loco Clemens leguntur. Nec silentio prætereundum est, nonnullos ratos fuisse eundem cum Cleto Anacletum. Hinc Cæsar Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ait ex Ignatii testimonio, Clementem Cleto successisse, atquè ità pro Anacleto legendum esse: nàm in ejusdem Ignatii Epistolâ, Anacleto Clemens non Cleto successisse legitur. Sed quia de hujusmodi historiâ, dictorumque Petri successorum ordine maxima est inter Scriptores controversia, satis est eam tetigisse, pro eâ scilicèt re exponendâ, quæ ad nostrum negocium pertinet. Qui verò de hac controversiâ varias Scriptorum opiniones, necnon sententias videre cupit, ad Annales Ecclesiasticos Cæsaris Baronii confugiat, qui hujus generis difficultatem fusissimè, & eruditissimè quidèm pertractat. Ut autèm ad rem nostram revertamur, sicut Bibliothecam Vaticanam jàm indè à Petro ortum traxisse, ità etiam ab eodem de eâ conservandâ curam Successori suo fuisse demandatam, conjectari licet, ut ex Inscriptione, quæ infrà legitur, videre est:

Hieron. ad Pammach. epist. 52. tom. 2. & Euseb. lib. 18. c. 11.

Regist. lib. 5. ep. 14.

Hilarus Pontifex, non Hilarius, vt à nonnullis falso scribitur.

S. Ignat. ep. 4. ad Mariam Cassoboliten.

Tom. 1. Ann Christi 69.

Athanas. ad Marcum Papam.

S. PETRUS SACRORUM LIBRORUM THESAURUM IN ROMANA ECCLESIA PERPETUO ASSERVARI JUBET.

IN

IN alterâ hujus anguli parte Summi Pontifices repræsentantur, qui Bibliothecam Vaticanam instituerunt, vel auxerunt, sivè conservarunt. Hæc primum, ut dictum est, in Lateranensi Patriarchio fuit, ubi olim Romani Pontifices residebant: deindè Avenionem, quò Romanam Sedem Clemens V. advexit, translata, Martini V. operâ Romam iterùm perducta, in Vaticano tandem sita est, ubi Pontifices residere solent. Quamvis autem multi eam in dies auxerint, duo tamen Summi Pontifices Bibliothecam in Vaticano insigniter construxerunt, & auxerunt, hoc est, Nicolaus V. Pont. Max. natione Lunensis ex oppido Sarazano, qui missis doctis viris conquirendorum undiquè Codicum gratiâ, ut Volaterranus testatur, Bibliothecam Vaticanam ampliorem reddidit, confusis eousquè, sparsisque libris, neque ullo certo, aut digno loco intercluſis. Hanc item Sixtus IV. non solùm amplificavit, sed etiam in nobiliorem locum repoluit, honestiori structurâ exornavit, armariis, pluteisque digessit; atquè Ecclesiæ decori, studiosorumque consuluit commoditati. Sed Sixtus V. ità eam rebus quibuscumque illustrem reddidit, ut cœteros omnes, qui Bibliothecas instituerunt, facile superarit. Inscriptio, quæ infrà legitur, hæc est:

Volaterr. lib. 22. Anthrop.

ROMANI PONTIFICES APOSTOLICAM BIBLIOTHECAM MAGNO STUDIO AMPLIFICANT, ATQUE ILLUSTRANT.

Huic Vaticanæ, & Apostolicæ Bibliothecæ aliquem semper, & vitæ probitate, ac doctrinâ Virum insignem præfuisse credendum est. Qui autem ipsi Bibliothecæ præerat, in Romanâ Curiâ, & *Bibliothecarius*, & *Cancellarius* aliquando fuit appellatus, cujus munus erat, Codices omnes accuratissimè custodire, Bullas, seu Diplomata, vel Epistolas decretales Summorum Pontificum scribere, necnon dictare, actaque Conciliorum, & Synodalia, idque genus alia exscribere, & conseruare. Quæ item nostrâ ætate Sedis Apostolicæ faciunt Cancellarij, ea omnia hujus generis Præfectus præstare solebat: isque Papæ *Amanuensis*, siue *scribarum Princeps*, vel *à Secretis* poterat nuncupari: Bibliotheca enim Pontificia velut Cancellaria, atque hoc tempore loquimur, Secretaria quædam erat.

De S.R.E. & Bibliothecæ Apostolicæ nunc Vaticanæ Bibliothecariis.

Trittemius de Script. Eccl. & Platina in vita Leonis IV.

GRegorius II. in Patriarchio nutritus, & à Sergio Papâ Subdiaconus, & Sacellarius, ac postmodùm Diaconus creatus Bibliothecæ Lateranensis curam suscepit, ut Anastasius Apostolicæ olim Bibliothecæ instaurator, & custos affirmat.

Bartholomæus Platina Cremonensis vir suo tempore doctissimus, Scriptor Apostolicus, & Sixti IV. familiaris, ut alios Bibliothecarios, de quibus nihil scriptum reperire potui, silentio involuam, Bibliothecæ Vaticanæ ab eodem Sixto IV. Pontificatus Anno VI. MCDLXXV. Præfectus fuit institutus: atque hujusmodi munus perpetuum fore decretum est.

Bartholomæo Platinæ Bartholomæus Manfredus Clericus Britonnensis Diœcesis, linguarum peritiâ insignis, eo demortuo, succeſſit, Anno XI. ejusdem Pontificatus MCDLXXXI. post hos creati sunt temporis bus suis qui sequuntur.

Christophorus Persona Romanus Prior Sanctæ Balbinæ creatus Bibliothecarius, Anno MCCCCLXXXIV.

Joannes de Dionysiis Venetus creatus Bibliothecarius, Anno MCCCCLXXXVII.

N. Archiepiscopus Barchinonen. Hyspanus creatus Bibliothec. Anno MCCCCXCII.

Joannes Fonsalida Episcopus Interamnensis Hyspanus creatus Bibliothecarius, Anno MCCCCXCV.

N. Archiepiscopus Ragusinus Volaterranus creatus Bibliothecarius, Anno MDV.

Thomas Ingeramius, aliàs Phædra, Volaterranus creatus Bibliothecarius, Anno MDX. moritur die 5. Septembris 1516.

Philippus Beroaldus Junior Bononiensis creatus Bibliothecarius, Anno MDXVI. moritur die 30. Augusti 1518.

Fr. Zenobius Acciajolus Florentinus Ordinis Prædicatorum creatus Bibliothecarius, Anno MDXVIII. moritur die 27. Julii 1519.

Hieronymus Cardinalis Aleander Carnus Archiepiscopus Brundusinus creatus Bibliothecarius à Paulo III., Anno MDXIX. obiit Anno 1542.

Don Augustinus Steuchus Eugubinus Episcopus Chisamensis Congregationis Sanctissimi Salvatoris Bononiensis creatus Bibliothecarius, Anno MDXLII.

Marcellus Cervinus Politianus Presbyter Card. Tit. S. Crucis in Hierusalem posteà Marc. II. PP. creatus Bibliothecarius à Paulo III., Anno MDXLVIII. obiit Anno 1555.

Robertus de Nobilis Politianus Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Dominica creatus Bibliothecarius à Paulo IV., Anno MDLV. obiit Anno 1559.

Alphonsus Carafa Neapolitanus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica creatus Bibliothecarius à Paulo IV., Anno MDLVIII. obiit Anno 1565.

Marcus Antonius Amulius Venetus Presbyter Cardinalis S. Marcelli creatus Bibliothecarius à Pio IV., Anno MDLXV. obiit Anno 1570.

Gulielmus Sirletus Stili in Calabria natus Cardinalis S. Laurentii in Pane, & Perna creatus Bibliothecarius à Pio IV., Anno MDLXX. obiit Anno 1585.

Antonius Carafa Neapolitanus Presbyter Cardinalis SS. Joannis, & Pauli creatus Anno MDLXXXV. à Gregorio XIII. obiit Anno 1590.

Qui sequuntur, fuerunt Præfecti post obitum Authoris.

MArcus Antonius Columna Romanus Presbyter Cardinalis S. Laurentii creatus Bibliothecarius à Clemente VIII., Anno MDXC. obiit Anno 1597.

Cęsar Baronius Soranus Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Archillei creatus Bibliothec. à Clemente VIII., An. MDXCVII. obiit Anno 1607.

Ludovicus de Torres Montis Regalis Romanus Presbyter Cardinalis S. Pancratii creatus Bibliothecarius à Paulo V. 4. Julii 1607. obiit Anno MDCIX.

Scipio Burgheſius Romanus Cardinalis Sancti Chriſogoni creatus Bibliothecarius 11. Julii 1609. à Paulo V.

Scipio Cobellutius Viterbienſis Cardinalis S. Suſannæ creatus Bibliothecarius à Paulo V., Anno MDCXIX. obiit An. 1626.

Franciſcus Barberinus Florentinus Diaconus Cardinalis S. Agathæ creatus Bibliothecarius ab Vrbano VIII., An. MDCXXVI.

Fr. Antonius Barberinus Florentinus Cardinalis S. Onuphrii creatus Bibliothecarius, Anno MDCXXXVI. obiit die 11. Septembris 1645.

Horatius Juſtinianus Genuenſis Cardinalis S. Onuphrii creatus Bibliothecarius ab Innocentio X., Anno 1645. obiit 25. Julii 1649.

Aloyſius Capponus Florentinus Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Lucina creatus Bibliothecarius ab Innocentio X., Anno MDCL. obiit die 7. Aprilis 1659.

Flauius Cardinalis Chiſius Senenſis creatus Bibliothecarius, Anno MDCLIX.

Fr. Laurentius Brancatus Cardinalis de Laurea creatus Bibliothecarius die 19. Septembris 1681. ab Innocentio XI. obiit die 30. Novembris 1693.

Hieronymus Cardinalis Caſanate Neapolit. creatus Bibliothecarius 2. Decembris 1693. ab Innoc. XII. obiit 3. Martii 1700.

Fr. Henricus Cardinalis Noris Veronenſis Auguſtinianus creatus Bibliothecarius ab Innocentio XII. obiit 23. Februarii 1704.

Benedictus Cardinalis Pamphilius Romanus creatus Bibliothecarius à CLEMENTE XI. feliciter regnante, ut per ſuum Apoſtolicum Breue, quod ſequitur.

FORIS:

Dilecto Filio Noſtro Benedicto S. R. E. Diacono Cardinali Pamphilio nuncupato.

INTUS verò:

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SPECTATA circumſpectionis tuæ in graviſſimis noſtris, & hujus Sanctæ Sedis negotiis peragendis prudentia, fides, doctrina, & integritas promerentur, ut præcipua, & quæ Nobis maximè cordi ſunt ejuſdem Sedis munera Tibi committamus. Cùm itaque Officium S. R. E. Bibliothecarii, ſeù Protectoris Bibliothecæ noſtræ Vaticanæ, quod bon. mem. Henricus ejuſdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Noris nuncupatus, dum viveret, obtinebat, per obitum ejuſdem Henrici Cardinalis, qui nuper apud Sedem Apoſtolicam debitum naturæ perſoluit, vacaverit, & vacet de præſenti; Nos de præfatis, & aliis eximiis virtutum donis, quibus illarum Largitor Altiſſimus Perſonam tuam multiplicitèr inſignivit, plurimùm in Domino confiſi, motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine Officium S. R. E. Bibliothecarii, ſeù dictæ Bibliothecæ Protectoris hujuſmodi, ſicut præmittitur, vacans, cum auctoritatibus, facultatibus, honoribus, & oneribus per alios Cardinales Bibliothecarios, ſeù dictæ Bibliothecæ Protectores antè Te haberi, & exerceri ſolitis, & conſuetis, ac etiam à fel. rec. Paulo Papa V. Prædeceſſore noſtro per ſuas in ſimili formâ Breuis die primâ Iulii MDCVII. expeditas literas, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo habere volumus, præſcriptis, & quibus illi uſi ſunt, ſeù uti potuerunt,

runt, vel etiàm debuerunt, tenore præsentium ad tui vitam concedimus, & conferimus, Teque in locum prædicti Henrici Cardinalis, quoad Officium Bibliothecarii, seù Protectoris Bibliothecæ huiusmodi substituimus, & subrogamus. Mandantes dilectis Filiis Custodibus, Scriptoribus, & Ministris dictæ Bibliothecæ, cæterisque, ad quos spectat, ut Te ad prædictum Bibliothecarii Officium eâ, qua decet reuerentiâ recipiant, & admittant, tuisque justis, mandatis, & monitis in his, quæ ad bonam ipsius Bibliothecæ directionem, & prosperum statum pertinebunt, pareant, & obediant; Nos enim Tibi quoscumque in præmissis non obtemperantes censuris, & pœnis ad id opportunis compescendi, omniaque, & singula alia Officium Bibliothecarii, seù Protectoris Bibliothecæ huiusmodi de jure, vel consuetudine, ac aliàs quomodolibet concernentia, necessariaque, & opportuna gerendi, & exercendi plenam, & liberam tribuimus facultatem. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 26. Februarij 1704. Pontificatus Nostri Anno quarto.

F. Oliverius.

Cujus Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Card. Pamphilii ad præsentem usque diem, summâ Dei protegente gratiâ, viventis, accuratæ, ac perspectæ vigilantiæ præfatæ Vaticanæ Biblinthecæ Præfectura dignè, atquè laudabiliter extat in commissis.

De Præfectis, seu Custodibus Bibliothecæ Apostolicæ, nunc Vaticanæ.

VT autem tot millium librorum curæ, atque conservationi meliùs incumbi posset, idem Sixtus IV. duos Custodes fidei spectatæ, ac diligentiæ Viros, qui Bibliothecarium juvarent, instituit: atque hujusmodi custodiam perpetuò duraturam decrevit, sicut de Bibliothecario dictum est. Inter Custodes verò, ut cæteros, qui jam indè ab eo tempore fuerunt, præteream, hoc munere functi sunt, Faustus Sabeus, & Nicolaus Majoranus Hydruntinus: huic verò per promotionem ad Episcopatum Monopolitanum successit Guilielmus Sirletus Squillacensis. Huic autem per promotionem ad Protonotariatum (qui tandèm presbyter fuit Cardinalis, & Bibliothecarius creatus MDLX.) successit Hieronymus Sirletus Guilielmi Frater.

Fausto Sabeo successit Federicus Ranaldus Valuen., & Hieronymo Sirleto successit Marinus Ranaldus Valuen. Federici frater.

Custodes Bibliothecæ Vaticanæ post obitum Authoris.

THomas Sirletus Squillacensis Diœcesis, qui Federico Ranaldo demortuo successit, Anno Domini MDLXXVI.

Dominicus Raynaldus Romanus, qui Thomæ Sirleto ad Episcopatum Squillacensem promoto successit eodem Anno.

Alexander Ranaldus Valvensis, qui Marino patruo per resignationem successit, Anno Domini MDC.

Balthassar Ansideus Perusinus successit Dominico Raynaldo, qui in munere obiit, Anno Domini MDCVI.

Nicolaus Alemannus Græcus, Anno Domini MDCXXIII.

Fælix Contelorius Cæsius, Anno Domini MDCXXVIII.

Horatius Justinianus Januensis Presbyter Congregationis Oratorij S. Philippi Nerii, qui posteà Cardinalis, & Bibliothecarius, Anno Domini MDCXXXIV.

Annibal Albanus Urbinas, Anno Domini MDCXXXXI.

Lucas Holstennius Hamburgensis, Anno Domini MDCLIII.

Leo Allatius, Anno Domini MDCLX.

Stephanus Gradus Ragusinus, Anno Domini MDCLXI.

Fr. Laurentius Brancatus de Laurea Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, qui postea Cardinalis, & Bibliothecarius.

Emanuel à Schelestrate Belga.

Fr. Henricus Horisius Veronensis Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui posteà Cardinalis, & Bibliothecarius.

Laurentius Zaccagnius Romanus, Anno Domini MDCLXXXIV. obiit Anno 1712.

Carolus Majellus Neapolitanus Zaccagnio successit prima Januarii 1712., ut per Apostolicum Breve, quod sequitur videlicet,

CLE-

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UM ad cuſtodiam Bibliothecæ Vaticanæ Virum doctrinâ, fide, & diligentiâ probatum eligendum duxerimus, Tu Nobis occurriſti, quem inſigni doctrinâ prædituin, vitæque, ac morum integritate, aliiſque virtutum donis ornatum eſſe, & ſingularem ergà Nos, & Sedem Apoſtolicam fidei, & devotionis affectum gerere etiam familiari experientiâ comperimus. Idcircò motu proprio, non ad tuam, vel alteriùs inſtantiam, ſed ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione noſtris, Tibi Officium Cuſtodis Bibliothecæ prædictæ, quod quondam Laurentius Zaccagni, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Laurentii nuper defuncti vacans, cum omnibus, & ſingulis immunitatibus, facultatibus, prærogativis, indultis, & gratiis, necnon ſalariis, proviſionibus, & portionibus etiam panis, & vini ex Palatio Apoſtolico, ac juribus, & emolumentis ordinariis, & extraordinariis, regaliis, & aliis quibuſcumque rebus ſolitis, & conſuetis, quibus alii quicumque antè te Bibliothecæ hujuſmodi Cuſtodes uti, potiri, & gaudere, quaſque habere conſueverunt, & ulteriùs cum omnimodâ ſuperioritate, auctoritate, & præeminentiâ ſuper altero ipſius Bibliothecæ pro tempore exiſtente minore Cuſtode, ac ſuper cæteris omnibus, & ſingulis ejuſdem Bibliothecæ Officialibus, & Miniſtris, itàut quilibet eorum poſt Dilectum Filium noſtrum Benedictum S. R. E. Cardinalem Pamphilium nunc ejuſdem S. R. E. Bibliothecarium, Tibi tanquàm primario, & majori Cuſtodi, cui omnem curam, cuſtodiamque ejuſdem Bibliothecæ principaliter incumbere, ac in primis minorem Cuſtodem, alioſque Officiales, & Miniſtros ſupradictos ſubeſſe volumus, in his, quæ dictæ Bibliothecæ Officium concernunt, parere debeant, ad tui vitam Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium concedimus, & aſſignamus, Teque in locum dicti Laurentii, quoad prædictum Cuſtodis Officium, illiuſque liberum exercitium, necnon honores, onera, ſalaria, proviſiones, portiones, jura, & emolumenta prædicta, ac præterea cum Privilegii ſuperioritate, & aliis ſupradictis ſubſtituimus, & ſubrogamus. Mandantes propterea eidem Benedicto Cardinali Bibliothecario, ac ejuſdem S. R. E. Camerario, & Generalibus Theſaurario, & Commiſſario Noſtris, Palatiique Noſtri Præfecto, ac cæteris omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, & omni morâ, dilatione, & contradictione prorsùs ceſſantibus, Te ad prædictum Cuſtodis Officium, ejuſque liberum exercitium, necnon honores, onera, privilegia exemptiones, ſalaria, proviſiones, & portiones panis, & vini, ac jura, regalia, & alia ſupradicta, illorumque uſum, & perceptionem recipiant, & admittant, ac recipi, & admitti, Tibique de ſalariis, proviſionibus, portionibus, & aliis ſupradictis reſponderi curent, & faciant. Minori verò Cuſtodi à Nobis deputando, Officialibus, & Miniſtris omnibus, & ſingulis ejuſdem Bibliothecæ, ut Tibi modo præmiſſo pareant, & aſſiſtant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenùs opus ſit conceſſione minoris Officii Cuſtodis à Nobis faciendâ, ac regulâ noſtrâ de Jure quæſito non tollendo, necnon Urbis noſtræ, & dicti Palatii Statutis ſtylo, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium præmiſſorum quomodolibèt conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus prò plenè, & ſufficien-

ficienter expressis, ac de Verbo ad Verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, ac ritè dumtaxàt specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris, Die primâ Junii 1712. Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

F. Oliverius.

Dilecto Filio Carolo Majella Presbytero Neapolitano Familiari, continuo Commensali Nostro.

A tergò eadem literarum Apostolicarum.

Fidem facio per præsentes Ego Causarum Curiæ Burgi, & S. Petri in Vaticano, & Castri Sancti Angeli Notarius publicus infrascriptus qualitèr Die prima Junii 1712. coram Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Benedicto S. R. E. Cardinale Pamphilio ejusdem S. R. E. Bibliothecario comparuit retroscriptus Illustrissimus, & Reverendissimus D. Carolus Majella Presbyter Neapolitanus mihi &c. cognitus, qui exhibitis E. S. retroscriptis literis Apostolicis Concessionis sibi per SS. D. N. CLEMENTEM Papam factæ primarii Custodis Bibliothecæ Vaticanæ petiit, & humilitèr instetit penès E.S. ut earumdem vigore ipsum ad idem officium, ejusque exercitium reciperet, & admitteret, prout idem Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus lectis per Me &c. de Mandato E. S. eisdem retroscriptis literis Apostolicis earum vigore eumdem Illustrissimum, & Reverendissimum D. Carolum Majellam ad dictum officium primarii Custodis Bibliothecæ præfatæ cum omnibus, & singulis tenoribus, gratiis, prærogativis, aliisque ad tenorem in omnibus, & per omnia retroscriptarum literarum Apostolicarum recepit, & admisit omni &c. Et alias latiùs &c. prout in Actis mei &c. ad quæ &c. In quorum &c. Datum Romæ hiis Die, & Anno quibus suprà.

Ità est Dominicus Angelus Serius Notarius prædictus. In Fidem &c.

Loco ✠ Signi.

Atquè idem Illustrissimus, ac Reuerendissimus Dominus tempus in præsens Bibliothecam ipsam Vaticanam summâ fidelitate, summâque industriâ, incredibilique labore pertractat, custodit, omnique ex parte conservat,

De Librariis, vel Scriptoribus Bibliothecæ Vaticanæ, Librorumque numero.

SIXTVS IV. ut Bibliothecæ Vaticanæ utilitati, omni conatu consuleret, tres Librarios, hoc est, codices, & scripta describentes, Latinum scilicèt, Græcum, & Hebræum instituit: quibus Paulus IV. tres alios, duos videlicèt Græcos, unumque Latinum adjunxit.

Marcellus autem Cervinus, qui olim Bibliothecarius fuit, librorum correctores, &, ut sic dixerim, revisores duos instituit.

Sixtus verò V. qui in rebus præclaris conficiundis à nemine superatur, sed ipse potiùs cæteros omnes longè superare videtur, ut nihil ad Bibliothecæ Vaticanæ decus, & ornamentum, nihilque ad publicam utilitatem, atquè commoditatem præstandam desiderari posset, multa alia, multoque majora omnia studiosè molitur, Bibliothecamque ipsam Vaticanam, Viris doctissimis ita exornat, utilitatibus, & commoditatibus, ornamentisque ita auget, ut nihil hac nobilius, nil celebrius, nil deniquè quod ad Bibliothecas pertinet, post hominum memoriam glorioſius umquam fuerit. Hac in Bibliothecâ Vaticanâ omni scientiarum, linguarumque genere refertissimâ, Codices præsertìm manuscripti, & innumeri quidèm, miro ordine asservantur, & custodiuntur. Hæc hactenus. Nunc reliquum est, ut cætera persequamur.

DE

DE CONCILIIS
AD DEXTERAM
BIBLIOTHECÆ VATICANÆ
DEPICTIS.

AM indè à priscis illis temporibus tùm apud Hebræos tùm etiam apud alias Nationes Concilia, & Conventus pro dissidiis seù litibus dirimendis, erroribusque corrigendis, sivè rebus decernendis, ac legibus sanciendis publicè haberi cœperunt. Sic Ægyptios, ac Persas, ut narrat Herodotus. sic Moysen, & Josue habito Populorum Conventu factitasse Josephus testatur. Sed ut Populi Hebræi, aliarumque Gentium exempla ad hanc rem pertinentia silentio prætermittam, Apostolorum Concilia post Christi adventum celebrata breviter recensebo: deindè ad Synodos Generales in Bibliothecâ Vaticanâ Pictorum penicillo repræsentatas statim aggrediar describendas.

Herod. lib. 1. Josephus de Antiqu.

Act. 1.

Act. 6.

Act. 15.

Act. 21.

Concilium Hierosolymitanum primum fuit de electione Mathiæ, ut habetur in actibus Apostolorum. Secundum de septem Diaconorum electione. Tertium de Circumcisione gentibus non imponenda. Quartum de legalium ad tempus permissione donec Synagoga cum honore sepeliretur, ut Beda, Carthusianus, & alii testantur.

Primum fuit statim post Christi Ascensionem. Secundum anno primo post Christi mortem ante conversionem Pauli, qui, & eodem anno conversus est. Tertium anno quartodecimo post Christi Ascensionem, & Pauli conversionem sub Petro, & reliquis Apostolis, Claudii tempore Imperatoris. Quartum autem non multò post etiam sub Petro. Sed tunc temporis tàm Apostolorum, quàm Presbyterorum Synodus, ut habetur in Actibus Apostolicis, cogebatur. Hinc Summi Pontifices Concilia habere cœperunt.

Act. 15.

Cornelius autem primus omnium in Urbe Roma sexaginta Episcoporum, totidemque Presbyterorum, ac Diaconorum contrà hæresim Novatianam Synodum habuisse creditur: primusque omnium Marcellus sancivit, nullum Conventum indici licere, nullumque à quibusvis actum haberi ratum sine Romani Pontificis auctoritate. Id quod Julius etiam, Damasus, & Gregorius Summi Pontifices statuerunt, seù potius statutum confirmarunt.

Lib. 2. cap. 12. de Auct. Pot. & Immunit Eccl.

Quamvis autem multa Concilia generalia, necnon, & alia ab Imperatoribus, ac Regibus fuerint congregata, ut Anastasius Germonius, Archidiaconus Taurinensis vir in utriusque juris scientiâ apprimè eruditus, ac bonarum artium peritissimus diffusè, & exactè quidem in suo Libro de Sacr. Immunitat. narrat, Summorum tamen Pontificum permissu, seù potiùs hortatu, ut idem Germonius plenè docet, fuerunt indicta. Hæc hactenùs: nunc reliquum est, ut ad institutum nostrum accedamus.

DE CONCILIO NICÆNO PRIMO.

A tergo introitus Bibliothecæ Vaticanæ ad dextram repræsentato.

CUm Romani Principes, quorum Imperio Universus ferè terrarum Orbis olim subjiciebatur, passim in Christianum nomen sævirent, Concilia Ecclesiastica non tàm publica, quàm privata fuisse credendum est.

At ubi Constantinus magnus Christianam Religionem, volente Deo, complexus est per baptismum, quem à Sancto Silvestro Papa suscepit, tunc Ecclesiæ Catholicæ Romanæ de Christianæ rei summâ agere publicè licuit per eundem Constantinum, quo imperante Nicænus frequens Conventus, itèmque primus, ac celeberrimus omnium, Lateranensi generali secundo excepto habitus est in Nicæa Bithyniæ Urbe, Anno Domini 316. vel 324. Episcopi tercenti decem, & octo ex universo Christiano Orbe congregati interfuerunt, atque inibi Arianæ perfidiæ impiam blasphemiam condemnarunt. Arius enim Alexandriæ Presbyter, nomine magis quàm reipsâ, gloriæ atquè laudis, novitatisque improbæ cupidus in Sanctissimâ Trinitate inæqualitatem esse affirmabat. Quæ profectò hæresis cæteris omnibus fuit pernicioſior. Hinc de Mysterio Trinitatis loquens Augustinus Sanctus, nil eo difficiliùs quæri, nullibi periculosius errari, nihil denique fructuosius inveniri posse ait. Fuit etiàm aliis amplior, quia post Constantini mortem, ut alios prætermittam, Constantium, & Valentem Imperatores, & Theodericum Gothorum Regem patronos invenit per totum Terrarum orbem diffusa, & quamvis in Alexandriâ, teste Hieronymo, fuerit scintilla erroris, totum tamèn Orbem depopulata est flamma ejus. Quare in hoc Concilio Homousion, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ Filium scribi, faterique debere firmissimâ omnium

Lib. 1. de Trin. c. 3. tom. 3

Lib. 3. in Ep. ad Galat. 6. tom. 6.

omnium sententiâ acclamatum, ac per Symbolum definitum est: in quo addita sunt nonnulla in Symboli Apostolorum declarationem contrà hæreses insurgentes in aliquot fidei articulos. Nam contrà errorem Manichæorum, Deum creatorem invisibilium, diabolum verò visibilium creatorem impiè asseverantium, in illo articulo: *Creatorem cœli, & terræ*, additum est: *Visibilium, & invisibilium.* Contrà autem pestiferam, ac detestandam blasphemiam Arii additum est: *Ex patre natum*, scilicèt Filium Deum de Deo, consubstantialem Patri. Hæc, & alia pro rei majori explicatione fuerunt expressa.

S. Thom. 1. p. qu. 36. art. 2. & 2a. 2æ. q. 1. art. 9. & 10.

De his fusius infra.

Huic Synodo, quæ in Aulâ Regiâ per pictores repræsentatur, Pontifex non interfuit, sed Vitus, & Vincentius Romani Presbyteri, quos nunc Cardinales appellamus, & Hosius Cordubensis Episcopus Constantino Imperatori gratissimus loco Silvestri præsederunt. Duo illi Presbyteri, seù Cardinales purpureis vestibus induti cernuntur, ut Cardinales fuisse facilius pateat: nàm ad illud usque tempus Cardinales Galero rubro, atquè purpurâ donati non erant, cum id in Concilio Lugdunensi primo sub Innocentio IV. Federico II. Imperante, factum sit, ut suo loco dicemus. Hosius verò Cordubensis vir quidèm celeberrimus Episcopalibus indumentis ornatus inter dictos Cardinales, & Episcopos chorum efficientes, & adsidentes, repræsentatur. Huic Concilio Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ interfuerunt: inter quos fuit Nicolaus Myræ Episcopus, & cæteri vitæ sanctitate illustres, quorum aliis ob Catholicam Fidem oculus effossus, aliis verò suræ abscissæ erant, adeò, ut reliquiæ Martyrum eò convenisse viderentur. Claruerunt autèm hoc in Concilio inter sanctos viros Paphnutius Ægyptius, & Spyridion Cyprius Episcopi, duo ex iis Confessoribus, qui olim sub Maximino Imperatore dextro orbati oculo, sinistroquè poplite mutilati ad metalla fuerunt damnati. Hic autèm Sanctus scilicèt Spyridion prophetiæ quoquè dono, & signorum gloriâ inclytus fuit, & in eâdem Synodo Philosophum Ethnicum christianæ fidei insultantem devicit, & ad fidem perduxit, vt ad lævam Concilii, extrà tamèn Conventum, videre est, ubi Spyridion venerando aspectu senex, & bacillo innixus, oculo dextro orbatus, ac sinistro poplite truncatus, philosophum cogitabundum, & convictum alloquens repræsentatur.

Hist. Eccl. li. 2. c. 1.

Brev. Rom. 6. Decemb. Hist. Eccl. lib. 2 cap. 1.

Niceph. lib. 8. c. 14., & 19., & Martyrol. 11. Sept.

Niceph. lib. 8. cap. 15., & 42. & Martyrol. Rom. 14. Dec.

Ad dextram verò partem extra itèm Patrum Conventum Sanctus Athanasius tunc Diaconus, deindè Presbyter ordinatus ab Alexandro Episcopo Alexandrino, in cujus locum successit, adstare cernitur, qui cum Alexandro Episcopo, qui alteri Philosopho silentium imposuit, contrà hæreticos disputavit.

Hist. Eccl. lib. 2. c. 1.

Hist. Tripart. & Brev. die 2. Maii.

E regione autèm eorum, qui loco Pontificis præsederunt, Constantinus Imperator humiliori loco sedere conspicitur: quod tamèn Episcoporum injussu facere ausus non fuit. Hic orationem ad Patres habuit, universoquè Concilio largissimam ex publico subministravit annonam, commeatumque omnibus pro itinere faciundo suppeditavit, & eos præsertim, qui pro Christi fide tormenta passi fuerunt, exosculatus est, non semel pro eâ scilicèt veneratione, qua Christi fideles prosequebatur maximâ. Hinc libellos contrà aliquem Sacerdotem accusationem continentes ab adversariis, aut æmulis sibi oblatos igne comburendos mandavit, dicens: *Hæ accusationes in magni Judicii die Judicem suum habebunt: mihi enim homini Sacerdotum causas judicare non licet.*

Hist. trip. lib 2. c. 14.

Ad Concilii lævam in eminentiori loco, sive in suggesto, undè sermo ad populum haberi solet, Diaconus legendi actu cernitur pro Nicænæ fidei acclamatione, Arianæque blasphemiæ damnatione promulgandâ. Arius autèm ad inferiorem suggesti partem coràm Patribus adstare conspicitur: quodque in corde ejus latebat virus, in ipsius facie clarè indicatur: squalido enim ore, atquè inculto, pannis, curis, mœroreque obsitus per Pictorem repræsentatus est: atquè ità, ut animam evomere velle videatur, sicùt ei miserrimè eveniisse narratur. Hic enim Constantinopoli secessum petens, exonerandi ventris causâ, effluentibus foras intestinis, miseram evomit animam, mox experturam judicium ejus: de quo ipsum perperam sensisse, judicatum fuit.

Arii obitus ex Volaterr.

Nèc silentio prætereundum censeo, quod de Patrum subscriptione divinitùs factum est: Musonius enim, & Chrysanthus, ut Nicæphorus narrat, cùm suum diem obiissent antequàm Sacræ Synodo finis fuisset impositus, Patrum consilio Codex Decreta omnìà complectens, & obsignatus demortuorum Episcoporum sepulchro prò eorundem subscriptione recipiendâ, divinâ ope imploratâ appositus fuit: hinc postridiè, facto mane, Codex ipse obsignatus, demortuorumque Episcoporum chirographis propriis suo loco subscriptus, ac munitus, à Concilii Patribus fuit inventus. Quæ res tantæ admirationi, ac stupori omnibus extitit, tantæquè auctoritatis, venerationisque apud omnes fuit, quantam verbis nemo explicare potest. Hinc non solùm ob ingentem Patrum, & Sanctorum numerum, allasquè ob causas plurimas, verùm etiàm ob hujus generis factum tàm illustre, tamquàm admirandum, magnum Concilium non immeritò dici potest.

Nicephorus lib. 8. cap. 23. de Concilio Nicæno.

Hoc fuit primùm inter quatuor illa Concilia celeberrima, quibus scilicèt Nicæno 1. Constantinopol. 1. Ephæs. 1., & Chalcedonensi tamquam 4. Evangeliis honorem præstandum esse Sanctus Gregorius ille magnus affirmavit. Hujus Concilii inscriptio in hanc legitur verborum formam:

Reg. lib. 1. cap 24. sub fine, & lib. 2. c. 49.

S. Silvestro PP. Fl. Constantino Magno Imp. Christus Dei F. Patri consubstantialis declaratur, Arii impietas condemnatur.

Ad

Ad dextram Bibliothecæ partem inter primam feneſtram, & angulum Concilio Nicæno annexum librorum Arianorum combuſtio repræſentatur, ut ex inſcriptione, quæ legitur eo loco, videre licet.

EX DECRETO CONCILII CONSTANTINUS IMP. LIBROS ARIANORUM COMBURI JUBET.

Socrates lib. 1. c. 8. & 22., & Sozomen. lib. 2. cap. 22.

Hic autèm non ſolùm Arianorum libros cremari mandavit, ſed eum etiàm, qui ipſos celare deprehenſus fuiſſet, capitali ſupplicio afficiendum decrevit.

DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO I.

In primo Interfeneſtrio ad Bibliothecæ Vaticanæ dextram depicto.

Juſtin. lib. 4., Ey. Pirr. lib. 4. cap. 11., Cæl. Rhodig. lib. 15 antiquæ lectionis cap. 6.

CONcilium Conſtantinopolitanum primum Conſtantinopoli Thraciæ Civitate pulcherrimâ, ac perilluſtri, necnon utriuſque linguæ, Cælio Rhodigino teſte, monumentis celeberrima, olim Bizantio à Bizante conditore, ſeù Bize Megarenſium claſſis præfecto dicta, deindè verò à nomine Conſtantini, qui eam inſtauravit, & auxit, muroquè cinxit, *Conſtantinopolis*, & *nova Roma*, olim nuncupata coactum fuit Anno Dominì tercenteſimo octuageſimo tertio ex Epiſcopis Orthodoxis centum, & quinquaginta, Macedonianis verò triginta ſex tempore Damaſi Papæ, & Theodoſii ſenioris Imperatoris contrà Macedonium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui Spiritum Sanctum Deum eſſe negabat, & creaturam eſſe affirmabat. Quarè ut ad Spiritus Sancti alluderetur perſonam, de qua præſertim hoc in Concilio habetur ſermo, ſplendor ingens vel flamma ignea, per quam Spiritus Sanctus ſignificatur, è Cœlo deſcendens ſuper Altare inibi depicto ſtare cernitur.

Concilii Patres præcipui.

Huic Concilio interfuerunt quatuor præſertim Patriarchæ, Gregorius videlicèt Nazianzenus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Timotheus Alexandrinus, Melitius Antiochenus, & Cyrillus Hieroſolymitanus, Theodoſio ſeniore Imperatore præſidente, ut ad dextram hujus feneſtræ partem videre eſt. Ad hanc eandem partem Epiſcopus in ſuggeſto adſtare, & ad Patres ſermonem habere cernitur. Ad lævam Interfeneſtrii conſpicitur hiſtoria de abdicatione, & depoſitione, electioneque Epiſcopi Conſtantinopolitani.

Greg. Nazian. cur Theologus dicatur.

Gregorius enim Nazianzenus dum Nazianz. eſſet Epiſcopus ob ſingularem divinarum literarum ſcientiam, propter quam *Theologi* cognomen conſecutus eſt, necnon ob magnam vitæ ſanctitatem Conſtantinopolim ad eam gubernandam Eccleſiam accerſitus fuit: hinc Civitatem hæreſibus laborantem expurgavit, & ad catholicam fidem reduxit: quod autèm ſummum ei omnium amorem conciliare debebat, multorum ſibi paravit invidiam. Itaquè cum inter Epiſcopos magna ob id orta fuiſſet ſeditio, ſponte ipſe cedens Epiſcopatui, illius Prophetæ dictum uſurpavit dicens: *Si propter me commota eſt hæc tempeſtas, dejicite me in mare, ut vos jactari deſinatis*. Gregorius igitur cum Nazianzum rediiſſet, Timotheus Alexandrinus Maximum quendam Cynicum Apollinaris væſaniâ infectum Epiſcopum Conſtantinopolitanum creavit, quem Patres hoc in Conventu Conſtantinopolitano antequàm cæterarum rerum agendarum ſumeretur initium, dignitate Epiſcopali nudatum ab Eccleſiâ ejecerunt, Nectariumque laicum Tarſenſem tunc Prætoris Magiſtratu Conſtantinopoli conſpicuum, virum quidèm prudentem, & literatum, vitæquè probitate, catholicâque fide inſignem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum inſtituerunt, quam ſcilicèt Eccleſiam poſt Romanam, primatum obtinere debere decreverunt, novamque Romam eſſe dixerunt. Quamvìs autèm laicum ad Epiſcopalem ſedem ſtatim promovere non liceat, id tamèn ob nimiam Clericorum penuriam jure factum fuit: propterèa quòd nemo Conſtantinopoli inveniri potuit, qui vel Arianâ, vel Macedonianâ hæreſi reſperſus non eſſet. Hoc deniquè in Concilio Macedoniana hæreſis, vel blaſphemia damnata eſt, Symbolumque fidei editum fuit nullâ penitùs in re ab eo diverſum, quod nunc in Eccleſiâ publicè canitur, præterquàmquòd ſolùm ibi legitur, *Spiritum Sanctum à Patre procedentem*, ſuppreſsâ Filii perſonâ, quæ deindè ad majorem explicationem poſt Nicænum, & Conſtantinopolitanum I. fuit expreſſa: ubi enim nunc dicimus: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur*, in Symbolo Conſtantinopolitano hunc in modum dicitur: *Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio ſimul adorandum, & conglorificandum*; Quæ omnia etſi eadem ſunt cum iis, quæ nunc in Symbolo inter Miſſarum ſolemnia leguntur, pro majori tamèn declaratione addita ſunt nonnulla in Conciliis, ad perverſorum, impiorumque hominum os obſtruendum, piorumque ſententiam confirmandam: conſubſtantialemque cum Patre, & Filio, Spiritum Sanctum eſſe, in hac Synodo fuit declaratum. Hujus Concilii inſcriptio in hanc legitur verborum formam:

Greg. Nazian abdicatio.

Hiſt. Eccl. lib. 9. c. 16.

Symb. Rom.

Symb. Conſtantinop.

De Symbolo Apoſt. Nicæni, Conſtantinopolit., & Athan. multa notatu digna ſcribuntur à S. Bonavent. lib. 3. Sent. art. ic. 1. qu. 1.

S. DAMASO PAPA, ET THEODOSIO SEN. IMP. SPIRITUS SANCTI DIVINITAS PROPUGNATUR, NEFARIA MACEDONII EXTINGUITUR.

DE CONCILIO PRIMO EPHESINO,

In ſecundo Interfeneſtrio ad dextram Bibliothecæ depicto.

CONcilium Epheſinum primum habitum eſt non ſolùm contrà Pelagium, ſed etiam contrà Neſtorium Conſtantinopolitanum

Nest. post Chrysost. Ep. Constantinop.

num Episcopum, qui purum hominem è Beata Maria semper Virgine natum, ut aliam personam carnis, aliam verò faceret divinitatis, affirmabat: nec unum Christum in divinitate, & carne sentiebat, sed sejunctim alterum Dei filium, alterumquè hominis prædicabat. Coactum est hoc Concilium sub Theodosio juniore Imp. qui præsens adfuit, & Cælestino Pontifice circà Annum Domini 436. ducentisquè Patribus in Civitate Ephesinâ, Urbe maritimâ Joniæ, emporioquè Asiæ citerioris celeberrimo, Amazonum opere, Dianæque templo in primis nobilitato, celebratum fuit.

Concilii Patres præcipui.

Huic Concilio interfuerunt duo Patriarchæ, Cyrillus, scilicèt, Patriarcha Alexandrinus, & Arcadius Episcopus, necnon Philippus Presbyter, quem nunc Cardinalem vocitamus, Pontificis loco præsederunt, & in eminentiori parte per pictores repræsentantur. Cyrillus verò, qui Concilio, præsedit, Mitrâ & Pallio cernitur insignitus. Hoc item in Concilio, cui S. Augustinus morte præventus interesse non potuit, non modò Nicænæ fidei Symbolum prolixè explicatum est, atque ita ut hæc Synodus universæ doctrinæ christianæ summa quædam non immeritò dici possit, verùm etiam Beatam Mariam semper Virginem non modo

B. Maria Virgo Deipara.

χριστοτόκον, idest Christi Matrem, sed θεοτόκον, hoc est vere filii Dei Genitricem sivè Deiparam, & in Christo unam esse tantùm personam in duabus naturis, divina, scilicet, & humana, declaratum fuit.

Hinc ad superiorem hujus Interfenestrii partem Maria Virgo filium, Christum Salvatorem nostrum in sinu gestans conspicitur. Nec sine divino consilio factum esse credendum est, ut in hac, scilicèt, Civitate, præsertim Ephesinâ, sacra hæc Synodus fuerit celebrata; nam sicut Diana Virgo falsò ac superstitiosè à Gentilibus inibi colebatur, ita contrà factum est, ut Beata Maria semper Virgo, Virgo, inquam, ante partum, in partu, & post partum, *quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem*, ut sacrosancta testatur Ecclesia, Dei Mater declararetur ac nominaretur, debitoque cultu à Christi fidelibus, falso cultu explosò, non solùm tamquàm Christotocos, verum etiam tamquàm Theotocos jure quidèm veneranda, colendaque esset.

Antiph. ad Laudes Nativ. Domini.

Theotocos, Dei Mater.

Diaconi hinc indè libros legendi actu repræsentantur, librique hæresibus respersi e mensâ quadam in terram deiiciuntur. Unus autem prope Cyrillum Patriarcham Alexandrinum literas Apostolicas publicè coram Patribus legere cernitur.

Ad dextram ejusdem Interfenestrii partem peregrinum, sive mendicum quemdam innixum arundini, intrà quam inclusæ literæ synodi Ephesinæ ad Patres Constantinopoli degentes deferebantur, videre licet. Fautores enim Nestorii Constantinopoli commorantes ubi primum resciverunt, Antesignanum suum, Nestorium, scilicèt, in synodo Ephesinâ fuisse condemnatum, omnes mox vias terrâ marique ita intercluxerunt, & observarunt, ut nemo e Concilio Ephesino Constantinopolim, vel Constantinopoli ad Concilium ire potuisset. Hinc singulari Dei providentiâ factum fuit, ut Epistola, quam Cyrillus Alexandrinus nomine synodi Ephesinæ ad sanctos Episcopos, & Monachos scripsit, operâ cujusdam mendici, qui eam in scipione, seu arundine inclusam gerebat, perlata fuerit. Hic namquè dum seriò mendicare se fingit, unàcum arundine ipsam quoque Epistolam dictis Patribus reddidit, ut ex Actis Concilii Ephesini à Theodoro Peltano editis constat.

To. 2. cap. 19. pag. 406.

Nec silentio prætereundum est, ubi primùm Concilio finis fuit impositus, lustrationem, sive ut nunc dicimus, processionem Episcoporum fuisse celebratam; qua in re faciendâ tapetis, ac peristromatibus, sive auleis stratas fuisse vias, ac luminibus undequàque plenas fuisse, narratur. Quæ res quoad fieri potuit, hoc in loco ad dextram Interfenestrii fuit repræsentata. Inscriptio autem infrà legitur hisce verbis:

S. Cælestino PP., et Theodosio Jun. Imperat.
Nestorius Christum dividens damnatur,
B. Maria Virgo Dei Genitrix præ dicatur.

DE CONCILIO CHALCEDONENSI.

In tertio Interfenestrio ad dextram Bibliothecæ Vaticanæ depicto.

Generale 4.

CConcilium Chalcedonense, Chalcedone Asiæ Urbe maritimâ, e regione Bizantii, seù Constantinopolitanæ Civitatis, coactum fuit in Ecclesia Sanctæ Euphemiæ Virginis, & Martyris, sub Martiano Imperatore, & Leone Primo Magno, qui olim cum Clero, & Cruce Attilæ occurrens ipsum placavit, terrore affectum. Celebratum autèm fuit circà Annum Domini CCCCXLIV. à Patribus sexcentis, ac triginta contrà Eutichen Constantinopolitanum Abbatem, & Dioscorum, magnum diaboli laqueum, Patriarcham, scilicet, Alexandrinum ejus defensorem, in Christo post humanitatem assumptam, divinam tantùm naturam permanere asseverantes: quos hæc Sacra Synodus necnon Nestorium cum reliquis hæreticis, & Ephesinum conciliabulum ab Eutiche, & Dioscoro congregatum, vnâ Patrum sententiâ damnavit, affirmans Christum Dominum de Virgine sic natum, ut in eo substantiam divinæ, & humanæ naturæ confiteamur. Hinc Christus Salvator noster suprà hoc Concilium in aere crucem manu, alterâ verò mundum gestare cernitur.

De hoc Euph. templo Evagr. lib. 2. cap. 3.

Eutiches Archimandrita, idèst multorum Monasteriorum Pater, vel Abbas.

Hoc in Concilio loco Summi Pontificis præsederunt quatuor, duo, scilicèt, Episcopi, & duo Presbyteri: Martianus autèm Impe-

Concilii Legati quatuor.

rator concionem Latinam unam, Græcam verò alteram habuisse narratur: qui adfuit præsens vnàcum Judicibus, & Senatoribus, qui orationem item ad Patres habuerunt. Huic item Conventui quatuor Patriarchæ interfuerunt, Constantinopolitanus, scilicèt, Anthiochenus, Hierosolymitanus, & Dioscorus Alexandrinus, qui præsertim ob libellum, quem ipse contrà Leonem Papam edidit, condemnatus, ab Ecclesia fuit ejectus. Quarè in medio Concilii adstans, tamquàm reus, à duobus Diaconis mitrâ, & pallio spoliatur, duoque Presbyteri, totidemque Diaconi accusationes in Dioscorum scriptis mandatas ad Concilium detulerunt: sed hic tantùm unum videre licet. Diaconus item alter propè thronum, Sancti Leonis Epistolam actu legendi repræsentatur: quæ quidèm Epistola, maximâ omnium acclamatione, lecta fuit.

Concilii Patres præcipui

Dioscorus primus contrà Papam libellum confecit diff. 21. §. In tantum.

Nec silentio pertranseundum est, unum præsertìm scitu, & admiratione dignissimum, illud scilicèt, quod de duobus libris narratur: quorum alter Catholicam Fidem, alter verò hæreticam perfidiam complectebatur. Hi enìm cum in Sepulchro Sanctæ Euphemiæ noctu reconditi fuissent, manè actutum, ope divinâ prius implorata, reseratoque Sepulchro, catholicus liber inventus fuit in manu Sanctæ Euphemiæ, quæ Patriarchæ Constantinopolitano, Martianoque Imperatori omnium stupore, dictum codicem porrexisse narratur. Inscriptio autèm ad hoc Concilium pertinens hisce legitur verbis:

Nicephorus lib. 15. cap. 5. & Metaphr. de inven. li. 4. & cap. 16.

LEONE MAGNO PP., ET MARTIANO IMP. INFELIX EUTHICHES UNAM TANTUM IN CHRISTO, POST INCARNATIONEM, NATURAM ASSERENS CONFUTATUR.

Concilium hoc fuit unum ex quatuor illis celeberrimis, quibus, scilicèt, Nicæno primo, Constantinopolitano primo, Ephesino primo, & Chalcedonensi tamquàm quatuor Evangeliis honorem præstandum esse Magnus ille Gregorius affirmavit, ut suis in locis dictum est.

Reg. lib. 7. cap. 24., & lib. 2. cap. 49. Gener. 5.

DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO II.

In quarto Interfenestrio ad dextram Bibliothecæ Vaticanæ depicto.

CONstantinopolitanum Concilium II. Constantinopoli in Secretario Ecclesiæ adnexo circà Annum Domini DLIII. sub Vigilio Papâ, & Justiniano Magno Imperatore contrà Anthymum olìm Episcopum Constantinopolitanum, & Sergium, ac Theodorum Mopsuestenum Nestorianos, necnon Petrum Archiepiscopum Antiochenum, Theodoritum Episcopum, Ibam, & alios. Petrus enìm impiè asseveravit, Trinitatem Sanctissimam fuisse crucifixam, & confundens personas, duasque naturas in Christo negans, affirmavit Hymnum Trisagium sic pronunciandum esse: Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui crucifixus est pro nobis. Ad hunc Petrum Sanctus Fœlix Papa monitoriam scripsit Epistolam.

Gener. 5. Niceph., & Evagr. lib. 4. cap. 36.

Tom. 2. Conc.

Huic Concilio centum, & sexaginta quinque Patres interfuere: interquos fuerunt tres Patriarchæ, Constantinopolitanus, Menna, videlicèt, qui loco Pontificis præsedit, Antiochenus, & Alexandrinus: Patriarcha verò Hierosolymitanus nomine suo Rufum, & Cononem Abbates insignes pro falsis Origènis dogmatibus oppugnandis ad hanc Synodum legasse narratur: cui etiàm Monachi Ordinis Sancti Basilii libellos contrà Origènistas offerentes interfuerunt, ut videre est ad hujus Concilii dextram. Hic item ad lævam videre est Imperatorem in eminentiori loco sedentem, necnon Legatos, & Diaconum in suggestò impia Petri, & Theodori, aliorumque hæreticorum scripta coram omnibus lectitantem, Episcopos etiam hinc indè libros manibus tenentes, & ad Origènis dogmata spectantes cernere licet: Inscriptio hujus Concilii in hanc verborum legitur formam.

Patres Concilii præcipui,

VIGILIO PAPA, ET JUSTINIANO IMPERATORE CONTENTIONES DE TRIBUS CAPITIBUS SEDANTUR, ORIGENIS ERRORES REFELLUNTUR.

Tria illa capita, quæ in Inscriptione leguntur, ad Theodorum Mopsuestenum, Theodoritum, & Ibam pertinent. In hoc enìm Concilio damnatus est Theodorus cum suis dogmatibus, quæ erant mira monstra, miræque insaniæ: Impia etiam scripta Theodoriti contrà duodecim capitula Sancti Cyrilli damnata fuerunt, necnon Epistola Ibæ, quam ipse ad Marim Persam scripsisse dicitur, & in eâ Verbum de Sanctâ Genitrice, semperque Virgine Mariâ incarnatum, hominem factum inficiatur, stultè, & impiè quidem.

Tom. 2. Concil. c. 12, 13, & 14

DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO III.

In quinto Interfenestrio ad dextram Bibliothecæ depicto.

CONstantinopolitanum III., & VI. Generale Constantinopoli sub Dono Papâ indictum, cœptum sub Agathone, & sub Leone II. absolutum, tempore Constantini Imperatoris hujus nominis quarti, cognomento Pogonati à ducentis, & octoginta novem Patribus celebratum fuit circà Annum Domini DCLXXVI., vel DCLXXXI. in Secretario Sacri Palatii, quod *Trullus* appellatur, contrà Sergium, Paulum, Pirrhum, & Petrum, monothelitas, & monophysitas olìm omnes Patriarchas Constantinopolitanos, & Cyrum Antistitem Alexandrinum,

Gener. 6. S. Anton. p. 2. tit. 15. cap. 1. §. 5. ait à Leone II. Decreta hujus Synodi ex Græco in Latinũ fuisse transiata.

Theo-

Theodorumque Pharan Episcopum, hæreticos omnes impiè asserentes unam tantùm in Christo voluntatem, & naturam.

Concilii Legati.

Hoc in Concilio tres Legati, duo, scilicèt, Presbyteri, Theodorus, & Georgius, & Joannes Diaconus, ab Agathone missi, duobus Patriarchis, Constantinopolitano, & Antiocheno assistentibus, præsederunt: & inter alios Patres, Theodori Archiepiscopi Ravennatis Legatus, Joannes Episcopus Portuensis, Abundantius Episcopus Paternensis Siciliæ: Joannes Archiepiscopus Rheginus, Theophilus Episcopus Thurinus, Theodosius Episcopus Tropiensis, Episcopus Scyllaticus, calabri omnes, Cœnobiarchæ ab Urbe missi, huic eidem Synodo interfuerunt.

Ad lævam hujus Interfenestrii nonnulla scripta à Diacono obsignantur, ne callidè ampliùs depravari possent. Episcopi itèm libros Catholicorum Patrum attentè inibì legere, ac conferre cernuntur, ut propositiones Patrum ab hæreticis, & à Machario præsertìm Patriarchâ Antiocheno truncatìm, & per fraudem citatæ, invenirentur: cujus rei veritate inspectâ, Macharius ipse in medio adstans mitrâ, & Pallio spoliatur, ejusque loco Theophanes Siculus Abbas eligitur, & Stephanus itèm Monachus ejus discipulus eodem in loco Diaconali veste exuitur. Ad hanc eandem partem in eminentiori loco Imperatorem videre est.

Episcop. Portuen. rem sacram solemni pompa facit.

Ad dextram verò cernitur Joannes Episcopus Portuensis, qui die Sancto Paschatis Missam more Latino, & Sacrâ, solemnique pompâ in Ecclesiâ Sanctæ Sophiæ celebravit, cui solemnitati Cardinales duo, præsertim Legati, & Imperator interfuerunt. Ad eandem partem Diaconus in suggesto conspicitur, qui Summi Pontificis Epistolas, sententiarum gravitate, verborumque ponderibus respersas, ac sententiam contrà hæreticos legendi, promulgandique actu repræsentatur. Hujus Concilii Inscriptio hiscè legitur verbis:

S. AGATHONE PAPA, CONSTANTINO POGONATO IMP. MONOTHELITÆ HÆRETICI UNAM TANTUM IN CHRISTO VOLUNTATEM DOCENTES EXPLODUNTUR.

Hoc deniquè in Concilio solemni ter Missâ decantatâ, processio Episcoporum celebrata fuit, ut inibì videre licet. Antistites itèm Ravennas, qui exarchorum fretus potentiâ, Sedi Apostolicæ non obtemperabat, ad obedientiam rediit, decretumque fuit, ut electio Cleri Ravennatis irrita foret, nisi Romani Pontificis auctoritate comprobaretur.

Hæc de iis, quæ ad hujus Interfenestrii pertinent picturas: nunc reliquum est, ut alia ad eandem Synodum pertinentia, & scitu quidèm digniſſima explicemus.

Nic. 2., & Gener. 7. Act. 6. tom. 2.

Sexta hæc, & universalis Synodus, (ut Concilii Nicæni Patres tradunt) sub Constantino IV. cœpta, nullum edidit Canonem, sed sub Justiniano II. ejus filio, post obitum patris, Imperium suscipiente, quatuor, aut quinque post annis in Trullo coacta, centum, & duos edidit Canones, quos Gentianus Hervetus Aurelianen. ex Græcis exemplaribus in Latinam transtulit linguam, sicùt Frater Bartholomæus Carranza Miranden. instituti Sancti Dominici in suâ Conciliorum summâ testatur. Horum CII. Canonum in Concilio Generali VII., & Nicæno II. mentionem factam esse, Canonemque octuagesimum secundum de imagine Christi in figurâ Agni in favorem imaginum citatum esse constat. Horum itèm Canonum Nicolaus I. in suâ Epistolâ ad Michaelem Imperatorem scripta meminit, dicens, Justinianum II. Imperatorem eorundem Canonum confirmationem à Joanne VII. humilitèr postulantem accepisse; quem Imperatorem tanquàm piissimum Nicolaus I. in Epistolâ eâdem laudavit. Anastasius etiàm Abbas, & Apostolicæ Sedis Bibliothecarius in præfatione Synodi VIII. Generalis ait, in Synodo VI. nullam, prætèr fidem, regulam fuisse editam: sed quas ejus asseverant regulas longè post sextam Synodum ab ipsis constat esse penès se privatimque depromptas. Patres itèm, qui ex Oriente, & Occidente ad Synodum Florentinam convenerunt, citant hos CII. Canones sextæ Synodi in Trullo celebratæ. Gratianus deniquè in Decreto, aliquot Canones, quos nominavimus, citat, & sextæ Synodo ascribit, ut suis in locis videre est. Hinc novem Canones in volumine Conciliorum Coloniæ excuso appositi tamquàm nothi, & adulterini rejecti sunt, & Jure quidèm, sicùt ex his, quæ hucusquè narrata sunt, clarè patet.

Act. 4. id etiam omne explicatur.

Act. 5., & expicatius Act. 6. tom. 2.

To. 2. Concil.

Concil. Flor. sess. 5. Ferr. tom. 3.

Nicæ. 2., & Gener. 7. Act. 4. tom. 2.

Scitu prætereà dignum est, præfationis loco allocutoriam Patrum 227. ex iis, qui in Trullo convenerunt, ad Imperatorem Justinianum reperiri orationem, in qua ostendunt, in duabus universalibus, Synodo quintâ, scilicèt, quæ fuit Justiniano magno regnante, & sexta quæ fuit Cõstantino Pagonoto imperante, Canones ad Ecclesiarum Constitutionem, sicut reliquæ quatuor sanctæ universales Synodi fecerunt, editos non fuisse: ob idque Patribus 227. sub Justiniano II. in Trullo iterùm congregatis, hanc Synodum ad duarum supplementum fuisse celebratam: quæ propterea nec Sexta propriè nominatur, sed πενθ' ἕκτη, ideſt quinisexta: nam quod quintæ, & sextæ Synodo deerat, replevit: & universalis reverà nuncupatur, & est. Hæc ex fratre Bartholomæo Carranza summæ Conciliorum Auctore.

Nic. 2., & Gener. 7. Act. 4. tom. 2.

In Summa Concil. Generale 6. post finem Act. 18.

Adde etiam, quòd septima Synodus ait de hac re non esse dubitandum: nam, ut ipsa testatur Synodus, qui temporibus Constantini subscripserunt, iidem illi sub Justiniano dictos Canones subsignarunt, ut ex eorundem propriarum manuum immutabili similitudine clarè patet: necesseque erat, (inquit) ut post Synodum universalem Canones quoquè Ecclesiastici ederentur. Hinc non nova Synodus, sed Synodi continuatio dici debet.

Nic. 2., & Gener. 7. Act. 4., & 6. tom. 2.

Tom.2. Concil.

Præterea Hadrianus primus ad Tarasium Episcopum Constantinopolitanum scribens, sextam Synodum cum omnibus suis Canonibus se recipere aperte ait, ejusdemque Tarasii erga sextam Synodum, & sacras imagines fidem laudat: immò in eâdem Epistola, figuram Christi in formâ Agni digito Sancti Joannis Baptistæ demonstratam inter dictos Canones divinè, & legaliter promulgandos receptam esse testatur, ac laudat. De hac verò Epistola ad Tarasium Nicolaus Papa primus mentionem facit.

To.2. concil. Act.2. Nic.2. Gener.7., & in summat. Concil. can.82.

His autem, quæ narravimus, non refragatur secundus dictæ Synodi Canon, qui Canonem Cypriani in Concilio Carthaginensi de hæreticis Rebaptizandis confirmare videtur; non enim Canonem universum, sed partem quandam confirmat, quæ ad aliquos certos hæreticos pertinet, præsertim verò Paulianistas, sive Paulianos à Paulo Samosateno sic nuncupatos. Hi enim in nomine Sanctissimæ Trinitatis non baptizabantur. Quarè in Concilio item Nicæno decretum fuit, ut si qui ex illis ad Ecclesiam redirent, rebaptizarentur, quòd veram baptismi formam non tenerent, atque adeò nec verum baptisma susciperent.

Concil. General.7. c.19. Ft 1. qu.1. c.53. Paulian.

Quomodò autem dictus Cypriani Canon recipiatur, Canon 95. ejusdem sextæ Synodi apertè declarat, ubi alii hæretici nominantur, qui ad Ecclesiam venientes tamquàm Gentiles recipiebantur. Hunc in modum Gelasius Papa opuscula Cypriani, iis videlicèt exceptis, quæ Ecclesia reprobavit, se recepisse fatetur. Nam ante Gelasium, immò ante S. Augustinum opinio Cypriani de hæreticis rebaptizandis damnata fuit. Qui enim in nomine Sanctissimæ Trinitatis, hoc est Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, juxtà formam à Christo institutam, vel tantùm in Christi nomine sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippè, idemque est, ut S. exponit Ambrosius) constat eos non esse denuò baptizandos ut in Decreto legitur. Forma namque ab Apostolis tradita, est eadem implicitè cum eâ, quæ à Christo instituta fuit; quam etsi Apostoli Spiritus Sancti consilio ad tempus mutaverunt, ut Christi nomen, quod apud Judæos contemptui, & odio erat, amabile, ac venerandum redderetur, forma tamen substantialis implicitè permanebat; nam sub Christi nomine intelligitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Pater est ungens, Filius, qui Græce dicitur Christus, est unctus, & Spiritus Sanctus est ipsa unctio. Undè mutatio hæc non substantiæ, sed modi potiùs, sive ritus dici debet: & hujusmodi potestas mutandi semper in Ecclesiâ fuit, ut in Sacramentorum, scilicèt, dispensatione, salvâ illorum substantiâ, sicut Sacrosancta Synodus Tridentina apertè ait, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seù ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate expedire judicaret.

Concil. Genc. al.6. can.95.

S. Aug. contra Donatistas lib.2. c.31.32. tom.7.

Decr. p.3. De consecr. dist.4 cap.24. Matt. vlt. Act.2. 19. Amb. li.1. de Spirit. Sanct. c.3.

S. Bonav. 4. senten. dis.23. art.1. quæst.1. in corp.

Sess.21. c.2.

Quod autem in hac eâdem sextâ Synodo Sedem Constantinopolitanam Romanæ Sedi æqualem facere videtur, id non præcisè, & omninò intelligitur, sed quantùm ad æqualia privilegia, sive similia utriusque Ecclesiæ, hac tamen conditione adiectâ, ut Constantinopolitana post Romanam Sedem secundum locum teneret, sicut inibi videre licet.

Can. 36. Ft dist.22. cap.6. Renouantes.

Quod item de matrimonio olim Sacerdotum in hac sextâ Synodo decretum fuit, non universæ Ecclesiæ, sed tantum Orientali legem præscribit, ut ab eodem Carranza optimè in eundem Canonem scribente animadversum est: nec illud decretum Matrimonii dissolutionem, sed potiùs separationem, religiosamque vitam ob perpetuum Sacrificium comprehendebat: ubi enim Sacerdotalis dignitatis actualem munditiam jure postulat: si quis autem ex consensu uxoris ordinabatur, continebat: sin secùs, non ordinabatur.

Can.12.,&13., &dist.31.c.14. Aliter.

Quod denique in hac eâdem Synodo Ecclesiam Romanam die sabbati, uno excepto, sancto scilicèt sabbato majoris hebdomadæ, non jejunare obligat, ex instituto Sanctorum Apostolorum, cujus contrarium ad hanc usque diem servavit Romana Ecclesia, hujus Concilii Generalis dignitati non adversatur. Quamvis enim universalis Synodus legitimè congregata Romanam Ecclesiam ad id obligare potuerit, cum tamen hujus generis decretum de non pertinentibus ad fidem existat, consuetudoque foret contraria, hæc locum obtinuit ex Beati, ac Patris nostri Augustini sententiâ ad Casulanum, necnon ad Januarium scribentis. Quod enim (ipse ait) neque contrà fidem, neque contrà bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est. *Mater mea* (inquit) *Mediolanum me consecuta, invenit Ecclesiam sabbato non jejunantem, cœpit perturbari, & fluctuari quid ageret, cum ego adhuc Catechumenus, talia non curarem: sed propter ipsam consulvi hac de re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium, Mediolanensem Episcopum, à quo sum Mediolani baptizatus: qui respondit: Cùm Romam venio, jejuno sabbato; cùm hìc sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cùm Matri renunciassem, libentèr amplexa est.* Hæc ex Beato Patre Augustino in iis Epistolis, quæ ad Casulanum, & Januarium scriptæ sunt. Canones igitur, in Trullo celebratos, ut rem tandèm concludam, authenticos esse existimo. Si autem alitèr de iis ab Ecclesiâ decretum fuerit unquàm, ejus judicium omninò amplector, cui me semper omnibus in rebus subditum esse profiteor, ac declaro.

Can.55.

Can.65.

Tom.2. epist. 86. circa fin., & epist. 118. c.2., & distin. 12. c.40. Illa. §. alia.

DE

DE CONCILIO NICENO II.

In VI. Interfenestrio, ad dextram Bibliothecæ Vaticanæ depicto.

Gener.7. NIcænum Concilium II. & Generale VII. in Nicæa Asiæ Civitate, ubi prima Synodus Generalis tempore Silvestri Papæ, & Constantini Imperatoris congregata fuit, celebratum est, in Ecclesiâ majori sanctæ Sophię sub Hadriano primo, & Constantino VII. Irenes filio Imperatore à Patribus 350. circà annum Domini 581. seu 775. vel 790. contrà Iconomachos, qui imagines in Ecclesiis damnabant. Quarè hac in Generali Synodo decretum fuit imaginum expressiones relativè esse adorandas, sanctorumque reliquias esse honorandas: aliud est enim picturas absolutè adorare (quod non licet) aliud verò per picturas cognoscere quid sit adorandum: etenim non repræsentantes figuras, & imagines, sed res repræsentatas adoramus, & imagines quatenùs repræsentant. Adoratio enim non in imaginibus terminatur, sed ad prototypum refertur.

Imaginũ Sanctorum veneratio.

Angeli an sint corporei. Hoc itèm in Concilio multa de Angelis pertractata sunt, & præsertim an sint corporei, & de usu pingendi eos: de ipsorum autem, ut sic dixerim, corporeitate nihil fuit decretum, etiam si Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus ex doctrinâ B. Joannis Thessalonicensis cum Gentili quodam de usu imaginum disputantis coràm Patribus affirmarit, Angelos pingi oportere, eò quia circumscribi possunt, & ut homines apparuerunt; sacraquè Synodus visa non fuerit improbare, sed potiùs hanc sententiam approbare: Synodus enim non affirmauit, Angelos esse corporeos, sed modum convincendi Gentilem, usumquè pingendi Angelos approbavit. Nàm quandòque licet extremum probare, ut alterum auferatur. Hæc autem controversia nondùm Ecclesiæ censurâ terminata est.

Concilij Legati. Huic Concilio Petrus Archipresbyter, Cardinalitiis vestibus indutus, & Petrus Monachus Abbas Sancti Sabbæ loco Hadriani Summi Pontificis præsediśse repræsentantur, & inter alios Episcopos Stephanus Episcopus Viboniensis, & Stephanus Episcopus Tropiensis Calabriæ interfuerunt. Tres Episcopi in medio adstantes suæ pœnitentiæ libellos promulgare conspiciuntur, ut inibi videre est, ubi unus ex tribus, flexo genu, *palinodiam*, quam vulgò *retractationem* vocitamus, actu recantandi repræsentatur.

Ad dextram hujus Concilii, seù Interfenestrii partem imaginum adorationes cernuntur, Sancto Lucâ Evangelistâ Beatæ Mariæ semper Virginis filium suum puerulum Christum Salvatorem nostrum in sinu gestantis ad vivum olim per pictoriam artem exprimente. Diaconus prætereà in suggesto adstans Concilii Decreta promulgare cernitur, universâ Synodo acclamante. Hujus Concilii Inscriptio in hanc legitur verborum formam.

HADRIANO PAPA, CONSTANTINO IRENES F. IMP. IMPII ICONOMACHI REIICIUNTUR, SACRARUM IMAGINUM VENERATIO CONFIRMATUR.

Hoc in Concilio Acta sextæ Synodi citata fuerunt, & approbata, ut dictâ in Synodo monstratum est. Itaque nihil est, quod hac de re plura nunc verba faciamus.

DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO IV.

Ad dextrum Bibliothecæ Vaticanæ angulum depicto.

COnstantinopolitanum IV. Concilium, Generale verò VIII. Constantinopoli sub Hadriano Secundo, & Basilio Imperatore circà annum Domini 870. a Patribus quadringentis fuit celebratum contrà Photium hominem pessimum, hæreticum, & Ecclesiæ rebellem, ac falsarium cognomento Veclas, hoc nomine a se callidè confecto, sibique acquisito. Hic primus manifestissimè contrà Dei Ecclesiam insurrexit, Ignatiumque a sede Constantinopolitanâ detrusit, eamque tyrannicè occupavit. Gener.8.

Photius dict. Veclas, quid sibi velit, vide Anton. par. 3. Tit. 22. c. 13. §. 19.

Concilii Legati. Huic Concilio, loco Summi Pontificis, Diaconus Cardinalis, duoquè Episcopi interfuerunt. Præsens etiàm adfuit Photius, quem senectâ ætate gravem baculo innixum, & ad Patres gradientem, ad lævam Concilii partem videre est. Ab eo autem baculum Marinus Vicarius Romanus auferri mandavit dicens: *Baculus dignitatis pastoralis est signum: quod hìc habere haùdquaquam potest, quia lupus est, non pastor.*

Ad lævam ejusdem Concilii partem Episcopi, Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi, qui cum Photio ceciderunt, libellos pœnitentiæ coràm Synodo flexis genibus proferentes, manuum impositione recepti cernuntur. Ignatius autem Pallio iterum decoratus sedi Constantinopolitanæ, ut ad lævam cernere licet, restituitur, Photio expulso. Diaconus denique ad dextram Concilii partem in suggesto adstans restitutionem Ignatii, & Photii depositionem actu legendi repræsentatur. Inscriptio hujus Concilii hæc est:

HADRIANO II. PAPA, ET BASILIO IMP. S. IGNATIUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS IN SUAM SEDEM [PULSO PHOTIO] RESTITUITUR.

Ad alteram Concilii hujus, seù anguli partem, Photii chirographa comburi conspiciuntur, necnon acta omnia conciliabulorum, quæ ab eodem Photio contrà Nicolaum I. Papam, & Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum celebrata sunt, ut ex Inscriptione, quæ infrà legitur in hanc verborum formam, videre est.

EX DECRETO CONCILII BASILIUS IMPER. CHIROGRAPHA PHOTII, EJUSQUE CONCILIAB. ACTA COMBURI JUBET.

Gener. lib. 4. Chron. ann. Christi 870.

Hac Synodo septem præcedentes confirmantur: multique Canones, qui non extant in exemplari Græco, ut ait Genebrardus, eidem attribuuntur Concilio, cui Donatus Ostiensis, Stephanus Nepesinus Episcopi, & Marinus Diaconus, Legati Hadriani Papæ, ut diximus, præfuerunt. Platina. Lib. Concil. & alii.

DE IIS,

QUI VARIOS IDIOMATUM CHARACTERES,

Variaque Disciplinarum genera invenerunt.

Dimensio Bibliothecæ Vaticanæ.

BIBLIOTHECA Vaticana plurimis cameris, ac porticibus amplificata, a basi ad fastigium est palmorum 130. cuius pars superior, in qua libri asservantur, longitudinem palmorum 318. latitudinem 69. altitudinem verò 40. septemque columnas parastaticas lateritias, & quadratas ipsum fornicem superiorem distinguentes ac sustentantes complectitur; quarum singula quæque Imagines saltem quatuor eorum, scilicèt, qui varios idiomatum characteres, vel disciplinas, sive libros invenerunt, depictas comprehendit.

De Hebraicis literis ab Adamo inventis.

ANteà verò quàm de Columnis parastaticis dicere aggrediamur, de primo homine divinitùs edocto, primoque disciplinarum, literarumque Inventore sermonem habere oportet. Hic enim è regione primæ Columnæ parastaticæ in semicolumnâ lateritiâ parieti annexâ a tergo introitus Bibliothecæ per pictoriam artem repræsentatus, pelliceisque vestibus amictus, alterâ manu pomum, alterâ ligonem gestare cernitur.

Per pomum peccati origo innuitur: itemque illud omne, quod ex peccato originali in universum genus humanum transfuso mox natum est. Adam enim ad DEI imaginem, & similitudinem creatus, dum astu satanæ per serpentem, tanquàm per fistulam loquentis, peccat, ne Hevæ uxori suæ ad pomum comedendum contrà divinum præceptum cohortanti tristitiam afferret, mors, atque omnes calamitates generi humano subortæ sunt: atque hunc in modum similitudine amissâ, gratiâ, scilicèt, atque justitiâ originali deperditâ, qua ex divinâ liberalitate fuerat affectus, in imagine deformatâ in naturalibus scilicèt vulneratis derelictus est homo. Hinc de donis gratuitis amissis, naturalibus vulneratis, totque miseriis, & calamitatibus per peccatũ acquisitis appositè cecinit Poeta ille dicens: *Adam primus homo damnavit sæcula pomo.*

Gen. 3.

Quibus itèm de causis pellicea, & brutalis illa vestis eidem homini denudato rectè congruit, cum Psalmographus inquiat: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Idque etiam ad perpetuam mortis memoriam factum est, ut scilicèt ipse recordaretur illius divinæ sententiæ: *Morte morieris.*

Psal. 48.

Annal. Glycæ par. 1.

Gen. 2.

Per ligonem fit allusio ad id, quod ei Deus dixerat: *In sudore vultus tui vescèris pane tuo*: agriculturæque ars perbellè, & apertè repræsentatur: Adam enim, ut in Scriptura sacrâ legitur, pœnitentiam egit: quam exorsus est, cum se a facie Domini abscondit, metuens justam ejus iram (nam facies Hebraicè iram significat) annisque ferè mille in eâ perseveràsse narratur, Agricolaque, Agricolarumque exemplum fuisse in Zachariæ prophetiâ legitur. Adam igitur hunc in modum, quem descripsimus, per pictoriam artem satis bellè effictus, atque ita ut ipse tanquàm a Deo, Artifice optimo formatus, quòad fieri posset, repræsentaretur. Suprà hujus caput characteres, sive literæ antiquiores, nunc Hebraicæ dictæ, leguntur ut infrà. Ad ejusdem verò Adami pedes Inscriptio Latina in hanc legitur verborum formam:

Gen. 3.

Sap. 10.

Gen. 3.

Cap. 13.

ADAM DIVINITÙS EDOCTUS, PRIMUS SCIENTIARUM, ET LITERARUM INVENTOR.

Alphabetum Hebraicum antiquius.



Ratio ipsa persuadet, Adamum divinitùs edoctum disciplinas, certosque præsertim scribendi characteres adeò necessarios alijs præmonstrasse, sicut Inscriptio docet: hanc autem scribendi formam hoc loco positam Hebraicas inter literas antiquiorem, primumque Alphabetum fuisse credendum est: quod instar cæterorum Hebraicorum a dextro in sinistrum latus legitur. Sed quamvis hunc scribendi modum naturæ magis proprium esse nonnullis rationibus Hebræi tueantur, necnon glorientur se cœli motum a dextro in sinistrum in scribendo imitari, ego tamen cum eruditis viris Latinis, quibuscum non sum conferendus, hanc rationem cum aliis id genus argumentis parvipendens (cœlum namque nec proprie dextrum, nec sinistrum habet, quia nec est animal, nec eius motus incipit, nec habet diversas figuras, sed tantùm ex parte Orientis, & Occidentis quodam modo habere potest) a sinistro in dextrum scribendum esse autumo, mihique persuadeo: certis verò posthabitis rationibus, hoc unum invictum in medium affero argumentum ex eorumdem Hebræorum modo scribendi desumptum. Eos enim, ut cetera omittam, inter scribendum, literarum ipsarum virgulas, ac lineas directas, aut transversas a sinistra inchoatas in dextram desinentes terminare constat. Qua igitur partis est ratio, eadem, & totius esse debet: & quemadmodum linearum tractus efficitur, ita literarum quoque ordo servandus est. Usus tamen invaluit, vt Hebraicum Idioma a dextro in sinistrum scribatur, & legatur: quod Syriacis, & Chaldaicis literis, necnon aliis multis cõmune est, quę item cum eodem Idiomate aliquâ ex parte quantùm ad numerum, & figuras affinitatem habent.

Aristot. lib. 2. cæli tex. 7. & 83.

Aristot. lib. 1. cæli tex. 19. in fine.

Hæc de modo scribendi Hebraicum Idioma, quo tanquàm mysteriorum pleno, ut Sanctus Hieronymus ait, cæterarumque linguarum primo, Deum in suppositâ creaturâ ad primos Parentes allocutum fuisse, eosdemque cum diabolo sermonem, congressumque habuisse, rebusque nomina ab Adam imposita, Moysique legem denique fuisse datam credendum est, ut multi, & eruditi quidem Viri affirmarunt. Nec desunt qui dicant hac Hebraicâ linguâ omnes tandèm aliquandò locuturos. Sicut enim (inquiunt) ante ædificationem Turris, quam Nemroth post diluvium ædificandam ad vim aquarum tempus in posterùm evadendam curavit [undè ex hujusmodi insaniâ tanta homini sermonis varietas, linguarumque confusio innata est, ut quot orbis Regiones sunt, tot hominum linguæ sint]. unâ linguâ omnes populi loquebantur, ita conversis omnibus ad cultum veri Dei, omnes Hebraicè locuturos esse ajunt. Quamvis autem S. Hieron. Hebræos ita opinantes, unâ scilicèt hac Hebraicâ linguâ in fine mundi omnes locuturos, irridere videatur, terram tamen universam unius labii, ut scriptura Sancta testatur, post diluvium, fuisse non inficiatur. Id quod etiam antè diluvium extitisse affirmandum est, ut infrà dicetur. Hæc in universum de Hebraicâ linguâ mihi dicere visum est: cætera verò infrà dicentur, cum alibi de hoc Idiomate loquendum sit. Reliquum est igitur, ut ad primam Columnam parastaticam accedamus.

Hieronym. in Psal. 82. to. 7.

Hebr. opinio.

Gen. 11.

S. Hieron. in 6. c. Sophoniæ, tom. 5.

Gen. 11.

DE PRIMA COLUMNA PARASTATICA,

Quę literas Hebraicas, Chaldaicas, & Syriacas earumdemque Inventores comprehendit.

De Filiis Seth, Astrologiæ Inventoribus, literarumque Hebraicarum cultoribus.

IN primâ primæ Parastaticæ Columnæ facie Theatrum versùs, duo Juvenes pelliceis vestibus amicti conspiciuntur, filii scilicet Seth, & Adæ nepotes, literarum Hebraicarum cultores, & Astronomiæ inventores anno mundi 235. ut Josephus testatur, etiam si ipsum Seth earundem inuentorem fuisse affirmet Suidas; & Philo primam literarum inventionem Abrahæ tribuat. Dictorum uterque Juvenum effictæ Columnæ, vel Tabulæ fragmentum apud se habet, super ea manum suam tenens. Hi enim duas columnas, sive tabulas fecerunt, quarum una lateritia erat, altera ænea, sive marmorea: illa contra ignis conflagrationes, hæc contra aquæ alluviones, ut monimenta ipsa diutiùs conservarentur, ac permanerent, cùm Adam, eodem Josepho teste, rerum omnium futurum interitum prædixisset. Hisce in columnis liberales artes, eas præsertim, quæ ad observationem siderum pertinent, conscripserunt. Hinc ab Hebræis ad Ægyptios, & Chaldæos, & deindè ad reliquos Astrologiam manasse credendum est. In earum alterâ promissionem de semine, ideſt de Christo,

Geneb. lib. 1. Chron. anno 235.

Joseph. lib. 1. antiqu.

Genebr. lib. 1. Chron. anno mundi 235.

Adæ

Libr. 1. de antiq. rerum. Adæ factam, cælatam dicunt: Iosephus autem ad suam usque ætatem columnam illam marmoream in Syria durasse testatur. Suprà harum imaginum caput, Hebraicum legitur Alphabetum: infrà earundem pedes hæc legitur Inscriptio:

FILII SETH COLUMNIS DUABUS RERUM COELESTIUM DISCIPLINAM INSCRIBUNT.

Hebraicum Alphabetum antiquius.



Appendix Thes. Ambros de introduct. linguarum. Alphabetum hoc loco positum est idem cum superiori. Filii enim Seth eo usi sunt, quod sibi ab Adamo præmonstratum fuisse opinandum est. Nam, ut diximus, non solùm post diluvium, verùm etiam antè ipsum omnes unâ tantùm linguâ locutos fuisse credendum est, cum post Turrim à Nepotibus Noe ædificatam linguarum confusio, atque divisio sequuta fuerit, sicut Scriptura sacra testatur. Quòd autem una, eademque lingua Hebraica ante diluvium, ac temporibus præsertim filiorum Seth extiterit, ex eo nonnulli credunt, quod in Genesi de Enos narratur: ubi ipse invocare nomen Domini cœpisse dictus est. Enos enim cœpisse invocare Deum, non ita intelligitur, quòd Abel, & Cain sacrificando id non fecisse credendum sit, sed tunc cœptum esse invocare in nomine Jehovah, juxtà locutionem Hebraicam, opinandum est, sicut Cajetano placet, quamvis alii arbitrentur, Enos cœpisse invocare nomen Domini, quasi primus invenerit imagines quasdam, per quas orationum devotio excitaretur: vel quia ejus tempore instauratus fuerit Dei cultus, ritusque cœperit ceremoniis colendi Deum. Alii verò ex hoc eodem loco, atque ex hoc nomine Jehovah, hanc linguam, quæ *Hebraica* nuncupatur, ante diluvium fuisse autumant: hoc enim quatuor literarum nomen, quod Tetragrammaton dicitur, cui etiam admirandas Hebræi virtutes tribuunt, illius est linguæ, illiusque characteribus scribi solet. Adde etiam quòd Josephus, ut in Exemplaribus manuscriptis Hebraicis & impressis legitur, recenset Epistolam ab Alexandro Magno ad Aristotelem præceptorem suum scriptam de sepulchro Cainan filii Enos, qui fuit ante Diluvium, in Civitate Persiacâ invento: cujus Epitaphium literis Hebraicis scriptum fuisse de Diluvio futuro Alexander testatur: quas quidem literas antiquiores fuisse credendum est: quibus etiam, ut S. Hieronymus in Ezechielem ait, eousque Samaritani utebantur.

Gen. 11.

Gen. 4. in fine.

Cajet. in hunc locum. Aloys. lipp. in catena.

Jehovah Tetragrammaton.

Liba. de Antiqu. c. 11.

Gen. 5.

S. Hieron. in cap. 9. Ezech. tom. 4.

Testimonium de eo, quod in sepulchro Cainan repertum fuit.

וַיִּכְתֹּב אֶת הָעֲתִיד לִהְיוֹת מְחֻמְבוֹל עַל לוּחוֹת
אֶבֶן וְהֵנִם שָׁם וְהַכְתָּב כְּתָב עִבְרִי

Admiror autem, cur extrema litera superioris Alphabeti figuram T, Thau, quæ sanctissimæ Crucis similitudinem repræsentat, non habeat, sicut in antiquioribus Hebræorum literis reperiri S. Hieronymus ait, nisi hoc sit iis antiquius: Thau enim figura, quæ ipsi Thau ת, recentioris Alphabeti Hebraici non est adsimilis, sic scribi solet T, ŧ, ut ex multis Alphabetis, quæ ex libris, qui cuidam Salomoni ascribuntur, desumpta sunt, Apollonio ejus interprete, sicut ex Thesei Ambrosii Canonici Regularis Lateranensis in varia linguarum genera Introductione videre licet: ubi inter multa diversarum linguarum Alphabeta, unum Jacobitarum extat Alphabetum, cujus litera extrema figuram Crucis omninò repræsentat, hoc modo ŧ. Hæc autem litera, sivè figura, Symbolum nostræ redemptionis, quæ per Crucem consummata est, antè adventum Salvatoris nostri in carnem, absolutionis signum, Salutaremque notam præferre visa est, ut legitur in Ezechiele, ubi signa Thau super virorum gementium frontes scripta esse, legitur: & qui hujusmodi figurâ inveniebantur insigniti, salutem consequebantur. Quamvis autem litera T, Thau Hebraica antiquior cum T, Græca Taf, & Latina T, quantùm ad figuram habeat affinitatem, ab iisdem tamen quantùm ad sonum non parum differt: illa enim suavis est: hæ autem insuavissimæ a Cicerone appellantur: A, Θ, Θῆτα verò Theta Græco, & figurâ, & sono, atque symbolo longè distat: nam Thau salutare est: Theta autem lethiferum: propterea quòd Θ, erat mortis nota, vel quia per medium telo est transfixa, vel quia est prima dictionis, Θάνατος, litera, quæ mortem significat. Hinc Martialis illud Theta mortiferum, Persius autem nigrum appellavit dicens: *Et potis est nigrum mortis præfigere Theta*. Alius: *O nimium ante alias infœlix litera Theta*. Nec est mirum quòd Thau figuram Crucis habens diversâm a Theta significationem habeat, cum CHRISTUS Salvator noster in ligno Sanctissimæ Crucis mortem nostram moriendo destruxerit, vitamque resurgendo repararit. Utcumque autem sit quod de antiquioribus characteribus Hebraicis dictum jam fuit, quas in Bibliothecâ Vaticanâ invenimus literas, nos hic apposuimus

S. Hieron. ubi supra.

Appendix Thes. Ambros de introd. linguarum.

Ezech. c. 9.

Cicer. in Orat. ad M. Brutum

Lib. 7. ad Castricum. Persius Satyr. 4.

ponendas cenſuimus, quibus Aſtrologiam a filiis Seth conſcriptam eſſe credendum eſt. De filiis autem Seth hactenùs, ut de Abrahamo tandem loquamur.

DE ABRAHAMO
Syriacarum, Chaldaicarumque literarum Inventore,

ALterâ in Columnæ facie Abraham, primus Patriarcha, ſenex, veſtibus oblongis indutus, & machæratus, circinum, & Amuſſim, ſive regulam & normam, quam nunc *Quadram* paſſim vocant, dextra manu tenere cernitur. Machærâ cinctus pingitur Abraham ob prælium, quod annum ſeptuageſimum quintum agens, contrà Chodorlahomor Regem Elamitarum, & Thadal Regem gentium, & Amraphel Regem Sennaar geſſit, ut Loth nepotem ſuum, & mulieres atque viros, ſubſtantiamque Sodomorum, & Gomorrhæ ab inimicis ablatam recuperaret. Hinc potitus victoriâ revertitur, & pane vinoque ſolemniter priùs oblato a Melchiſedech, Dei nomine invocato, excipitur ac benedicitur. Circinum & Amuſſim dexterâ tenere cernitur ob mathematicam, quam Sacerdotibus Ægyptiis

Gen. 14.

Epinomis. 1. legum appendix, vel Philo. tom. 5.

Cic. libr. 1. de Divin. non ſemel.

Ex Geneb. libr. 1. Chronic. an. mundi 1949.

tradidiſſe fertur, ut ſcribit Joſephus, & Plato in Epinomide id quodam modo videtur innuere. Quod videtur confirmare Cicero, qui primos Aſtrologiæ inventores Chaldæos recenſet. Ægyptii enim illàs ita excoluerunt, ut putentur Geometriæ inventores, ſicut Phœnices Arithmeticæ eſſe dicuntur: cujus tamen lineas ab eodem Patriarchâ cum in Palæſtinam profectus eſt, acceperunt. Dicitur etiam Abraham artem ſtatuariam aliquandiù exercuiſſe, a Thare patre ſuo ſtatuario idolorum fictore & venditore edoctus.

Abraham præterea Chaldaicarum, ſeu Hebraicarum literarum inventor fuit, Philone teſte, qui arbitratur linguam Hebræorum ipſam, ut S. Hieronymus narrat, eſſe Chaldaicam: quia Abraham de Chaldæis fuit. Vel potiùs teſte Suida, ſacras literas, & linguam ſanctam olim inventam conſervavit, cum Adam, vel Filii Seth dictarum literarum, ut Joſephus ait, Inventores dicantur, qui multis annis Abraham præceſſerunt. Suprà Abraham caput extat Alphabetum ut infrà: ad ejuſdem verò pedes legitur Inſcriptio in hanc verborum formam:

Hebræ. in Bereſith Rabba, & Suidas in Abraham. Hieronym. in c. 1. Danielis tom. 4. Suidas in Abraham, & Joſeph. libr. 1. Antiq.

ABRAHAM SYRAS, ET CHALDAICAS LITERAS INVENIT.

Alphabetum Syriacum, & Chaldaicum.



Nec ſilentio prætereundum eſt, cur Inſcriptio Latina hoc loco poſita Syriacas, & Chaldaicas literas unico Alphabeto comprehendat. Id enim factum eſſe reor propter earundem linguarum vicinitatem, ſeù affinitatem, ut Sanctus Hieronymus teſtatur dicens: In hac Epiſtola [ad Galatas] *modò Cephas: modò Petrus ſcribitur: non quòd aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas, ſed quòd quam nos Latinè, & Græcè Petram vocamus, hanc Hebræi, & Syri propter linguæ inter ſe viciniam, Cepham nuncupent.* Hinc ex Philonis ſententiâ, quam Hieronymus improbare viſus non eſt, Hebræorum ipſam linguam Chaldaicam eſſe dicendum eſt, quia, ut diximus, Abraham de Chaldæis fuit. Nec deſunt, qui autument Chaldaicam linguam eſſe, quam nunc Hebraicam dicimus, atque ita fuiſſe vocitatam, ut Theodoretus præſertim ait, ex eo quod Abraham, cum è regione Chaldæorum in Palæſtinam veniret, fluvium Euphratem pertranſiit. *Hebra* enim, ut ajunt, Syrorum linguâ idem dicitur quod *Euphrates*: immò idem Theodoretus Syriacam linguam omnibus aliis antiquiorem eſſe arbitratur, ut nomina ipſa Geneſeos indicare videntur. Adam enim [ait] Cain, Abel, & Noe, propria ſunt linguæ Syriacæ: Syrorum namque mos eſt, terram rubram appellare Adam. Interpretatur autem *Adam terrenus*, aut *pulveroſus*, & *Cain poſſeſſio*, ſicut Adam ipſe de Cain innuiſſe videtur, cum Deum laudavit dicens: *Poſſedi hominem per Deum*. *Abel* idem quòd *luctus*: primus enim viſus eſt mortuus, & primus parentibus luctum attulit. *Noe* verò idem quod *Requies*. Utcumque autem ſit, Hebraicam linguam, omnium matricem, & mundo coævam fuiſſe fatendum eſt, ut S. Hieronymus, & Origenes teſtantur: & ex hac multæ, ideſt 72. ut Hebræis placet, factæ ſunt: quod colligunt è capitibus familiarum, quæ in libro Geneſeos recenſentur: Hebraica enim Syriacæ, Arabicæ, Chaldaicæ, Ægyptiacæ, Samaritanicæ, aliarumque id genus linguarum genitrix nuncupatur: Græca Doricæ, Ionicæ, Æolicæ, & Atticæ, ex quibus communis efficitur: Latina Italicæ, Valachicæ, Gallicæ, & Hiſpanicæ: Sclavonica, Polonicæ, Boemicæ, Moſcoviticæ,

S. Hieron. in cap. 2. ad Gal. tom. 6.

S. Hieron. in c. 1. Dan. to. 4.

S. Hieron. vbi ſupra.

Theodoretus qu. 59 & 60. in Gen.

Gen. 4.

Hieronym. in Soph. tom. 5. Orig. hom. 11. Num.

Gen. 10.

Ex Geneb. lib. 1. Chronic. a mundi 1850.

ac

ac cæterarum : Germanica Helveticæ, Anglicæ, Flandricæ, & aliarum : Tartarica, Tureicæ, Sarmacanicæ, Abyſſina Æthiopicæ, & Sabeæ. Hinc mirum non eſt, ſi Syriaca, & Chaldaica linguæ unico Alphabeto comprehendantur, cum ex illâ una, antiquioreque Hebraicâ linguâ ceteræ originem traxiſſe perhibeantur : immò cum eâdem ipsâ Hebraicâ non ſolùm quantùm ad ſcribendi modum, verùm etiam quantùm ad characteres, atque verborum ſenſum, affinitatem non modicam cæteras linguas habere conſtat. Hæc hactenùs, ut ad alia tranſeamus.

DE MOYSE ANTIQUARUM LITERARUM

Apud Hebræos Inſtauratore,

TErtiâ in Columnæ facie Moyſes Judæorum Dux inclytus conſpicitur dextrâ manu librum, qui Pentatheucum repræſentat, tenere cernitur : qui ad ſiniſtram partem duas Tabulas lapideas apud ſe habet, in quibus fuerunt ſcripta decem Præcepta, quæ à Deo in Monte accepit. Inſtituit autem Moyſes leges ad Religionem, & ad Rempublicam pertinentes 449., & ampliùs, totis illis quadraginta diebus, quibus fuit in Monte : quæ tandem, aliis deincèps additis, uſquè ad 614. præcepta excreverunt. Affirmantia quidèm 248. quot hominum oſſa à Medicis numerantur : Negantia vero 366. quanta eſt ſumma dierum anni. Id quod ex illis duobus libris, ſuper quibus extant lapideæ Tabulæ, repræſentatur. Hic etiam Hebraicarum literarum inventor fuiſſe fertur, ut Euſebio placet, qui ait in libro de Temporibus, & in libro de Præparatione Evangelicâ Moyſem Judæis primùm literas tradidiſſe, & à Judæis Phœnices, poſtremò à Phœnicibus Græcos accepiſſe. Quamvis autem, ut nonnulli volunt, Moyſes Hebraicam linguam punctis inſignitam à Deo accepiſſe dicatur, dum legem in Monte ſuſcepit : dicitur tamen Inventor Alphabeti antiquioris, quod Adamo primùm, deindè ejus Nepotibus tributum eſt, cum ejuſdem Alphabeti inſtaurator fuerit, & cultor, quo antiquiores non habemus Auctores, qui libros conſcripſiſſe perhibeantur. De Hebraicæ linguæ antiquitate Sanctus Pater Auguſtinus idem videtur ſentire dum ait : *Non itaquè credendum eſt, quod nonnulli arbitrantur, Hebræam tantùm linguam, per illum, qui vocabatur Heber, undè Hebræorum vocabulum eſt, fuiſſe ſervatam, atquè indè perveniſſe ad Abraham : Hebræas autem literas à lege cœpiſſe, quæ data eſt per Moyſen, ſed potiùs per illam ſucceſſionem patrum, memoratam linguam cum ſuis literis cuſtoditam.* Deniquè *Moyſes in populo Dei conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priuſquàm divinæ legis ullas literas noſſent.* Hæc Auguſtinus. Suprà Moyſis caput, Hebraicum Alphabetum antiquius legitur : ad pedes autem Inſcriptio Latina, ut infrà ;

Anno mundi 2609.

Affirmant. & Neg. præcepta.

Lib. 8. & 10.

Libr. 18. de Civ. c. 39.

MOYSES ANTIQUAS HEBRAICAS LITERAS INVENIT.

Alphabetum Hebraicum antiquius.



ALphabetum hoc eſt idem cum primo, & ſecundo, quæ ſuperiùs poſita ſunt : & quamvis Hebraicas literas non ſolùm ante legem Moyſi datã, verùmetiam ante diluvium fuiſſe conſtet, ſicut ſuperiùs monſtratum fuit : Moyſes tamen eas inveniſſe narratur, ut ex Inſcriptione Latinâ clarè patet, quatenùs characteres ipſos inſtauravit, & illuſtravit, dum Tabulas lapideas digito Dei ſcriptas accepit, cæteroſque libros iiſdem literis conſcripſit. De Hebraicis literis antiquioribus hactenùs : & reliquum eſt ut ad novas Hebraicas accedamus.

Exod. 31. in fine.

DE ESDRA NOVARUM LITERARUM

Apud Hæbreos Inventore.

QUartâ in paraſtaticæ Columnæ facie Hebraicarum literarum, ſed recentiorum inventor Eſdras, Propheta, Sacerdos, & Scriba more ſacerdotali indutus, alterâ manu calamum, alterâ vero librum tenere cernitur. Hic a S. Auguſtino magis rerum geſtarum ſcriptor quàm Propheta habitus fuit : *Eſdras autem*, inquit Auguſtinus, *propheta fortè cenſendus eſt, quia Chriſtum prophetaſſe viſus fuit cùm ortâ quæſtione apud Regem, quid fortius, aut potentius eſſet in rebus, Unus dixit eſſe Regem, alter Virum, tertius verò Mulieres, ſed ſuper omnia veritatem victricem*

Libr. 18. de Civ. c. 36. tom. 5. Ex Eſd. 3. & 4.

eſſe

Jo.14.

esse demonstravit: quam Veritatem Christum esse dicendum est.

Præf. in libr. Reg. tom. 3. Et in cap. 9. Ez. cl. tom. 4. Ex 4. libr. sub falso Esdræ nomine inscripto, c. 14.

Hic item literas novas Hebræas, quibus nunc utimur, inveni, ut S. ait Hieronymus, post captam Hierosolymam, & post instaurationem Templi sub Zorobabel, cum ad illud usque tempus iidem fuerint characteres Samaritanorum, & Hebræorum. Hic Cabbalam apud Hebræos collegisse dicitur, & septuaginta duobus mandasse libris, quibus septuaginta duorum seniorum doctrinam comprehendisse perhibetur: e quorum numero est quartus liber falsò Esdræ adscriptus. Eos libros Joannes Picus Mirandulæ Comes, & naturæ monstrum se habuisse scribit. Hujus item opera libri sacri fuerunt emendati: hinc meritò scriba, sive censor fuit appellatus: qui etiam, teste Athanasio in Synopsi, ducentos, & quatuor libros conscripsit. Quatuor interea libri sub Esdræ nomine in Bibliis olim reperiebantur, sed duo tantùm priores canonici habentur: Idque ita esse declaratum est in Concilio Carthaginensi, Florentino, & Tridentino: quorum prior de rebus gestis filiorum Israel priusquàm e Babilone in Hierusalem ascenderet Nehemias: secundus verò, qui continet historiam de reædificatione muri per Nehemiam, qui missus fuit tamquàm Dux a latere Persarum Regis ad reædificationem Civitatis, Nehemias etiam dicitur, sæpè tamen confundi solent: uterque verò dicitur Esdræ, sed primus magis propriè dicitur. Tertius, & quartus nomine Esdræ inscripti (quos Hieronymus *apocryphos, somniisque plenos vocat*) & inter canonicos numquàm recepti, nunc juxtà Canonem Sacri Concilii Tridentini a Bibliis veteris editionis vulgatæ Sixti V. Pontif. Max. præcepto expuncti sunt, quamvis tertius ab Origene, Athanasio, & Augustino, quartus ab Ambrosio pluribus in locis, & præsertim in Lucam, & in libro de Spiritu Sancto citentur. Scripsit etiam Genealogias libri Paralipomenon usque ad eum locum, in quo suam Genealogiam ostendit: cætera Nehemias absolvit. De ipso Esdrâ Rabanus maurus hunc in modum scribit: *Omnes libros sacros veteres cùm Judæi ingressi fuissent Hierusalem, Esdras divino spiritu afflatus reparavit, cunctaque Prophetarum volumina, quæ fuerunt a Gentibus corrupta, correxit: totumque vetus Testamentum in duos, & viginti libros distinxit, ut tot essent libri in lege quot habentur, & literæ.* Quidam autem eum faciunt auctorem accentuum, & punctorum, quæ hodie in Bibliis Hebraicis reperiuntur, sed falsum putant, propterea quod Hieronymus ad suam usq; tempora nulla extitisse testatur: inventaque fuerunt paulo post tempora Honorii Imperatoris anno ab everso templo 436., & post Christi passionem 476. in Tyberiade Urbe Galileæ. Quamvis autem hujusmodi puncta ab Esdra inventa esse inficientur multi, & eruditi quidèm Viri: ii tamen affirmant ab ipso Synagogæ, vel Synodi auctoritate Codices Judæorum per sententias, membra, & versus fuisse divisos, & intervallis quibusdam distinctos: qui anteà velutì unicus erant versus.

Conc. Triden. sess. 4.

To. 3. Præfat. 107. in Esdrâ.

Homil. 9. in Josue.

Contr. Arr. Augustt. de Civit. Dei lib. 18 c. 36. tom. 5. Ambr. libr. 2. cap. 2. in Lu. Libr. 2. cap. 7.

Rabanus de instit. Cler. c. 54.

Ex Geneb. libr. 2. Chron. anno mundi 3638.

Ex Geneb. libr. 2. Chron. anno mundi 3638.

Quare S. Hieronymus ait se ad utilitatem legentium easdem commaton incisiones, & intervallorum distantias, quas in Hebraicis Codicibus repererat, in sua Translatione servasse. Sed de hac Columnâ parastaticâ hactenùs, ut de Hebraico Alphabeto novo nonnihil dicatur. Suprà Esdræ caput Hebraicum Alphabetum novum cernitur: Ad pedes autem ejusdem hæc Latina legitur Inscriptio:

Ex Præf. in libr. Paralip. 107. sed clarius ex Præf. in Isaiam ad Paulam, & Eustoch. to. 3. Præf. 117.

ESDRAS NOVAS HÆBREORUM LITERAS INVENIT.

Alphabetum Hebraicum novum.

Nomina literarum.		Pronunciatio.	Figl. litt.
Aleph	אֶלֶף	a	א
Beth	בֵּית	b	ב
Ghimèl	גִּימֶל	g	ג
Dàleth	דָּלֶת	d	ד
He	הֵא	h	ה
Vàu	וָו	u	ו
Zàiin	זַיִן	z	ז
Cheth	חֵית	ch	ח
Teth	טֵית	t	ט
Iod	יוֹד	i	י
Caph	כָּף	c ch	כ ך
Làmed	לָמֶד	l	ל
Mem	מֵם	m	מ ם
Nun	נוּן	n	נ ן
Sàmech	סָמֶךְ	ſ	ס
Nghàin	עַיִן	gh	ע
Pe	פֵּא	p ph	פ ף
Tſade	צָדִי	tſ	צ ץ
Coph	קוֹף	k	ק
Reſc	רֵישׁ	r	ר
Scin	שִׁין	ſc	שׁ
Sin	שִׂין	ſ	שׂ
Thau	תָּו	t th	ת

Literæ ך *Caph*, ם *Mem*, ן *Nun*, ף *Pe* ץ *Tſade*, in fine dictionis ponuntur: illæ autem alteræ, quæ sunt eædem cum hisce quinque, figuris tamen differentes, indifferentèr locantur, fine dictionis excepto. Sunt qui *Zade*, non *Tſade* dici contendant.

Hebræi vocales non habentes, utuntur virgulis, & punctis vice vocalium, ut infrà videre est. De quibus etiam fusiùs dicetur.

Parvæ.					*Vocales.*					*Magnæ.*				
ֲ	ֱ	ִ	ֳ	ֻ	א	א	י	ו	ו	ָ	ֵ	ִ	ֹ	ֻ
a	e	i	o	u	a	e	i	o	u	a	e	i	o	u

ALphabetum hoc Hebraicum ab Esdrâ inventum quamvis ab Alphabeto, quod Adamo, filiis Seth, Abrahamo, & Moysi supe-

perius ascriptum fuit, longè diversum sit quatùm ad figuras, cum eo tamen quantùm ad modum scribendi, & characterum numerum, eorundemque nomen est idem: Nam duæ, & viginti sunt literæ a dextro in sinistrum latus desinentes, eodemque sono pronunciatæ: immo (quod consideratione dignum existimatur) non solùm apud Hebræos, verùm etiam apud Syriacos, & Assyrios, Ægyptios, & Asianos, Samaritanos, & Armenos, Arabes, & Æthiopes, Indos, & Saracenos, Phœnices, & Illyricos, sive Dalmatas, Hetruscos, & Turcas, Græcos atque Latinos, necnon apud alias Nationes, initium primæ literæ Alphabeti ferè cujuscunque sono ipsius A, pronunciari solet, cùm ab Hebræis, & ab aliis *Aleph* dicatur (a Chaldæis tamen *Olaph*) ab Indis *Alefu*, ab Assyriis, sive Syriacis, ac Phœnicibus *Aluz*, a Saracenis *Alchmon*, ab Ægyptiis *Athomus*, vel *Athoin*, a Græcis, Hetruscis, & Jacobitis, multisque aliis *Alpha*, & a Latinis *A*. Id quod non absquè mysterio factum dicas oportet: A, enim vox est humana, magisquè ad virum, quàm ad fœminam pertinens: & hac forsitàn ratione primum hominem Adam, & primam fœminam Evam sic Deus nuncupari voluit, cùm E, vox magis fœminæ quàm viri esse videatur, ut a prima infantis luce experimento, id ita esse passim didicimus.

Ex Appendice Thes. Ambr. de introduct. variarum linguarum.

Hæc de numero, ac scribendi modo, pronunciationeque literarum, ex quibus Alphabeta Hebraica, multaquè alia diversarum linguarum affinitatem quandam inter se habere dignoscuntur: ex notis tamen, sivè figuris, aut characteribus non parùm diversa, sicut ex Alphabeto Chaldaico, Hebraico antiquiori, ac novo, quod nunc præ manibus habemus, videre est. Elementa enim, quibus iam olim, hodieque Judæi utuntur, non veterum Hebræorum, sed Assyriorum esse dicuntur, ut Genebrardo placet, Esdrà inventore, qui Synagogæ, sivè Synodi consilio, & auctoritate literas mutavit, vel quòd veterum Hebræorum, quàm Assyriorum operosior erat scriptura, vel quia eas Samaritani post exilium callerent. Ideòque Judæi ne cum Schismaticis Israelitis ullo sacrorum usu communicarent, hanc literarum formam, quæ nunc usitata est, idest quadratam, mutatis prioribus figuris, Esdra auctore, condiderunt, atquè illas veteres, quæ Samaritanæ literæ deindè sunt nominatæ, quibus etiam ad eam vsquè diem Sancti Hieronymi, ut ipse ait, Samaritani utebantur, reliquerunt Hebræi. Verùm quia Hebraica lingua vocales non habet, ut etiam idem Hieronymus sanctus testatur, non sinè magno judicio, vel ab Esdra, vel deinceps a quopiam alio, etiam post Christi adventum ad annos quadringentos, ut nonnulli volunt, puncta, & ad legendum, & ad intelligendum commoda fuerunt inventa: sin secùs, legentibus semper difficillima fuisset lectio, & quandòq; incerta. Quarè hac tempestate punctis, & pronunciatione, non scriptis literis, ut Græci, & Latini faciunt, vocales linguæ Hebraicæ exprimuntur: consimiliquè modo a Chaldæis, necnon ab Æthiopibus, virgulis affixis literis, vocales explicantur, ut ex Grammaticâ Æthiopicâ, quam Marianus Victorius Rheatinus, vir quidem doctus, Julii Tertii temporibus, Marcello Cervino tunc Cardinali, qui posteà Marcellus II. Pontifex dictus est, dicavit, & Romæ edidit, cognosci potest. Hinc nos Alphabeto huic novo Hebraico puncta, quæ à Sancto Hieronymo *accentus* vocantur, quibus ipse forsitan caruit, apponenda censuimus, etiamsi in Alphabeto, quod in Bibliothecâ Vaticanâ invenimus, desiderentur. Nec silentio prætereundum est, Hebraicos hosce characteres multo minores olim, quàm nunc, fuisse, ut S. Hieronymus innuere visus est ad Eustochium scribens hunc in modum: *Accedit* [inquit] *ad hanc dicendi difficultatem, quod caligantibus oculis senectute, & aliquid sustinentibus beati Isaac, ad nocturnum lumen nequaquam valeamus Hebræorum volumina relegere: qui etiam ad solis, dicique fulgorem literarum nobis parvitate cæcantur.*

Geneb. libr. 2. Chron. anno mundi 3628. Geneb. libr. 1. anno mundi 3203.

S. Hieron. in cap. 9. Ezech. tom. 4.

In cap. 25. Hiere. to. 4.

Procem. in 7. comment. Ezech. c. 21. tom. 4.

Gen. 27.

Hæc de novo Alphabeto Hebraico punctis insignito, quo Biblia Hebraica, & vetustiora, ac recentiora conscripta sunt: hæc punctis, & virgulis constant, illa verò non item: utraque tamen multis in locis corrupta fuisse credendum est: hæc præter alias quatuor, & viginti causas, quas Franciscus Toletus Doctor Theologus è Societate Jesu in suis Regulis Hebraicis pro Linguâ sanctâ intelligendâ, ut vidi, conscripsit, sed nondum in lucem emisit, depravationi subiectæ sunt præsertim ob puncta, quæ sicut lectionem faciliorem, clarioremque reddunt, ita etiam corruptioni viciniorem efficere queunt, si solertiæ tantillum deficiat, vel tantumdem malignitatis apponatur: illa verò scilicet vetustiora sunt item depravatu facilia ob literarum, dictionumque æquivocationem, quæ sine punctis, & virgulis facilè admitti potest, tùm ob aliquot hujus idiomatis characteres eandem figuram retinentes, tùm etiam ob easdem voces diversam habentes significationem, cujus generis est דבר quod absque punctis est verbum, vel sermo, & pestis, sive mors, vel mortalitas: additis verò punctis, vel virgulis æquivocatio aufertur; Nam דָּבָר *Davar* verbum, vel *sermo* interpretatur: si autem hoc modo scribatur דֶּבֶר *Dever*, vel דֵּבֶר *Daver*, *pestis*, vel *mors*, sivè *mortalitas* dicitur: His de causis Hebraica exemplaria corrupta fuisse eruditi quidem Viri (ut reor) affirmarunt; e quorum numero fuit Eusebius de historiâ Ecclesiasticâ, lib. 4. cap. 17., & lib. 5. cap. ultimo, Tertullianus adversùs Marcionem, Irenæus in lib. 1. contrà hæresim, Basilius lib. 2. contrà Eunomium, Ambrosius in Epistolam ad Romanos, & in Epistolam ad Galatas, & in Proœmio libri primi in Lucam: Justinus Martyr adversùs Tryphonem ait, ex versiculo illo Psalmi, *Regnavit à ligno Deus*, ablatas esse duas hasce voculas, *A ligno*: quæ in Psalmorum editione, quam Italam dicunt, & Ecclesia Sancti Petri Romæ habet, & legit

Regul. 24. ex Francisco Toleto in locos difficillimos utriusque Testamenti.

Cap. 29.

Rom. 5.

Gal. 2. tom. 3.

Psal. 95.

S. Aug. libr. 2. de doctr. chr. c. 14. tom. 3.

git quadringentis ab hinc saltèm annis, hujus editionis, cæteris libris amissis, reperiuntur. De hoc Psalterio Beatus Franciscus, ut

Reg. cap. 3 coniicere possum, locutus est in suâ Regulâ dùm Clericis mandavit, ut divinum officium recitandum disponerent juxtà Romanæ Ecclesiæ ritum, Psalterio excepto. Quam rem

S. Bonaven. in Regulam c. 3. tom. 7. par. 4. Sanctus Bonaventura perpendit, rationemque exceptionis hujusce reddit dicens, Ecclesiam Romanam aliâ Psalterii translatione uti, quàm communiter habeatur, vel veriùs alitèr emendato, ut ipse ait: nam per Romanæ Ecclesiæ ritum, divini officii ordinem Romæ observatum intelligit, ut ex dictorum verborum serie clarè patet. Prætereà, ubi

Psal. 21. nos legimus: *Foderunt manus meas, & pedes meos*, pro eo, quod legi debet כָּרוּ *Karù*, id est, *foderunt*, ut habet vulgata editio, recentiores Hebræi legunt כַּאֲרִי *Kaari*, id est, tanquam Leo manibus meis, & pedibus meis: quæ quidem lectio sensum nonnisi durum, & distortum habet. Id quod factum videtur, ut veritas prophetica de Christi Salvatoris Nostri Passione, & imperio occultaretur. Adsimile est illud de Messiæ divinitate apud

Hier. 33. Hjeremiam: *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*: nam pro eo, quod legitur in Latina editione uulgatâ, *Vocabunt*, recentiores Hebræi legunt; יִקְרָאוּ *Ichreo*, id est, *Vocabit*: quasi velint id esse legendum: Dominus vocabit Messiæ nomen, Justus noster. At verus lectionis sensus est: *Israel vocabunt nomen Messiæ*: *Dominus justus noster*: pro quo in Hebræo sic legi debet, יִקְרָאוּ *Ichreu*, idest *Vocabunt*, ut Chaldaica paraphrasis habet, & Rabbi David Kimki, qui hunc in modum legit: *Israel vocabunt Messiam*, Deus justus noster, non autem, *Deus vocabit Messiam*, *Justus noster*. Et hac in re consulvi Neophitos aliquot eruditos, & Hebraicæ linguæ professores, Christianæque pietatis observantissimos, qui Hebraica exemplaria tùm vetustiora, tùm etiam recentiora depravata esse asseverantèr fidem faciunt juxtà sententiam Sancti Hieronymi, qui in Epistolâ

S. Hieron. in c. 3. ad Galat. in prin. to. 6. ad Galatas, Hebraica exemplaria immutata esse apertè fatetur, ubi ait, sublatam ab Hebræis fuisse hanc vocem, *Omnis*, ex dicto

Deut. 27. illo Deuteronomii: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis*: eamque vocem in Hebræis Samaritanorum voluminibus se invenisse ait, idque cum septuaginta Interpretibus concordare

To. 4. in c. 6. Isaiæ. affirmat. Nec huic sententiæ adversatur, quod in Isaja dicit idem Hieronymus, ex Origènis, scilicèt, sententiâ irridens eos, qui dicunt nonnullos scripturæ locos ab Hebræis fuisse depravatos: quoniàm ibi Hieronymus de quibusdam tantùm locis loquitur, non autem in universum, ut inibi videre est. Hujusmodi est dictum Augustini, qui ait, Hebraica exemplaria quantùm ad annorum dinumerationem, hominumque ætates corrumpi potuisse librariorum potiùs negligentiâ, quàm Interpretum, vel Hebræorum perversitate, aut malitiâ, cum id Judæorum improbitati contrà Messiæ adventum favere possit,

Aug. lib. 18. de Civit. cap. 42. tom. 5. haudquaquam videatur; nonnulla enim de Christo, ac de Sanctissima Trinitate septuaginta Interpretes, Spiritu Sancto dictante, omiserunt, ne Ptolemæo mysteriorum non

Præf. in transl. Isa. ad Paulam, & Eustoc. tom. 3. Prol. 117. capaci scandalum afferrent, neve, ut Sanctus Hieronymus ait, Ethnicis fidei Sacramenta perspicuè tunc temporis proderent, neve etiam sanctum canibus, & margaritas porcis darent. Hujus generis est illud: *Ex Ægypto*

Matth. 2. *vocavi filium meum*. Et: *Videbunt in quem transfixerunt*. Et: *Osculamini Filium*, ut Sancti Hieronymi Translatio habet: pro quo in

Io. 19. editione vulgatâ legitur: *Apprehendite disciplinam, quæ per Filium, qui est sapientia Patris*, intelligi debet. Hæc de antiquis, ac novis Hebræorum literis, earumque Inventoribus. Nunc reliquum est, ut ad secundam Columnam parastaticam accedamus.

Psal. 2.

DE SECUNDA COLUMNA PARASTATICA,

Quæ literas Ægyptias, sacrasque notas, necnon Phrygias, earumdeque complectitur Inventores.

De Isde Ægiptiarum literarum Inventrice.

PRima hujus Columnæ parastaticæ facies Isidem Inachi Regis filiam, & Ægyptiorum Reginam capite coronâ regiâ, ac lunulâ semiplenâ redimito, levâ sceptrum, frumentique spicas quinque gestantem repræsentat: ad cujus Reginæ pedes Crocodilus cernitur. Hæc e Græciâ in Ægyptum se se recipiens, ut infrà dicetur, Ægyptios literas docuit, &

Tertul. lib. de corona mil. terras colere instituit, primaque ut Tertullianus ait, repertas spicas capite circumtulit, sicut id spicæ illæ præseferunt. Hinc eam

Lucanus lib. 6 Ægyptii vitâ functam ob beneficiorum memoriam magnis honoribus tanquàm Deam prosequuti sunt, eidemque Sacerdotes instituerunt, terramque ejus nomine, hoc est Isidem, appellarunt: *Isis* enim linguâ Ægyptiorum *Terra* nuncupatur. Per lunulam illam semiplenam, sivè cornutam, quæ suprà Reginæ frontem ad coronæ regiæ conspicitur summitatem, Isis intelligitur. Plutarchus

Plutarch. & Eusebius. enim, & Eusebius, aliique permulti Isidem Lunam esse contendunt ex Ægyptiorum dictatis, qui eam hoc Hieroglyphico describebant, ut cornua taurina veluti novæ Lunæ speciem gestaret. Sicut autem Isis per Lunam, ita per imaginem Æluri, quem *Catum*, & *Felem* Latinè vocitamus, intelligebatur Luna, in cujus cultum magnâ Ælurum veneratione prosequebantur Ægyptij: apud quos quidquid cum Lunâ consensum aliquem, vel quandam sympathiam habebat, id maximo habebatur honori: cujusmodi Ælurus, sive

Gellius lib. 30 cap. 7. Felis, vel Catus esse dicitur, cui ad easdem Nect. Act.

Libr. 15. de Civit. Dei c. 23.

Lunæ vices oculos aut ampliores fieri, aut minores, crescente, ac decrescente Lunâ. Hujus autem generis sympathiam ex eo item esse credebant, quòd sicut Luna Soli adversatur, ita Felis Soricem, quem Solis totum esse dicebant, genvino quodam odio prosequi solet. Hinc Felis hieroglyphico Lunam, ac Lunæ imagine Isidem Ægyptii significabant ob eam saltèm vim, quam Luna influit non solùm in eâ, quæ in aquis procreantur, verum etiam ab ipsâ gignuntur terrâ, quæ Ægyptiorum Idiomate *Isis*, ut diximus, nuncupatur; ad cujus rei intellectum lunula illa in coronæ vertice depicta est.

Per Crocodilum lacertæ adsimilem, incredibili tamen magnitudine, unguibus armatum, solis Ægyptiis, atque iis regionibus, quæ Nilo alluuntur, cognitum, fit allusio ad Ægyptum, quæ hujusmodi specie animalis majorem in modum abundat, sicut Noctuis Athenæ abundare solent.

Fit præterea, ut reor, per Crocodilum allusio ad venerationem, quam eidem animali, necnon, & ibi avi præstabant Ægyptii, sicut Aristoteles, ac Tertullianus testantur. Puto enim Crocodilum ab Ægyptiis veneratum esse ad malum evitandum, quod ipsum animal videtur præseferre, hoc est rapinam, crudelitatem, ac simulationem: Crocodili enim natura est, sicut naturalis historiæ professores narrant, ut cùm fame stimulatur, & insidias machinatur, os haustâ impleat aquâ, quam effundit in semita, qua novit aut alia quæpiam animalia, aut homines aquatum venturos, ut lapsos ob lubricum descensum, neque valentes aufugere corripiat, correptosque devoret: deindè reliquo devorato corpore, caput lacrymis effusis macerat, ac tandem ipsum devorat. Alii verò scribunt, Crocodilum conspecto procul homine lacrymas emittere, atque eundem mox devorare. Hinc apud Græcos natum proverbium: Κροκοδείλου δάκρυα, id est *Crocodili lacrymæ*, in eos transfertur, qui simulant sese graviter angi incommodo cujuspiam, cui perniciem attulerint, cuive magnum malum moliti sint. Ob eandem ferè causam, sicut conjicere queo, Ibim coluerunt, ut scilicèt pestem, & invidiam pariter euitarent, quæ per hujusmodi avem nobis indicatur. Hæc enim rostri aduncitate per se partem perluit, qua reddi ciborum onera consueverunt, & serpentibus pascitur: hinc Cicero ait: Velut Ibes maximam vim serpentium conficiunt, cùm sint aves excelsæ, rigidis cruribus, corneo, proceroque rostro: avertunt pestem ab Ægypto, cum volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt, atque consumunt: ex quo fit ut illæ vivæ nec morsu, nec mortuæ odore noceant. Ab hujus avis similitudine Ibis pro invido ponitur, ut ex eo, quod in Ibim scripsit Ovidius, constat. Dictis igitur de causis ob malum, videlicèt, deprecandum, aut præcavendum, Ibim, & Crocodilum venerati sunt Ægyptii adeo superstitiosi, ut Cæpe, Alliumque inter deos retulerint. Isidem verò ob collata in se beneficia, terræ, scilicèt, culturam iis præstitam, necnon propter inventas literas, quas eosdem edocuit, coluerunt, sicut ex eo Alphabeto, quod suprà Reginæ caput conspicitur, videre est: ad cujus pedes brevis hæc legitur Inscriptio:

Proverbium.

Cic. libr. 2. de Nat.

Plin. libr. 9. cap. 27.

Arist. de re famil. libr. 2. Exemplo 33. Tertul. libr. 2. contra Marcionem.

ISIS REGINA ÆGYPTIARUM LITERARUM INVENTRIX.

Alphabetum Ægyptiacum.



REginam hanc, qua nullum apud Ægyptios numen majus, neque venerabilius fuit, Ægyptiarum literarum Inventricem fuisse Latina docet Inscriptio: sed apud eosdem Ægyptios loco literarum varias animalium extitisse effigies, variarumque rerum instrumenta incisa aliquando fuisse credendum est, ut per hujusmodi figuras humanæ mentis sensus varios effingerent, sicut antiquissima monimenta memoriæ humanæ saxis, & Obeliscis præsertim impressa indicant: sed hieroglyphicis priores dicti Alphabeti literas fuisse fatendum est ex doctrinâ Sancti Patris Augustini, qui, dum Isidem literarum Ægyptiarum inventricem affirmat, hunc in modum ait: *Quid sapientiæ esse potuit in Ægypto antequàm Isis, quam mortuam tanquàm Deam magnam colendam putaverunt, literas traderet? Isis porrò Inachi filia fuisse proditur, qui primus regnare cœpit Argivis, quando Abrahæ jam nepotes reperiuntur exorti.* Quibus verbis non solùm antiquam literarum, doctrinarumque Ægyptiarum inventionem ostendit, verùm etiam propheticam doctrinam omni origine humanæ philosophiæ antiquiorem fuisse testatur, ac demonstrat. Hæc de primis Ægyptiorum literis, ut ad sacras notas accedamus.

S. Aug. lib. 18. de Civit. Dei cap. 37. in fin. tom. 5.

DE

DE MERCURIO SACRARUM LITERARUM

Apud Ægyptios Inventore.

Diod. libr. 1. cap. 3.

SEcunda paraſtaticæ Columnę facies Mercurium Jovis, & Majæ filium, galeratum, & cothurnatum, aliſque redimitum, caduceum, ideſt duobus virgam ſerpentibus circumdatam dextrâ tenentem, Deorum nuncium, facundiæ, mercatorum, lucri, ac palæſtræ Deum, furum Magiſtrum, ac denique citharæ, literarumque Ægyptiarum inventorem repræſentat. Hæc autem ad ejuſdem ſermonem, & facundiam pertinent. Dictus eſt enim Mercurius, ut ait S. Pater Auguſtinus, quaſi *medius currens*, cum ſermo inter homines medius currens exiſtat: Ideò à nonnullis *Hermes* appellatur: ἑρμὸς autem Græcè interpretatio eſt, quæ etiam ad ſermonem refertur. Hinc Deorum nuncius à Poetis fingitur: quoniàm per ſermonem cogitata omnia enunciantur. Hic præterea mercibus, à quibus item Mercurius eſt nominatus, præeſſe creditur, quia inter vendentes, & ementes ſermonem fieri medium neceſſe eſt. *Furum* deniquè *Magiſter* appellatur, propterea quòd audientium corda ſermo aufert, & animos fallit. Hujus capiti, ac pedibus Poetæ alas tribuunt, hac re ſignificare volentes, inſtàr volucrum velocem per aera ferri ſermonem. Caduceum quoquè ſeù virgam geſtare fingitur, qua ſerpentes, hoc eſt diſſidia, & diſcordias hominum tanquàm venena, ſeù venenatas belluas dividat: nam diſſidentium animi, ſermone præſertìm, ſedari ſolent: dictumque caduceum exiſtimatur quaſi contentiones, & bella per orationem cadere faciat. Quarè pacis legati à priſcis illis Scriptoribus *Caduceatores* dicebantur: ſicut enim per Feciales bella indicebantur, ita pax per Caduceatores fiebat. Ad Mercurii imaginis pedes cernitur caput Argi, qui ob plurimos oculos *centicolus* appellabatur. Hoc loco ſitum eſt caput, ut intelligatur, Argum à Junone cuſtodem conſtitutum Iſidis, olim Io, in juvencæ formam à Jove commutatæ, à Mercurio ejuſdem Jovis juſſu fuiſſe interfectum, oculis ejus ſono fiſtulæ conſopitis, quos deinde avi ſuæ Juno, hoc eſt Pavonis caudæ inſervit, ut Poetæ fabuloſè ajunt, & præſertìm Ovidius, qui hunc in modum Argum ipſum deſcribit.

Nomina Mercurio tributa declarantur a S. Aug. libr. 7. de Civit. c. 14.

Libr. 1. Metamorph.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inque ſuis vicibus capiebant bina quietem,
Cętera ſervabant, atque in ſtatione manebant.

Quo quidèm commento Poetę indicare voluerunt, ſermoni, quem per fiſtulæ, ac citharæ ſonum ſignificarunt, tantam eſſe quandòque vim, ut ex eo quiſque aliquandò decipiatur, oculo intellectus per dicendi ſuavitatem ſopito. Argus itèm myſticè ſumptus, ut Mythologici interpretantur, eſt cœlum ſtellatum innumeris ferè oculis quibuſdam, ſtellis, ſcilicèt, fulgens ac diſtinctum, quibus quædam cæleſtium oculorum ſpecies ineſſe videtur. Mercurium verò, teſte Macrobio, Solem eſſe volunt, qui tunc occidere Argum dicitur cùm diurno ſuo lumine ſtellarum lucem obſcurat. Hac de re fortaſsè peruſtus fingitur: vel quia Soli vicinior eſt quàm ceteræ ſtellæ, ut Ciceroni placet. Pyramis autem illa à dextro latere ſita Ægyptum pyramidibus affluentem, characteres verò inibì deſignati Mercurium ſacrarum literarum, quæ, & Hieroglyphica, hoc eſt, *ſacræ notæ* nuncupantur, inventorem, ejuſdemque eloquentiam repræſentant. Hieroglyphica cæteris literis antiquiora, quæ à ſacerdotibus adhibebantur, à vulgo non itèm, hoc loco non apponuntur, ſed Alphabetum, quod itèm à Mercurio inventum dicitur, & in Bibliothecâ Vaticanâ reperitur, ob oculos poſuimus, etiamſi ad ejuſdem Mercurii pedes Latina hæc legatur Inſcriptio:

Lib. 1. Saturn. cap. 11.

Cic. 3. de Nat. Deorum.

Juſtus Lipſius in lib. 11. Annal. Corn. Taciti.

MERCURIUS THOYT ÆGYPTIIS SACRAS LITERAS CONSCRIPSIT.

Alphabetum Ægyptiacum alterum.



Civ. libr. 6. de Bello Pun.

Plutarch. & Strabo libr. 7. Diodor. Sic. libr. 1. & 4. in princip. Cic. libr. 3. de Nat.

MErcurium ſacrarum literarum inventorem fuiſſe ferè omnes fatentur: cujuſmodi autem eſſent literarum characteres apud Ægyptios, dictum eſt paulò ſuperiùs, necnon in ſexto Emblemate Obeliſcum Lateranenſem repræſentante, in quo ſenſum quorundam Hieroglyphicorum, tanquàm tenui penicillo adumbratum declaravimus. Nec ſilentio prætereundum eſt, majori ex parte, animalium effigies literarum loco in uſu fuiſſe: atquè ex eo coniici poteſt quod Plutarchus ait, Mercurium, qui primas literas Ægyptiis communicavit, Ibim primam eſſe literam voluiſſe: refert enim eam in in-

Euſeb. de præp. evang. lib. 1. c. 7. Et Tacit. libr. 11. Annal. Plutarch. libr. 9. Sympſos qu. 3. tom. 2.

greſſu triangularem effigiem, ſeù figuram, eruribus ita diſpoſitis, repræſentaſſe: ob eamque item cauſam, Ibim ab Ægyptiis veneratam fuiſſe puto. Hinc apud Latinos, & Græcos prima litera ad Iſochelis trianguli faciem accommodata eſt; atque ita opinandum eſt reliquas quoque hujus generis literas, vel xvj. vel quoquot extiterint, alicujus animalis effigie, membrove figuratas fuiſſe. De hujuſmodi characteribus Ægyptiis, vel hieroglyphicis, ſivè ſacris notis, Cornelius Tacitus hunc in modum ait: *Primi per figuras animalium Ægyptii ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monimenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur, & literarum ſemet inventores perhibent: inde Phœnices, quia mari præpollebant, intuliſſe Græciæ, gloriamque adeptos tanquàm repererint quæ acceperant.* Hæc Tacitus: ex cujus verbis planum fit, non ſolùm hieroglyphica majori ex parte animalium figuris conſtare, verùm etiam Ægyptiarum literarum inventionem [Hebraico Idiomate excepto, atque Chaldaico] omnibus eſſe aliis antiquiorem.

Cornel. Tacit. lib. 11. Annal.

Nec ſubticendum eſſe cenſeo, cur Mercurius in Latinâ Inſcriptione, quam ſuperiori loco appoſuimus, Thoyt, nuncupetur, ni etiam *Theuth* ſcribi debeat, ut ſcriptum, & impreſſum paſſim inveni. Quæ quidèm vox ſicut quatuor tantùm literis conſtat, ita etiam conſideratione exiſtimatur digna: propterea quòd quaternarii poteſtas, ac dignitas admiranda ſemper fuit apud omnes ferè Nationes, quæ nihil quaternitate non conſtare putarunt: nam quaternitatem animæ noſtræ ineſſe arbitrabantur, mentem, ſcilicèt, ſcientiam, opinionem, & ſenſum: aliaque denique omnia quaternario numero eſſe colligata, hoc eſt elementa ipſa, horas anni, numeros, ætatumque compagines: atque ita ut nihil dici poſſit, quod à numero quaternario, tanquàm à radice ac principio non dependeat, ſicut Plutarchus, & Cœlius Rhodiginus diffusè demonſtrant. Quarè Pythagorici numerum quaternarium totum numerum, ac ſacrum, ſolidumque vocabant ob rationes, quas Arithmetici rectè norunt. Hinc non ſine ratione, aut conſilio factum eſſe reor, ut omnes ferè Gentes præcipuum Dei nomen quatuor tantum literis enunciarint. Hebræi enim ſacrum Dei nomen יהוה

Plutarch. libr. 9. Sympoſ. qu. 3. tom. 2. Ex Cœl. Rhodig. lib. 23. antiq. lect. cap. 9. tom. 3.

Jehovah, quod indè *Tetragrammaton* dicunt, quatuor tantùm literis nominarunt: quod, & aliâ voce exprimitur, quæ *Adonai* eſt, & apud eos, *Adni* etiam, ſcribitur: ſignificat autem, Dominum noſtrum. Jeſu deinde ſuave, ac ſalutare Gentibus nomen ab Angelo accepimus. Græcis verò Θεὸς, Latinis *Deus* appellatur. Quem autem nos *Deum* nuncupamus, Perſæ dicunt *Syre*: Magorum diſciplina, *Orſi*: Arabes, *Alla*: Ægyptii verò *Thout*, vel *Theuth*: quo nomine Mercurius ab iiſdem nuncupatus, tanquàm Deus veneratus eſt, cui quaternarius numerus ab Ægyptiis adſcribitur, ut Rhodiginus ait, quando inter omnes quadratus cenſetur Deus. Plutarchus autem Mercurio quaternarium numerum ſacratum jam fuiſſe ex eo opinatur, quòd quartâ menſis die natus feratur. Vel id factum eſſe putandum eſt ob ſex & decem literas ab eodem inventas, quæ quatuor quaternariis conſtant. Utcunquè autem ſit, quod duabus hiſce rationibus poſtremo loco narratis dictum eſt, Mercurium ab Ægyptiis veneratum, ut commentationes mathematicas, & id genus alias commentitias rationes poſthabeam, ex eo ſaltem appellatum eſſe *Thout*, vel *Theuth* credendum eſt, quòd hiſcè quatuor literis ab iiſdem populis *Deus*, ut diximus, appellabatur. Ut autem quæ de Mercurii nomine, ac literis, artibuſque ab eodem inventis teſtimonio comprobem luculentiſſimo, dicam quæ in Platonis Phædro inveni. Plato enim ſub Socratis nomine ſic ait: *Audivi equidèm circà Naucratim Ægypti, priſcorum quendam fuiſſe deorum, cui dicata ſit avis, quam Ibim vocant, dæmoni autem ipſi nomen Theuth, hunc primum omnium numerum, & numeri computationem, geometriam, & aſtronomiam, talorum, alearumque luſus, & literas inveniſſe.* Hæc Plato de Mercurio, quem infrà, literarum patrem appellat: quæ quidèm omnia non niſi de Mercurio intelligi debent, ut omnes exponunt, tùm ex Ibi ave, quæ prima ſacrarum literarum erat, tum etiam ex diſciplinis, quæ eidem aſcribuntur. Mercurius igitur *Theuth* ab Ægyptiis dicitur ſivè *Theutates*, ut ait Rhodiginus: itèmque *dæmon*, ideſt *ſapiens*, nuncupatur. Ab iiſdem, teſte Cicerone, dicitur *Thoyth*: eodemque nomine primus anni menſis vocatur. Dicitur itèm *Taatus*, ut ait Euſebius, & *Thoor*, ac *Thoyth*: vel Θευθ ὁ Θωθ, ideſt *Thoyth*, vel *Thoth*, ut in Suidâ legitur: In Platone autem Θευθ, *Theuth*. Hæc de Mercurio, ut ad alia tranſeamus.

Plut. libr 9. Sympoſiacon. qu. 3. tom. 2.

Plato in Dialogo, qui dicitur Phædrus, vel de pulchro longe poſt med. & non procul a fine tom. 2.

Cœl. Rhodig. lib. 22. cap. 15. tom. 3. Cic. libr. 2. de Nat.

Euſeb. libr. 1. c. 7. de præp.

DE HERCULE PHRYGIARUM LITERARUM INVENTORE.

TErtia Columnæ paraſtaticæ facies Herculem, Jovis, & Alcmenæ filium, clavæ ex alterâ parte innixum, ex altera verò leonis pellem manu tenentem repræſentat. Hic ob inſignem fortitudinem, & gloriam à Gentibus illis Veritatis ignaris inter deos relatus eſt, maximis exantlatis laboribus, quos quatuor, ac triginta fuiſſe conſtat, ipſumque Phrygiarum literarum inventorem extitiſſe, perhibetur. Hinc ſuprà ejus caput Alphabetum Phrygiacum conſpicitur: ad ejuſdem autem pedes hæc legitur Inſcriptio:

Cic. libr. 3. de Natu. Deor.

Hercules Ægyptius Phrygias literas conscripsit.

Matth. 1. Luc. 1. & 2.

Cœl. ubi ſupra.

Alpha-

Alphabetum Phrygiacum.



Cic. libr. 3. de Natu. Deor.

HErculem Phrygiarum literarum inventorem fuisse Cicero testatur dicens: Alter Hercules traditur Nilo natus Ægyptius, quem ajunt phrygias literas conscripsisse. Hac de causâ apud Gallos Herculis simulacro, sive hieroglyphico, eloquentiæ vis exprimi solebat, ficut ex Luciani libello de Hercule conscripto patet: in quo Phrygia eloquentia majorem in modum laudatur. Qua de re Phrygibus proprias antiquitùs fuisse literas ab Hercule inventas dicendum est, sicut Tabella ad angulum hujus faciei dextrum depicta, quam Puerulus prope Herculem jacens tenere cernitur, præseferre videtur. Nam per hujusmodi picturam fit alluſio ad illud, quod Herodotus narrat de duobus infantibus, quos Psammiethicus Rex Ægyptiorum, pastori cuidam inter pecora educandos dedit, atque in solitariâ casâ custodiendos, caprarumque lacte alendos, nullamque penitùs vocem coràm eis edendam jussit, donec infantes inarticulatè vagire desisterent, & aliquid, Naturâ docente, articulatè pronunciarent, ut hoc exemplo sciri posset, quænam lingua sit homini naturalis, quinamve primi hominum extiterint, cum ad illa usque tempora, ut Pausanias ait, de hujusmodi antiquitate fuerit controversia. Hinc expleto [ait] bimatus tempore, pueruli, porrectis manibus procidentes hac vocem *Beccus*, ideſt *Panem* Phrygiâ linguâ, vel *Bech* potiùs, ut suspicor] ediderunt. Qua ex re Ægyptii antiquitatem Phrygibus concedendam confessi sunt. Hæc ex Herodoto: qui etiam ex Græcorum opinione inibì ait, mulieribus, quæ infantes illos custodiendos, ac nutriendos Regis præcepto susceperunt, linguas fuisse abscissas. Id quod ab Herodoto irrisum, ego rationi, ac Psammiethici crudelitati, quam eidem Regi Herodotus tribuit, magis consentaneum esse puto. Non deest tamen qui dicat, ab iisdem puerulis editam fuisse hanc vocem *Bedy*, quæ apud Phrygas *aquam* significat, & quamdam cum dictione *Beccus* quantum ad sonum habet affinitatem. Sunt item, qui eos puerulos hanc vocem *Beccus*, quæ apud Gallos, & Italos avium rostrum sonat, protulisse nolint, sed sonum sivè balatum quemdam, *be*, *be*, ad imitationem caprarum, quas audierunt, edidisse contendant, nullam prorsùs linguam homini naturalem esse affirmantes, ut etiam Sancto P. Augustino placet dicenti: *Si quis inter mutos natus atquè alitus esset, serò ac jam juvenis in alios homines incidens, loqui disceret, cùm aliam linguam nullam nosset.* Hæc Augustinus, ex cujus planè sententiâ clarè dignoscitur: nullam prorsùs linguam homini esse naturalem: si qua enim ei naturalis foret, omnes uno idiomate loquerentur: nam quod uni speciei naturaliter convenit, id omnibus ejusdem speciei individuis congruere necesse est. Propterea nasci hominem, & mutum, & surdum: audireque priùs pueros, moxque loqui, Aristoteles affirmat. Sed quamvìs Quintilianus sermonem ab ipsâ rerum naturâ genitos protinùs homines accepisse dicat, & Aristoteles sermonem solius hominis esse inquiat, hoc tamen non nisi propriam potestatem loquendi soli homini naturaliter insitam, atque innatam fuisse nobis argumento esse potest. Quòd autem homo hac vel illâ loquatur linguâ, id humanæ tribuitur arti. Si enim sermonis, vel loquutionis considereretur materia, quæ est vox articulata in pulmonis cannâ, & à vocali arteriâ pullulans, loquutionem homini naturalem esse dicas oportet: si autem hoc vel illud idioma ab homine inventum perpendatur, id artis esse noveris, velutì gladius, si materiam spectes, naturalis est: si formam, est arte confectus. Prætereà, sicut sonum, vel vocem molesti quidèm, ac jucundi significativam cunctis animalibus tributam esse non ignoramus, ita sermonem ad hoc soli homini rationis participi datum esse fatendum est, ut, scilicèt, utilitatem, ac damnum, necnon justum, & injustum ostendat: quod nonnisi per loquutionem, quæ tantum homini data est, fieri posse constat. Quamvìs autem Psittacus, Ἀνθρωπογλωττης dictus quasi linguam hominis habens, & Corvus, & Pica ob linguam sibi latiorem, quàm ceteris avibus naturalitèr datam [lingua enim mollis, lata, & absoluta, teste Aristotele, loquutioni accommodatior est, ut etiam in ovibus, & bobus patet] voces quasdam articulatas, humanæ, scilicet, loquutioni adsimiles miro naturæ artificio exprimere videantur, eas tamen avès loqui propriè non est dicendum: quæ enim pronunciant non intelligunt, sed assuetudine quadam id agunt, & nonnisi quod dicerunt proferunt, nihil tamèn penitùs intelligentes, tametsi Martialis de Psittaco illo Cæsarem salutante, ait:

Psittacus à vobis alioruv nomina discam:
Hoc per me didici dicere: Cæsar ave.

Et de Pica:

Pica loquax certâ dominum te voce saluto:
Si me non videas, esse negabis avem.

Ex Joanne Pierio Valer. Bellunen. lib. 59. de Hercule & eloquentia.

Herod. libr. 2. in Euterpe sub initio.

Pausan. lib. 1.

Beccus, id est panis.

Lib. 8. in Thalia.

Clemens Alexand. Strom. 5

Sveton. in Vitell. cap. ult.

S. August. libr. de animæ quantit. c. 18. tom. 1.

Liba. 3. instit. orat.

Arist. libr. 1. Polit. cap. 2. tom. 3.

Ex Arist. ubi sup.

Ex Arist. libr. 2. de part. animal. cap. 17. Et 4. de hist. c. 9. tom. 5.

Arist. ubi sup.

Ægid. Rom. libr. 2. sent. dist. 8. art. 2. ad dub. 2.

Martialis libr. 14. Epigram.

Jocatur enim hoc loco Martialis, more poetico utens prosopopejâ veritatem ipsam excedente: nam lingua [Aristoteles ait] non nisi ad significandum aliquid alteri contributa est. Id quod absque rei intelligentiâ, quæ in brutis animalibus non extat, fieri haud quaquàm potest. Si autem aliquandò accidit, ut bruta animalia loqui visa fuerint, sicut narrat Livius, qui ait bovem locutum: id prodigiosum, atquè in eo dæmonem loquutum fuisse dicas necesse est ob superstitiosam earum Gentium credulitatem, ut idem Livius ait: vel divinâ virtute res hujusmodi evenire potest, sicut in Scripturâ sacrâ eveniſſe legitur.

Aristot. lib. 2. de anima text. 58. in ultimis verbis.

Liv. Dec. 1. lib. 2. & 3. lib. 4. & 7.

Num. 22.

Homini igitùr soli datum est loqui; nec ei fari fas est a primâ nascentis luce, sed quodam sanè tempore a naturâ sibi præscripto, ut omnes rectè norunt: aliis tamen citiùs, aliis verò tardiùs. Si quis autem ante idoneam loquendi ætatem verba pronunciasse dicatur, eum rursùs obmutuisse Aristoteles narrat, quòusquè solitum loquendi tempus, accessisset: vel eumdem actutum obiisse ajunt, sicut cuidam infanti, evenisse compertum est: qui supra omnes Naturæ leges, vix dum quatuor ac viginti vitæ horis completis, verba ad paterni regni amissionem, & gentis perniciem, ac desolationem pertinentia edidit: quibus enunciatis, eum exanimem concedisse, proditur. Hæc de loquutione soli homini concessâ; nunc reliquum est, ut eò, undè digressi sumus, revertamur dicentes, nullam homini linguam esse naturalem, ita scilicet, ut si quis inter mutos natus, atquè alitus esset, hac vel illâ naturaliter loquatur linguâ ab aliis olim inventâ. Is enim cum ad idoneam loquendi ætatem perveniſſet, nullamque prorsùs didicisset linguam, nutu aliquo, sive gestu corporis quodam modo, ut sic dixerim, loqui, vocem aliquam emittens, niteretur, mutiquè vicem nullo penitùs verbo pronunciato gereret: qui enim linguam ullam non audivit, suâptè naturâ loquutionem aliquam formare non potest, nisi cælesti dono adjuvetur. Prætereà omnes, qui nascuntur surdi, teste Aristotele, mutos item fieri necesse est, quippè qui nullam discere potuerint loquendi formam. Qua de re, quæ ab Herodoto de duobus puerulis, phrygiâque linguâ narrantur, veritati consentanea haud quaquàm esse fatendum est: Si qua enim lingua homini esset naturalis, Hebraica profectò foret, omnium linguarum prima, quam primus homo divinitus edoctus cæteris præmonstravit: & hac denique linguâ, qua primos Parentes cum Deo congressum, sermonemque habuisse credendum est, eos puerulos, quos panem Phrygiâ linguâ pronunciasse narrat Herodotus, loquuturos fuisse reor, sicut Origènem, ac Hieronymum sensisse Bartholomæus sibylla testatur, qui ex eorum sententiâ dictos pueros voces hasce edidisse Hebraicas, hoc est לֶחֶם *Lechem*, quæ apud nos dicitur *panis*, & יַיִן Jajin, quæ *vinum* Latinè interpretatur. Hæc ex Bartholomæo Sibylla. Verùm, ut res sese habeat, has tamen opiniones hoc loco recitare libuit, ut intelligatur: quid puerulus ille tabellam tenens in hac parastaticæ Columnæ facie depictus sibi velit. Hæc de Hercule, Phrygiisque literis ab eò conscriptis, quas etiam Ægyptias fuisse opinior, cùm ab Hercule Ægyptio eò delatæ sint. Nunc ad Memnonem accedamus.

Plin. in proœm. lib. 7. histor. nat. ait puero dari loquutionem, cum vertex palpitare cessat. hoc est ad mensem 14.

Herodotus ubi supra.

Bartholom. in quæst. percur. Dec. 3. cap. 6. qu. 6.

Hali Abaragel.

DE MEMNONE LITERARUM ÆGYPTIARUM INVENTORE.

QUARTA parastaticæ Columnæ facies Memnonem Tithoni filium fratris Laomedontis ex Aurorâ susceptum, equestri, seù militari habitu indutum, Ægyptiarumque literarum inventorem, aùt cultorem repræsentat: cujus post tergum sepulchrum cernitur, super quod aves duæ volandi actu depictæ conspiciuntur. Suprà Memnonis caput Alphabetum extat Ægyptiacum: ad ejusdem verò pedes hæc legitur Inscriptio;

Virgil. 10 Æneid.

MEMNON PHORONEO ÆQUALIS LITERAS IN ÆGYPTO INVENIT.

Ex Arist. 4. de hist. 9. tom. 5.

Arist. lib. 4. de hist. animal. c. 9. tom. 5.

Alphabetum Ægyptiacum.



MEmnonem Ægyptiarum literarum inventorem fuisse docet Inscriptio, quamvis Alphabetum hoc loco positum paulò superiùs ex multorum virorum sententiâ fuerit affirmatum in Ægypto repertum fuisse à Mercurio, quem Cicero hujus nominis quintum fuisse tradit. Id quod admirationi nobis esse non debet, cum de primo literarum Ægyptiarum inventore apud probatissimos Auctores magnum certamen fuisse constet. Quamvis igitur Mercurio, quem hieroglyphica invenisse nemo inficiatur, Ægyptiacum Alphabetum plerique tribuant, Memnoni tamen vel tanquàm ejusdem Alphabeti inventori, vel

Plato in Philebo, & in Phædro to. 2.

Plutarch. lib. 4. Symp. qu. 3. tom. 2. Diod. libr. 1. & 4.

Cic. libr. 3. de Natur. Deo. Strabo libr. 7. & alii. Polyd. Virg. lib. 1. c. 6.

vel saltem cultori illud idem ascribendum nonnulli affirmant.

Ut autem quæ in hac parastaticæ Columnæ facie intelligantur, quod de Memnone scriptum reperi, breviter subscribam. Philostratus in Iconib. Strabo lib. 15. Et Lucianus in Toxari. Sunt qui eum Æthiopem ex Æthiopia in Ægyptum, ubi occubuisse volunt, profectum arbitrentur, quò Demetrium Sunieum adisse dicunt, ut statuam Memnonis, ac pyramides spectaret, quas umbram non jactare, quamvis altissimas, audivit. Thebæi Memnonem negant, sed quemdam popularem suum esse ajunt, cujus ea sit statua. Nec deest qui eam Sesostri tribuat, & à Cambyse mutilatam dicat. Sunt etiam ex Græcis, qui Memnona Æthiopem non fuisse, sed apud Ilium Æthiopibus præfuisse affirment. Major tamen probatissimorum Auctorum pars ex Æthiopia profectum apud Ilium occubuisse testatur. Memnon enim Æthiops Tithoni, & Auroræ filius cum maximâ orientalium populorum Ovid. libr. 13. Metamorph. & Virg. libr. 1. Æneid. copiâ in auxilium Priamo Trojæ Regi venit, & in pugnâ ab Achille occisus, vel, ut alii tradunt, Thessalis insidiis interfectus fuit: qui cum in rogo cremaretur, precibus Auroræ, ut Poetæ fabulantur, in auem mutatus est; ex eâdemque pyrâ aliæ aves evolarunt, quæ Memnoniæ vocatæ, quotannis, vel, ut alii volunt, quinto quoque anno, in agrum Pausan. lib. 1. Diod. Sic. li. 3. Strabo lib. 13. 85. & 17. Iliacum advolasse, Memnonisque sepulchrum ter lustrasse, deindè in duas partes divisæ, rostris, unguibusque (ut ajunt) concursum, sivè conflictum egisse, suique generis Auctori sanguine suo parentasse dicuntur, sicut Ovidius apertè docet, qui de Memnone historiam suo carmine fabulosè, & eleganter cecinit. Hinc Memnon tanquàm multorum militum dux militari habitu indutus cernitur ad rei militaris historiam innvendam: fabulam verò aves suprà sepulchrum depictæ repræsentant.

Nec ejusdem Memnonis statua silentio prætereunda censetur: est enim sedens nigro è lapide, quæ magnâ religionis celebritate in Æthiopiâ visebatur: in quam dux ipse ab Achille confossus fertur transmutatus. Eo autem artificio fabricata erat, ut sol primo statim ortu radios suos in os ejus ejacularetur, ac velutì plectrum aliquod ibi sonum excitaret, vocalique significatione jam adesse Deum annunciaret: eratque statua illa diei advenientis indicium, ut Auroræ filius maternum officium imitaretur. Dicitur autem Memnon Phoroneo æqualis, sicut in Inscriptione legitur Latinâ, ut clarè dignoscatur, ipsum tempore Phoronei Argivorum Regis II. qui initio dispersos populos in Urbem coegit, quam appellavit Argon Phoronicon: vel Phoronei, ut alii volunt, Regis primi, qui fuit anno ferè quingentesimo post aquarum inundationem: sunt enim qui Memnonem antè Phoroneum Argivorum Regem II. fuisse velint. Hæc de Memnone. Nunc reliquum est, ut ad tertiam Columnam parastaticam transeamus.

Ex Philostrato in Iconibus. Ex Strabone lib. 15. & 17. & ex aliis.

Plin. libr. 7. cap. 57.

DE TERTIA COLUNNA PARASTATICA,

Græcarum literarum inventores repræsentante.

De Cecrope literarum Græcarum inventore.

PRima hujus parastaticæ Columnæ facies Cecrope Athenienssium Rege primo, Athenarumque instauratore insignitur. Hic autem vestitu regio, venerandoque aspectu, ac dextrâ suâ jugum, duasque manus complicatas, hoc est fidei symbolum, sinistrâque sceptrum regale, in cujus cacumine extat noctua, gestare cernitur, & ad ipsius Regis latus conspicitur Satyrus. Noctua Athenarum insignia indicat: Satyrus verò, cujus pars superior viri effigies est, altera verò in caprarum pedes desinit, geminam ejus naturam, sicut poetæ fabulati sunt, significare videtur. Id autem ei tributum est, quia primus apud eos marem, & fœminam in matrimonio junxit, ut Justinus, & Eusebius testantur. Hinc Jugum, fideique symbolum ob conjugium introductum gestare conspicitur. Cecropem Eusebius biformem appellat: & hac de causâ *Diphyes* appellatur, ut in Inscriptione legitur, hoc est geminæ naturæ homo, vel semivir, & semifœmina dictam ob rationem: vel partìm homo, partìm verò bellua, cum ferinos hominum mores ad humanos reduxisse dicatur. Suprà Cecropis caput Græcum extat Alphabetum: ad ejus verò pedes Latina hæc legitut Inscriptio:

Justinus libr. 2. Eusebius in præf. Chronic.

CECROPS DIPHYES PRIMUS ATHENIENSIUM REX GRÆCARUM LITERARUM AUCTOR.

Literæ Græcæ a Cecopre inventæ.

Α Β Γ Δ Ε Ι Κ Λ Μ Ν Ξ
Ο Π Ρ Σ Τ Φ

QUamvìs a Cecrope sexdecim tantùm literæ dicantur inventæ, nos tamen totum Idiomatis Græci Alphabetum in tabulam redactum, literarum figuris omnibus pronunciatione, sivè potestate, ac nominibus earundem distinctum, Latinisque characteribus declaratum, sicut de novo Hebraico Alphabeto factum est, infrà apponendum censuimus, ut ex eo cuique perbrevem legendi modum scire cupienti, cognitionem aliquam largiamur. Quod ut faciliùs quisque assequatur, nonnulla etiam ad Græcam scribendi formam pertinentia ob oculos ponere nobis visum est. Qui autem nexus literarum, partìm brevitatis, partìm elegantiæ causâ repertos nosse desiderat, ad compendiosas legendi normas confugiat licet, ut deindè aliquâ ex parte instructus ad uberiores Grammaticæ institutiones sese conferre queat.

ALPHA-

ALPHABETUM GRÆCUM

Quatuor ac viginti literis conſtans.

Α α	Ἄλφα	Alpha	A a
Β β ϐ	Βῆτα	Vita	B b, u, conſonans
Γ γ ϝ	Γάμμα	Gamma	G g
Δ δ	Δέλτα	Delta	D d
Ε ε	Ἒ ψιλὸν	Epſilon	E e
Ζ ζ	Ζῆτα	Zita	Z z
Η η	Ἦτα	Ita	I i
Θ ϑ θ	Θῆτα	Thita	T th
Ι ι	Ἰῶτα	Iota	I i
Κ κ	Κάππα	Cappa	C c
Λ λ	Λάμβδα	Lamba	L l
Μ μ	Μῦ	My	M m
Ν ν	Νῦ	Ny	N n
Ξ ξ	Ξῖ	Xi	X x
Ο ο	Ὂ μικρὸν	Omicron	O o parvum
Π ϖ π	Πῖ	Pi	P p
Ρ ρ	Ῥῶ	Rho	R r
Σ σ ς	Σῖγμα	Sigma	S ſ
Τ τ ϯ	Ταῦ	Tau	T t
Υ υ	Υ̓͂ ψιλὸν	Ypſilon	Y y
Φ φ	Φῖ	Phi	P ph
Χ χ	Χῖ	Chi	C ch
Ψ ψ	Ψῖ	Pſi	P pſ
Ω ω	Ὦ μέγα	Omega	O o magnum

Vocales.	Diphthongi.	Impropriæ.
Α Ε Η Ι Ο Υ Ω.	ΑΙ ΑΥ ΕΙ ΕΥ ΟΙ ΟΥ.	ΑΙ ΗΙ ΩΙ ΥΙ ΗΥ ΩΥ.
α ε η ι ο υ ω.	αι αυ ει ευ οι ου.	ᾳ ῃ ῳ ῃ ηυ ωυ.
a e i i o y o.	æ au i eu i u.	a i o i iu ou.

Accentus tres. Acutus ´, Gravis `, Circumflexus ῀.
Spiritus duo, ῾ Aſper, ᾽ Lenis.

Semper vocales, ac diphthongi initio dictionis alterum habent è ſpiritibus. Conſonans ρ in principio quidèm aſpiratur, ῥώμη rhomi, in medio verò ſi geminetur, priore loco levigatur, poſteriore aſpiratur, πορῥω. Gamma ante γ, κ, ξ, χ, pronunciatur ut n, ἄγγελος, angelos, λύγξ, linx, πέφαγκα, pephanca, ἔγχος, enchos. Tau τ poſt ν, ut d, τὸν τάνδαλον, ton dandalon. Pi π poſt μ, ut b latinum, πέμπω, pembo.

CEcropem ſexdecim, vel ut alii volunt, decem, & ſeptem Græcarum literarum Auctorem fuiſſe, proditur. Verùm quia de primo harum literarum inventore non ſatis conſtat, hinc alii Græcarum literarum inventores, ſeu cultores earumdem in hac paraſtaticæ Columnæ facie recenſentur. Cornelius Tacitus de Græcarum literarum inventoribus in hanc loquitur verborum formam: Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, ſexdecim literarnm formas, & temporibus Trojanis Palamedem Argivum, quatuor memorant, mox alios, ac præcipuum Simonidem ceteras reperiſſe. Quibus verbis Libr. 11. Annal.

quam-

quamvis nihil certi affirmetur, sed res in opinionem vertatur, Lipsius tamen, diligens rei literariæ indagator, Cecropem Ægypto ortum literas Græcas intulisse Athenas pro comperto ait. Huic opitulatur opinioni hieroglyphicum illud de bicipiti Cecropis effigie à priscis Gentibus illis exculptum, eò quòd, aliis hujusce facti causis prætermissis, linguas duas calleret, Græcam, scilicèt, & Ægyptiacam: Athenienses enim Ægyptiorum coloni fuisse dicuntur è Sacensi Civitate, Cecrope duce, deducti, ut Nazianzenus testatur. Huic denique opinioni videtur favere illud, quòd omnes fatentur de Cecrope ipso, quem tanquàm mirâ ingenii vi præpollentem multarum rerum inventorem fuisse affirmant. Cecrops enim primus omnium Jovem appellavit, simulacra reperit, aram statuit, victimas immolavit, cùm ante illum nemo hæc inter Græcos novisset omninò.

Lipsius in Tacit. lib. 11. ic emendavit

Nazianz. in Monodia Basilii.

Justinus libr. 2. Et Euseb. in præf. Chron.

Cecropem igitur primùm Græcarum literarum, quas paulò superiùs ob oculos posuimus, inventorem extitisse, ceteros verò characteres ab aliis eidem Alphabeto Græco fuisse adiectos, ut suo loco dicemus, censendum, fatendumque est: quarum literarum formas aliquâ ex parte à Hieroglyphicis Ægyptiorum originem traxisse opinandum est, sicut ex primâ Alphabeti literâ constat, quam Græci ab Ægyptiis, & à Græcis Latini mutuati sunt. Primâ enim Hieroglyfici Alphabeti litera apud Ægyptios, ut suo loco dictum est, Ibis avis Ciconiæ adsimilis in usu erat, quam Mercurius, qui primus literas Ægyptijs tradidit, primam literam voluit esse Ibim, quæ in suo ingressu, cruribus ita dispositis formam refert triangularem. Hinc litera, quæ apud Græcos, ac Latinos prima est, ad Isochelis trianguli faciem accommodatur. Atquè ita alias fortasse literas alicujus animalis effigiem recepisse opinandum est, sed longâ annorum serie hujusmodi characterum formæ, vnâ hac exceptâ, omnes absolevere. Et sicut Græci atque Latini aliquâ literarum figurâ Ægyptios imitati sunt, ita ab iisdem Hieroglyphicum aliquod in scribendo desumpsere, ut videre est ex litera, A, quam Cicero salutarem appellavit: nam in dijudicandis causis erat absolutionis nota, sicut, C, condemnationis apud Latinos, apud verò Græcos, Θ, Θῶτα Theta, quæ est prima litera dictionis Θάνατος, quæ mortem significat, ut superiùs dictum est, & fusiùs quidem. N, verò, & L, comperendinationis erat indicium, per quod non liquere significabant. Universi enim Judices, ut Pedianus ait, Tabellas in cistam coniiciebant singularibus literis signatas. Nec cuiquam mirum videri debet, Græcos, & Latinos ab Ægyptiis nonnihil in scribendo accepisse, cum ab iisdem Ægyptiis varia disciplinarum genera, philosophiamque præsertim ortum habuisse constet: immò Clemens Alexandrinus, Diodorus Siculus, atquè alii complures eam Græciæ inquilinam, oriundam verò Ægyptiis affirmant: cujus item rei præclarum præbent nobis testimonium Pythagoras, Eudoxus, Plato, aliique insignes Græciæ viri, qui ob disciplinas adipiscendas, Ægyptum peragrarunt: ad cujus (ut opinor) triquetram terræ figuram, Alphabeti Græci inventor illam literæ formam, quæ Δ, Delta nuncupatur, fortasse accepit, ut figuram illius regionis hoc etiam Hieroglyphico in scribendo imitaretur. Hinc factum est, ut Ægyptus ipsa, Græcæ literæ vocabulo Δ, Delta à multis fuerit appellata. Et ut ceteros Græcos, qui in Ægyptum ad scientias capessendas se contulerunt, prætermittam, ad Platonem redeo, qui neminem latet quantum profecerit eâ in regione, ubi etiam, sicut S. Pater Augustinus opinatur, Moysis, & Hieremiæ libros ipse sibi interpretandos curavit, sicut præseferunt ea, quæ in Timæo de Mundi creatione, & in Fædone de Purgatorio, de Paradiso, deque Inferno conscripsit. Præterea in Epinomi de Sanctissimâ Trinitate mentionem facit: & in Alcibiade, sivè de Voto adventum Christi innuere videtur. Immò idem Augustinus in quibusdam Platonicorum libris caput primum Evangelii Sancti Joannis se legisse fatetur: & in Mercurii Trismegisti libro se reperisse ait, Hic est filius Dei Benedicti. Qua de re Plato ab Eusebio Moyses Atticissans, sivè Athenienses vocatur: nam, ut Sanctus ait Augustinus, ejus scripta Christianam Theologiam magnâ ex parte redolent. Ut autem eò, undè digressi sumus, revertamur, asseveranter dicendum est cum Clemente, Diodoro, & aliis probatissimis Auctoribus in Ægypto ab Abraham Astrologiam olim edocta, ut Josephus ait, ante alias Nationes post diluvium sapientiæ humanæ studium viguisse: cui profectò veritati adstipulatur quod Aristoteles in suâ Metaphysicâ affirmat dicens: *Circà Ægyptum Mathematicæ artes constitutæ sunt: illic enim gens Sacerdotum vacare iis permissa est.* Hæc Aristoteles. Nam Sacerdotes Ægyptii cælo sereno perpetuo utentes Astronomiæ præsertim, ac Geometriæ navabant operam ad agrorum limites distinguendos, qui singulo quoque anno Nili alluvionibus confundebantur. His, aliisque artibus, ob quas Ægyptii vocabantur sapientes, Moyses fuit instructus, qui in Actibus Apostolorum omni sapientiâ Ægyptiorum eruditus fuisse perhibetur. Quarè mirandum non est, Græcos ab Ægyptiis mutuatos sibi fuisse aliqua literarum elementâ, cum ab iisdem varia disciplinarum genera accepisse dicantur. Verùm de Græcarum literarum inventoribus inter scriptores non parva est controversia: alii enim sexdecim, alii verò decem, & septem characterum inventionem Cecropi, alii Cadmo Fœnicis fratri, ceteros verò partìm Lino, partìm aliis ascribunt, ut suo loco dicemus. Hæc de Cecrope, ut ad Phœnicem transeamus.

Plin. lib. 5. c. 9. Strabo lib. 17. Ptolomæus lib. 4. c. 6. Am. Marcel. lib. 22.

Aug. 8. de Civ. c. 11. Tom. 4. de Natura. Tom. 1. de anim. Tom. 5. Epin, & ep. 2. Cyril. cont. Iul. tom. 2.

Lib. 7. conf. c. 9. tom. 1. Hær. 5. c. 3. tom. 6.

Euseb. præp. Evang. c. 6.

Lib. 8. de Civ. c. 11. tom. 5.

Ioseph. libr. 1. Antiqu.

Aristot. Metaph. c. 1. sub finem.

Strabo lib. 16.

Gen. 41.

Act. 7.

Plutarch. libr. 9. Symposiacon qu. 3. to. 2.

Cic. pro Milone to. 3. orat.

Ascon. Pedian.

Clemen. Alexandrinus Strom. 1. Diod. lib. 1.

Lipsius.

Herod. in Terps.

DE

DE PHOENICE LITERAUM

Apud Phœnices Inventore.

ALterâ in paraſtaticæ Columnæ facie Agenoris filius, & Cadmi frater Phœnix (à cujus nomine, vel a mari rubro, quod in Syriam profluit Syriæ Provincia prope Judæam, ubi Tyrus, & Sidon Civitates olim claruerunt, Phœnicia dicta eſt) conſpicitur. Hic veſte militari, & Imperatoriâ inſtàr Paludamenti Romani, ſed purpureo colore, galeatus cernitur: in cujus cono, ſeù criſta Phœnix cernitur avis unica illa, quæ annis quingentis, & eo ampliùs, ut ajunt, in Arabia vivens, dum ſe viderit ſenuiſſe, collectis aromatum virgultis rogum ſibi ſtruit, & converſa ad radium Solis alarum plauſu voluntarium ſibi incendium nutrit, ſicque iterùm de cineribus ſuis, vel humore carnis, vermis exurgit, & in avem adoleſcit.

Plin. libr. 10. Nat. hiſt. c. 2. Ovid. 15. Metamorphoſ. Lact. in carm. Phœnic.

Quamvis hanc de Phœnice alite hiſtoriam Ariſtoteles tamquàm fortaſsè fabuloſam ſilentio præterierit; alii tamen, & eruditi quidèm viri, ac fide digniſſimi (ut Plinium hac in re præſertim, necnon Ovidium, & alios, qui inter carmina conſcribenda eam celebrarunt, omittam) hujus avis hiſtoriam apertè comprobaſſe viſi ſunt. Seneca inter Stoicos virum bonum ob raritatem phœnici comparat, quæ tantùm una in rerum naturâ eſſe creditur, cum ſuâ morte reviviſcat, moriendo, ſcilicèt, quingenteſimo quoque anno, ut Sanctus Hieronymus ait. Quare ex eo naturæ miraculo Epiphanius immortalitatem animæ, & carnis reſurrectionem concludit: ita etiam Sanctus Ambroſius, qui ait: Avis in regione Arabiæ, cui nomen eſt Phœnix, redivivo ſuæ carnis humore, reparabilis, cùm mortua fuerit, reviviſcit: ſolos non credimus homines reſuſcitari. Hujus itèm avis exemplo Sanctus idem Ambroſius caſtam Deiparæ Virginis comprehendit conceptionem virtute Spiritus Sancti operatam: Phœnix enim avis virtute naturæ quadam non coitu concipitur, partuve generatur. Hoc idem probat Sanctus Cyprianus dicens: Quid mirum ſi Virgo conceperit, cùm orientis avem, quam Phœnicem vocant, in tantum ſine conjuge naſci, vel renaſci conſtet, ut ſemper una ſit, & ſemper ſibi ipſi naſcendo, vel renaſcendo ſuccedat? Ad hujus avis propoſitum extat ænigma ſatis elegans, ſive luſus Symphoſis cujuſdam hunc in modum:

Sen. lib. ep. 5. ep. 42.

Hieron. to. 9. epiſt. 20. ad Præſid. Epiph. lib. de Phœnice. Ambr. de fide & reſurr. to. 4. Et Hexam. c. 23. tom. 1. Et in Pſ. 118. tom. 2.

S. Cyprian. in Symb. Apoſt.

Vita mihi mors eſt, moriar ſi cœpere naſci,
Sed prius eſt fatum lethi, quàm lucis origo,
Sic ſolos Manes ipſos mihi dico parentes.

Hæc de Phœnice volucri recitare libuit, ne hujus hiſtoriam fabuloſam eſſe quis credat, ſicut nonnulli opinati ſunt. Hoc autem loco avis ipſa depicta eſt, ut alluſio fiat ad Phœnicem Cadmi fratrem, quem Phœnicibus literas tradidiſſe docet Inſcriptio. Per veſtem illam purpuream Phœniciæ nomen repræſentatur, in cujus civitate, Tyro, ſcilicèt, purpura ex conchiliis conficiebatur optima. Hinc Phœnix *rubedo*, ſeu *purpura* interpretatur: & ob hanc cauſam, ut ait Iſidorus, in librorum, vel capitum fronte literæ rubeæ ſcribi, & imprimi ſolent, ut hoc, ſcilicèt, commento Phœnices literarum inventores oſtendantur. Hinc Ovidius:

Iſidorus lib. 1. Ætym.

Ovid. de triſtibus lib. 1.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Suprà Phœnicis caput Phœnicæum extat Alphabetum: ad ejus verò pedes hæc legitur Inſcriptio:

PHŒNIX LITERAS PHŒNICIBUS TRADIDIT.

Alphabetum Phœnicæum.



PHœnicem literarum apud Phœnices inventorem fuiſſe ex Latinâ inſcriptione patet. Quid autem de hujusmodi literarum inventione, ac figuris mihi dicendum ſit, haud planè ſcio, niſi in medium afferam quod ſcriptum Lucanus reliquit dicens:

Lucan. lib. 3.

Phœnices primi (famæ ſi credimus) auſi,
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Ex quibus verbis haud facilè cognoſci poteſt num de characteribus Græcis, aut Phœnicæis Lucanus loquatur. Sed ſi Iſidoro credimus, de Græcis literis hoc dictum eſſe fatendum eſt, ſicut etiam ex Cornelii Taciti verbis conſtat, ut ſuo loco fuſiùs dicemus. Literarum autem figuræ partìm cum Hebraicis, & id genus aliis characteribus, partìm verò cum Græcis affinitatem quandam habere cernuntur. De Hebraicis quidèm mirandum non eſt, cùm ex Hebraicâ Linguâ, tanquàm omnium linguarum prima, omnia alia Idiomata, ſicut râtio ipſa poſtulat, ac ſuadet, emanaſſe perhibeantur, velutì Chaldaica, Syriâca: Phrygiaca, atque Ægyptiaca, & alia item, quæ cùm hiſce vicinitatem non modicam tùm nominibus, vel pronunciatione, tùm characteribus ipſis habere videntur, ſicut etiam lingua Punica, ut S. Hieronymus ait, imò Græcæ literæ, atque Latinæ, Iſidoro teſte, ex Hebræorum fontibus oriri dicuntur, ut ex variarum linguarum Alphabetis, quæ in hac Bibliothecâ Vaticanâ ob oculos poſuimus, cernere eſt. Nam ab Hebræis prima litera Alphabeti dicta eſt Aleph, deindè a Græcis Alpha, poſtremò autem a Latinis A, qui minimum profectò ſonus in primâ literâ cujuscumque ferè Alphabeti apud omnes Nationes pronunciari ſolet, ſicut in novo Alphabeto Hebraico demonſtratum eſt. Sed ut alia Idiomata ſilentio præteream, de Græcis dicam literis, quæ non ſolùm quantùm ad pronunciationem aliquâ ex parte, verùm etiam

Q. Curtius.

Iſid. libr. 1. Etym. c. 3.

S. Hieronym. tom. 4. in c. 7. Iſa. Iſidor. lib. 1. Etym. c. 3.

Ex Theſs. Ambr. in introduct. ad linguas varias c. 6. & 7.

quan-

quantùm ad figuras & nomina quodam modo cum Hebraicis convenire videntur. Hoc item de Phœnicæis literis videre licet, quæ cum Hebraicis antiquis, ac novis Phrygiis quoque, Ægyptiacis, Græcis, atque Latinis characteribus, quod ad figuras saltèm pertinet, quandam affinitatem habere cernuntur, quippè quæ, ut ait Eusebius, ab Hebraicis, & a fontibus ambarum Græcæ, a Græcis autem Latinæ ortum habuisse dicantur. Hæc de Phœnicæis literis, ut ad Cadmum Phœnicis fratrem transeamus.

Euseb. libr. 10. de præp. Evang. c. 2. & alii.

DE CADMO PHOENICIS Fratre Græcarum literarum Inventore, sive Instauratore.

TErtiâ in parastaticæ Columnæ facie Cadmus Phœnicis frater, & Agenoris filius, Phœnicum item Rex conspicitur, qui Tyro, & Sidoni civitatibus imperavit, ac sexdecim, vel decem & septem, ut Isidorus censet, Græcarum literarum inventor, sive instaurator dictus est. Ad ejus pedes Draco cernitur, supraque caput Græcæ conspiciuntur literæ: intrà verò hæc Latina legitur Inscriptio:

CADMUS PHŒNICIS FRATER LITERAS SEXDECIM IN GRÆCIAM INTULIT.

Græcæ literæ xvi. vel xvii. a Cadmo inventæ.

Α Β Γ Δ Ε Ι Κ Λ Μ Ν Ξ
Ο Π Ρ Σ Τ Φ

Clemens Alexandrinus. Strom. 1. Plin. libr. 7. Et Suidas.

CAdmum Græcarum literarum fuisse inventorem, sive instauratorem Latina docet Inscriptio, sicut etiam plerique sentiunt. Quamvis autem Phœnices Græcis literas intulisse multi affirment, id tamen de Cadmo Phœnicæo, Phœnicisque fratre intelligendum esse constat, ut superiùs a nobis dictum est, cum explanavimus duos illos Lucani versus in hanc verborum formam conscriptos:

Lucanus. Lib. 3.

Phœnices primi (famæ si credimus) ausi,
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

In hanc sententiam Herodotus Halicarnasseus, historiarum pater, ut Ciceroni in libro de legibus placet, devenisse visus est dicens: Phœnices isti, qui cum Cadmo advenerunt, quorum Zephirei fuere, dum hanc regionem incolunt, cum alias multas doctrinas in Græciam introduxere, tùm verò literas, quæ apud Græcos, ut mihi videtur, anteà non fuerant: & primæ illæ quidèm extiterunt, è quibus omnes Phœnices utuntur. Diodorus itidèm ait: Qui dicunt Phœnices a Musis perceptas literas tradidisse postmodùm Græcis, hi sunt qui cum Cadmo in Europam navigarunt. Ex quo a Græcis literæ *Phœnisseæ* appellatæ sunt. Cornelius item Tacitus idem affirmat, dum de Ægyptiis literarum inventoribus loquens ait: Inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intulisse Græciæ, gloriamque adeptos, tanquàm repererint quæ acceperant. Quippè fama est, Cadmum classe Phœnicum vectum rudibus adhuc Græcorum populis artis ejus Auctorem fuisse. Quamvis interea Josephus in primo Antiquitatum libro contrà Appionem scribens. Græcos omninò antè Homeri ætatem literis caruisse affirmet, quem post bella Trajana fuisse manifestum est, Cicero tamen in Bruto secus tradit inquiens: Nec dubitari debet quin fuerint antè Homerum Poetæ: quod ex eis carminibus intelligi potest, quæ apud illum, & in Phœacum, & in Procorum epulis canuntur; cujus verbis adstipulatur Eusebius dum ait, antè Homerum apud Græcos scripsisse Linum, Philamonem, Thamyram, Amphionem, Orpheum, Musæum, Demodotum, Epimenidem, Aristæum, & plerosque alios. Antè igitur Homerum, quem tamen Grammaticæ Græcæ Auctorem fuisse Plato testatur, Scriptores extitisse apud Græcos, & a Phœnicibus in Græciam a Cadmo præsertìm Græcas literas fuisse illatas dicendum est, sicut etiam Plinio placet, qui de hujusmodi certamine multas recenset opiniones. Idem quoque sentit Suidas, qui Cadmo sexdecim tantùm literas, quas paulò superiùs ob oculos posuimus, adscribit: iisdemque literis quatuor in Trojano bello a Palamede fuisse adiectas nonnulli volunt hac figurâ Θ, Ξ, Υ, Φ, totidèm post eum a Simonide Melico fuisse inventas hisce notis, Ζ Η, Ψ, Ω, quarum vis in nostris recognoscitur. Aristoteles autem decem & novem priscas fuisse literas commemorat, quæ sunt:

Ioseph. libr. 1. Antiq.

Cicero in Bruto.

Euseb. libr. 10. de præpolit. Evang.

Plato in Cratylo. tom. 1.

Plin. libr. 7. circa finem. Suidas.

Α Β Γ Δ Ε Ζ Η Ι Κ Λ Μ Ν
Ο Π Ρ Σ Τ Υ Ω.

Duas verò ab Epicharmo, non a Palamede fuisse additas, ait, hoc est, Θ, & Ρ, vel Ξ, Χ, Ψ, ut Hermolaus prodit. Hac autem controversiâ posthabitâ, ad Cadmum revertamur sexdecim literarum Græcarum inventorem, seu potiùs instauratorem: ipsum enim non omninò primum in Græciam literas detulisse fatendum est, cùm longè antè eum inibi easdem literas a Cecrope inventas fuisse demonstratum sit. Id quod rectè Diodorus explicat dicens: Cùm Actinus Solis filius in Ægyptum transiens Astrologiam Ægyptios docuisset, demùm Græciâ diluvio oppressâ, plurimos homines periisse, literarumque monimenta fuisse deleta constat: eamque ob causam post multa sæcula existimatum est, Cadmum Agenoris filium literas primùm in Græciam adduxisse, atque ideò Græcos quadam communi ignorantiâ ductos, literarum inventionem illi acceptam retulisse. Cadmus igitur Græcarum literarum instaurator potiùs, quàm inventor appellandus est. Nec a re alienum fore arbitror, si eas literas inveniendi, instaurandique tempus, seu modum,

Herod. libr. 5. in Terpsicore circa med.

Diodor. lib. 6

Diod. lib. 6.

Corn. Tac. lib. 11. Annal. ante med.

ac

ac locum, quem nonnulli referunt, in medium afferamus. Cadmum enim Pegaſo equo inſidentem, quæritantemque Urbis condendæ locum literas inveniſſe ajunt non procul ab Helicone monte in Bœotia, apud Hippocrenem fontem, quem Cadmus primus inveniſſe creditur. Hinc Poetæ dictum fontem, quem Latinè *Caballinum* vocitamus, ungula Pegaſi equi alati, a quo fons Pegaſeus deindè dictus, inventum eſſe fabulati ſunt. Et quoniàm Cadmus literarum inibi inventor fuiſſe narratur, factum eſt, ut hujusmodi fons Muſis ſacer habeatur: Undè Perſius;

Ovid. libr. 1. Metamorph.

Strabo lib. 8.

Perſius in Prol. Satyrarum.

Nec fonte labra prolui Caballino,

Perſius ad verbum reddens vocem Græcam, Hippocrene, fontem Caballinum appellauit. Nam ἵππος nobis equum ſonat, κρήνη, fontem. Muſis autem ſacer dicitur, vel, ut diximus, ob Græcas literas inibi inventas, vel ex eo, quòd Heſiodum, ipſius fontis aquâ epotâ, Poetam ſtatim evaſiſſe fabulosè commentati ſunt. Hæc de modo, ac tempore, ſive loco, in quo literas Græcas dicitur inveniſſe Cadmus: ad cujus pedes Draco cernitur. Qua ex re (ut reor) fit alluſio ad id, quod de eo fabulati ſunt Poetæ. Hic enim, ut ajunt, a Patre miſſus ad ſororem ſuam Europam perquirendam, quam Juppiter in taurum mutatus, rapuerat, & in Cretam tranſtulerat; cum illam non inveniſſet, nec ad patrem redire auderet, non procul a Parnaſſo, & Helicone Phocidis montibus, parùm inter ſe diſtantibus, & altitudine, & circuitu æmulis conſedit, ibique Thebas condidit, regionemque illam, dictam priùs Aoniam a Bove Bœotiam nominavit. Cumque quoſdam ex ſociis a Dracone, vel ſerpente necatos vidiſſet, eum occidit, eique dentes evulſit, ac ſevit, ex quibus, ut fabulosè ajunt, homines armati nati ſunt: qui ſe ſtatim omnes mutuis vulneribus confecerunt, præter quinque, qui ſe ſocios Cadmo adjunxerunt. Per ſerpentem innuitur illud etiam, quod de eodem Cadmo fabulosè narratur: etenim hic poſtremò ab Amphione, & Zetho regno pulſus in Illyrium profugit: ibique deorum commiſeratione ipſe, & uxor Hermione, ut Ovidius ait, Martis, & Veneris filia, in ſerpentes mutati ſunt. Hæc de Cadmo, ut ad Linum Græcarum item literarum inventorem accedamus.

Ovid. libr. 3. Metamorph. in principio.

Ovid. libr. 4. Metamorph. longe poſt medium.

DE LINO THEBANO GRÆCARUM LITERARUM INVENTORE.

QVartâ in paraſtaticæ Columnæ facie Linus Thebanus Poeta, & muſicæ peritiſſimus, Apollinis, & Terpſicores, ſive, ut quidam volunt, Mercurii, & Uraniæ Muſæ filius, Thamyræ, Herculis, & Orphei Magiſter, laureâ ornatus, ac citharam manu geſtans repræſentatur.

Hermodotus libr. 1. diſcipl. Cornel. lib. 11. Annal.

Hic de Mundi generatione, deque ſiderum curſu ſcripſiſſe dicitur, ut Sol, & Luna ſuprà ejus caput innuunt: & à Cornelio Tacito, in Græcarum literarum Inventores adſcribitur, ſicut etiam Latina hæc docet Inſcriptio,

LINUS THEBANUS LITERARUM GRÆCARUM INVENTOR.

Quinque ſunt loquendi genera, quibus Græci Auctores uſi fuerunt, Jonica ſcilicèt Lingua, Dorica, Attica, Æolica, & Communis. Hinc fortaſsè factum eſt, ut eædem literæ, quas Cecrops, invenit, Cadmo etiam, ac Lino fuerint adſcriptæ, non tanquàm earundem inventoribus, ſed potiùs inſtauratoribus, aut cultoribus: quippè qui eas hoc vel illo dicendi genere excoluerunt,

Quintil. lib. 1. inſtit. Orat. Herod. libr. 8. in princ.

Literæ à Lino inventæ, vel excultæ.

Α Β Γ Δ Ε Ι Κ Λ Μ Ν
Ξ Ο Π Ρ Σ Τ Φ

LInum Græcarum literarum Inventorem fuiſſe, Cornelius Tacitus hunc in modum ait: *Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum ſexdecim literarum formas reperiſſe memorant.* Hæc Tacitus. Quænam verò literæ ab eo fuerint inventæ, non ſatis conſtat: hinc eædem, quæ Cecropi, & Cadmo tributæ fuerunt, hoc loco ſcriptæ ſunt: quas longo poſt tempore minùs fortaſſe cultas, ab eodem Lino innovatas, & excultas fuiſſe credendum eſt, quamvis alii eum à Phœnicia primùm Græcis literas intuliſſe, velint. Hunc ab Hercule adoleſcente plectro, ac citharâ occiſum ferunt, cum eum inconcinniùs, ruſticiùſque canentem, utentemque fidibus corripuiſſet. De Lini eruditione, ac nobilitate Virgilius teſtimonium præbet luculentum inquiens;

Cornel. Tacit. lib. 11. Annal.

Cœl. Rho. lib. 19. c. 24. to. 2.

Eclog. 4.

Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamvis, atque huic pater adſit,
Orpheï Calliopeia, Lino formoſus Apollo.

Hæc de Lino, deque tertiâ Columnâ paraſtaticâ, ut ad Quartam ceterorum Græci Alphabeti characterum Inventores comprehendentem accedamus,

DE QUARTA COLUMNA PARASTATICA,

Græcarum aliquot literarum Inventores repræſentante.

De Palamede quatuor Græcarum literarum Inventore,

PRima hujus paraſtaticæ Columnæ facies Palamedem Nauplii Eubœæ Regis filium militari habitu indutum, peltatum, & quatuor

tuor Græcarum literarum Inventorem comprehendit. Hic historiam, solutamque orationem instituisse, calculorumque lusum, mensurarumque ac ponderum rationem excogitasse, Astrologiam optimè calluisse, annumque ad Solis cursum, mensesque ad cursum Lunæ accommodasse, Solis item eclypsim in castris visam, ac reformidatam, naturalem esse, minemèque timendam primus dixisse fertur. Ad quam rem innuendam hoc loco Lunam depictam, Solemque eclypsatum videre est. Hic præterea ordinem Aciei, & Vigilias a Gruibus didicisse proditur. Grues enim non nisi acie instructâ volant, electo duce, quem sequantur, dispositisque in extremo agmine custodibus, qui gregem voce contineant. Quare ex huiusmodi collegio, vel aciei ordine apud Latinos consensus, unioque partium in eandem sententiam aut rem, conveniendi vocabulum a Gruibus videtur accepisse, ut inde CONGRUERE pro convenire dicamus. A Gruibus item excubias Palamedem didicisse ferunt, propterea quòd aves illæ dùm noctu cæteris dormientibus evigilant, lapillum ideò prensant, ac pede sustinent, vt ille lassatis somno decidens indiligentiam coarguat. Quæ verò dormiunt, capite subter alam condito, alternis insistunt pedibus. Harum Alitum vigilantiam Alexander ille magnus imitatus est: quando enim sibi pervigilandum erat, ne somni violentiâ opprimeretur, vas hæneum propè thorum apponi jubebat, suprà quod brachium exporrigebat, pilam, ut Ammianus Marcellinus ait, argenteam manu complexus: quæ si quando ipse somno vinceretur, elapsa, sonoro strepitu somnum abrumperet. Palamedes autem ab iisdem avibus, & aciei ordinem, & excubiarum rationem, literarumque formas edoctus est, sicut Grus lapillum gestans, quæ in ejusdem Palamedis peltâ cernitur, multarumque Gruum acies in sublime actu volitandi depictæ ordine quodam militari conspiciuntur, innvere videntur. Gruum ordo à Sancto Hieronymo literatus appellatur: quoniam inter volandum mutatis subindè ordinibus, literas quasdam videntur effingere, vt Alpha, A., & ut aliis magis arridet, Ypsilon, Y., cujus literæ inventionem ex avium volatu Palamedi attributam, Philostratus testatur. Hinc à Poetis Palamedis aves, Grues dicuntur, ut ex Martialis Epigrammate constat: cujus verba sunt hæc:

Plin. lib. 10. c. 23. ubi mira de Gruibus leguntur.

S. Hieronym. ep. 4. ad Rust. tom. 1.

Philostr.

Turbabis versus, nec litera tota volabit,
Unam perdideris si Palamedis avem:

Ex Cœl. Rhodig. lib. 7. tom. 2.

Per Gruem igitur uno pede gestantem lapillum, altero autem insistentem, excubiarum excogitatio, per earundemque avium agmina aciei ordo, inventioque repræsentantur literarum, quas inveniisse dicitur Palamedes: cui quamvis quantum ad inventionem litera, Y., à Philostrato tribuatur, tamen quantum ad mysticum saltèm sensum, nemo, quòd sciam, alius eam Pythagoræ non adscribit. Palamedi autem literas, quæ infrà cernuntur, tribuendas contendunt: ad quarum planè formas ordo Gruum varius inter volitandum videri solet. Utcunque verò sit, quæ hoc loco reperiuntur, recensenda sunt.

PALAMEDES BELLO TROJANO GRÆCIS LITERAS IV. ADJECIT.

Græcæ literæ à Palamede inventæ.



PAlamedem Trojano bello quatuor Alphabeto Græco adiecisse literas, quas ob oculos posuimus, Latina docet Inscriptio. Quamvis autem tres tantum ab eodem Palamede literarum formas Isidorus affirmet, hoc est, H, X, Ω, Plinius tamen Θ, Ξ, Φ, X, & Suidas Z, Π, Φ, X, literas ei adscribendas volunt: cui quidèm numero Tacitus astipulatur, dum ait: *Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum ſexdecim literarum formas, & Trojanis temporibus Palamedem Argivum quatuor, mox alios, ac præcipuè Simonidem ceteras reperiſſe memorant.* Ita emendavit Lipsius, qui ob librariorum iucuriam hunc locum mendâ non caruisse opinatus est, & jure quidèm: corruptè enim hunc in modum legunt: *Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, & temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant, ſexdecim literarum formas, mox alios, ac præcipuum Simonidem ceteras reperiſſe.* Quæ sanè lectio sine menda esse non potest quibusdam omissis, confusisque notis: nemo enim scriptorum Palamedi sexdecim tribuit literas, sed omnes ad summum iiii. characterum formas adscripserunt. De Palamede autem hactenùs, ut ad Pythagoram transeamus.

Lib. 13. Iſid. lib. 1. c. 3. Plin. libr. 7. c. 56. Et Suidas. Corn. libr. 11. Annal.

Lipsius in Cornel.

DE PYTHAGORA UNIVS LITERÆ APUD GRÆCOS INVENTORE.

SEcunda hujus Columnæ parastaticæ facies Pythagoram Samium, Demarathi negotiatoris locupletis, vel, ut alii volunt, Mnesarchi gemmarum sculptoris filium, Italicæ philosophiæ Principem, & Architæ Tarentini præceptorem, togatum, venerandoque aspectu senem, uniusque literæ Græcæ inventorem repræsentat.

Pythag. Ital. Philosophiæ Auctor, primus cœpit Philosophus appellari. Ex S. Aug. libr. 8. de Civ. c. 2. & lib. 18. cap. 25. tom. 5.

Hoc loco videre est Pythagoram digito dextræ manus ori appositio silentium Discipulis indicentem: quibus per quinquennium audire tantùm licebat. Auditores autem non pauciores sexcentis habuisse fertur, qui noctu etiam ad eum confluebant. Per librum, quem lævâ gestare cernitur, ejus doctrina

Hier. in c. 3. Eccles. tom. 5. Plut. tom. 2. de Curios.

indicatur. In Ægyptum enim, ut superiùs à nobis dictum est, navigavit, ut Ægyptiacam Theologiam, ritus, moresque cognosceret: hinc ferunt eum ab Ægyptiis Sacerdotibus cærimonias, numerorum potestates, admirandas temporum vices, solertissimasque Geometriæ formulas: a Chaldæis autem sideralem planetarum scientiam, stellarum status, ambitus, effectusque in genituris hominum didicisse. Postremò in Italiam rediit, & in Calabriam se contulit, † Crotoneque consedit, deinde Metapontum commigravit, ubi multis post annis supremum diem obiit: cui denique Metapontini ædes ejus post obitum pro templo ei consecrarunt, divinisque honoribus ipsum prosequuti sunt. Hujus templi nonnulla ad hanc usque dieni vestigia, & admiranda quidem extant, ut ego ipse vidi, dum Calabriam, cæterasque Regni utriusque Siciliæ, atque universæ ferè Italiæ provincias peragravi, una cum totius Augustinianæ Familiæ Moderatore, Magistro Spirito Vicentino, qui cuncta penè Italiæ ejusdem Instituti Cœnobia ex officio visitavit, cujus ego tunc à secretis eram. Dictus est autem Pythagoras Italicæ Philosophiæ Princeps, propterea quòd in Italia Philosophiam publicè docuit, ubi tot, tantosque habuit Auditores: vel ex eo quòd Italus fuit, ex Samo, ut nonnullis placet Scriptoribus, Civitate Calabriæ nunc deleta. Sunt enim in Calabria pleraque loca iisdem nominibus appellata, quibus Græciæ, aut Asiæ loca, ut Tempsa, Pandosia, Thuria, Miletus, Scylleum, Amphissa, Locrus, Samus, Thebæ, & Melissa Urbes. Item Acheron, Butrotus, Crathis, & Sybaris amnes. Alii tamen ex Samo Græciæ Insula, alii Lorensem, alii verò Tuscum Pythagoram fuisse contendunt.

† Crot. Civitas vetustissima, ac nobilissima salubberrimo loco secus mare Jonium, vel Adriaticum sita ad eam Calabriæ partem, quæ Magna Græcia dicebatur. Metapontum Civitas Apuliæ, non minus nobilis, quàm vetusta ad mare Adriaticum in sinu Tarentino non procul a Calabriæ confinio sita.

S. Thom. in lib. 1. Metaph. lect. 2. Et Gab. Barr. de situ Calab. lib. 2.

Ad Pythagoræ pedes stateram cernere est, quæ hoc loco depicta, ut opinor, fuit, ob sententiam ab ipso non rarò pronunciatam, hoc est, *Stateram ne excedas*. Ejus dicta à Discipulis tanquàm Pythij Apollinis oracula æstimabantur, hinc de nonnullis rationem reddere nescientes ajebant: Αὐτὸς ἔφη, hoc est, *ipse dixit*, idque satis esse credebatur. Hæc hactenùs. Reliquum est enim, ut ad literæ formam, quam Pythagoras ipse invenisse dicitur, transeamus explicandam. Hìc enim, Y, literæ reperisse fertur, ut Latina, quæ infra legitur, indicat Inscriptio:

Pythag. Etruscus ex Pluth. tom. 2. de Curios. Ex Suida, & Clem. Alex. 1. Str. Locrensis ex aliis.

PYTHAGORAS, Y, LITERAM AD HUMANÆ VITÆ EXEMPLUM INVENIT.

De hac litera S. Hieronym. tom. 1. epist. 7 & 26. Isidor. libr. 1. Etym. cap. 3.

HAC profecto literâ, quam Pythagoræ adscribunt, humanam vitam, hoc est, Virtutis, & vitii viam mysticè repræsentatam esse volunt. Hoc plane sensit Isidorus, qui arbitratus est, Y, literam à Pythagora ad exemplum vitæ humanæ formatam fuisse: cujus virgula inferior, unde orditur character ipse, primam significat ætatem, incertam scilicet, quippe quæ adhuc se nec vitiis, nec virtutibus dedit, instar illius virgulæ, quæ non magis ad dextram, quàm ad lævam vergere cernitur. Bivium autem, quod superest, duabus lineis constans, ab adolescentia incipit: cujus dextera pars angusta est, sed ad beatam tendens vitam: sinistra latior, sed ad labem, interitumque deducens. Id quod adsimile videtur dicto Evangelico, hoc est, *Arcta, & angusta est via, quæ ducit ad vitam: lata verò, & spatiosa, quæ ducit ad perditionem*. Hoc idem innvere visus est Persius, & adumbratè quidem dicens:

Matth. 7.

Persius Satyra 5.

Et tibi qui sanios deduxit litera ramos
Surgentem dextro monstravit limite callem.

Explicatiùs autem, ac fusiùs Epigramma illud, quod sub incerto Auctoris nomine inter opuscula Virgiliana circumfertur, id omne planum facere videtur hunc in modum.

Humanæ vitæ descriptio.

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni.
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via Virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata: sed ultima meta
Præcipitat captos, voluitque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus Virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit.
At qui desidiam, luxumque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incautâ mente labores,
Turpis, inopsque simul miserabile transiget ævum.

Hoc Epigrammate non minus elegantiam, quàm Christianam pietatem redolente Hieroglyphicum de humanæ vitæ ratione feliciter explicatum mihi videtur: nec minùs ingeniosè a Pithagora excogitatum judicatur, quàm cetera Græci Alphabeti elementa, quæ mysticam habent significationem. Quinque enim literæ mysticæ apud Græcos appellantur, ut suo loco de iis sigillatim dicemus. De litera Pythagorica hactenùs. Nunc verò de Epicharmo loquendum est.

Mysticæ literæ quinque apud Græcos.

DE EPICHARMO POETA

NONNULLORUM CHARACTERUM APUD GRÆCOS INVENTORE.

TErtia hujus parastaticæ Columnæ facies Epicharmum Siculum, Poetam Comicum, & Philosophum, Pythagoræ auditorem, Tityri, ut scribit Suidas, vel Chrymatii filium repræsentat. Huic nonnulli Comœdiæ, necnon duarum Græcarum literarum inventum tribuunt, hoc est Θ, & Φ ut Aristoteli, & Plinio, vel Ξ, Χ, ut alii volunt, aut Ψ, ut Hermolaus tradit, sed duas tantùm literas ab eo inventas esse constat, sicut docet Inscriptio.

EPICHARMUS SICULUS DUAS GRÆCAS ADDIDIT LITERAS.

Lite-

Literæ ab Epicarmo inventæ.



HArum literarum altera, Θ scilicet, Thíta vel Theta, ex quinque mysticis characteribus est, & mortem significat: judices enim morte damnatis literam Θ, quæ per medium telo transfixa est, apponebant, cum sit prima litera hujus dictionis Θάνατος, quæ mortem significat, ut dictum est. Hinc Martialis illud Theta mortiferum, Persius autem nigrum appellavit dicens:

Mart. lib. 7. ad Cathr. Pers. Saty. 4.

Et potis est nigrum mortis præfigere Theta.

Ab alio verò Poetâ infelix dicitur. Unde ait:

O nimium ante alias infelix littera Theta.

De hoc Hieroglyphico, nonnullisque aliis hujus generis mysticis characteribus superiùs loquuti sumus, cùm de primo Alphabeto Hebraico antiquiori sermo habitus est. Hæc de Epicharmo, duarumque literarum inventione, ut ad Simonidem accedamus.

DE SIMONIDE MELICO

QUATUOR GRÆCARUM LITERARUM INVENTORE.

QUarta hujus parastaticæ Columnæ facies Simonidem Melicum ex Cæa, vel Chio insula, laureâ ornatum, gestantemque dextrâ citharam, literarumque inventorem repræsentat. Hunc Simonidem quem Cæum, vel Chium vocant, primum longas H, & Ω, literas, tertiumq; sonum Lyræ inveniſſe Suidas testatur: octavamque chordam Citharæ sivè Lyræ addidisse Plinius narrat. De memorandi arte ab eo ipso inventâ Cicero hunc in modum ait: *Simonides Cæus, primus artem memorandi inveniſſe fertur. Cùm enim cænaret in Theſſalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem, & nobilem, ceciuiſſetque id carmen, quod in eum ſcripſiſſet, in quo multa ornandi causâ, Poetarum more, in Caſtorem, & Pollucem ſcripta fuiſſent, nimis illum ſordidè Simonidi dixiſſe memorant, dimidium ſe ejus ei, quod pactus eſſet, pro illo carmine daturum: reliquum a ſuis Tyndaridis, quos æquè laudaſſet, peteret, ſi ei videretur. Paulò poſt ferunt nunciatum Simonidi ut prodiret, juvenes ſtare ad januam duos quoſdam, qui eum magnoperè evocarent: ſurrexiſſe illum ipſum, prodiiſſe, vidiſſe neminem. Hoc interim temporis intervallo domum illam, ubi epulabatur Scopas, concidiſſe, eâ ruinâ ipſum oppreſſum cum ſuis interiiſſe: quos cum humare vellent ſui, nec poſſent obtritos internoſcere ullo modo: Simonides dicitur ex eo quòd meminiſſet, quo eorum loco quiſque occubuiſſet, demonſtrator uniuſcujuſque ſepeliendi fuiſſe. Hac tum re admonitus inveniſſe dicitur, ordinem eſſe maximè, qui memoriæ lumen afferret.* Hæc Cicero. Simonidem quatuor denique literarum, quæ suprà ejus caput cernuntur, inveniſſe, proditur, ut Lâtina infrà ejusdem pedes docet Inscriptio:

Suidas. Plin. lib. 7. c. 56. Cicero in Oratore.

SIMONIDES MELICUS QUATUOR GRÆCARUM LITERARUM INVENTOR.

Literæ a Simonide inventæ.



SImonidem quamvis Isidorus trium Græcarum literarum hoc est Ƶ, Θ, Ψ, fuisse testetur; Plinius tamen eas quatuor, quas ob oculos posuimus, inveniſſe, affirmat. Plutarchus item, & Cornelius Tacitus quatuor ab eodem Simonide fuisse inventas ajunt. De mystico sensu H, & Ω, alio in loco dicemus, cùm sermonem habebimus de Christo Salvatore nostro, qui primam Alphabeti literam, & ultimam sibi vendicat, cùm sit principium, & finis dicens: Ego sum A, & Ω: atque de ceteris mysticis loquemur literis, de quibus etiam nonnulla superiùs dicta sunt.

Isid. lib. 1. c. 3.

Plin. libr. 7. cap. 56. Pluth. libr. 9. Symp. qu. 3. tom. 2. qu. 16. Corn. Tacit. lib. 11. Annal.

DE QUINTA COLUMNA PARASTATICA,

Latinarum literarum, Hetruscæque linguæ Inventores repræsentante.

De Nicostrata Carmenta Latinarum literarum Inventrice.

PRima hujus parastaticæ Columnæ facies Nicostratam Evandri Arcadis matrem aspectu venerandam, & vivacem, literarumque Latinarum Inventricem repræsentat. Hęc ante Urbem conditam in Colle Palatino sedem habens, tanquàm Sibylla fuit habita ob futurorum Vaticinia carminibus tradita: atq; ob id *Carmenta*, vel *Carmentis* a carminibus Latinè fuit appellata: sivè a carpente vehiculi genere, quo utebatur: *carpentumque* quasi *Carmentum* a Carmenta Evandri matre appellatur, ut Ovidio placet hunc in modum dicenti:

Pluth. lib. qu. Rom. tom. 1. qu. 32.

Liv. libr. 1. ab Vrbe cond. Dec. 1. Et Strabo lib. 5. circa med.

Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant:
Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.

Ovid. libr. 1. Fast.

Quamvis autem de hujusmodi literarum inventione non modica inter Scriptores sit controversia, ut infrà videre est: nos tamen, & Inscriptionem, & nonnullorum Scriptorum opinionem sequuti Nicostratam Latinarum inventricem affirmamus literarum, iis profectò notis, quas suprà eius caput cernere licet:

cet: ad cujus pedes Latina hæc legitur Inscriptio.

NICOSTRATA CARMENTA LATINARUM LITERARUM INVENTRIX.

Literæ a Nicostrata inventæ.

A. B. C. D. E. G. I. L. M.
N. O. P. R. S. T. V.

NIcostratam Carmentam Latinarum sexdecim literarum inveniſſe ex Latina Inſcriptione conſtat, quamvis nihil omninò certi, niſi ex Iſidori ſententiâ affirmare queam: nàm eas in Latium a Pelaſgis illatas fuiſſe Plinius, ac Solinus produnt, Dionyſius ab Arcadibus, qui poſt Pelaſgos venerant, adductas fuiſſe in Italiam volunt. Hinc factum eſt, ut Nicoſtrata Evandri Arcadis Mater Latinis primùm dicatur dediſſe literas, ut Inſcriptio apertè docet. Scitu prætereà dignum videtur, Latinos characteres, quos ob oculos poſuimus, a Cadmo ex Phœnicia in Græciam primùm allatos fuiſſe, ut Plinio placet, qui ait Græcas, & veteres quidèm literas eaſdem penè fuiſſe, quæ nunc Latinæ ſunt, ut Delphica tabula ænea indicabat, quæ Romæ in palatio Minervæ dicata, & in Bibliotheca conſpiciebatur, ejuſdem Plinii, ut ipſe teſtatur, temporibus. Id quod etiam ex utriuſque Alphabeti Græci, ſcilicèt, & Latini characteribus, ſivè literarum figuris planum profectò fit, ſi diligenter Alphabeta ſpectèntur: utriuſque enim Alphabeti literarum pars major eandem figuram, ac poteſtatem, eademque nomina habere cernitur, quod ad initium pronunciandi ſaltèm pertinet, ut in ſingulo quoque ferè elemento videre eſt. Quamvis autem Latinam linguam a Græca ortum habere, multaque ab ipſa accepiſſe, conſtet non tamen hanc illâ uberiorem omninò eſſe dicendum eſt, ſi utriuſque linguæ jura probè examinentur.

Græcæ enim linguæ ubertas, ſi Græcis credimus, Latinæ, ut ipſi volunt, inopiæ non eſt anteponenda, cùm hæc Latina ſcilicèt lingua, una profectò ſit, illa verò multiplex, hoc eſt, Attica. Æolica, Jonica, Dorica, & Communis. Nam Latina velut multarum Gentium una lex, una eſt lingua Romana: unius autem Græciæ, quod pudendum eſt, non una, ſed multæ ſunt tanquàm in Republica factiones. Itaque tantùm abeſt, ut Latina lingua inops dici debeat, ut hæc ipſa uberior Græca nuncupanda ſit, cùm lingua noſtra una idem efficiat, quod Græcorum multiplex præſtare ſolet. Hinc Cicero in libro de Finibus huic ſententiæ ſuffragatur dicens: *Sed ita ſentio, & ſæpè diſſerui, Latinam linguam non modò non inopem ut vulgò putarent, ſed locupletiorem eſſe, quàm Græcam: quando enim, ne nobis dicam, aut Oratoribus bonis, aut Poetis, poſteà quidèm quàm fuit quem imitarentur, ullus orationis vel copioſæ, vel elegantis ornatus defuit?* Idem alio in libro ait: *Et ſi, quod ſæpè diximus, & quidem cum aliqua querela, non Græcorum modo, ſed etiam eorum, qui ſe Græcos magis, quàm noſtros haberi volunt, nos non modò non vinci a Græcis verborum copiâ, ſed eſſe in ea etiam ſuperiores.* Hæc Cicero. Quarè idem Tullius ut quod dixerat, ratione ipſa confirmet, alio in loco ait: *Dolorem, & laborem uno nomine πόνους, appellarunt Græci, O igitur verborum inops interdum, quibus abundare te ſemper putas Græcia! Hoc idem ferè de alia voce hunc in modum dixit: Benè majores noſtri accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt melius, quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant.* Hæc Cicero, Convivium enim a convivendo dicitur, quaſi convivere, plurimorumque vita ſit. Ex hujusmodi igitur auctoritatibus & rationibus clarum fit, Græcam linguam non eſſe locupletiorem Latinâ, quamvis idem Cicero, hanc vocem Σωτὴρ voce unâ exprimi non poſſe dicat hiſce verbis: *Hoc quantum eſt? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non poſſit, is nimirum Soter, qui ſalutem dedit.* Hæc Cicero: qui quamvis loco hujus dictionis *Salvator*, dixerit, *Soter*, ne novâ voce uteretur, non tamen dicendum eſt, hanc vocem *Soter*, apud Latinos exprimi non poſſe per dictionem illam *Salvator*: quod eſt nomen verbale a verbo *Salvo, as*, deductum: qua quidem voce uſus eſt Cicero in Piſonem dicens: *Me poſſe iterum Rempublicam ſalvare, ſi ceſſiſſem: infinitam cædem fore, ſi reſtitiſſem.* Hæc Cicero. Idque in multis editionibus me legiſſe fateor. Quamquàm autem eam vocem, *Salvator*, tamquàm novam Ciceroni vitare viſum eſt: non tamen a nobis omninò vitanda eſt, cum res nova novum poſſulet nomen. Hinc Paulus Manutius novus Latinæ linguæ inſtaurator, ac parens, dixit, & rectè quidem: *Quo patet communis error eorum, qui ΙΗΣΥΜ CHRISTVM, Servatorem appellant: aliud enim eſt ſervare: aliud ſalutem dare. Servat is, qui ne ſalus amittatur, aliquâ ratione præſtat: ſalutem dat qui amiſſam reſtituit. Quòd ſi Servator eſt Soter, quia minus valet, neceſſe eſt, SALVATOREM appellare, quod* ΣΩΤΗΡ *Græcè dicitur, uſurpato in re novâ novo verbo: quod veteres quoque probarunt.* Hæc Manutius. Quibus ex verbis manifeſtè dignoſcitur, nos jure quidèm uti poſſe voce illâ, quam Ciceroni tamquàm novam vitare placuit: hinc etiam non ſolùm Græcam linguam locupletiorem Latinâ non eſſe, verùm etiam hanc illâ uberiorem exiſtere planum fit. Quod Horatius dicere viſus eſt, & apertè quidem hunc in modum.

Venimus ad ſummum fortunæ, pingimus, atque
Pſallimus, & luctamur Achivis doctius unctis.

Cui ſanè rei Nigidius apud Gellium adſtipulari videtur dicens: *Græcos non tantæ inſcitiæ arceſſo qui, Ou, ex O, & Y ſcripſerunt, quantæ*

Iſidor. libr. 1. Etym. c. 3.

Plin. libr. 7. cap. 56.

Plin. libr. 7. cap. 56.

Herod. libr. 2. in princ. Et Quintil. lib. 1. Initit. Orat.

Cic. libr. 1. de Fin. ſub initio tom. 2. phil.

Cic. libr. 2. de Fin. ſub initio tom. 1. phil.

Cicer. libr. 2. Tuſch. quæſtio. tom. 1. phil.

Cic. lib. de Senect. poſt med.

Cicer. libr. 2. Verr. Act. 2. tom. 1. Orat.

Cic. in Piſonem tom. 3. Orat.

Paul. Manutius comm. in lib. 2. Verr. Act. 2.

Horatius in arte Poetica

Gell. libr. 19. Noct. Att. capit. vlt. in fin.

tæ qui Et, ex E, & I. illud enim inopiâ fecerunt, hoc nullâ re subacti. Hæc Gellius. Multa in hanc sententiam possem congerere, quæ causâ brevitatis omitto, concludens, Latinam linguam à Græca haudquaquàm superari, quamvis hæc ab illa ortum trahat, sicut ex literarum utriusque Alphabeti figuris, potestate, ac nominibus videre licet, ut paulò superius dictum est. Nec tamen huic veritati Hieronymum adversari quis putet, cum ipse dicat: *Unde nos propter paupertatem linguæ, & rerum novitatem, & sicut quidam ait, quod sit Græcorum sermo latior, & lingua felicior, conabimur non tam verbum transferre de verbo (quod impossibile est) quam vim verbi quodam explicare circuitu.* Id enim ex aliorum opinione dicere visus est, sicut infrà apertiùs explicavit dicens: *Multa verba sunt; quæ nec de Græco in Latinum transferri valent, nec de Hebraico in Græcum, & reciprocè, nec de Latino in Græcum nec de Græco in Hebræum.* Quibus ex verbis colligitur, nec Græcam linguam Latinâ locupletiorem, nec Latinam Græcâ esse uberiorem, sed utramque aliquando coarctari, atque ita, ut sese habeant sicut excedentia, ut sic dixerim, & excessa: ambæ enim aliquid in se habere cernuntur, quo altera alteram excedere videatur: & quisque ex alienâ transferens nonnihil invenire solet, quo difficultatem explicandi sibi inesse videt. Quamvis autem nos, ut possumus, transferre adlaboremus: non tamen indè damnari, aut coargui Latinæ linguæ tenuitas debet, quando, ut testis locupletior Hieronymus est, etiam Græci pleraque nostra per circuitus transferunt.

S. Hieron. in cap. 1. Epist. ad Eph. lib. 1. tom. 6.

Hieron. ubi supra.

Cœl. Rho. lib. 8. c. 17. tom. 1.

Hieron. ubi supra.

Hæc de Latinâ linguâ mihi dicere visum est, ut eam à Græca, à qua ortum habent, nequaquàm superari, facilè dignoscatur. De Nicostrata item Latini Alphabeti Inventrice hactenùs, ut ad cæteros ejusdem linguæ characterum Inventores accedamus.

DE EVANDRO CARMENTÆ FILIO APUD ABORIGINES LITERARUM INVENTORE.

ALtera hujus paraslaticæ Columnæ facies Evandrum militari habitu indutum, Carmentæ filium, Arcadiæ Regem, aliquot Latinæ linguæ characterum Inventorem repræsentat. Hic ob suam ipsius eloquentiam Mercurii filius ex Nicostrata dictus est: dimissâque Arcadiâ, cum patrem casu interfeciisset, avito regno pulsus, suadente Matre, quæ vates erat, ut dictum est, conscensâ navi in Italiam venit, & pulsis Aboriginibus, tenuit illa loca, ubi posteà Roma condita fuit, parvumque oppidum in Palatino Monte extruxit. Aborigines autem Populi dicti sunt antiquissimi, qui primi dicta loca incoluerunt: sic appellati, quòd primi visi sint tanquàm editi sine Patribus, quasi sine origine: aut quòd ex varia gentium colluvione mixti erant: qui deindè advento Æneæ Phrygibus conjuncti, Latini uno nomine nuncupati sunt.

Liv. libr. 1. ab Vrbe condita non procul a princ. Dec. 1.

Hinc ab Evandro Aboriginibus Latinas literas, quæ suprà ejus caput extant, datas esse docet Inscriptio.

EVANDER CARMENTÆ FILIUS ABORIGINES LITERAS DOCUIT.

Literæ ab Evandro inventæ.

H. K. Q. X. Y. Z.

EVANDRUM sex literas Alphabeto Latino adjeciisse, non solùm ex Latina Inscriptione constat, verùm etiam ex ipso Cornelio Tacito, qui de literis ab Evandro inventis hunc in modum ait: *Aborigines Arcade ab Evandro didicerunt. Et formæ literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum, sed nobis quoque paucæ primum fuere, deindè additæ sunt.* Hæc Tacitus. Quæ sanè verba à Plinii sententia non abhorrent: diximus enim paulò superiùs, Græcas veteres literas easdem penè fuisse, quæ nunc Latinæ sunt: quibus ab Euandro sex illæ notæ, quas ob oculos posuimus, fuerunt adjectæ. Livius item Euandrum literarum inventorem extitisse affirmat dicens: *Euander tùm ea, profugus ex Peloponneso, auctoritate magis quàm imperio regebat loca, venerabilis vir miraculo literarum, rei novæ inter rudes artium homines; venerabilior divinitate credita Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam adventum miratæ hæ gentes fuerant.* Hæc Livius. Partim igitur Carmenta, partim verò Evander ejus filius Italis tradiderunt literas: illa sexdecim, hic autem sex: quarum figuræ, sicut de sexdecim illis dictum est, eædem esse cernuntur, unâ tantum literâ, Q scilicet, excepta, quæ nullam penitùs cum Græcis, neque cum Hebraicis literis habet affinitatem: immò, Latinis exceptis, nulla alia Lingua hanc notam habere fertur: superfluaque vocitatur, quia veteres Latini per C, scribere solebant, & non minus rectè per C, quam per Q ut *Cuando, & Cuoniam*, & id genus alia: quia C, & Q maximam inter se habent affinitatem, ut videre est in Relativo, Quis, vel qui. Nam ejus obliqui tàm C, quàm Q, retinere solent, ut Cujus & Cui, Quem & Quo, Loquor loquutus, & locutus, Sequor sequutus, & secutus, Quum, & Cum. Cæteræ verò quinque a Græco Alphabeto desumptæ, vel figuram tantùm retinent, ut H, & X, vel figuram ac nomina, potestatemque simul ut K, Y, & Z. Figura enim illa H, apud Græcos est I, longum: apud Latinos est aspirationis nota. X, apud Græcos pro Ch, ponitur: apud Latinos, litteræ Græcæ Ξ, potestatem, & vim habet: sed X, apud Latinos ad Augusti usque tempora nondum recepta fuerat, sed pro ea C, & S, vel G, & S utebantur, ut Apecs, & Gregs, pro Apex, & Grex: qua quidèm litera X, ut Quintilianus ait, carere potuimus. Figuræ verò K, Y, & Z tàm apud Græcos, quàm apud Latinos idem sonant, eandem penitùs

Corn. Tac. lib. 11. Annal.

Liv. libr. 1. ab Vrbe cond. non procul a prin. Dec. 1.

Isid. libr. 1. Etym. c. 3.

nitùs formam habentes. Kappa enim, quæ tàm apud Græcos, quàm apud Latinos habet vim C, non utimur nisi in dictionibus Græcis, quibus tanquàm Latinis uti solemus, ut *Kyrie eleyson*, vel *eleeson*, & *Kalendæ*, Scaurus autem ait nomina, in quibus, A, secunda esset statim sede, per K, scribenda esse hunc in modum: Kalendæ, karta, & karus: sed hujusmodi voces, quoniàm Græcæ omninò sunt, characteribus Græcis scribi deberent: si autem Latinis notis; per C, non per K, Kappa, quam apud Latinos supervacuam esse Priscianus testatur: cui Quintilianus adstipulatur non obscurè dicens loco ejus nos habere literam C, quæ vim suam ad omnes perferat vocales. Hanc literam K, a Salustio, ludi Magistro, Latinis literis adjectam esse Isidorus ait, ut in sono duarum literarum C, & Q, faceret discrimen. A Græcis item Y, & Z literas mutuati sunt Latini pro Græcis dictionibus conscribendis: sed apud Romanos etiam ad Augusti usque tempora admissæ non fuerunt: nàm pro Y, Latini literam, I, ponebant, ut Hieronimus, non Hieronymus, sicut nunc scribi solet. Loco item Z, duplici, ſſ, utebantur, ut Patrisso, pro Πατρίζω, Patrizo. Interdum etiam ejus loco, sd: sustituebant d, ut a multis nunc scribitur, qui Esdras, pro Ἔζρας, Ezras utuntur. Antiqui prætereà loco, Z, unicum S aliquando ponebant scribentes; Sacynthus pro Zacinthus, Sethus pro Zethus. Nonnunquam etiam D, loco ipsius, Z, usurpabant, ut Medentius, pro Mezentius: sed hoc tantùm apud antiquissimos, qui peregrinas literas nullas recipiebant. Hinc scribebant Triumphum, & Tropæum, non Triumphum, aç Trophæum, ut superiùs a nobis, & susiùs quidèm demonstratum est. Hanc literam Z, ut Martianus ait, Appius Claudius detestabatur quod dentes mortui, dum exprimitur, imitatur.

Priscianus, & Quintil.

Isidor, libr. 1. Etym. c. 4.

Litera Z, dentes mortui imitatur, dū exprimitur.

Sicut igitur sex literæ ab Evandro inventæ, ut Inscriptio docet Latina, partim easdem tantùm figuras, partim verò & figuras, & vim, ac nomina retinere cernuntur, ita de multis alii Latini Alphabeti dicendum est literis, quæ vel figuris, ac potestate simul, sive nomine a Græcis reipsa discrepare non videntur, ut A, E, I, M, N, O, T, quæ non solùm easdem figuras, sed easdem ferè potestates, ac pronunciationes majori ex parte a Græcis acceperunt, B, vero P, & X, literæ figuras retinent Græcas, potestates ac pronunciationes non item. B, enim pro V, P pro R, & X, pro Ch, Latinis literis, apud Græcos usurpantur.

Hæc de Latinis literis, quæ vel figuras tantùm, vel figuras, ac potestates simul a Græcis sumpserunt: cætera enim Alphabeti Græci elementa, vel per inversas figuras cum Latinis quandam habent affinitatem, ut Γ est L, inversum. Λ, est V contrario modo situm, Σ vero M transversa conscriptum. Vel nullam penitùs figuram Latinis habent adsimilem, ut Δ, Θ, Ξ, Π, Φ, Ψ, Ω. Aliquot autem characteres Græcos Latini aliquâ ex parte duplicibus literis inter scribendum imitari studeant Θ per Th, Φ per Ph, Χ per Ch, Ψ per Ps, reddentes.

Diphthongorum item usus nobis indicio est, Latinam linguam a Græca traxisse originem. Utimur enim his præsertim diphthongis quatuor, quæ scribuntur hunc in modum: AE, OE, AV, & EV, quarum duæ primæ eo modo scribuntur, sed non pronunciantur nisi per E, ut Cæsar, & Phœbus: duæ alteræ a Græcis desumptæ sicut scribuntur ita pronuntiantur, ut Audio, & Euge. Nec silentio prætereundum videtur, alias etiam diphthongos Græcas a Latinis usurpatas fuisse, ut videre est apud Virgilium, necnon apud alios probatissimos Auctores, qui dictionibus hisce per diphthongum divisam usi sunt per Diœresim figuram hoc modo: Aulai, Aurai, Animai, Aquai, ac Terrai, & voces id genus permultæ, quibus frequentèr usus est Lucretius, pro Aulæ, Auræ, Animæ, Aquæ, ac Terræ: nàm apud Græcos Alpha cum Jota, ut AI, vel αι, facit illud, quod est apud Latinos, Æ, æ. Poetæ intereà usi sunt non rarò aliâ diphthongo Græcâ, quæ est EI, vel ei, faciens I, nostrum, ut Orphei, & Promethei per synæresim figuram, pro Orphi, & Promethi: Id quoquè clarum fit ex iis vocibus, quarum pluralis gignendi casus definit in *ium*, accusādi casus pluralis postrema syllaba diphthongum Græcam, ει, vel *ei*, admitere solet: sic enim ad hanc usque diem scribitur: Omneis, Treis, Fonteis, & Naveis, atquè aliæ hujusmodi voces, pro Omnes, vel Omnis, Tres, vel Tris, Fontes, vel Fontis, Naves, vel Navis: & Queis, pro Quis, & Quibus in septimo casu. Nèc solùm dictas diphthongos Græcas frequentèr adhibuerunt antiquiores Latini, sed etiam illam, quæ est: OY, vel ου, faciens V, nostrum, ut ex vetusto lapide ad Pontem Cestium Romæ videre licet, ad parietem, scilicèt cujusdam domus, in qua hæc legitur Inscriptio:

Idem sup.

HEIC EST SEPULCHRUM,
HAU PULCRUM
PULCRAI FEMINÆ
NOMEN PARENTES
NOMINARUNT CLAOUDIAM, &c.

Ubi ponuntur heic pro hic, pulcrai pro pulcræ, Claoudiam pro Claudiam. Et quoniam litera, Υ, vel, υ, in diphthongis Græcis sonat nostrum V, ut Αυ, Ευ, Ου, hinc Latini ad Græcarum diphthongorum imitationem, Y, in V nostrum converterunt, ut quod Græci Δύο, Σῦς, Μῦς, Θύλη, & Ῥώμυλος, Nos, Duo, Sus, Mus. Thule, & Romulus dicimus, & Sulla, pro Sylla, Purrhus, pro Pyrrhus, atquè alia id genus ab Ennio sic pronunciabantur, ut in Oratore Auctor est Cicero. Quibus de rebus omnibus facilè colligitur, Latinam linguam a Græca habuisse ortum: non tamen hanc illâ locupletiorem esse fateor, ut satis copiosè demonstratum est. Hæc autem in medium afferre mihi visum est, ut iis, qui alitèr sentiunt, aliquâ ex parte satisfaciam. Nunc reliquum est, ut ab Evandro sex literarum Inventore ad Claudium transeamus Imperatorem.

Cicero in Oratore.

DE

DE CLAUDIO IMPERATORE TRIUM LITERARUM INVENTORE.

TErtia hujus paraſtaticæ Columnæ facies Claudium Imperatorem habitu Imperatorio indutum, laureâ ornatum, librum manu geſtantem, triumque literarum apud Latinos inventorem repræſentat. Hunc tres literas Latino Alphabeto addidiſſe ex Tacito conſtat, qui ait: *Claudius tres literas adjecit, quæ uſui, imperitante eo; poſt obliteratæ: aſpiciuntur etiam nunc in ære publicandis ſcitis per fora, ac templa fixo.* Hæc Tacitus, atque eadem ferè Svetonius prodit. Nomina verò literarum, quas à Claudio Latinis adjectas, atque aliquando in uſu fuiſſe, deindè obliteratas Cornelius teſtatur, à Scriptoribus ſubticentur: hinc una tantùm litera ſupra Claudii caput cernitur: ad cujus pedes hæc legitur Inſcriptio:

Corn. Tacit. lib. 11. Annal. Al. plebiſcitis, ſed ſcitis melius. Svet. in Claudio.

CLAUDIUS IMP. TRES NOVAS LITERAS ADINVENIT.

Literæ à Claudio Imper. inventæ.

F

Reliquæ duæ uſu obliteratæ ſunt.

CLaudium Imperatorem trium literarum apud Latinos Inventorem fuiſſe Tacitus, & Svetonius teſtantur, ſed quænam ſint, non ſatis conſtat, nec per eos, nec per alios Scriptores: dicam tamen quæ invenire potui. Quintilianus de litera Ⅎ à Claudio inventa mentionem apertè facit; ſed quomodo fuerint obliteratæ, Tacito teſte, non video, cum trium illarum una ſaltem alio modo ſcripta ad hanc uſque diem in uſu ſit, dicamus eam abſoleviſſe, poſteà verò in uſum revocatam, vel aliter olim ſcriptam, pronunciatamque fuiſſe reſpondeamus, ut ſuſiùs infrà dicemus. Quod enim antiquiores Latini per Ph, ſcribebant, ut phama, phanum, & phagus, nos per F, ſcribere ſolemus, ut Fama, Fanum, & Fagus, quamvis dictiones illæ in Latinorum uſum receptæ à Græco fonte originem trahant: immò vetuſtiſſimi Scriptores Latini F, literam loco aſpirationis utebantur, ut Fordeum, Trafo, Vefo, pro Hordeum, Traho, Veho. Sicut etiam Feneti, pro Eveti Heneti, & H, pro V, ut Veneti pro Heneti. Fuerunt præterea apud antiquiſſimos, qui loco, F, utebantur B, & Bruges dicebant pro eo, quod poſteri Fruges dicere maluerunt.

Quintil. lib. 1. inſtit. Orat. c. 4. libr. 12. cap. 10.

Hæc item litera F, quæ Digamma Æolicum appellatur, qui nil aliud eſt quàm duplex Gamma Γ, Γ, alterum alteri ſuperpoſitum, & à lingua Æolica deſumptum, etiam pro litera V, ab antiquioribus Latinis uſurpata non rarò fuit, hoc modo inverſa Ⅎ ut Quintilianus teſtatur inquiens: *Nec inutiliter Claudius Æolicam illam Ⅎ, ad hos uſus literarum adjecerat.* Et iterum: *Æolicæ quoque literæ, qua cervom, ſervomque dicimus, etiamſi forma à nobis repudiata eſt, vis tamen manet.* Hæc Quintilianus, ex cujus verbis colligitur, hanc literam Ⅎ, aliter olim ſcriptam fuiſſe: noduſque diſſolvitur. Hanc item literam Ⅎ, non Claudius ſolus inter literas habendam cenſuit, ſed & Varro, ſi Annæo Cornuto credimus. Hanc litteram, inquit, Terentius Varro dum vult demonſtrare, ita perſcribit, *VA.* Qui ergo in hac ſyllaba ſonus eſt, idem literæ erit. Hoc Digamma etiam hodie legitur in lapidibus Claudianis Romæ, & præſertim ad Sanctæ Luciæ Cloacam hoc modo:

Priſcianus.

Quintilianus ubi ſupra.

Ann. Cornu. libr. de Orthogr. Va, pronunciatio literæ Ⅎ.

TIT. CLAUDIUS
DRUSI F. CAISAR
AUG. GERMANICUS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. COS. IIII.
CENSOR. PP.
AUCTIS POPULI ROMANI
FINIBUS POMERIUM
AMPLIAIIT TERMINAIITQUE.

Qua in Inſcriptione legitur CAISAR, more antiquo pro CÆSAR per diphthongum Græcam, in qua Alpha cum Jota facit Æ diphthongum Latinam: ibidem legitur: AMPLIAIIT, & TERMINAIIT, pro Ampliavit, & Terminavit. In aliis item ſpectationibus antiquis hoc Digamma cernitur ſic: OCTAIIUS, & OCTAIIA, pro Octavius, & Octavia. Ita etiam DIIUS, CLIIUS RIIUS, SERIUS, VIIUS, pro Divus, Clivus, Rivus, Servus, Vivus. Quamvis autem, ut ait Gellius, ad hujuſce ſyllabæ, vus, non us, velut Divus, & Vulgus, ſonum declarandum Digamma Ⅎ fuerit inventum, ad ſimplex tamen, V, pronunciandum adhibitum eſſe conſtat, ſicut ex ſuperiori Inſcriptione clarè patet. Hinc factum eſt, ut litera V, etiam Digamma nuncupetur: quia ſicut F vel Ⅎ pro V, uſurpata fuit, ita F, pro V, ſcripto pronunciari ſolet, præſertim in Germania, ubi præter alia permulta, Vinum pronunciatur ſic: Finum. Idem ferè in Gallia Ciſalpina, quæ V, tamquam F, pronunciare ſolet dicens Bref pro Breve: & id genus alia: Quarè Claudius Cæſar, ut Tacitus prodit, F, loco V, conſonantis recipiendum Inſtituit, ut Fulgus pro Vulgus, Fixit pro Vixit.

Aul. Gell. lib. 14. Att. Noct. cap. 5.

Quod ad ſecundam literam ab eodem Claudio inventam pertinet, Priſcianus hunc in modum ait: P, & S, loco Græcæ, Ψ, fungitur, pro quo Claudius Cæſar Antiſigma, hac figurâ ſcribi voluit ↃC: ſed nulli auſi ſunt an-

Priſcianus libr. 1. Antiſigma. Lipſius in Corn. libr. 11. Ann.

antiquam ſcripturam mutare. Antiſigma ideo dicitur, teſte Lipſio, quia duo ſigma obverſo dorſo ſcribuntur hoc modo; ↄC. Hac enim Semilunæ figura priſci Græci, ut ipſe ait, Sigma ſic formabant, C, ut in fine ultimæ Columnæ paraſtaticæ fuſiùs dicetur.

Mar. Vetran. in libr. 11. Ann. Cornel. Val. Max.

De tertiâ denique literâ Claudianâ Marcus Vetranius Maurus ex Velio longo literam neſcio quam à Claudio inventam leniendo R, opinatur. Sunt tamen qui velint Claudium, vel Centimalum, ſive Centimanum, ut alii minus rectè ſcribunt, qui librum in jure civili tertium à P. Papiniò ſcripſit, R, literam introduxiſſe, cum priùs Rufii dicerentur: qui deindè Fuſii dicti ſunt.

Alii verò AI, vel *æ*, diphthongum fuiſſe putant, quod non eſt dicendum: conſtat enim hanc diphthongum antiquitùs creberrimè uſurpatam fuiſſe, ut in Claudii ævo Inſcriptiones marmore inciſæ indicant: cujuſmodi eſt illa: ANTONIAI DIVAI, & cetera, pro Antoniæ Divæ, & ſimilia ſcripta.

Martianus Capella.

Martianus capella de hac tertia litera ſic ſcribit: *Huic literæ S, Divus Claudius P, adjecit, aut C propter Ψ, & Z Græcas, ut Pſalterium, & Saxum.* Id autem Lipſio non placet dicenti: *Martianus à Claudio novum* X, *repertum ſentire videtur, quod vanum puto, quia* X, *in uſu erat temporibus jam Auguſti, ut diſertè monet Iſidorus: Sed &* X, *à Varrone, & Quintiliano cenſetur inter eas, quæ non neceſſariæ. Varro enim in Fragmento quopiam ex libro de Grammatica ſic ait: Literarum partim ſunt, & dicuntur, ut A B partim dicuntur, & non ſunt, ut* H, *&* X, *partim ſunt, & non dicuntur, ut* Φ, Ψ *ex quibus verbis non abſurdè colligeris, duabus his literis, quæ, Varrone teſte, neceſſariæ ſunt, novam formam induiſſe Claudium, nomenque. Et de* Ψ, *quidem clarum, cui Antiſigma* ↄC, *vel Pſ, reſpondit. De* Φ *autem Claudiano Phi, Grammatici loqui neglexerunt, etſi ea litera non dubiè neceſſaria eſt, & alius ejus ſonus, quàm Fi, ut monuit Quintilianus.* Hæc ex Lipſio, qui hanc literam Ⅎ, à Claudio inventam, Ph, alteram ↄC, tertiam vero Ph, fuiſſe opinatur: quarum prima Ⅎ, alio ſonu, atque hoc modò ſcripta, F, remanſit: ſecunda, quæ eſt, ↄC, vel abolevit, vel uſum numquàm obtinuit: tertia ut, Ph, uſum in ſcribendo obtinuit, ſed nova forma nomemque novum ei contributa apud Scriptores inveniri non queunt: & hac de re nihil certi, affirmari poteſt.

Lipſius in lib. 11. Annal. Cornelii.

Varro de re gramm.

Tres igitur literas invenit Claudius, quem etiam de harum literarum ratione ſcripſiſſe ferunt: hinc librum dextrâ geſtare cernitur. Hæc de Claudio Imperatore trium literarum apud Latinos inventore. Nunc reliquum eſt, ut omnia Latinæ linguæ elementa ordine Alphabetico diſtincta ob oculos ponantur, ſicut de Hebraicis, Græciſque literis à nobis factum eſſe conſtat. Verùm quia in iis diſponendis non ſolùm figuras, & nomina earumdem, ſed etiam poteſtatem, ſive pronunciationem ſuis locis appoſuimus: hinc idem de Latino Alphabeto faciundum eſt dictorum characterum formatione deſcriptâ juxtà judicium Martiani Capellæ, qui literarum omnium formationes inter pronunciandum naturales excogitavit, ſicut ex ſequenti paginâ videre licet.

ALPHABETUM LATINUM.

Figuræ.	*Nomina.*	*Formatio literarum.*
A a	A,	Vocalis, ſub hiatu oris congruo, ſolo ſpiritu pronunciatur.
B b	Be,	Labris per ſpiritus impetum recluſis editur.
C c	Ce,	Super molaribus linguæ extremæ appulſis exprimitur.
D d	De,	Appulſu linguæ circà ſuperiores dentes innaſcitur.
E e	E,	Vocalis, ſpiritus lingua paululum preſſiore.
F f	Ef,	Dentes labrum inferius deprimentes lingua palatoque dulceſſit.
G g	Ge,	Spiritus cum palato inter dentes.
H h	Hach,	Non eſt litera, contractiſque paululum faucibus eſt ventus exhalans.
I i	I,	Vocalis, ſpiritus dentibus preſſus, extrema linguæ parte contracta.
K k	Ka,	Faucibus, palatoque formatur.
L l	El,	Lingua palatoque dulceſſit.
M m	Em,	Labris imprimitur.
N n	En,	Lingua dentibus appulſa collidit.
O o	O,	Vocalis, rotundi oris ſpiritu comparatur.
P p	Pe,	Labris ſpiritus erumpit.
Q q	Qu,	Appulſu palati ore reſtricto.
R r	Er,	Spiritum lingua criſpante corraditur.
S ſ	Es,	Sibilum facit dentibus verberatis.
T t	Te,	Appulſu linguæ dentibus impulſis excuditur.
V u v	V,	Vocalis, ore conſtricto, labriſque promulii exhibetur.
X x	Ix,	Quidquid, C, atque, S, formavit exibilat.
Y y	Ypſilon,	Vel Fyo, preſſis labris, ſpirituque procedit.
Z z	Zeta,	Duplex ſibilus, dentes mortui, dum exprimitur, imitatur.

Vocales quinque.	Diphthongi quatuor.	Literæ duplices à Græcis mutuatæ.
A, E, I, O, V.	AE, OE, AV, EV.	CH, PH, PS, TH.
Y, Græca: cur Fyo dicta, vide infrà.	Duæ primæ ſcribuntur, ſed non pronunciantur.	X, Φ, Ψ, Θ.

ALphabetum Latinum literarum figuris, nominibus, ac pronunciationibus, formationibuſque diſtinctum, unâ, ac viginti literis conſtat, ſi iis, qui H, & K, literas tanquàm ſupervacuas ab Alphabeto explodunt, credimus: ut A b c d e f g i l m n o p q r ſ t u x y z: H, enim non eſt litera, ſed aſpirationis nota: K, verò Græca idem efficit, quod C, Latinum elementum: immò quod etiam, & Q, ut paulò ſuperiùs demonſtratum eſt. Quarè Martianus Capella decem & octo tantùm literas univerſæ conſcriptioni Latinæ, ac locutioni neceſſarias eſſe affirmavit, ut A b c d e f g i l m n o p r ſ t u x. Nam C, litera ad omnes vocales, ut ait Quintilianus, vim ſuam commodè perfert. Quam ob cauſam Nigidius figulus, teſte Papyriano ſuis in Commentariis, neque K, neque Q, eſt unquam uſus. Y autem, & Z, ob Græca tantùm nomina in noſtrum veneruntuſum.

Ex Diomede Gram. Varr. & Quintil.

Martianus.

Quintil.

Nigidius.

Zeta enim in Latinis vocibus non adhibetur, ſed in Italicâ linguâ nos eâ uti ſolemus. Ypſilon verò, quod Italicè vocitatur Fyo, vel Fya, non niſi in dictionibus Græcis uſurpatur. Cur autem ſic nuncupetur, haùd faci-

facilè dignoſci poteſt : ſunt enim qui hanc vocem Hya ex hya voce luctuoſiſſimâ fieri velint, quæ eſt in nomine Hyacinthi pueri Amiclæi, qui ab Apolline, ut Poetæ fabulantur, dum jactu diſci ſeſe exerceret, fuit interfectus : cujus mortem ægrè ferens Apollo, interempti pueri cruorem in florem ſui nominis commutavit, ut Ovidius hiſce verſibus indicaſſe viſus eſt dicens ;

Ovid. libr. 10. Metamorph.

Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit, & hya
Flos habet inſcriptum, funeſtaque littera ductа eſt.

Hinc Hyacinthus dictus eſt quaſi flos Cinthii, hoc eſt Apollinis, quod enim à Latinis *viola*, ſivè flos dicitur, à Græcis vocitatur Ia, quæ ſyllaba ex Ypſilon literâ inversâ ⅄, conficitur. Si enim i præponas, & A ſubiicias ſine linea tranſverſali, vel ſecante, hoc modo Λ, ut in multis Inſcriptionibus antiquis videre eſt, efficitur Y, cujus figuram repræſentari in hoc flore contendunt. E quoniam hæc litera ſemper apud Græcos cum aſpirandi notâ ſcribi ſolet, & aſpiratio apud antiquiores Latinos in F. frequenter convertebatur, ut Fordeum pro Hordeum, ſicut ſuperiùs demonſtratum eſt, hinc pro Hya Fya, vel Phya, ſivè Fyo in Italia, ut reor, pronunciatur.

Sunt qui velint in Ovidiano illo verſu, quem ſuprà recitavimus, legendum eſſe non Hya, ſed Αἴ Αἴ, vel αἰ αἰ, id eſt Heu Heu, hunc in modum.

Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit, & αἰ αἰ
Flos habet inſcriptum, funeſtaque littera ductа eſt.

Plin. libr. 21. cap. 11.

Qui hoc modo legendum putant, Plinium forſitan ſequuntur dicentem, hoc violæ genus venis quibuſdam nigris eſſe diſtinctum, ita diſcurrentibus lineis, ut duarum Græcarum literarum α & ι figuram referant : quæ res Poetis duplicis fabulæ occaſionem præbuit. Nam, & Hyacinthum ab Apolline dilectum, quem imprudens diſci jactu interfecit, in hunc florem mutatum tradunt, interjectionemque dolentis αἰ, quæ ex duabus illis literulis conficitur, velut teſtimonium doloris, quem Apollo ex ejus morte conceperat, habere inſcriptam. Ajacem item Telamonis Regis filium in eundem florem converſum ajunt, dum impatientiâ prælati ſibi Uliſſis ſeipſum interemit : duaſque primas ejus nominis, Ajacis videlicèt literas, quæ ſunt αἰ, in hoc flore manſiſſe impreſſas affirmant, ſicut etiam ex eodem conſtat Ovidio, qui utramque fabulam feliciter complexus eſt hiſce verſibus.

Ovid. libr. 13. Metamorph. & alii permulti.

Ruheſactaque ſanguine tellus.
Purpureum viridi genuit de ceſpite florem,
Qui priùs Oebalio fuerat de vulnere natus :
Litera communis medijs pueroque viroq.
Inſcripta eſt foliis, hæc nominis, illa querelæ.

Quibus verbis Ovidius florem Hyacinthum, necnon literam, vel potius ſyllabam αἰ, in flore ipſo impreſſam, & Hyacintho puero, & Ajaci viro communem eſſe teſtatur. AI, enim Ajacis primas nominis notas, Hyacinthique dolentis interjectionem refert: ex quibus characteribus, ut oſtenſum eſt, Ypſilon litera conſtare cernitur, quæ prima Hyacinthi nominis aſpirata extat nota. Hùc item ſpectat illud Virgilii Ænigma de floribus, quos Regum nominibus inſignitos eſſe ait hoc modo ;

Virg. Ecl. 3. in fine.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum.
Naſcantur flores : ——————

Per flores nominibus Regum inſignitos Hyacinthum florem intelligi neceſſe eſt, in quo ſyllabam IA, vel AI, geminam, impreſſam eſſe conſtat : ex qua duæ ſaltem primæ Ajacis Telamonis Regis filii nominis literæ, voxque Hyacinthi pueri luctuoſa colliguntur, atquè inverſa littera ⅄, ut dictum eſt, efficitur, quam hujus Hyacinthi nominis literam aſpiratam primam, Hy, vel potiùs ſyllabas duas priores eſſe patet hoc modo, Hya, ut initio diximus. Hinc aſpiratione in F conversâ, Fya, vel Fyo dicitur. Qua ex re luctuosâ, ac miſerabili (ut opinor) factum eſt, ut hujus generis vox quandòquè pro vectigali, atque ut Perſæ, & Itali dicunt, pro angariâ, ac pro pœnâ metaphoricè uſurpata ſit non rarò à Poetis, qui Italicâ ſcripſerunt linguâ : hæc enim nonniſi mœrorem afferre ſolent iis, qui hujuſmodi res patiuntur. Sacratiſſima Trinitas per tres hasce literas Græcas Π, Υ, Α, olim repræſentari ſolebat, ut legitur Diſt. 73. cap. 1., & in Summa : ſunt enim primæ literæ trium perſonarum, ut πατὴρ Pater, cujus prima littera eſt Π, Υἱὸς, Filius, cujus prima litera eſt Υ. Ἅγιον πνεῦμα, Sanctus Spiritus, cujus prima litera eſt Α. Hinc in Galliâ ciſalpinâ, Venetiis, in Piceno, & in multis aliis Italiæ locis litera Ypſilon in Alphabeto, Y in F, converſa, Fio nuncupatur. Filius enim Latinè, Italicâ voce *Figlio* dicitur, & per eclypſim Fio, ut à Venetis paſſim pronunciatur, ab Hyſpanis *Hijo* ; Quæ vox Græcæ dictioni Υἱὸς adſimilis non parum videtur.

Hæc de litera Fyo, necnon de Alphabeto Latino, quo etiam Latini ſcriptores aliquâ ex parte inter numerandum uſi ſunt, ſicut idem, & ſanè copioſiùs, ab Hebræis, ac Græcis fieri conſtat. Nos enim non niſi ſeptem, vel octo ad ſummum literas pro universâ numerandi ratione adhibere ſolemus, quæ ſunt C. D. I. L. M. Q. V. X.

Litera autem I, ut à primo exordiar numero, apud nos pro unitate uſurpatur : propterèaquòd ex una tantùm, & rectâ quidèm lineâ conſtat, ſine qua nulla Alphabeti elementa formantur : hæc enim linea ad ceteras literas formandas aut duplicatur, aut ad circuli figuram agitur, aut incuruatur, aut aliis deſcribitur modis. Hinc eam majores noſtri

pri-

primam numerandi figuram constituentes unitatem appellarunt: unitas namquè omnium numerorum mater est, Boetio teste, qui ex ea tamquàm matre universum numerum procreari, & in eam ipsam postremam rursùs resolutionem fieri affirmat. Hac igitur ratione per I, unitas significatur: quoniàm elementa omnia ab ipsâ lineâ sumunt exordium, & in eam resolvuntur. Hæc deniquè litera I duplicata, dualitatem: triplicata, triadem, quadruplicata numerum quaternarium repræsentat.

Litera V, quinque significat: ipsa enìm quinta Vocalis est: cui si præponatur litera I, hoc modo: IV. numerum quaternarium efficiet: si autem VI. senarium constituet: & quot literæ I post V geminantur, tot unitates numero quinario additas fuisse dicas oportet, ut V I, sex V I I, septem: V I I I, octo. V I I I I, novem ad denarium usque numerum procedendo, qui per X, indicatur.

Litera X, decem significat, quia decima est consonans, ut Prisciano placet: hisce enìm characteribus, H, K, & Z, detractis, quarum prima non est litera, sed aspirationis nota; aliæ verò sunt à Græcis desumptæ, ut dictum est, C, G, Q, pro unâ literâ connumeratis, teste Prisciano, & B, atquè F, invicem sibi cedentibus, cum Bruges, & Fruges dicantur, S, verè sibilo, non literâ existente, & propterèa frequentèr in versu apud antiquos abiecta, literam X, decimam consonantem esse, ob idque decem significare fatendum est. Vel significat decem, quia videtur constare ex duplici V, quæ bis posita decem significat, alterâ inversâ hunc in modum $\frac{V}{\Lambda}\,\frac{V}{\Lambda}$ Virg. & Iuvenalis.

Litera L, quinquagenarium numerum ad Græcorum imitationem repræsentat: nam Græci antiquieres per literam ν, quinquaginta indicabant. L, autem, & N, invicèm sibi cedunt, ut ait Priscianus: dicimus enìm Lympham, & Nympham, idem intelligentes, aquam, scilicèt, quæ Græcè dicitur Νύμφη: & quod veteres Græci Nympham appellabant, nos per mutationem unius literæ ν in L, Lympham, hoc est *Aquam*, vocitamus. Non est igitùr mirum, si quinquagenarium numerum, quem Græci per N exprimebant, nos per L significemus, Græcos imitantes.

Litera C, centenarium numerum significat, quia in hoc numero primum locum habere cernitur, ut Centum, cujus vocis primum elementum est, C.

Litera D, quingenta significare solet: propterèaquòd inter hanc literam D, & M, quod mille significat, H, & K, ob rationem assignatam detractis, quinque sunt literæ, quæ dimidium millenarij numeri efficiunt, ut nonnulli ajunt: sed infrà de hoc meliùs fortasse dicetur.

Paulus Manutius in Addit. in Calep. & in Comment. in libr. 11. Epist. fam.

Litera M, mille indicat, cum hujus nominis primum elementum sit, M, ut vulgò fertur. Quamvìs autem Priscianus dicat notari Mille per X, & decem millia hunc in modum: CIↃ, Paulus tamen Manutius id omnino damnat tamquam à vetustate alienum, & Priscianum deridet: quodque deↃ D, & M, vulgò putatur, ingeniosè declarat dicens, Mille apud Scriptores Latinos antiquitùs notatum sic esse, CIↃ: pro quingentis, quod est millenarij numeri dimidium, hoc modo, IↃ. Hinc librariorum incuriâ, seu præproperâ festinatione ex hac figura CIↃ, M, defluxit, similitudine errorem efficiente, quia M, quandoque ita scribitur, ⅏, ut minimum discrepare videatur à CIↃ. Ex hac item figurâ, IↃ, errorem creante similitudine, pro quingentis litera D notari cœpit, atque usum apud nos obtinuit: sicut enìm ex hac figurâ CIↃ, M, ita ex IↃ, D, facilè conficitur. Adde etiam, quòd in antiquis libris aliæ itèm figuræ pro mille usurpatæ sunt, ob minus accuratam librariorum festinationem, qui, ut uno calami ductu, mille indicarent, pro CIↃ scribebant sic, ω, quod quandam affinitatem cum figura CIↃ habere videtur. Hinc etiam apud vetustiores hanc figuram, ∞, pro mille ob eandem causam efficere solebant. Hæc de quingentesimo, ac millenario numero: multo autem plura de antiquâ apud Latinos numerandi ratione, quæ nunc in frequenti usu non est, ut in additamentis Manutianis in Dictionarium Fratris Ambrosii Calepini ex Augustinianâ familiâ videre est. Paulus Manutius ubi supra.

Litera Q, quingenta millia apud veteres Latinos indicabat: quoniam Q, hujus numeri primum est elementum. Hunc autem numerum per Q, literam usurpari hodiè non video. De Latinis literis, earumdeque usu hactenus, ut ad Hetruscas notas accedamus.

DE DEMARATHO

HETRUSCARUM LITERARUM INVENTORE.

QVarta hujus parastaticæ Columnæ facies Demarathum Corinthium, negotiatorem ditissimum, Græco habitu indutum, truculento visu hominem, Hetruscarumque literarum Inventorem repræsentat. Hic tyrannidem Cypselli fugiens, Tullio teste, in Hetruriam, Italiæ regionem, Tyrreno mari incumbentem, ad primam usque Tyberis ripam protensam, Macra fluvio à Liguriâ discretam, cujus hodiè Metropolis est Florentia Civitas pulcherrima, & nobilissima, comparatis opibus luculentis commigravit: atque inibi à Tarquinienssibus ejusdem Regionis populis exceptus, Tarquinium Priscum Populi Romani Regem ex Illustri Hetruscâ uxore genuisse commemoratur. Hic itèm inventor fuit: Hetruscarum literarum, de quibus Livius mentionem faciens, Romanos pueros Hetruscis literis non minùs quàm Græcis eruditos olìm fuisse affirmat hunc in modum: *Cære educatus apud hospites, Hetruscis inde literis eruditus erat: linguamque Hetruscam probè noverat. Habeo Auctо-*

Cic. lib. 5. Tusculan. quæst.

Liv. libr. 9. ab Vrbe cond. post med.

Auctores, vulgò tùm Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Hetruſcis literis erudiri ſolitos. Hæc Livius. Harum autem literarum inventorem fuiſſe Demarathum Corinthium Cornelius teſtatur apertè dicens: *At in Italiâ Hetruſci literas ab Corinthio Demarathò dicerunt.* Hæc Tacitus. Hujus linguæ Alphabetum ſupra Demarathi caput cernitur: ad cujus pedes hæc legitur Inſcriptio.

DEMARATHUS CORINTHIUS HETRUSCARUM LITERARUM INVENTOR.

Literæ a Demaratho inventæ.



HEtruſcarum literarum Alphabeta varia extiterunt, ſicut ex variis libris, ac lapidibus, necnon Italiæ Bibliothecis conſtat. Theſeo Ambroſio teſte. Quamvis autem majori ex parte eaſdem ferè figuras habeant, ordinem tamen eundem, eandemque pronunciationem, ſeù poteſtatem, vel idem nomen, eundemque legendi modum non item: alterum enim hujuſce linguæ Alphabetum, ut cetera præteream, a dextro in ſiniſtrum latus, more Hebraico: alterum verò juxtà Latinam conſuetudinem a ſiniſtro in dextrum ſcriptum inveni, cujuſmodi eſt quod præ manibus habemus: nam a ſiniſtro in dextrum legitur latus: quod verò a ſiniſtro in dextrum conſcriptum reperitur, prætermittere mihi viſum eſt. Hoc autem modo exaratæ videntur ſeptem vetuſtiſſimæ illæ Tabulæ æneæ, quæ jampridèm Eugubii propè mœnia Civitatis effoſſæ hucuſque ibidèm publicè aſſervantur: ex quarum unâ nuper ex causâ congeſtum eſt Alphabetum, quod etiam typis mandatum quantùm ad quaſdam notas, aliis ejuſdem linguæ Alphabetis abſimile eſſe conſpicitur, fieri enim potuit, ut variis characteribus idem Alphabeti elementum figurarint Hetruſci, ut ex variis ejuſdem linguæ Alphabetis, quæ ad quinque, majori ex parte ſimilia, ego ipſe vidi, conjectare licet: Id quod factum videtur ob aliquam fortaſſe literarum mixtionem habitam cum Volſcis in Latio, & cum Oſcis in Campaniâ Populis, quorum varias literas, variumque dicendi ſtylum fuiſſe multi prodiderunt. De Hetruſcis autem literis nonniſi dicta Alphabeta partìm typis mandata, partim verò conſcripta reperiuntur, quæ a Tarcuntis ſepulchro Volaterris olim invento, & a ſeptem illis Tabulis æneis Eugubii repertis videntur deſumpta. Quarumnam verò Gentium propria fuerint elementa, ſeù literarum notæ, quæ in ipſis Tabulis æneis Eugubii aſſervantur, non ſatis conſtat, etiamſi Hetruſcæ linguæ nomine circumferantur. De his verò Tabulis Eugubii in Theatro repertis ſcripſit verſu elegiaco Jacobus Taurellus Fanenſis, & elegantèr quidem. Hæc de Hetruſcis literis, ut ad Illyricam, Armenam, Servianam, & Gothicam notas accedamus.

Append. de introd. ad varias linguas.

Tabulæ æneæ Eugubii repertæ.

DE SEXTA COLUMNA PARASTATICA,

Gothicæ, Armenæ, Illyricæ, ac Servianæ Linguæ Inventores repræſentante.

De Ulphila Gothicarum literarum Inventore.

PRima hujus paraſtaticæ Columnæ facies Ulphilam Gothorum Epiſcopum, habitu Epiſcopali indutum, Gothicarumque litterarum inventorem repræſentat. Hinc ſuprà ejus caput Gothicum Alphabetum conſpicitur: & ad ejuſdem pedes hæc legitur Inſcriptio.

ULPHILAS EPISCOPUS GOTHORUM LITERAS INVENIT.

Literæ ab Ulphila inventæ.



Ulphi-

Trip. libr. 8. c. 13. Et Socrat. libr. 4. cap. 34. Niceph. libr. 11. c. 48.

ULphilam non solùm Gothicarum literarum fuisse inventorem, sed etiam Scripturam sacram in Gothicam linguam primùm transtulisse multi prodiderunt: Qua profectò re, necnon verbi Dei propagatione, qua Gothos ad Christianam fidem convertit, damnum omni miseratione dignissimum ab ejusdem Regionis populis omni immanitate, ac barbarie refertissimis, vniuersæ Italiæ, & Romæ præsertim illatum rependisset, nisi posteà hæresim Arii, reiectâ catholicâ fide, complexus esset; cujus exemplo eandem hæresim alii sectati sunt: maximâ enim Ulphilas apud Gothos præpollebat auctoritate.

Niceph. Call. lib. 11. c. 48.

Gothi, ut omnes testantur historiæ, Scythiæ populi immanes in tractu Septentrionali Europæ, Danis, & Novergis contermini, olim armis Italiam subegerunt, Romamque ipsam solo æquarunt, suamque in totum Orbem non solùm moribus, verùm etiam linguâ invexerunt barbariem, quam Latinæ præsertim literæ non modicam perpessæ dicuntur. Gothorum enim, quos *Getas* esse multi, & eruditi quidèm Viri volunt, aliqui *Ostrogothæ* tanquàm Orientales illorum vocabulis ita dicti, sicuti *Vvisigothæ*, qui Occidentalium sese Regionibus infuderе, nuncupati sunt. Non est igitur mirum, Latinam linguam ab hujusmodi Gentibus maximam accepisse jacturam. Roma enim capta, in qua floruere Latinæ literæ, Gothicam linguam didicit, ut Sanctus Augustinus testatur inquiens: *Si licet dicere non solùm Barbaris linguâ suâ, sed etiam Romanis* Sihor aarmen, *quod interpretatur*, Domine miserere, *cur non liceret in Conciliis Patrum in ipsâ terrâ Græcorum, undè ubique destinata est fides, linguâ propriâ* Homousion *confiteri, quod est Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una substantia?* Hæc Augustinus. Quibus verbis satis constat, Romanam linguam nonnihil à Gothis accepisse, immò ab iis, necnon à Gallis, Longobardis, & à frequentiâ, sivè concursione in Urbem advenarum, contaminatam, barbarieque conspurcatam, & pene amissam olim fuisse, atquè ita, ut multis jam sæculis non modò latinè nemo ferè locutus fuerit, sed ne Latina quasi quidem legens intellexerit. Quæ autem ætas illa intellexit, perperàm majori ex parte pronunciavit, aut scripsit: pronunciabatur enim B pro V, & contrà V pro B; ut *lavor* pro *labor*; *veneficium* pro *beneficium*; *beritas* pro *veritas*; *benio* pro *venio*, & aliæ id genus sexcentæ voces ita pronunciabantur, ut ex codicibus manuscriptis antiquis videre est: qui quidem pronunciandi, scribendique modus in Hispaniâ, præsertim verò in Provinciâ Castellæ, & alibi apud multos ad hanc usque diem remansit. Hinc de hujusmodi jacturâ Quintilianus ait: *Mutavimus genus, & ultrà nobis, quàm oportebat, indulsimus. Quid multa? totus propè mutatus est sermo.* Hæc Quintilianus. Idem sensit Diomedes Grammaticus dicens: *Injecit posterа ætas manum, & velutì disciplinam pristini sæculi sermonem fastidire cœpit, & nova veluti parturire verba.* Idem Plinius, Tacitus, Macrobius, & Apulejus dixerunt: Hujusmodi autem jacturam ad hæc usque tempora passi sumus: Romanam enim linguam nobis olim non modò Romæ, verum etiam in universâ præsertim Italiâ peculiarem, ac nativam, nunc tanquàm peregrinam, atquè exteram intrà lares nostros excipere solemus: immò, ut ait Paulus Manutius, *elingues penè sumus in Latinâ lingua, quam tùm lacte ipso Romani imbibebant*; pueri enim cum primùm balbutire incipiebant, à Matribus, & Nutricibus nullâ arte Latinam discebant linguam, quâ utebantur, ut ex Cicerone colligitur, dicente: *Frequens consessus Theatri, in quo sunt mulierculæ, & pueri, movetur audiens tam grande carmen.* Et in Oratore: *Equidèm cùm audio Socrum meam Læliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quòd multorum sermonis expertes ea tenent semper, quæ prima didicerunt) sed etiam sic audio, ut I lautum mihi, aut Nævium videar audire.* Et in Bruto: *Erant tamen, quibus videretur illius ætatis tertius Curio, quia splendidioribus fortassè verbis utebatur, & quia Latinè no pessimè loquebatur, usu credo, aliquo domestico: nam literarum nihil sciebat, sed magni interest quos quisque audiat quotidiè domi, quibuscum loquatur à puero: quemàdmodùm Patres, Pædagogi, Matres etiam loquantur. Legimus epistolas Corneliæ Matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos, quàm in sermone Matris.* Ibidèm: *Nullum ille Poetam noverat, nullum legerat Oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat.* Et infra: *Antonius existimabatur benè Latinè loqui, sed literas nesciebat.* Idem in eodem libro de Oratore ait: *Nemo unquàm Oratorem quòd Latinè loqueretur, admiratus est: si alitèr, irrident. Neque eum Oratorem tantummodò, sed hominem non putant.* Idem ibidem: *Illud autem nequis admiretur quonam modo hæc vulgus imperitorum in audiendo noter, cum in omni genere, tùm in hoc ipso magna quædam vis, incredibilisque naturæ. Omnes enim tacito quodam sensu sine ullâ arte, aut ratione, quæ sunt in artibus, & rationibus recta, ac prava dijudicant: ita verò, ut siquid contractione brevius fieret, aut productione longius, Theatra tota reclamant.* Ex hujusmodi ergò tanti viri testimoniis apertè dignoscitur, Latinam linguam peculiarem olim, & nativam omnibus Romæ, & in universâ Italiâ fuisse, viris scilicet, & mulierculis, nobilibus, & ignobilibus, senibus, & pueris, doctis, & indoctis, divitibus, & mendicis: in eâ tamen alter alterum præstabat, sicut in aliis linguis apud omnes Nationes evenire solet. Nunc verò in hac perdiscenda maximos perpetimur labores, melioremque ætatis partem consumimus, vixque eam ipsam in scribendo consequimur, & laboriosè quidèm in eâdem Latina lingua balbutire videmur, dum barbariem, ac stribiliginem, tortuosæ scilicèt orationis pravitatem, ac versuram vitare, puramque dicendi formam sequi studemus, ob insignem injuriam Latinitati illatam ab exteris Nationibus,

Ælius Spartian. S. Hieron. in Genes. Orosius lib. 1. cap. 16. Rhodig. libr. 18. c. 24. to. 2. & alii.

S. Augustin. Epist. 177. Laurentius sub fin. to. 2.

Quintil.

Diomed. Gramm.

Plin. Tacitus, Macrob. Apulejus.

Paul. Manutius lib. Epist. Famil.

Cicer. libr. 1. Tusc. quæstion. Et ex Terent. in prol. Hecyræ. Cic. libr. 3. de Orat.

Cic. in Bruto.

Cic. libr. 3. de Orat.

Cicer. ibidem non procul a fine.

Gell. libr. 5. cap. 20.

nibus, & Gothicâ præſertìm Gente: quæ Gens profectò barbara, & immanis, quanta Latinis literis, univerſæque Italiæ damna intulerit, Romanæ, ut cetera conticeſcam, ruinæ docent. Hæc de Gothicâ linguâ, ut ad Armenicam tranſeamus.

DE S. JOANNE CHRYSOSTOMO LITERARUM ARMENICARUM AUCTORE.

ALtera ejuſdem paraſtaticæ Columnæ facies Sanctum Joannem Chryſoſtomum ob auream ſermonis præſtantiam, Chryſoſtomum, ſcilicèt, hoc eſt, *aureum os*, appellatum, patriâ Antiochenum, & Antiochenæ quondàm Eccleſiæ Presbyterum, Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum, Græcum Doctorem, Græcoque more indutum, Armenicarumque literarum Auctorem repræſentat: ad cujus pedes hæc legitur Inſcriptio.

S. JOAN. CHRYSOST. LITERARUM ARMENICARUM AUCTOR.

Alphabetum, quod in Bibliothecâ extat Vaticanâ, abſquè nominibus, ac pronunciationibus conſcriptum hoc loco non appoſuimus, ſed quod ſequitur, ſtudioſorum commoditati ſtudentes conſcripſimus, ſicut de Hebraico, Græco, Latino, Armenico, Illyrico, ac Serviano eandem ob cauſam factum eſt.

ALPHA-

ALPHABETUM ARMENUM

novem ac triginta literis conſtans.

Figuræ literarum	Nomina literarum	Pronunciatio.
ա	այբ	Aip	a
բ	բէն	Pien, Bien	p, b
գ	գիմ	Chiim, Giem	c, g
դ	դա	Ta, Da	t, d
ե	եչ	Iec	ie, e
զ	զա	Za	z
է	է	Ae	æ, e
ը	ըէդ	Iet	ie
թ	թո	Tho	th
ժ	ժէ	Ge, Ze, Xe	g, z, x
ի	ինի	Inni	i
լ	լիւն	Liun	l
խ	խէ	Hhe	hh
ծ	ծա	Zza, Dha, Tza	dh, tz, zz
կ	կէն	Chien, Gien, Kien, Quien	c, g, k, q
հ	հո	Ho	h
ձ	ձա	Tſa, Sſa, Xa	ſſ, tſ, x
ղ	ղատ	Chat, Glal, Gal	gl, l
ճ	ճէ	Ie, Gie, Hie	i, g, h
մ	մէն	Mien	m
յ	յի	Chi	i
ն	նուն	Nu	n
շ	շա	Sa, Scha	ſ, ſc
ո	ո	Vua	o
չ	չա	Scha, Zia	ſ, z
պ	պէ	Be, Pe	p, b
ջ	ջէ	Sche, Zche	ſc, ch, q, z
ռ	ռա	Rha, Rra	rh, rr
ս	սէ	Se	ſ
վ	վէ	Viech, Vieu, Vieph	u
տ	տուն	Dun, Tuen	t, d
ր	րէ	Re	r
ց	ցո	Zzo	zt, zz
ւ	հիւն	Yun, Phyun	y
փ	փիւր	Piur, Pſiur	p, pſ
ք	քէ	Che	ch
և	և	Ieu	eu
ֆ	ֆէ	Phe	ph
օ	աբիւն	Aipiun	o

VOCALES.

ա. է. է. ը. ի. հ. ո. յ. ո. վ. ւ. և. օ.

DIPHTHONGI.

այ. աւ. իւ. ու. եա. ոյ.

Հայր մեր որ յերկինս.

Ex libr. 10. Trip. hist.

SAnctum Joannem Chrisostomũ Armenicarum literarum inventorem fuisse Latina docet Inscriptio, ratioque ipsa persuadet. Nam sanctus ille diu in Armeniâ relegatus vixit, ubi post multa in vetus ac novum Testamentum conscripta, plurimos suæ vitæ sanctitate, ac linguâ, ad Evangelicam doctrinam traxit, & Scripturam sacram in Armenicam linguam transtulisse dicitur: deindè in pusillum, ac desertum Armeniæ oppidulum nomine *Cucuson*, ac demùm Arabissum deportatus ex hac luce decessit. Armenia autem, ut Scriptores omnes affirmant, est Asiæ regio inter Taurũ, & Caucasum montes à Cappadociâ ad Caspium usquè mare protensa, ab Armenio Thessalo Jasonis comite, ut inquit Strabo, dicta. Hanc Terram Hebraicâ linguâ Ærez Ararat, idest Terram *Araraț* appellat: hujus verò regionis Incolæ nunc Christiani Sancti Thomæ è cincturâ dicti in temporalibus Persarum Regi, qui *Sophì* vulgò nuncupatur, obediunt, & juxtà sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum se degere profitentur. Ejusdem regionis Alphabetum novem ac triginta literarum figuris majusculis, totidemque minusculis constat, quæ cum characteribus, ac pronunciationibus variarum linguarum quandam affinitatem habent. Vulgaris autem lingua est eadem Turcica, & Tartarica, multasque voces Hebraicas habet, ut in Appendice ostendemus: Georgiana verò Tartaricæ, & Armenicæ media est. Notis hujusce Alphabeti constat perbrevis Inscriptio post Abecedarium appositа: quæ in chartula efficta, fatisque oblonga a Sancto Joanne Chrysostomo manu gestatur, & in characteres nostros translata in hanc legitur verborum formam. *Chair mer or hierchins*. Latinè verò hunc in modum: *Pater noster qui es in cœlis*. Quod factum reor, ut innuatur, Sanctum Joannem Chrysostomum hac linguâ Euangelicam doctrinam apud Armenos propagasse. Et quia una eademque litera variis modis, & frequentèr quidem pronunciatur, hinc factum est, ut hujusmodi Alphabetum, quod a sinistro latere ad dextrum legitur, juxtà varias earumdem literarum pronunciationes, ac potestates, majorem characterum numerum admittat, quàm cetera Alphabeta recipiant. Nec silentio prætereundum censetur, trigesimam quartam literam, quæ pro Y ponitur, hoc modo scripta ⊢, *Tun*, vel *Phyun* apud Armenos vocitari: a quibus Fio, vel Fya nostrum ita pronunciatum, originem traxisse opinor, ut ex Theseo Ambrosio videre est: nec ob id ceteras rationes ad hanc rem pertinentes, quas paulò superiùs recensuimus, contemnendas esse dicendum est: sed suo quisque potiatur sensu. Hæc de Armenico Alphabeto, ut ad notas Illyricas accedamus.

Ptolom. Soinus, Dionys., Strabo, Plinius, Stephan. Virgil. Lucanus. Genes. 8. Isa. 37. in fin.

Ex Beroso, & Xenophontis æquivocis.

Ex Theseo Ambrosio in Introduct. variarũ linguarum.

DE SANCTO HIERONYMO

LITERARUM ILLIRYCARUM INVENTORE.

TErtia ejusdem parastaticæ Columnæ facies Sanctum Hieronymum Stridonensem, Virum profectò omnium doctrinarum genere præditum, Hebræam præterea linguam, Syram, Caldaicam, Græcam, & Latinam perfectè callentem, literarumque Illyricarum Inventorem repræsentat. Hinc suprà ejus caput Illyricum extat Alphabetum: ad ejus autem pedes Leo jacere cernitur: atque infrà hæc legitur Inscriptio.

S. HIERONYMUS LITERARUM ILLYRICARUM INVENTOR.

Alphabetum, quod in Bibliothecâ Vaticanâ extat, hìc non apposui: sed studiosorum studens commoditati, quod sequenti paginâ videre licet, variis figuris, variisque nominibus, ac pronunciationibus, sivè potestatibus conscriptum ob oculos ponendum censui, sicut de Hebraico, Græco, Latino, atque Armenico, necnon Serviano ob eandem rationem factum esse constat: Quam profectò industriam hisce in Alphabetis præstare mihi visum est: cum hujusmodi linguas apud multas Nationes in frequentiori, quàm ceteras, usù esse non ignoremus.

ALPHA-

ALPHABETUM ILLYRICUM

Tribus ac triginta literis conſtans.

Figuræ literarum.	Nomina literarum.	Pronunciatio literarum, vel poteſtas.
	Aſ	a vocalis.
	Buk	b
	Viede	v conſonans.
	Glagoglie	gh, vel gl,
	Dobro	d
	Jeſt	e vocalis, ſed quandoque ſonat, je.
	Sgiviete,	non ſg, ſed medium inter ſ, & g: ut apud Venetos, no gheſe, pro eo, quod Latinè dicitur: non adeſt.
	Sielo	ſ3 non z, ſed medium inter ſ, & z.
	Semglie	Hæc litera eandem penè retinet pronunciationem, quam habet ſuperior.
	Iſge	Hæc eſt litera, quæ numerum denarium ſignificat.
	I	i vocalis.
	Ju, & giu	y
	Kako	k
	Liude	l
	Miſlete	m
	Naſc	n
	On	o vocalis.
	Pokoi	p
	Erzi	r
	Slovo	ſ conſonans.
	Tuarde	t
	Uk	u vocalis.
	Hir	h pronunciatur more Hebræorum, ut Abraham.
	Fi	f
	Zi	z
	Ciarv	c eſt litera, quæ pro duplici cc cum i, ponitur, & pronunciatur ut apud Italos faccio, taccio.
	Od	od pro duabus literis.
	Scai	pronunciatur ut, ſc, in latino verbo Scio.
	Sćtai	ſćt pro his tribus literis.
	Jer	deſervit pro fulcimento conſonantium in fine dictionum.
	Jat	ja, & je
	Juſt	ju more Latinorum.
	Jerieſt	hæc litera parum aut nihil deſervit, ſed ponitur pro ſignificatione literarum, quæ inſtàr characterum Hebraicorum ſignificationem habet.

SAnctum Hieronymum Illyricarum literarum inventorem fuisse aperte docet Inscriptio : idque fama ipsa nobis persuadet. Quamvis enim Sanctus Hieronymus Illyricus, sive Dalmata non fuerit, eum tamen hujus linguæ auctorem extitisse, rumor sparsus est. Quòd autem hic Sanctus non fuerit Illyricus, ex eodem constat Hieronymo, qui hunc in modum ait : *Vastatis urbibus, hominibusque interfectis, solitudinem, & raritatem quoquè bestiarum fieri, & volatilium, pisciumque testis Illyricus est, testis Thracia, testis in quo ortus sum, solum : ubi præter cælum, & terram, & crescentes vepres, & condensa silvarum, cuncta perierunt.* Hæc Hieronymus, qui Illyricum à patrio Solo hic separat, & in Catalogo Dalmatiam ab eodem patrio Solo dividens, scribit se Stridone natum, idque oppidum esse in confinio Pannoniæ, Dalmatiæque. Blondus item Forolivienſis affirmat Strignam, quæ olim Stridon [ubi Eusebii Hieronymi patris sepulchrum adhuc extare testatur] intrà Arsiam flumen, Italiæ eâ in orâ, Plinii, ceterorumque veterum testimonio, ex ipsius etiam Augusti descriptione, limitem contineri : propterèaque Istriæ, non Illyrio, aut Dalmatiæ Stridonem adscribi debere ait. Quamvis igitur Hieronymus sit Istrianus, Stridonenſis, videlicèt, non Illyricus, sivè Dalmata, eum tamen vel Illyricæ linguæ, quæ *Sclavona* nunc dicitur, fuisse inventorem, vel eam saltèm [latiùs enim tunc lingua illa patebat] optimè calluisse fatendum est. Habet namque Gens illa Missas, codicem horarium, ceteraſque divinas preces, ut ego ipse vidi Illyricâ conscriptas linguâ ab omnibus Dalmatis intellecta : sedisque Apostolicæ auctoritate [quam à Paulo II. habuerunt] publicè illis ubique utuntur : eas autem à Sancto Hieronymo accepisse illius Regionis incolæ persuasissimi ita sunt, ut captis potius armis omnes disperire malint, quàm eas relinquere. Qua ex re colligi potest, Illyricam linguam, seu Dalmatam, quæ tunc latè patebat, atque Istriam etiam, si non omnem, majori tamen ex parte occupabat, à Sancto Hieronymo, etsi non terrâ, linguâ tamen, Illyrico, sicut vulgata omnium stat sententia, excultam saltem, in melioremque formam redegisse, sivè in scribendo fuisse innovatam : hujusce enim linguæ Stridonem Dalmatiæ finitimam expertem fuisse, verò simile haudquaquàm videtur esse.

Hieron. in c. 1. Soph. to. 5.

Hieronym. in Cat. Scrip. Eccles. in fine tom. 1.

Utcumque autem sit quod à nobis hucusque dictum est, hoc unum pro certo affirmare possum, Hieronymum multis in locis homines linguæ suæ *Latinos* vocare, ut Marianus Victorius Reatinus, olim Episcopus Amerinus interpretatur, dum idem Hieronymus Hebræorum, Græcorumque eruditionem in scripturarum sanctarum explanatione hominibus linguæ suæ se tradere scribit, commentarios super Prophetas omnibus notissimos eo nomine intelligens, ut idem Victorius affirmat : nisi Hieronymum Illyricâ linguâ Scripturam sacram iis populis coram explanasse dicamus, vel Scripturam sacram in Illyricam linguam transtulisse, ut nonnullis placet. Sed ut res sese habeat, hanc linguam à Hieronymo in usum saltèm revocatam, in melioremque cultum fuisse restitutam, & ab Illyrico Polyphemi (ut Appianus scribit) sivè, ut alii volunt, Cadmi filio, vel Cadmonis, ut ait Suidas, inventam olim fuisse opinandum est, cum ab eo ipso Illyrio Regio illa Europæ, & Adriatico Mari incumbens Appiano, Eustathio, & Suida testibus, *Illyris*, sivè *Illyrium* solet nuncupari : quam hodie Italicè *Sclavoniam* vocant. Alphabetum autem à Sancto Hieronymo inventum, vel saltèm instauratum, quamvis ab omnibus aliis linguis, quod ad figuras pertinet, valdè dissimile sit, habet tamen easdem literarum pronunciationes ac potestates, quibus lingua Serviana, sicut infrà patebit, uti solet. Hæc tamen lingua à Dalmatis nec adhibetur, nec intelligitur : illâ verò, quæ Buchuizza, idest literaria dicitur, Dalmatia, atque Istria, Stiria, & Carinthia, necnon Gentes aliæ his finitimæ utuntur : Croaticaque appellatur à Croatia, inter Dalmatiam, & Istriam sita.

Hieronym. in procem. lib. 3. in Hier. tom. 4. Et in 6. & 7. Zachar. to. 5. Marian. Vict. in Indice in Hieron.

Hæc de Illyricis literis, sivè Hieronymi, ut ajunt, linguâ. Quid autem per Leonem ad ejus pedes jacentem significetur, declaratum est, cùm de Bibliotheca Cæsarienſi locuti sumus. Cur verò idem Sanctus pileo rubro pingi soleat, silentio haùdquaquàm prætereundum videtur. Quamvis enim Galero rubro usque ad Innocentii IV. tempus Cardinales usi non fuerint [eum namque ab eodem Pontifice in Concilio primo Lugdunensi acceperunt, ut suo loco fusiùs dicemus] is tamen rubeo colore pingi solet, ut Hieronymum Cardinalitiâ dignitate decoratum fuisse, indicetur. Cardinalatus enim nomen, ac dignitas, sivè officium non solùm Gregorii magni tempestate in usu fuerunt, ut in eius Epistolis videre est, vèrùm etiam Damasi Papæ temporibus, Volaterrano teste, qui ait : Invenio in antiquis Tabulis apud Ecclesiam Aretinam Donationis cujusdam Zenobii Senatoris Romani eidem Ecclesiæ usque à tempore Damasi Pontificis factæ, ubi est hujusmodi subscriptio :

Pileus rubeus in Concil. Lugdun. 1. datus.

Epist. Gregor. lib. 1. epist. 79. & 81. libr. 2. epist. 25. Et can. 7. q. 1. Pastoralis. Volaterr. lib. 22. Arthropologiæ.

Ego Jo: S. R. E. Diaconus Cardinalis ex parte Damasi Pont. laudo, & confirmo.

Itaquè non video, ait Volaterranus, *cur Sanctus Hieronymus Damaso charus, non fuerit S. R. E. Presbyter Cardinalis*. Hæc Volaterranus. Quamvis enim sub Benedicto octavo, sub Innocentio quarto, & sub Paulo secundo Cardinalitia insignia fuerint amplificata, ceteriſque temporibus dignitatem ipsam auctam constet, non tamen Cardinalatus nomen anteà non fuisse censendum est : aliud namque est insignia recentiora esse amplificata : aliud verò Cardinalium nomen veteribus fuisse incognitum.

Nec tamèn silentio prætereundum est, Cardinales in primitivâ Ecclesiâ Presbyteros fuisse nuncupatos, quibus Evaristus Pontifex primus omnium Titulos divisit, quos

Ex Bibliorh. Damaso, & Platina.

Mar-

Marcellus non multo post limitavit pro Gentibus ad Christi fidem venientibus, atque infantibus baptizandis, mortuisque sepeliendis: nam ducentos & triginta sex Sacerdotes Cardinales Romæ quandoquè fuisse multi Scriptores produnt. Primitùs autem Presbyteri, quandòque verò in quàcumque Ecclesiâ principales Sacerdotes, seu Episcopi Cardinales dicti sunt, ut ex Gregorio Magno videre est. Quod autem principio prorsùs oneri fuit, summo tandèm, nec immeritò quidèm, & oneri, & honori esse cœpit, quando, scilicèt, in administrandâ Republicâ Christianâ Pontifici semper præsto adesse cœperunt, ita verò ut inter contentiones Imperatorum, ac Populi Romani de Pontifice creando, non semel subortas, auctoritatem, & prærogativam Summi Pontificis eligendi sibi jure compararint. In primitivâ igitur Ecclesiâ Cardinales nomine Presbyterorum nuncupabantur, ut etiam ex ejusdem Hieronymi, qui ad hanc usquè diem Presbyter vocitatur, verbis colligi potest. Hieronymus enim in explicatione libri Isaiæ hunc in modum ait: *Senatus quoquè consulta dicuntur, & principes quondàm Romani Consules appellati sunt*, vel à consulendo civibus, vel ab agendo cuncta consilio. *Et nos*, inquit, *habemus in Ecclesiâ Senatum nostrum, cœtum Presbyterorum*. Hæc Hieronymus, qui per Senatum Presbyterorum, Collegium Cardinalium, teste Archidiacono, insinuavit, ac seipsum tamquàm Senatorum, sive Cardinalium collegam subobscurè nominavit. Idem visum est innuere cum ad Ageruchiam scripsit dicens, se in chartis Ecclesiasticis Damasum Papam juvasse, synodicisque consultationibus Orientis, & Occidentis respondisse. Si enim Hieronymus à secretis Damasi Papæ solùm fuisset, non se juvasse eum, sed ei se inserviisse in chartis scribendis dixisset: nec synodicis consultationibus se respondisse addidisset, sed mitiùs loquens, responsa transmisisse scribendo dixisset: respondere enim auctoritatem quandam, ad secretarium non pertinentem, præsefert.

Guido Arch. Franciscus Zabarella Card. & alii. Gregor. lib.1. Epist.79.& 81 Et lib.2.epist. 25. Et Can.7. q.1. Passim.

S.Hieron. in cap.3. Isa. sub init.tom.4.

Hier.epist.11. cir.med.tom.1.

Extat ad hoc idem probandum satis evidens conjectura, quæ colligi potest ex verbis ejusdem Hieronymi dicentis se omnium penè sententiâ summo Sacerdotio dignum fuisse judicatum. Quibus ex verbis conjectare licèt, tàm clerum, quàm plebem Romanam propensissimam in Hieronymum fuisse, ita verò, ut mortuo Damaso, Hieronymum subrogassent. Hinc Hieronymum Presbyterum, idest Cardinalem fuisse censendum est, cum Summos Pontifices, Marcellum, scilicèt, Melchiadem, Silvestrum ex Presbyteris Cardinalibus, Marcum, Julium, Liberium, & Damasum, ejusque Successores, vel ex Presbyteris, vel ex Diaconibus Cardinalibus in Summum Pontificatum fuisse assumptos constet. De Hieronymi Cardinalitio, Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus mentionem facit ad Augustinum scribens. Idem Eusebius Cremonensis Sancti Hieronymi discipulus ad Theodonium scribens Romanum. Idem Sanctus Petronius Episcopus Bononiensis in tractatu Apophtegmatum selectorum Sanctorum Patrum scribit. Idem S. Augustinus in sermone ad fratres in Eremo. Quamvis autem sermones omnes ad fratres in Eremo Augustini esse non judicentur, ut fusissimè quidèm à nobis demonstratum est in nostrâ Bibliothecâ, sivè in Indice Theologico, & scripturali, hujusmodi tamen sermo non nisi magnam auctoritatem habere potest, cum ex vetustissimis manuscriptis exemplaribus patet Sancti Augustini operibus ii omnes interserantur, tantique Doctoris, ac doctrinâ, & pietate digni sint judicati.

Anno Domini 400.

Anno Domini 440.

Aug.serm.25. tom.10.

Ut autem hujus generis quæstionem concludam, aliam ad nostram opinionem comprobandam in medium afferam conjecturam, quæ ex ejusdem Augustini sententiâ colligitur. Augustinus enim ad Hieronymum scribens Petrum verè errasse, & à Paulo jure reprehensum hunc in modum ait: *Quamquàm secundùm honorum vocabula, quæ jàm Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major sit: tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est, licèt etiam à minore quolibet non sit refugienda, vel dedignanda correctio*. Ubi glossa, Hieronymum fuisse Cardinalem, verbis illis affirmat: cui consentit Cardinalis de Turre Cremata, idem caput exponens hoc modo: *Quamquam Episcopatus sit presbyterio major, scilicèt ordine, Augustinus tamen Hieronymo minor est, administratione, scilicèt, ac dignitate: quoniam Hieronymus Presbyter Cardinalis fuit, & omnis Presbyter Cardinalis major est quolibet Episcopo non Cardinali, ut quidam dicunt, & refert Hugo in Glossa*. Hæc Joannes de Turre Cremata Episcopus Cardinalis: In cujus doctrinæ confirmationem dicam ego quod de Augustini verbis sentio.

Aug. epist.19. tom.2.

Decr. part.2. causa 2. qu.7. cap.34. Turr. Cremat.lib.7. Summ. Eccl. cap.83.

Augustinus enim, ni fallor, ut in eâ ad Hieronymum epistolâ Petrum jure à Paulo fuisse reprehensum ostendat, comparatione inter se, & Hieronymum uti videtur, quasi dicere voluisset: Sicut Augustinus est Hieronymo major, & minor, ita Petrus est Paulo major, & minor, & æqualis, ut placet Augustino Triumpho dicenti: *Paulus fuit minor Petro potestate prælationis, quia solus Petrus fuit Cephas, idest caput totius Ecclesiæ. Major autem prærogativa electionis, quia electus fuit a Christo post Resurrectionem, & glorificationem. Undè in Bulla Papæ Paulus ponitur a dextris, Petrus verò a sinistris. Æqualis fuit officio prædicationis, & fidei defensionis, quia creditum est ei Evangelium præputij, Petro verò Evangelium Circumcisionis, sicut ipse testatur ad Galatas scribens: Undè in tali casu justè poterat Petrum reprehendere, sicut æqualem sibi, vel minorem*. Hæc Triumphus. Hac igitur comparatione dicendum est, Augustinum majorem Hieronymo fuisse, ratione, scilicèt, ordinis Episcopalis, Hieronymum verò majorem Augustino ratione administrationis, & assistentiæ, cùm Cardinales Papæ assistant, sicut Apostoli Christo. Si autem Hieronymus Cardinalis non fuisset, non video, quo

Quæst. 7. art. 2. de potestat. Eccl. ad 1. arg. Idem fere ait S. Bon. in Ps. 67. post med. tom.1.

Gal.2.

modo Hieronymus Auguſtino major eſſe potuerit, niſi id ad ſenectam præſertim ætatem vel ad alia, quæ Cardinalitiâ dignitate majora eſſe non poſſunt, referatur, vel ad vitæ ſanctitatem, quæ hominem majorem facit quàm nomen Epiſcopi: illudque humilitatis causâ a Sancto Auguſtino dictum fuiſſe fatendum eſt. Adde etiam quòd Sancti Auguſtini tempore Epiſcopatus Cardinalitiâ dignitate major omninò fuit, ut Onuphrius Panuinius teſtatur: Cardinalis enim Presbyter, ut Onuphrius docet, *medius erat locus inter Epiſcopum, & cæteros Presbyteros non Cardinales. Sed ſub Alexandro III. ſub quo Romana Eccleſia ad maximum in terris faſtigium evecta fuit, Imperatore potentiſſimo Friderico Ahenobardo, eoque Eccleſiæ infeſtiſſimo hoſte, conculcato, victo, pacemque ab Eccleſiâ petere coacto, tùm primum ex Epiſcopis versâ vice Cardinales fieri cœpti. Cardinalium enim dignitas cum Eccleſiæ, & Romani Pontificis dignitate ſemper crevit.* Hæc Onuphrius. Quamvis igitur Epiſcopatus Cardinalitiâ dignitate major olim fuiſſet, ob id tamen dicendum non eſt, tunc temporis Cardinalatum non extitiſſe, aut Hieronymum Cardinalitiâ dignitate decoratum non fuiſſe: conſtat enim, ut ipſemet Hieronymus teſtatur, eum a Paulino Epiſcopo Antiocheno, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyterum anno ſuæ ætatis trigeſimo creatum fuiſſe, ut etiam idem ferè dicit Epiphanius.

Onuphrius Panvin. de Epiſc. Tit. & Diaconiis Card.

Anno Domini 1076.

Hic Pont. Senatus Veneti opera contra vim Imp. eſt in ſede repoſitus.

Hier. Epiſt. 61 ad Pam. to. 2.

Epiph. Ep. 60.

Nec deſunt intereà qui ipſum Hieronymum Presbyterum deindè Eccleſiæ Romanæ factum fuiſſe affirment, e quorum numero eſt Ado ſanctiſſimus, idemque doctiſſimus, Treverienſis Archiepiſcopus, qui hac de re luculentiſſimum præbet teſtimonium. Idem narrat Aloyſius Lippomanus, & alii permulti. Presbyterum autem Romanum creatum non niſi Cardinalem cenſendum eſſe, multi, & eruditi quidèm viri affirmant, dicentes, non eò Hieronymum Presbyterum Eccleſiæ Romanæ cenſeri, quòd juxtà ejus ritum Presbyter fuerit creatus, cum propter hanc rationem omnes Presbyteri nuncupationem hujuſmodi accepturi eſſent: nec etiam quòd Romæ ordinatus, cùm fieri nequeat, ut unus, & idem Romæ, & Anthiochiæ Presbyter jure ordinetur. Sed ideò Eccleſiæ Romanæ Presbyter creatus nuncupatur, ideſt novo titulo inſignitus, ita verò, ut Presbyter primarius diceretur. Primarii autem Presbyteri, non niſi Cardinales intelligi debent, ut ex Decreto colligitur, ubi Clerici S. R. E. in ſingularis potentiæ, & præexcellentiæ culmine conſtituti, inſtàr ampliſſimi Senatus Romani, a Conſtantino reverendiſſimi appellantur. Id quod adſimile eſt ejuſdem Hieronymi ſententiæ dicentis: *Eccleſia habet Senatum, cœtum Presbyterorum, ſine quorum conſilio, nihil monachis agere licet: Senatum quoque Romani habet, cujus conſilio cuncta agebant, & nos habemus Senatum noſtrum cœtum Presbyterorum.* Quem planè Presbyterorum cœtum, ac Senatum Archidiaconus, ut diximus, pro Cardinalium Collegio exponit. Quare Sanctum Hieronymum Cardinalem fuiſſe, ob idque pileo rubro depingi ſolere concludendum eſt, etiamſi ad eam uſquè diem Cardinales hujuſmodi galero atque purpurâ donati non fuiſſent. Qui multa ad hanc rem pertinentia videre cupit ad Fratris Alphonſi Ciacon Hyſpani, viri quidèm eruditiſſimi, Tractatum confugiat, ubi plurima teſtimonia, & rationes non paucas de ejuſdem Sancti Cardinalitio recenſet. Hæc de Sancti Hieronymi Cardinalitiâ dignitate, atque Alphabeto, quod ipſe invenit, ut ad Cyrillum Servianæ linguæ Auctorem accedamus.

Ado de vitis ſanctorum. Anno ſalutis 500. tempore Greg. VII. Aloyſ. tom. 4.

Diſtin. 96. capit. Conſtantinus.

S. Hieron. in cap. 3. Iſa. ſub init. tom. 4.

DE SANCTO CYRILLO

ALIARUM ILLYRICARUM LITERARUM INVENTORE.

QUarta ejuſdem paraſtaticæ Columnæ facies Cyrillum Epiſcopum habitu Epiſcopali indutum, Illyricarumque literarum cultorem præcipuum, ſivè Inventorem repræſentat. Hic primus a Sede Apoſtolicâ impetravit, ut in Dalmatiâ illius Provinciæ idiomate divinum officium recitare liceret. Sunt tamen qui a Methodio id impetratum dicant. Uterque autem Evangelium Dalmatis prædicavit. Cyrillus item Clementis Papæ corpus Romam aſportandum curavit: hinc ad ejus pedes anchora jacere cernitur, ut hujuſmodi translatio maritimo itinere facta innuatur. Alphabetum autem Servianum ſuprà ejus caput conſpicitur, infrà verò hæc legitur Inſcriptio:

S. CYRILLUS ALIARUM ILLYRICARUM LITERARUM AUCTOR.

ALPHABE-

ALPHABETUM SERVIANUM

Tribus & quadraginta literis conſtans.

Figuræ literarum	Nomina literarum	Pronunciatio, vel poteſtas.
Я а	азъ	Aſ	a
Б б	бѹки	Buki	b
в є в	вѣдє	Viede	v conſonans
Г г	глаголє	Glagoglie	gh
д д д	добро	Dobro	d
Є є	єсть	Ieſt	e ie
Ж ж	живєтє	Xiviete	gg
Ѕ ѕ	ѕѣло	Selo	z'
З з	землє	Semglie	ſ
І і	иже	Ixe	i vocalis
Н н	и	I	j conſonans
К к	како	Kako	k q
Л л	людє	Liude	l
М м	мислѣтє	Miſlete	m
Н н	нашн	Naſci	n
О о	он	On	o
П п	покон	Pokoi	p
Р р р	рцн	'rzi	r
С с	слово	Slovo	ſ
Т т	тврдє	Tvrde	t
оу″ ѹ ѹ	ѹ″къ	Uk	u vocalis
Ф ф	фєрѣта	Ferta	f
ѳ ѳ	ѳита	Thita	th
Х х	хєръ	Her	hh
Ꙁ	єръ	Ier	e ie
ы	єры	Ieri	i
Ѿ ѿ	ѿть	Ot	od ot
ѿ	ѡдь	Od	od
Ѡ ѡ	ѡ″	O	o vocalis
Ц ц	цн	Zi	zz
Ꚗ ч ꚗ	чєрьвь	Cierv	cc ci
Ш ш	шан	Sciai	ſc
Щ щ	щан	Sćtai	ſct
ѣ ѣ	ѣть	Iat	ia
		Ea	æ
		E	e anguſta
и	ико	Iako	ia
Ѥ ѥ	іє	Ie	ie
Ю ю	іо	Iu	iu
Ѱ ѱ	пси	Pſi	ps
Ѯ	кси	Kſi	ks
		Giu	giu
	ха	Cchia	cch

Sanctus

SAnctus Cyrillus, quem Serviani Alphabeti Inventorem fuisse docet Inscriptio, Illyricus sivè Sclavorum fuit Episcopus, & S. Clementis, qui tertius post Beatum Petrum Apostolum Pontificatum tenuit, corpus Romam deferendum, & in Basilicâ ejusdem Clementis nomine insignitâ recondendum curavit, ut anchora etiam illa fortasse innuit: Clemens enim, alligatâ ad ejus collum anchorâ, in mare præcipitatus martyrio fuit decoratus. Eâdem in Ecclesiâ Sancti Clementis Cyrillus, & Methodius Sclavorum Episcopi miraculis clari sepulti sunt: quorum Sacras Reliquias sub altari in ejusdem Ecclesię Sacello pervetusto repertas fuisse constat: nunc verò Sixtus V. Pont. Maximus ejusdem Sancti Cyrilli corpus in Ecclesiam Sancti Hieronymi Illyricorum ab eodem Pontifice constructam transferendum mandavit.

Alphabetum hoc loco conscriptum, ut ad rem nostram revertamur, non est illud, quod in Bibliothecâ extat Vaticanâ, sed eo copiosius. Hoc autem nominibus item, ac pronunciationibus, quæ in omnibus Alphabetis inibì scriptis desiderantur, Servianumque non Illyricum nuncupatum, hìc ob oculos ponendum censui, cum hæ literæ Servianæ non Illyricæ dicantur, nec ab Illyricis, seu Dalmatis dignosci queant, nisi laboriosè perdiscantur, sicut in qualibet Natione exterarum linguarum characteres percipi solent. Hæ literæ, instàr Hebraicarum literarum mysteriis plenæ, à Serviâ, & Bulgariâ, Vallachiâ, Moldaviâ Daciæ partibus, necnon à Bosinâ, Russiâ, & Moscoviâ, atquè ab aliis Gentibus ad Orientalem plagam pertinentibus adhibentur, majorique ex parte à Græco fonte desumptæ sunt, Græcosque accentus recipiunt, characteribus majusculis, qui eos non admittunt, exceptis more Græcorum. Hujus generis lingua, quæ omnium linguarum censetur ditissima, & non nisi regulis permultis ad unguèm acquiri potest, *Chiurilizza*, hoc est, *Cyrilliana* à Cyrillo Inventore, quem *Chiuril* appellant, nuncupatur. Bosina verò inter ceteras Gentes Servianam linguam adhibentes, puriori, & elegantiori loquendi formâ uti solet, ad quam elegantiam, & loquendi venustatem Servia non parum accedit, sicut a Marino Temperizza Epidaurio è Societate Jesu hanc linguam optimè callente accepi. Hujus generis est Epitaphium illud, quod in templo Sanctæ Mariæ de Aracæli lapidè incisum extat ad pavimentum Altaris majoris in monimentum Catarinæ Bosnensis Reginæ, quæ ìnibi humata jacet. Epitaphium verò in hanc legitur verborum formam.

Катарины Краглицы Босанзкои
Стипана, Херцега Светога
Саве, Спорода Елине и Кућће
Цара Стипана рођени Тоиаша
Краля Босанскога жени
Кои. живи година N. H. A.
И Прииимнз и рииии налита гна
Ѳ. д. О. И. Анто Na. К. Нѳ.
Дни Октобра, Споиинак
Не пибсиоиіз поставлѳнз

Italicis conscriptum literis legitur hunc in modum.

KATARINI KRAGLIZI BOSANSKOI,
STIPANA KERZEGA SVETOGA
SAVE, SPORODA JELINE I KUCCHIE
ZARA STIPANA ROJENI. THOMASCIA
KRAGLIA BOSANSKOGA XENI.
KOLIKO XIVI GODINI. LIIII.
I, PRIMINU, U RIMI NALITA GOSPODINA
M.CCCCLXXVIIJ. NA XXV.
DNI OCTOBRA, SPOMINAK
GNE, PISMOM POSTAUGLIEN.

Idem verò Latinè redditur hisce verbis:

CATARINÆ REGINÆ BOSNENSI,
STEPHANI DUCIS SANCTÆ
SABÆ, EX GENERE HELENÆ, ET DOMO
PRINCIPIS STEPHANI NATÆ, THOMÆ
REGIS BOSNÆ UXORI.
QUANTUM VIXERIT ANNORUM LIIII.
ET OBIIT ROMÆ, ANNO DOMINI
M. CCCC. LXXVIII. XXV.
DIE OCTOBRIS. MONUMENTUM
IPSIUS SCRIPTIS POSITUM.

Hæc de variarum literarum inventoribus: nunc verò reliquum est, ut ad ea, quæ e regione hujus postremæ columnæ parastaticæ ad parietem depicta cernuntur, transeamus.

DE SEMICOLUMNA LATERITIA

E REGIONE POSTREMÆ COLUMNÆ PARASTATICÆ

Parieti annexa, in qua Christus Salvator noster, & Silvester Papa, Constantinusque Magnus Imperator depicti conspiciuntur.

SALVATOR noster, Christus Jesus, Deus, & homo, ad cujus dextram Silvester ejusdem Vicarius, & Petri successor, ad lævam verò Constantinus Imperator depicti cernuntur, è regione postremæ Columnæ parastaticæ repræsentatur divinam quandam præseferens Majestatem, ut per pictoriam artem effingi potuit, dextrâ manu Mundum, levâ autem Librum, in quo duarum literarum A, sci-

li-

licet, & Ω Hieroglyphicum ſcriptum conſpicitur. Sed ſupra ejus caput hæc legitur Inſcriptio.

Jesus Christus, summus Magister, cœlestis doctrinæ Auctor.

Hoc loco non immeritò Salvator noſter duabus quidèm rationibus depictus cernitur, ſicut enim literarum inventarum ordo in primo Adam divinitùs edocto incœpit, ita, & in ſecundo Adam, Chriſto, ſummo ſanè Magiſtro, cæleſtiſque doctrinæ Auctore, eundem variarum linguarum, per quas omnium ſcientiarum genera explicata ſunt, ordinem ac periodum, ſive ambitum concludi neceſſe erat. Sicùt etiam primus Adam de terrâ terrenus, qui peccato inobedientiæ Mundum corrupit, atquè damnavit, mortemque univerſo generi humano comparavit, in hujuſmodi variarum literarum inventione primum ſibi locum ſortitus eſt, ita jure quidèm factum eſt, ut ſecundus Adam de cælo cæleſtis, qui ad mortem uſquè factus obediens ſuo pretioſo ſanguine Mundum ipſum inſtauravit, ac redemit, dum mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit; eidem primo Adamo ærumnis, ac laboribus pleno gratiarum, ſummique boni theſaurus ex adverſo reſponderet. Quoniàm verò literarum figuræ pro quibuſdam Hieroglyphicis deſignandis uſurpatæ ſunt, ut, ſcilicèt, literam Y, hunana vita, per ⊖, mors, per T, Crux Dominica, repræſentaretur, ſicùt de his atquè aliis literis ſatis diffusè ſuis locis demonſtratum eſt; hinc eo in Codice, quem Chriſtus geſtare cernitur, harum literarum A, & Ω, Alpha, videlicet, & Omega, quarum una eſt Alphabeti Græci prima, altera verò poſtroma, Hieroglyphicum ſcriptum fuit, propterèaquòd duas haſce literas Redemptor noſter ſibi vendicavit dicens: *Ego ſum Alpha, & Omega, principium, & finis*: concurrentibus enim literis in ſe invicem A, ad Ω, uſquè devolvitur: & rurſùs Ω ad A replicatur: ut oſtenderet in ſe eſſe, & initii decurſum finem, & finis recurſum ad initium, utque omnis diſpoſitio in Ω deſinens, per quem cœpta ſunt, per Verbum, ſcilicet, Dei, quia caro factum eſt, proindè deſinat quemadmodùm, & cœpit, & a Deo in Chriſto omnia ad initium revocarentur. Ideò inquit: Ego ſum A, & Ω, *principium, & finis*: *qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Dicitur enim Deus, primum univerſarum rerum principium, & finis, ad quem cuncta ordine ſuo diriguntur: *Omnia enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, ut ait ſapiens. Dicitur itèm Deus qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, ad ejuſdem æternitatem indicandam. Æternitas enim, teſte Boetio, eſt interminabilis vitæ tota ſimùl, & perfecta poſſeſſio. Sed quia id a nobis intelligi non ſatis poteſt, hinc per temporis differentias præſentis, ſcilicèt, præteriti, ac futuri nobis exprimitur. Ad hoc idem indicandum dictum eſt per Iſaiam prophetam: *Ego primus, & noviſſimus*. Itèm Beatus Joannes in ſuâ Apocalypſi. Ego ſum A, & Ω, *primus, & noviſſimus, principium, & finis*: quamvis enim in illâ ſacratiſſimâ Trinitate, nihil majus, aùt minus, nihil prius, aùt poſterius, niſi prioritas originis, non autem temporis, aùt dignitatis exiſtat, hæc tamen de eâ affirmantur ad trium perſonarum æternitatem declarandam. Hæc de Jeſu Chriſto Salvatore noſtro ad parietem depicto.

Ad ejuſdem parietis dextram ſanctus Silveſter Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſor paſtoralibus indumentis, atquè inſignibus ornatus, venerandoque aſpectu ſenex conſpicitur: ad cujus pedes hæc legitur Inſcriptio.

Sanctus Silvester, Christi Domini Vicarius.

Ad lævam Conſtantinus Magnus habitu imperatorio, ſivè paludammento indutus, ſatiſque bellè effigiatus cernitur: ad cujus pedes Inſcriptio in hanc verborum legitur formam.

Constantinus Imperator, Ecclesiæ Defensor.

Duo hic inſignes Viri Silveſter, ſcilicèt, Chriſti Vicarius, & Conſtantinus Imperator, Eccleſiæ defenſor, repræſentantur, ut Latinæ docent inſcriptiones. Id autem non abſque conſilio factum eſſe credendum eſt (alios enim Chriſti Vicarios, & Eccleſiæ defenſores fuiſſe conſtat) ſi de Silveſtro Papâ, & Conſtantino Imperatore hiſtoria perpendatur, atque Eccleſiæ Catholicæ Romanæ amplificationis initium in memoriam revocetur. Conſtantinus namque Imperator cum lepræ curandæ causâ medicorum conſilio balneum ſibi ex infantium ſanguine parandum mandaſſet, Sancti Apoſtoli, Petrus, & Paulus noctu ei vigilanti apparuerunt præcipientes, ut ſi ex leprâ liberari vellet, omiſsâ impii balnei immanitate, Silveſtrum in Soracte monte latitantem accerſeret: a quo ſalutari lavacro recreatus, in omni ditione Romani Imperii Templa Chriſtiano more ædificanda imperaret: ſublatiſque inanium Deorum ſimulachris, vero Deo cultum adhiberet. Quarè Conſtantinus cæleſtibus monitis obtemperans Silveſtrum diligentiſſimè conquiſitum accerſit: à quo Apoſtolorum imagines recognoſcens, baptiſmo ſanatur, & ad tuendam, propagandamque Chriſti Eccleſiam inflammatur: Silveſtroque auctore multas Baſilicas ædificandas curavit, eaſque magnificentiſſimis donis exornavit: Araſq; publicè, & ubique conſtruendas conceſſit: id quod ad eam uſque diem fieri non licuit: Pontificibus enim tunc temporis locus certus, ac definitus non erat, ſed in cryptis, ſivè in cœmeteriis, aut in ædibus piorum conſecrare ſolebant ſuper ligneo Altari, quod in Lateranenſi Baſilicâ a Conſtantino Magno prima publicè conſtructa conſervatur, & non niſi a ſummo Pontifice, & a Cardinalibus per pontificiam diſpen-

Phlip. 2.

Apo. 1. 11. & 22.

Ex Iſidoro lib. 1. Etymol. cap. 4. Et Pier. libr. 47. circa fin.

Ex Tertull. lib. de Mon.

Prov. 16.

Boet. libr. 5. Proſa 6. de conſ. phil.

Iſa. 44.

Apoc. ult.

Hiſt. ex Bre. Rom. Nicephor. li. 7. de Hiſtor. Eccleſ. cap. 33. S. Anton. p. 2. Tit. 9 cap. 1. §. 2. S. Vincen. ſpecl. hiſt. lib. 13. ca. 47. Et Hugo Floria. & Metaphr., & alii permulti.

dispensationem adhibetur, ut fusiùs in Emblemate II. dictum est.

Silvestri igitur tempore, Constantino Imperatore per lavacrum baptismi a lepra mundato ejusdem Silvestri manu, donationeque Ecclesiæ Catholicæ Romanæ ab eodem Imperatore factâ, suas Ecclesia recepit vires, ampli ficarique tunc primùm cœpit; Conversio autem Constantini ab illâ igneæ Crucis visione sumpsit exordium: hinc eo in loco, qui nunc vulgò dicitur *Pons mollis*, olim *Milvius* vocitatus, non procul ab Urbe Româ, & a Portâ Flaminiâ, quę præsens in tempus *Sanctæ Mariæ de Populo* nuncupatur, Constantinus contrà Maxentium certans ex eo victoriam reportavit, sanctissimo Crucis signo sibi jam ostenso Græcis hisce literis: EN TOTTΩI NIKA, idest, IN HOC VINCE, quod profectò signum primus ipse in vexillum transformavit, & nummos eo obsignari jussit, quod deinceps a Christianis fuit passim observatum.

Euseb. lib.1. de vita Const. cap.22. 23.24. 25. Et Nicepho. lib.7. cap.29. Euseb. ubi supra cap.32. Et lib.9. de hist. Eccl. c.8, & Prudentius Poeta. Et Nicepho. lib.7. cap.19, & 37. Euseb. lib.1. de vita Const. cap.33. Et lib.9. Eccl. Hist. cap.8. Niceph. lib.7. Hist. Eccles. cap.8.

Hoc item Sanctissimæ Crucis vexillum Constantinus mirificâ contra Maxentium potitus victoriâ in Urbe Romanâ, sublimique loco statui jussit, Suam enim statuam ex ære fabrefactam, dextrâ manu ex eadem materiâ signum Crucis elaboratum tenentem, ac Romæ in loco percelebri firmis innixam fundamentis collocari præcepit, hac Latinâ Inscriptione insignitam,

HOC SALUTARI SIGNO, VERO FORTITUDINIS INDICIO, CIVITATEM NOSTRAM TYRANNIDIS JUGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINÆ AMPLITUDINI ET SPLENDORI RESTITUI.

Miraculum autem illud de signo Crucis cum Inscriptione Græcâ, necnon Constantini conflictatio ipsa cum Maxentio, atquè Baptismus, in Palatio Vaticano Summi Pontificis, Romæ in aulâ, quæ dicitur *Constantini*, bellissimè per pictoriam artem repræsentantur.

Zozom. lib.1. capit.3. Hist. Trip. lib.1.c.9 Amb. tom.5. epist.17. Euseb. lib.1. cap. 23. 24. & 25.

De hujusmodi vexillo Augustali, quod Sanctus Ambrosius ad Theodosium Augustum Imperatorem scribens, Labarum Christi sacratum Nomine signum appellat, Petrus Nannius suâ in hunc Ambrosii locum Notatione sermonem habet, sed fusiùs quidèm Eusebius de Constantini vitâ ait, circà horas meridiei, jam luce vergente, vidisse se suis oculis in ipso cælo, Soli imminens Crucis trophæum, quod nonnisi luce constabat, additumque titulum his verbis: HOC VINCE. Deindè cum hoc ipsum in somnis apparuisset, tali specie effigurari mandavit. Erat autem hujusmodi specie consiguratum: Hastile in sublime erectum, auroque vestitum, antennam sive cerucbos habebat transversos instàr Crucis. In summo fastigio corona ex lapidibus pretiosis, & auro conserta collocabatur, in qua erat salutaris vocabuli insigne, ita ut litera P decussatim in medio poneretur his literis:

X I Σ
P
T O Σ

Decussare est aliquid ad decussis figuram ita redigere, ut inter se literæ, Græcæ χ, aut Latinæ X, speciem præbeant. Ea enim figura apud Latinos vocatur *Decussis*, quia ut nos hodie, ita veteres hac figurâ numerum denarium significabant. Quod si literam X per medium seces, relinquetur V, quæ figura denarii dimidium, hoc est, quinarium numerum commonstrat. Undè eam Latini *quincuncem* vocaverunt. Hoc igitur modo hæ literæ decussatim sumuntur, quibus CHRISTOS resultat, quia decussatim, aut transversa leguntur. Græcas autem literas decussatim positas in cono galeæ sequentibus deindè temporibus gestare solebat Imperator. Ab antennâ autem illâ, sivè ceruchis hastili in transversum insertis, velum pendebat, opus regium, varietate gemmarum multâ luce fulgurantium obtectum, auroque intertexto, ineffabilem magnificentiam, pulchritudinemque spectantibus de se præbens. Cetertùm hoc velum ita ceruchis dependulum, juxtà latitudinis, & longitudinis modum bonà, & congruâ proportione sibi ipsi respondebat. Hæc ex Petro Nannio, & Eusebio locis suprà citatis. Eusebius autem eam Crucis imaginem in cœlo visæ, & lapidibus pretiosis fabricatam à Constantino sibi ostensam fuisse apertè fatetur.

Euseb. lib.1. de vit. Const. cap.24.

De hujusmodi etiam vexillo Augustali Pierius Valerianus hoc idem aliis tamen verbis, hunc in modum ait: *Contus erat prælongus, cujus apex in ρ Græcæ literæ similitudinem incurvabatur: indè paulò infrà* X *Græca identidem litera sua insignis decussatione addita erat, id Christi nomen ostentat. Indè Crucis signum faciebat bacillus transversus, cui velum, aùt mappula solebat appendi vexilli loco. Hæc duo significabant apud Græcos, quorum characteribus signata erant,* CHRISTUS PASSUS, aùt CRUCIFIXUS. Hæc Pierius.

Pier. Valeria. libr. 50. Hierogl.

De hujus verò generis signo, quod Constantino apparuit, variæ fuerunt opiniones, aùt sententiæ, ex nummis hoc tamen signo Crucis varie obsignatis, & excusis exortæ; sed omnes unum, eundemq; sensum reddunt. Sunt enim, qui ex nummo aureo Valentis Imperatoris illud signum Constantino apparuisse velint eo modo, quem ex primâ figurâ infrà videre est, ubi litera χ, quæ est Ch, apud Græcos, & ρ, superpositâ, quæ est, R, apud eosdem: quibus literis Christus significatur, Α, & Ω, hinc indè positis, quas, ut diximus, idem Salvator noster Christus sibi vendicavit. Alii verò ex nummo æreo Constantini Magni eo apparuisse modo, quem secunda figura demonstrat, ubi signum Crucis cernitur, ad cujus dexteram

Græca, quæ est Ch: ad lævam verò quæ

ab antiquioribus Græcis pro S, usurpabatur:

ex

ex quibus item notis Christus significari solebat. Hæc autem figura **C**, quæ *Sigma* Græcè dicitur, & pro S ponebatur, ut in vetustis codicibus, & nummis apparet, eadem ferè est, ac C Latinorum, nisi quòd extrema cornua habet intus magis reflexa, & magis oblonga modo hìc appositò, Christus etiam per abbreviationem à Græcis hoc pacto scribebatur $\overline{\text{XC}}$, vel $\overline{\text{X}\Sigma}$, aut $\overline{\text{XP}\Sigma}$. Ex qua scribendi formulâ ortus est error quorundam Latinorum, qui hanc vocem CHRISTUS hoc modo scribere soleant, Xps. Idem ferè error committitur ab eiisdem, cum scribitur Jesus: Græci enim per abbreviationem scribere solent hoc modo, $\overline{\text{IC}}$, vel $\overline{\text{I}\Sigma}$, aut $\overline{\text{IH}\Sigma}$. Hinc imperiti Græcos characteres ignorantes, scribunt, JESUS, cum aspiratione hunc in modum: IHESUS, & per abbreviationem $\overline{\text{IHS}}$, vel $\overline{\text{J}\text{H}\text{S}}$, putantes mediam literam, quæ est *Ita* apud Græcos, & convertitur in E, apud Latinos, esse aspirationem, ignoratione linguæ Græcæ decepti. Nonnulli denique ex nummo aureo Anthemii Imperatoris iis notis, quas infrà tertio loco cernere licet, apparuisse volunt, ubi X, & P, signo Crucis superposito, vel X, & P, Cruce super figuram orbicularem mundum repræsentantem locata conspiciuntur.



Alius extat æreus Constantini nummus, in quo ejusdem Imperatoris effigies ad vivum expressa, ut infrà videre est, repræsentatur Græcâ hac Inscriptione: AT. K. ΦΛ. ΚΩΝCTANTINOC, hoc est, *Imperator Cæsar Flavius Constantinus*: prima enim hujus Inscriptionis dictio est ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ abbreviata, per quam vocem supremum Imperatoris jus significantem Imperator exprimebatur. Αυτοκράτωρ namque dicitur qui per se potest, nec aliundè pendet. Ex alterâ verò numismatis parte vel tria labara, seu vexilla, vel tres Cruces extant Græcâ item hac Inscriptione: NIKAI ΕΩΝ, ideſt, *Vincit existens*, signum scilicèt Crucis vincit ubicumque existit: illud autem numisma antiquo Romanorum more incisum, alterum autem Christiano more incisum, utrumque tamen triplicem Crucem repręsentans cernitur: sed illud suboscurè, hoc autem clarè. Quare ex hujusmodi numismate facilè colligi potest, signum Crucis, quod media demonstrat figura superiùs posita, tribus hisce Crucibus satis adsimile, Constantino apparuisse Græcâ illâ Inscriptione: EN TOYTΩI NIKA. Vel NIKAIEΩN, ideſt, Nicænsium: incidebatur enim nomen Populorum, à quibus numismata cudebantur.

Nec silentio prætereundum est, simulacrum Constantini in hoc numisma, quod infrà videre est, incisum Imagini ipsi, per quam Constantinus in Vaticani Palatii aulâ, ejusdem Imperatoris nomine nuncupata, repræsentatur, omnino esse adsimile, ut ego, ita esse, iis imaginibus collatis, reipsà comperi. Hæc autem numismata, quæ hoc loco incisa conspiciuntur, non semel vidi, & contrectavi, operâ tamen Annibalis Zitelli concivis mei, viri quidèm eruditi, omniumque antiquitatum, ac veterum præsertìm imaginum virorum illustrium apprimè studiosi, & S. D. N. Sixti V. cubicularii, penès quem asservantur.

Quamvis autem simplex, vel unicum Crucis signum Constantino apparuisse omnes ferè affirment, triplex tamen ejusdem signi forma, ut in superiori figurâ, necnon infrà videre est, in vetustis nummis conspicitur. Id quod factum esse reor, vel ad indicandas tres illas Cruces, quas Helenam Constantini matrem invenisse constat: vel ad passionem Christi, qui inter duos latrones Cruci fuit affixus, uberiùs explicandam: sivè ut hoc Symbolo Sanctissima Trinitas repræsentaretur: quæ, cum omnia ejus opera ad extra, ut Theologi optimè docent, sint indivisa, humani generis salutem fuit operata, quamvis Filius assumpserit humanitatem, per quam passus est. Triplex itèm Crucis signum præsefert triplicem Crucis visionem, per quam triplex victoria fuit à Constantino reperta, Prima Romæ contrà Maxentium: Secunda contra Bizantium: Tertia contrà Scythas. De his Niceph. lib.8. cap. 32. De prima etiam, c.3. De secunda lib.7. c.47.

EX NUMMO ALIO CONSTANTINI ÆREO:

Hæc de Crucis ſigno, Conſtantini Magni converſionis initio, cui additum fuit regenerationis lavacrum, per quod à leprâ tùm corporali, tùm etiam ſpirituali eum purgatum fuiſſe, pro comperto habetur. De hoc ſancto regenerationis lavacro per Silveſtrum Papam Conſtantino ſubminiſtrato, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Imaginibus, non ſolùm S. Antoninus, & alii ſuprâ citati, ſed etiam Adrianus Pontif. Max. in Concil. Gen. VII. luculentiſſimum præbuit teſtimonium. Quis autem tantæ erit audaciæ, qui teſtimonium Summi, ac tam vetuſti Pontificis in Concilio generali prolatum aſpernatur, eique ſomnia, ac deliramenta ſui capitis opponat? De hoc item lavacro Damaſus, Nicolaus Primus, & alii Summi Pontifices teſtantur: Idem docent Cedrenus, Zonaras, ac Nicephorus Calliſtus, qui etiam mentionem facit de Conſtantini baptiſterio, quod ad hanc uſquè diem Romæ in Baſilicâ Lateranenſi aſſervatur. Antè hos Theophanes Graptus in ſacrâ Hiſtoriâ de hoc eodem Conſtantini lavacro ſermonem habet. Argumentum denique invictum ad hanc rem corroborandam in medium afferri poteſt hunc in modum: Fieri non potuit, ut Sancti Patres in Concilio primo Nicæno Conſtantinum ſedere non baptizatum, quotidianiſque ſacris intereſſe, à quibus non baptizati excludebantur, paſſi fuiſſent. Quibus omnibus Conſtantinum tunc temporis interfuiſſe, epiſtolaſque tam pias de Religione Chriſtianâ conſcripſiſſe conſtat, ut Euſebius narrat, qui etiam de ſacro ejus lavacro loquitur. Hoc idem in Bibliothecâ Vaticanâ, & in Bibliothecis Græcis ſcriptum reperitur. Nec huic veritati refragari debet quod Sanctus ſenſit Hieronymus dicens, Conſtantinum jam ſenem ab Arianis fuiſſe baptizatum: Hieronymus enim, ut pace tanti viri ſic dixerim, nominis vicinia, falſoque rumore adductus, quod de Conſtantio Conſtantini filio dicebatur, id patri attribuit: Conſtantius enim in extremâ ætate, ut ait Damaſcenus, ab Euſebio Nicomedienſi Ariano fuit rebaptizatus. Nec mirum videri debet, Hieronymum dictis de cauſis id aſſeveraſſe, cui in angulo terræ poſito, ut ipſe in libro de Viris Illuſtribus ait, multa ignota eſſe potuerunt. Hæc de baptiſmo, ut ad Conſtantini Donationem tranſeamus.

De ſanctorũ Apoſtolorum ſacris imaginibus.

Nic. 2. circa ann. Domini 781. Cedr. init. 3. Tom. Niceph. lib. 7. cap. 35.

Euſeb. lib. 4. de vita Conſtant. cap. 29. & ſeq. De Baptiſmo cap. 62.

Hieronym. de vir. ill. tom. 1.

Donationem Eccleſiæ Catholicæ Romanę à Conſtantino Imperatore verè factam fuiſſe permulti Scriptores, & inſignes quidèm prodiderunt, quorum tantùm nomina poſtremo loco recenſebimus. Si enim omnia, quæ pro hac re comprobandâ, ſivè corroborandâ ſeſe offerunt, in medium afferrem, ingens planè volumen conficeretur. Nunc verò penè obiter, & currente quaſi calamo, perpauca quædam, quæ hac de re dubitantibus ſuaſionem præſtare poſſunt, hìc brevitèr conſcribenda cenſui. Ut autem ex paleâ, ſivè ex zizaniâ triticum, & ex terrâ aurum colligamus, ſeù ex ſpinis roſam decerpamus, atquè ex Herculeis manibus clavam, vel ex hoſtibus gladium extrahamus, Donationis hujuſce veritatem ex ejuſdem veritatis inimicis extorquendam eſſe in primis dijudico. Hinc topico illo Ariſtotelis, & vulgatiſſimo quidèm argumento (ut ajunt) *à minori ad majus* veritatem ipſam, velutì è tenebris lucem detractam, magis firmam reddemus, teſtimoniis omni fide digniſſimis adductis, eamque rationibus deniquè non inſulſis confirmabimus, confirmatamque relinquemus.

Ampliſſimum, ut ab hujuſce veritatis hoſte initium ſumam, de egregiâ, piâque Conſtantini liberalitate, ac munificentiâ, ſivè Donatione Eccleſiæ Catholicæ Romanę præſtitâ teſtis eſt Zoſimus, homo Græcus, Græcæque ſuperſtitioni valdè addictus, atque exitioſus. Zoſimus enim de Conſtantino Imperatore, qui Silveſtro Papæ, ejuſque ſucceſſoribus Romam dono dedit, & omnia Imperatoria indumenta, & ornamenta, atquè alia permulta, ut Auguſtinus Steuchus Eugubinus adversùs Laurentium Vallam hominem iniquum, & mordaciſſimum, atquè ad obloquendum omnibus in rebus natum, duobus libris de Donatione Conſtantini apertè probat, hunc in modum ait: *Conſtantinus ceſſit Româ, & Conſtantinopolim à ſe majeſtatem Imperii tranſtulit, quòd ſe Romanis ſciret inviſum, ob mutatam religionem*. Hæc Zoſimus, qui de mutatâ religione à Conſtantino, qui ab idolorum cultu, deteſtandâ execratione relictâ, ad Chriſtianam fidem tranſiit, manifeſtè loquitur, de ejuſdem Conſtantini Donatione tacitè nonnihil videtur innuere. Zoſimus enim ait Conſtantinum ceſſiſſe; dicat aliquis: Cuinam ceſſit? non Senatui, non populo: nam nemo id ſcripſit, Nec Senatus, Populuſve hac de re movit unquàm litem. Pontifici igitur ceſſit, qui Romam ut ſuam jam indè ab eo tempore poſſidet, ſervat, ac de eâ antiquas tabulas, teſtimonia, & cenſus habet.

Ex Geneb. libr. 3. Chron. Anno Domini 315.

Niceph. libr. 16. hiſt. Eccl. c. 41. & 42.

Auguſtinus Steuchus.

Phot. Conſt. 8. Nomocanonis cap. 1. ſub anno 862. Niceph. libr. 16. hiſt. Eccl. c. 41. & 43.

Am-

Ammianus Marcell. lib. 27.

Ammianus item Marcellinus Ethnicus tale aliquid de Constantini Donatione innuit dum de opibus, ac potentiâ Romani Pontificis conqueritur, & mirum in modum dolet.

Lib. de tradit. rerum gestarum Rom.

R. Abraham levita Donationis hujusce veritati, velit nolit, suffragatur Hebraicâ linguâ dicens:

קסטנטינוס קיסר הוא חקק תורת הנצרים ושב לעבודתם ולתורתם לאחר שלש מאות שנה לישו לחשבונם והוא יצא מרומי ונתנה לכומרי אדום עד היום הזה ובנה מדינה קסטנטינה נוכילה:

Hæc autem, quæ Hebraicè conscripta sunt, Latinè redduntur in hanc verborum formam:

Constantinus Cæsar legem Nazaræorum confirmavit, & ad eorum cultum, ac legem transiit annis tercentum post Jesum juxtà eorundem computationem. Cessit deindè Româ, eamque sacerdotibus Idumæorum (sic Christianos appellant) ad hanc usque diem, Constantinopoli ædificatâ.

Abben Ezra in xi. Dan.

Abben Ezra in Danielis illud: *Et super ullum Deum non intelliget*: luculentissimum de hac Donatione Constantini affert testimonium dicens:

והטעם שכבד מקום רומא שהוא בנוי והניחו לעון הנקרא אבן:

Horum verborum sensus in Latinam linguam vertitur hoc modo:

Constantinus decoravit locum Romæ, quæ erat sedes ejus: & reliquit eum iniquitati [sic impiè impii de Sanctis Apostolis loquuntur] quæ vocatur Petrus (ut ait Genebrardus) vel ut Joannes Paulus Eustachius Neophytus, vir quidèm Christianæ pietatis observantissimus exponit: vanitas nuncupatur.

Rex Gedalia Jachia in Traditionum catenâ idem apertiùs affirmat verbis hisce Hebraicis:

בשנת ד אלפים ן לבריאה חיה ברומה קסטנטינוס חקסר והחזיק אמונתם והדרין אל סלויסטרו פפא כל־אשר ול באיטליאה והלך ובנה מהדש עיר כיונטי ועל שמו קראה קסטנטינופולי:

Anno à creatione mundi 4050. Romæ Constantinus Cæsar Christianæ fidei adhęsit, & Silvestro Papæ quod in Italiâ habebat, dono dedit: Bizantium adiit, & Constantinopolim iterùm condidit, suoque nomine eam nominavit.

Hæc de Constantini Donatione ab iis, qui foris sunt: nunc reliquum est ut ad nostros, & ad eos præsertim omni fide dignissimos accedamus, quorum in numero est Sanctus ille Athanasius, qui Constantinum in Concilio præsertim Nicæno vidit. Hic enim ad Felicem Papam scribens recensет quæ Constantinus in Edicto suo de Donatione factâ Silvestro Papæ, ejusque Successoribus sanxerat, & promulgarat. S. etiam Damasus, qui Liberio successit, & Constantinum videre potuit, de eâdem Constantini Donatione scripsit, ut Centuriatores quoque affirmant. Sanctus præterea Gregorius suis in Epistolis patrimonium Ecclesiæ, & per Occidentem latè patens, quo ipse frueretur, tunc etiam temporis amplissimum fuisse non semel demonstravit. Quo sanè tempore S. Isidorus, ut Nauclerus testatur, de hujusmodi Donatione apertè locutus est. Hanc eandem Donationem Justinianus Imperator centum post annis, deinde Arithbertus Longobardorum Rex, Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus, Otho deniquè magnus in publico Ravennatensi Concilio confirmarunt, ut etiam Centuriatores testantur. Decretum item de hujusmodi Donatione piissimum, quod à Canonistis *Falea*, à Græcis *Oraculum* appellatur, sicut ait Steuchus, ab aliis *Pagina Donationis*, ut cetera hujus rei nomina prætermittam, in cunctis Græcorum Bibliothecis reperitur. Quod Græcè, ac Latinè conscriptum in Bibliothecâ Vatic. asservatur: Latinè verò impressum in primo Conciliorum Tomo, & in Decreto Gratiani extat, citaturque ab omnibus, qui Constantini Donationem veram fuisse contendunt. Qui eam tuentur, sunt hi:

Aug. Steuchus.

Centur. 4. c. 7. Greg. lib. ep. sub ann. 600.

Naucl. gener. 11. Chr.

Cent. 10. c. 10.

August. Steuchus.

Gratian. Decret. part. 1. dist. 95. c. 14. Constantin.

DE VERA CONSTANTINI DONATIONE SCRIPTORES.

Sanctus Athanasius Episc.
Sanctus Damasus I.
Sanctus Gelasius I.
Leo IX. adversùs Michaelem Constantinopolit. cap. 12., & 13.
Gregorius VII.
Innocentius III.
Gregorius IX.
Nicolaus III.
Pius II.
Isidorus Episcopus Hispal.
Ado Episcopus Viennensis.
Ivo Episcopus Carnoten. part. 5. cap. 44., & 54.
Brochardus Episcopus Vormacienſis.
S. Thomas Aquinas.
Augustinus Triumphus quæst. 43. de potest. Eccl.
Gennadius Scholarius Græcus.
Anselmus Lucensis.
Abbas Joachinus.
Emmanuel Caleca Græcus.
Dominicus Episc. Brixiensis, dictus Torcellanus.
Henricus Gandavensis in Quolibeto.

Theodorus Balsamon Patriarcha Antioch.
Nicolaus Lyranus in Baruch cap. 5., & in Nahum, & in Apoc.
Martinus Polonus.
Alvarus de planctu Ecclesiæ lib. 1. cap. 52., & 56.
Petrus Damiani Cardin. Hostiensis.
Volaterranus.
Albericus de Rosath.
Simeon Archiepisc. Thessalonicensis.
Joannes Nauclerus Germanus.
Leonicus histor. Turcicarum scriptor.
Hieronymus Aleander, Card. Brundusinus.
Augustinus Steuchus.
Cæsar Costa Archiepiscopus Capuanus.

Ex August. Triumph. q. 1. de pot. Eccles. art. 1. in corp. Apoc. 12.

Quamvis hujus generis Donationem à Constantino factam fuisse constet, ab eo tamen temporalem potestatem nonnisi Ecclesiæ redditam, & corroboratam, a Christo autem, qui est Princeps Regum terræ, sancitam esse dicas necesse est. Summi verò Pontifices ob Principum injuriam, quæ justo rerum dominio, & juri haudquaquàm detrahit, per aliquot annos eâ Donatione potiti non sunt: sicut enim Christus, cui solium David debebatur, hujus possessionem non statim accepit, ita Petrus, Christi Vicarius, & alii Summi Pontifices Constantini Donationem illicò non sunt consecuti. Nec Silvester Donationem ipsam tabulis incidendam curavit, nec in Capitolium ascendit: satis enim erat, Imperatorem Sacrosancto Sacerdoti antè altare procubuisse, imperiumque coram tot testibus sacrasse, ac devovisse.

Ex August. Triumpho qu. 43. de pot. Eccl. art. 1.

Nec itèm in dubium verti debet, nùm Constantinus Imperii partem Papæ, sibi parte reservatâ, concedere, immediatam Imperii administrationem eidem dare potuerit; bona enim Reipublicæ quamvis alienari non queant, in usum tamen meliorem commutari, Deoque à quo recipiuntur, dicari possunt, in ministrorum, scilicèt, Ecclesiasticorum sustentationem, Ecclesiæ reparationem, & in pauperum erogationem, iuxtà triplicem bonorum distributionem ex Deuteronomio desumptam. Quarè Constantinus in dominium illius, qui est Deus & homo, hoc est Christus Jesus, cujus Vicarius est ipse Papa, Imperii bona transferre potuit, immò Ecclesiæ Christique Vicario quæ à Deo receperat (cum omnia sint Dei, cujus est omnis terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo, ut Psalmographus testatur) reddidit, ac reddere debuit. Hinc idem Constantinus Papæ, ejusque Successoribus immediatam temporalium rerum administrationem jure dedit, seu potius reddidit: quam Summus Pontifex Imperatori pro Ecclesia defendenda concessit, juxtà illud Pauli dictum: *Sæcularia judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Qua in re Sanctus ait Gregorius: *Contemptibiles de Ecclesia eligendi sunt ad judicandum: quia per laicos, & per illos, qui sunt minoris meriti in Ecclesia, judicia sunt exercenda, ac temporalia negotia tractanda, non autem per Clericos immediatè.* Hinc Summus Pontifex suâ auctoritate leges Imperiales corrigere potest, sicut lex divina humanam, easque mutare valet pro temporum diversitate, si evidens indè utilitas oriri videatur: lex enim imperialis ab auctoritate Papæ eo ipso dependet jure, quo à lege divinâ eam dependere dicas oportet: cujus quidem legis, divinæ scilicèt, Papa est Vicarius, ac minister: præsertìm verò cùm lex divinitatis, teste Dionysio, influentiam in hæc inferiora nonnisi per media conferre queat. Medius autem inter Deum, & populum Christianum est ipse Papa. Quarè populo Christiano nulla lex danda est, nisi ipsius Papæ auctoritate, sicut lex ulla Israelitico Populo data non fuit, nisi medio, sivè intercedente Moyse, qui de se ipso ait: *Ego sequester, & medius fui inter Deum, & vos, ut annunciarem vobis, verba ejus.* Potestatem igitur non modò spiritualem, verùm etiam temporalem Pontifici Summo inesse fatendum est: immò tantùm abest, ut Papa temporalem potestatem non habeat, ut omnis Imperatorum, ac Regum potestas ab auctoritate Papæ dependeat, ut dictum est, & subdelegata jure nuncupetur. Potestas enìm jurisdictionis tàm spiritualium, quàm temporalium, immediata est in solo Papâ, qui eam immediatè habet à Deo, ut Triumphus rectè docet, & ratio ipsa nobis persuadet: sicut enìm in corpore naturali omnia membra influentiam à corde habent, ita in corpore mystico omnem potestatem à Pontifice Summo influentiam recipere, dicendum est. Hæc autem potestas à Christo Domino per Summum Pontificem in Episcopos derivatur: qui à Christi in terris Vicario sicut rivuli à fonte, radii à sole, & ab arbore rami pendere dignoscuntur. Imperatoribus autem, ac Regibus, ceterisque Principibus est in ministerium data ob rationes superiùs assignatas. Hinc Summus Pontifex omnem sæcularem potestatem judicare potest, ac debet sicut ex Decreto videre licet, ubi Zacharias Romanus Pontifex Francorum Regem non minus iniquum, quàm regnandi oneri non aptum, privasse Regno, Pipinumque Caroli Imperatoris Patrem subrogasse legitur. Innocentius item hujus nominis IIII. in Concilio Lugdunensi primo Fedèricum II. Imperatorem imperio privavit, & ad Electores imperii de novo eligendo Imperatore scripsit. Id quod executioni mandatum fuit, ut infrà, suo loco videre est. Nec hujusmodi doctrinæ refragatur quod alii alitèr sentientes dicunt de Moyse, & Aaron: uterque enim Christum, ut Triumphus ait, repræsentavit: alitèr tamen Moyses, alitèr verò Aaron. Moyses namque, ut legislator, Aaron autem ut Summus Sacerdos Christum significarunt. Etenìm Christus, cujus vicem gerit Papa, fuit Legislator juxtà illud Isaiæ: *Dominus legifer noster: Dominus justus noster.* Fuit item Sacerdos, Psalmographo teste, dicente: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Quamvis igitur Moysi potestas, quæ fuit imperialis, Aaron potesta-

Dion. de Cæl. hier. c. 4.

Deut. 5.

Augustin. Triumph. qu. 1. art. 1. de potest. Eccl. Et habetur 2. qu. 1. c. Quicunque.

Augustin. Triumph. de pot. Eccl. q. 1. art. 1.

Ex Concil. Ephesino.

15. qu. 6. cap. Alius.

Concil. Lugdun. 1.

Quæst. 1. de pot. Eccles. art. 3.

Isa. 33.

Psal. 109.

te,

Dan. 14. & ponitur 12. qu. 2. Mos.

Augustin. Triumph. qu. 43. art. 3.

Psal. 23.

25. qu. 1. cap. Videntes. Aug. ubi sup. art. 2.

2. Tim. 6.

Greg. 19. Moral. c. 14.

te, quæ fuit Sacerdotalis, major diceretur, non tamen potestatem Papæ omni aliâ majorem inficias quis ire potest, cùm Summus Pontifex gerat vicem Christi, cujus potestas per Moysen, & Aaron fuit repræsentata, sacerdotalis, videlicèt, ac temporalis: quam potestatem Ezechiel tempore Josedech, & Sedechiæ auferendam prophetavit, dicens:

Ezech.21. *Aufer Cydarim, tolle coronam*, hoc est, *Sacerdotium, & Regnum*: Cydaris enim est mitra Summi Pontificis, Corona verò Regis tiara. Id quod factum esse constat. Nam Josedech Summus Pontifex, & Sedechia Rex manu Nabuchodonosor in captivitatem ducti fuerunt. Hujus autem generis privationem ut ex prophetiæ serie colligitur, Propheta vaticinatus est duraturam donec veniret ille, cujus est judicare, hoc est, Christus, qui Sacerdotalem, scilicèt, ac regalem, sivè temporalem habuit: de quo etiam Isajas dixit:

Isa.9. *Super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & justitiâ amodò, & usquè in sempiternum.* Hinc Angelus de Christo idem testatus est, dicens:

Luc.cap.1. *Dabit illi Dominus Sedem Duvid Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Solium autem David temporalem constat extitisse potestatem, quam in Christo fuisse apertè, & eruditè docet Franciscus Toletus

Franc. Tolet in c.1. Lucæ e Societate Jesu, vir sanè pius ac doctissimus. Qui autem hujusmodi regalem, ac temporalem potestatem in Christo fuisse negat, detestandæ Judæorum cæcitati suffragatur. Quare divino consilio factum est, ut Pilatus, qui eâ in Inscriptione Sanctissimæ Crucis fastigio impositâ Christum Judæorum Regem appellavit, Judæis reclamantibus dixerit: *Quod scripsi, scripsi*. Christus autem hujusmodi potestatem temporalem, quotièscumquè sibi id expedire videbatur, exercuit:

Joan.8. & præsertim cùm adulteram in adulterio deprehensam à morte temporali manifestè liberavit.

Matth.21. Christus itèm non modò spiritualem exercuit, vendentes, & ementes de templo

Mar.11. Joan.2. eiiciens, verùm etiam temporalem, mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertens. Temporalem prætereà

Matth. 8. Mar.5. Luc.8. potestatem suam esse patefecit, cum dæmonum legionem in porcos intrasse, eosque in mare præcipitandos concessit. Quæ res cum absque possessoris damno fieri non queat, si Christus rerum etiam temporalium Dominus non extitisset, id eum facturum non fuisse dicendum est. Idem intelligi voluit, cum ficum

Matth.21. Mar.11. Luc.13. non sine alicujus damno arefieri jussit. Idem denique rei temporalis dominium demonstravit, cum Apostolis ut asinam, & pullum ad se adducerent, mandavit, possessore non reclamante, ubi primum Christum Dominum ita jussisse audivit.

Duplex igitur in Christo fuit potestas, quam deindè in ejus Vicario remansisse fatendum est. Hinc Sanctus Petrus non solùm

Act.5. spiritualem exercuit potestatem, sed etiam temporalem: præsertim verò cum Ananiam, & Saphiram temporali morte mulctavit: quam etiam potestatem sibi reservandam innuit, auriculâ Malchi abscisâ. Huic denique doctrinæ favet illud, quod B. Paulus ad Philemonem laicum, Civem Colossensem, & Christianum pro Onesimo à Paulo ad fidem converso, olim autem Servo Philemonis, à quo ante conversionem fugerat, scripsit, ut eum reciperet. Quamvis enim id ei Paulus imperare, vel Onesimum Philemonis Seruum penès se retinere potuisset, ut ipse ait, voluit tamen eum ad id faciendum cohortari. Quibus verbis, Paulum rei temporalis potestatem habuisse affirmandum est: si enim res aliter se se haberet, nec servum profugum, qui bona temporalia Philemoni domino suo furatus fuerat, secum retinere, nec Philemoni ut eum reciperet, imperare valuisset, sicut id sibi facere licuisse apertè ait.

Potestas igitur jurisdictionis, tàm spiritualium, quàm temporalium est in solo Papâ immediatè a Deo per Christum: derivata verò in omnibus Episcopis, & Prælatis a Christo, mediante Papâ; sed temporalium potestas Principibus sæcularibus est in ministerium data. Non solùm autem hujusmodi potestas est in Ecclesiâ, verùm etiam coactiva tàm spiritualis, quàm temporalis, de qua Josephus Stephanus Valentinus Doctor Theologus eruditum quidèm edidit librum. Quæ res ex eo colligi potest, quod in veteri Testamento legitur hunc in modum:

Ex August. Triumpho q. 1. de potestat. Eccl. art. 1.

Deut.17. *Si superbierit nolens obedire imperio Sacerdotis, ex decreto judicis morietur*. Id quod in nova item lege esse quis inficias ire audet, dicente Apostolo:

Act.15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis nihil ultrà vobis imponere oneris nisi hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum?* Quibus verbis, teste Chrysostomo sancto, Apostoli novam legem condunt: nam de his nihil præcepit Christus. Hoc idem confirmatur ex eo,

Act.10. quòd Beatus Paulus pertransiens civitates, Apostolorum, ac seniorum præcepta custodienda, & executioni mandanda præcipiebat. Nec huic doctrinæ illud Deuteronomij refragatur:

Deut.4. & 12. *Non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis* (*ait Deus*) *nec minuetis ex eo. Et: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino*. Idem in fine Apocalypsi: nam hujusmodi prohibitio non nisi de additione novarum legum prioribus legibus contraria, & corrumpente, non autem perficiente opus præceptum. Nec

Apoc.ult. S. Thom. c.1. ad Gal. lect.2. & 3. est par ratio de veteri ac novo Testamento: vetus enim lex data est uni tantùm Populo, & ad præscriptum tempus, hoc est, ad Christi usque adventum: sed lex Evangelica universo terrarum Orbi ad finem usque Mundi duratura. Ideò ita facilè omnia determinari non poterant, ut aliæ leges tàm civiles, quàm Ecclesiasticæ necessariæ quandoque non forent. Adde etiam quòd eædem leges, & ritus populis diversis convenire non possunt.

De duplici Summi Pontificis potestate spirituali, scilicèt, ac temporali, vel coactivâ ipse Christus locutus est, dicens:

Matth.28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*. Quamvis autè hæc Salvatoris nostri verba a B. Hieronymo, ac B. Anselmo exponantur de spirituali potestate, idest, sicut sum Rex in cœlo ita in cordibus

hominum ; & a Theophylacto de omni divinâ in omnes creaturas potestate, non temporali : Niculaus tamen primus ad Michaelem Imperatorem scribens hunc in modum , ait : *Christus B. Petro vitæ æternæ clavigero terreni simul , & cœlestis Imperii jura commisit* . Quarè Zacharias Papa Regem Francorum non tàm pro ipsius iniquitatibus , quàm etiam prò eo quòd ad tantam potestatem exercendam non erat idoneus,regno deposuit, & Pipinum Caroli Imperatoris partem loco ejus instituit .

Nicol.1., & ponitur dist. 22.

Zacch. Rom. Pont., & ponitur 15.qu.6. cap.Alius.

Potestatem summam visus est exercere Christus dum vendentes de templo ejecit , flagello de funculis facto . Si enim utramque potestatem Ecclesia non haberet , Apostolis dicentibus : *Ecce gladii duo hìc* , non respondisset Christus : *Satis est* , *sed nimis* . Hinc S. Bernardus ad Eugenium Papam scribens, ait: *Quid denuo gladium , quem semel jussus es reponere in vaginam , usurpare tentas ? Quem tamen qui tuum esse negat, non satis videtur mihi attendere verbum Domini dicentis* : *Converte gladium tuum in vaginam . Tuus ergo , & ipse tuo forsitan nutu , sed non tuâ manu evaginandus : alioquin , si nullo modo ad te pertineret , dicentibus Apostolis : Ecce gladii duo hìc , non respondisset Christus : Satis est , sed nimis* . Hæc Bernardus : ex cujus verbis satis clarè patet,gladium utrumque, spiritualem , scilicet , ac temporalem immediatum esse in solo Summo Pontifice : ille ab Ecclesia,hic pro Ecclesia ; ille Sacerdotis , hic militis manu exercendus: quem etiam Apostoli exercere visi sunt in Ananiam , & Saphiram , & Petrus in Malchum , auriculam ejus abscindens : cui tamen præceptum fuit a Christo , ut gladium in vaginam ad tempus converteret , ne Salvatoris nostri passioni , humanæque redemptioni foret impedimento ,

Joan.2.

Luc.22.

S.Bern.libr.4. de consid.

Matt.26. Joan.18.

Act.5.

Quamvis autem Regnum omne de Christo dictum in Scripturâ sacrâ multi de spirituali tantùm regno , & æterno intelligendum esse velint , non desunt tamen qui de utroque regno intelligi debere affirment . Nec huic doctrinæ adversatur quod Salvator noster de se ipso dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo* : voluit enim hisce verbis , ut S. ait Ambrosius , Pilatum suspicione liberare , qua credere poterat , se regnum Judæorum temporale affectasse : atque hunc sensum illud dictum habere potest : *Rex sum , sed non eo modo , quo Cæsar & Herodes* . Vel , ut ait Chrysostomus , *Regnum Christi non fuit de hoc mundo , quia non fuit modo mundano , sicut alii sunt reges , qui ex fortitudine ministrorum accipiunt regnandi potestatem : ipse autem regnando super suos sibi ipsi sufficiens est , nullius indigens auxilio, vel favore* . Dixit etiam Christus : *Regnum meum non est de hoc mundo* , ut triplicem , & falsàm quidèm de suo ipsius regno , ac potestate refelleret opinionem , Consanguineorum , scilicet, Gentilium, ac Judæorum. Consanguinei enim ipsum mundanâ , sive carnali affectione ac propagatione regnaturum expectabant : Gentiles tyrannicâ auctoritate , armorumque potestate : Judæi verò , ut Discipuli , temporali quadam successione eum regnaturum , ac liberaturum Judæos è manibus Romanorum , sperabant dicentes : *Nos sperabamus quòd ipse esset redempturus Israel.* Ad primam opinionem confutandam dictum est , Regnum Christi non esse de hoc mundo, hoc est, Chrysostomo teste, non ex mundana generis consanguinitate , ex qua non potestatem , & virtutem regnandi , sed potiùs infirmitatem moriendi contraxit . Ad secundam opinionem refellendam, eodem Chrysostomo teste, idem pronunciatum est : qui suos compescuit Discipulos præcipiens ut gladium in vaginam converterent : Patrem verò , qui plusquàm duodecim legiones Angelorum sibi exhibuisset, rogare destitit . Ad tertiam opinionem reijciendam dictum est : Regnum meum non est hinc : non secùs atque dixisset Christus : Regnum meum non ad temporalem successionem , sed ad possidendam æternam mansionem . Nec contrarium sentientibus favet illud ejusdem Salvatoris dictum : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari , & quæ sunt Dei Deo* : Hisce enim verbis quandam legalem justitiam sancitam esse dicendum est, ut , scilicet, unicuique quod suum est,reddendum esse pro comperto habeamus , eo videlicèt modo , quo dicit Apostolus : *Reddite omnibus debìta : cui tributum , tributum : cui vectigal , vectigal : cui honorem, honorem : & cui timorem, timorem.* Nec propterea potestatem Papæ temporalem diminutam ullo pacto esse opinandum est : Imperatoribus enim , ac Regibus temporalia reddenda sunt pro stipendiis ipsorum , qui , ut ait Apostolus , Ecclesiam Dei defendere , & Christianum populum gubernare , ac Rempublicam in pace conservare debent . *Nemo enim suis militat stipendiis : nec quisquam pascit gregem , & de ejus non comedit lacte* . Illud prætereà Apostoli dictum : *Quid mihi de iis, qui foris sunt , judicare ?* Non de iis, qui sunt in temporali potestate constituti, sed de infidelibus , nomine , & re extram Ecclesiam degentibus intelligendum esse omnes interpretantur:a quibus tamen infidelibus dominandi ordo, quem de lege, ac beneficio naturæ esse constat , auferri non potest , ut ait Triumphus ; quia sicut Deus beneficia naturæ bonis , & malis largitur , dum solem suum oriri facit super bonos & malos : & pluit super justos , & injustos ; ita Ecclesia ad imitationem judicii divini facere debet , nisi ii jura Ecclesiastica , juraque nostra rabie tyrannicâ occupare , Christianosque infestare studeant; hisce enim de causis Summus Pontifex ab eis dominium, & jurisdictiones auferre, ac bellum iisdem justè indicere potest, ac debet .

Luc.24.

Matt.26.

Joan.18.

Joan.18.

Ma tth.22.

Rom.13.

Ex Augustin. Triumpho quæst.

Rom.13.

1.Cor.9.

1.Cor.5.

Chrysost.August.Theoph. & Cyril. in hunc locum. Joan. 18. & Ambros. in Lucam.

Ambros. in Luc.3. prope finem.

Chrysost. homil. 83. in Joan.tom.2.

Augustin. Triumph. qu. 23. artic.3. de pot.Eccl. Matth.5.

Ut igitur quæ dicta sunt, summatim concludamus , temporalem Summo Pontifici inesse potestatem, Constantinique Donationem veram extitisse , immò rerum temporalium potestatem tyrannicè olim usurpatam , tamquàm Ecclesiæ propriam ab eodem Constantino redditam fuisse cum Augustino Triumpho affirmamus . Hinc in semicolumnâ lateritiâ , de qua sermonem habuimus , Salvatorem nostrum , Ecclesiæ universalis caput re-

Ex Aug.qu.1. de pot. Eccl. art.1.in corp.

præ-

præsentatum esse diximus: ad cujus dextram Silvester, Christi Vicarius, ad lævam autem Constantinus magnus, Ecclesiæ & opibus, atque armis defensor pro hujusmodi Donatione indicandâ, seù potiùs innuendâ, ut reor, per pictoriam artem repræsentati conspiciuntur. Reliquum est autem, ut ad cętera transeamus declaranda.

DE BIBLIOTHECÆ VATICANÆ FENESTRIS.

BIBLIOTHECA Vaticana, cujus primaria porta est ad Orientem, excipit item lumen per quatuor ac decem fenestras, quarum septem ad Septentrionem, totidemque ad Meridiem vergunt: illæ quatuor elementa, hæ verò quatuor anni tempestates, & SIXTI V. stemmata gentilitia alternatim depicta comprænhendunt.

DE FENESTRIS AD SEPTENTRIONEM VERGENTIBUS.

AD primam dextræ partis Fenestram in ipso fenestræ fornice mulier super delphinum sedens, tridentemque manu gestans depicta cernitur, ad aquam, unum elementorum, quibus quasi alimentis quodcunque animal vivit, atquè constat, repræsentandam. Quamvis autem terra primum, inferioremque locum, tanquàm elementum ceteris gravius, ac ponderosius sibi vendicet, ut Aristoteli, aliisque philosophis placet, & ratio ipsa suadet; Aqua tamen primo cernitur loco. Id quod, vel pictorum judicio factum est, vel ad imitationem verborum Ovidii, qui elementis distribuit loca hunc in modum:

Arist. lib. 4. de cœlo.

Ovid. libr. 1. Metamorph. sub init.

Igna convexi vis, & sine pondere cæli
Emicuit, summâque locum sibi legit in arce.
Proximus est aer illi levitate, locoque.
Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sui: circumfluus humor
Ultima possedit, solidumque coercuit orbem.

Quibus verbis Ovidius quamvis aquæ postremum locum tribuere videatur, si ea tamen perpendantur, nil aliud ex iisdem verbis, quàm terræ superficiem circumfluentem ab aquâ humectari, ac possedi colligi posse fatendum est. Hunc eundem ferè sensum patitur illud Scripturæ sacræ dictum: *Qui firmavit terram super aquas*, hoc est juxtà aquas terram ipsam humectantes, eo loquendi modo, quo dici solet: Hæc Civitas fundata est super mare, ut Venetiæ: illa verò super Sequanam fluvium Galliæ, Belgas a Celtis dividentem. Hoc eodem ferè modo intelligitur illud Psalmi dictum, quo super maria fundatum esse mundum legimus. Quoniam verò aqua procreationi earum rerum, quæ è terrâ præsertim nascuntur, maximum præbet auxilium, hinc suprà fenestræ fornicem hæc legitur Inscriptio:

Psal. 135.

Psal. 23.

PROCREATIONUM ORIGO.

Ad tertiam Fenestram, secundâ prætermissâ, in qua insignia Sixti V. depicta cernuntur, in ipso fenestræ fornice femina humi sedens, leone, aliisque animalibus hinc indè consistentibus, depicta conspicitur, quæ Terram significat. Terra enim per Deam Cybelem repræsentatur, quæ, & *Rhea* dicitur ἀπὸ τῦ ῥέω fluo, quòd terra affluens sit omnium rerum. Dicitur etiam *Pales*, quòd terra sit pabulorum Dea. *Ops* item dicta putatur, quòd terræ ope vita hominum sustentetur, vel ab antiquo adjectivo *Ops*, quo veteres pro divite utebantur, quemàdmodùm contrà, inopem dicimus pauperem, & egenum. Hæc quoquè Mater Deorum, quia omnia gignit, dicta a Poetis censetur, vel quòd putarent cælestes omnes in terris fuisse genitos, deindè ob insigne aliquod meritum in cælum fuisse translatos. *Alma* item *mater* ab alendo nuncupata est. *Maja* intereà dicebatur, &, ut ait Cornelius Labeo, *Magna mater*, quòd Terra sit omnium communis Parens: vel quòd juxtà Poetarum historias fabulosas primitùs mortales omnes ex terra nascebantur. Hinc Prometheus Iapeti filius, ut idem Hesiodus ostendit, hominem ex humo imbri mollitâ finxit, cui Minerva spiritum immisit. Id autem fortasse desumptum fuit a verâ divinâque historiâ libri Geneseos, ubi primus homo de limo terræ legitur creatus a Deo, qui statìm in faciem ejus spiraculum vitæ inspiravit: hinc linguâ Syriacâ, ut Theodoretus ait, primus ille homo *Adam* dictus est, terrenus, scilicèt, aut pulverosus. Syrorum enim mos est, terram rubram appellare *Adam*. Qua ex re omnis homo pulvis, & in pulverem dicitur reversurus, ac *Terræ filius* jure nuncupatur. Ob idque olim obscuro, ignotoque genere prognati, Terræ filii dicebantur, propterèa quòd Terra communis est omnium parens, juxtà hanc perbrevem Inscriptionem, quæ suprà fenestræ fornicem legitur:

Ovid. libr. 1. Metamorph. non procul ab initio.

Gen. 2.

Theod. in Gen.

MATER OMNIUM.

Eandem ob causam proverbialis figura in hominem exulem, erronem, & incertis vagantem sedibus hunc in modum Græce dicebatur: τὴν πρὸ γῆς, ideſt Terram pro terra, ut ex Cicerone videre est, dicente: *Hæc, & alia ferre non possum*: itaquè γῆν πρὸ γῆς cogito: significat enim se de fugiendo cogitare. Hæc denique Dea, Cybele, scilicèt, per quam terra repræsentatur, curru vehi a Poetis fingitur, quia terra pendet in aere, & super stabilitatem suam, ut sacrosancta Scriptura docet, dicitur firmata, ideſt super mundi centrum, ad quod partes terræ ita undequaq; suâ tendunt naturâ, ut ab ipso centro declinare nullo penitùs modo queant. Eadem quoque Dea rotis sustineri fertur, quia rotatur semper, & volvitur mundus. Hæc de Terra, ut ad aeris elementum accedamus.

Cicer. libr. 14. epist. ad Attic. epist. 10.

Psal. 103.

Ad quintam fenestram, quartâ prætermissâ, quæ Sixti V. stemmata gentilitia habet, in fenestræ fornice femina supra aerem per fumum, sivè nubem quandam, repræsentatum sedens, aëreamque comam habens depicta cernitur. Inscriptio autem ad aerem indicandum hæc est:

INANITATIS IMPATIENS.

Aer enim inanitas quodam modo dicitur multo plus raritatis, quàm inferiora elementa admixtum habens. Hinc non solùm Virgilius, verùm etiam alii probatissimi scriptores per vacuum, & per inane aerem intellexerunt. Quamvis enim vacuum in rerum naturâ, ut Aristoteles rectè docet, non reperiatur, vacuum tamen, ut ajunt, rusticale, rudiores homines dari opinantur, dum aliquem locum re visibili, ac palpabili repleri non vident: sed ubi visibile corpus non extat, ibi statim aerem tanquàm inanitatis impatientem adesse, locumque ipsum replere dicas necesse est: natura enim vacuum nullo modo pati potest.

Virgil. Ecl. 6. Et Geor. lib. 1 Lucr. libr. 2. Arist. lib. 4. phys.

Ad septimam fenestram, sextâ insignibus Sixti V. decoratâ, in ipso item fenestræ fornice depicta cernitur femina, humi sedens flammas igneas dextrâ manu gestans, igneamque habens comam, intrà quam fœnix, quę per ignem innovari solet, ut fusiùs dictum est, conspicitur, ad ignem omnium elementorum levissimum indicandum, hac Inscriptione;

Phœnicis historia.

PROCREATIONIS EXPERS.

Ignis enim a *gignendo*, ideſt *nascendo* per antiphrasim figuram dicitur, quòd in eo nihil nascatur: immo quidquid sub cælo tangit, ipse tandèm destruit, & consumit: nihil enim, ut ait Doctor noster Ægidius Columna Romanus, *in igne diù stare potest, quod ab eo non consummatur*. Nec id Aristoteli adversari puto dicenti hunc in modum: *Nonnulla corpora esse animalium, quæ igne non absumantur, Salàmandra claro documento est: quæ, ut ajunt, ignem, inambulans per eum, extinguit*. Hæc Aristoteles, qui juxtà aliorum opinionem loqui hoc loco videtur. Quamvis enim Salamandra ob magnam suam ipsius frigiditatem aliquandiù in igne absque sui corruptione stare queat, ut omnes concedunt, eam tamèn absque sui consumptione in igne permanere Aristoteles non affirmat, sed ignem ab illâ per eum inambulante extingui ait, sicùt etiam id ab Ægidio non negatur. Alienam item opinionem sequi Aristotelem dijudico, dum loco suprà citato, bestiolas in igne oriri, & vivere, & ab eo dimotas emori, eundem Aristotelem dixisse lego. Ait enim: *In Cypro Insulâ, ærariis fornacibus, ubi chalcites lapis ingestus complurib. diebus crematur, bestiolæ in medio igne nascuntur pennatæ, paulò muscis grandibus majores, quæ per ignem saliant, atque ambulent*. Id autem eidem Aristoteli apertè refragatur: qui nullum animal in igne generari posse ait: atque hujusce dicti rationem reddit dicens: *Inest enim in semine omnium, quod facit ut fœcunda sint semina*, videlicet, *quòd calor vocatur: idque non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumoso quoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum, quamobrèm ignis nullum animal generat*. Hæc Aristoteles, qui vitalem in semine esse calorem, quem non ignem, neque ignis aliquam esse ait facultatem, ex qua gigni animal ullum, ut ipse inquit, non posset. Huic doctrinæ consonum videtur esse illud, quod idem Aristoteles ait de Vireone ave, quam igne procreari, fabulosum esse pro comperto habet. Hæc de igne procreationis expertè, ut a quatuor elementis ad quatuor anni tempora transeamus.

Salamandra extinguit ignem.

Arist. loc. supra citato.

Ægid. Rom. 2. sent. dist. 15. qu. 1. art. 2. Arist. lib. 5. de hist. anim. c. 19. tom. 5.

Bestiolæ in igne nascuntur, & vivunt.

Animal nullum in igne generatur, Arist. lib. 2. de gen. animal. c. 3. tom. 6.

Arist. lib. 9. de hist. anim. tom. 5.

DE FENESTRIS MERIDIEM SPECTANTIBUS.

Bibliothecæ Vaticanæ læva septem habet fenestras, Sixti V. insignibus, & quatuor anni tempestatibus alternatim insignitas. Quatuor autem anni tempestatum descriptio ex quatuor Ovidii desumpta est hisce versibus:

> *Ver erat; novum stabat cinctum florente coronâ:*
> *Stabat nuda Æstas, & spicea serta gerebat:*
> *Stabat, & Autumnus calcatis fordidus uvis:*
> *Et glacialis Hiems canos hirsuta capillos.*

Ovid. libr. 1. Metamorph.

Hæ quatuor anni tempestates per pictoriam artem repræsentantur: & singulæ cuique ex quatuor hisce versibus hemistichium unum tributum est. Ver novum per feminam, quæ coronam floribus confectam dextrâ manu, lævâ autem copiæ cornu floribus plenum gestat, repræsentatur hac inscriptione: CINCTUM FLORENTE CORONA. Æstas item per feminam spicis triticeis ornatam, quæ dextrâ manu falcem, lævâ autem spicarum fasciculum habet, hac inscriptione significatur: SPICEA SERTA GERIT. Autumnus denique per feminam caput uvis ornatum habentem, atque

uvis

uvis circumſeptam repræſentatur hac Inſcriptione: CALCATIS SORDIDUS UVIS. Hiems autem per ſenem ad ignem ſedentem, & calefacientem ſignificatur hac Inſcriptione: CANOS HIRSUTA CAPILLOS. Hæc de vaſis amplioris Bibliothecæ Vaticanæ feneſtris. Nunc reliquum eſt, ut ad ejuſdem Bibliothecæ cameras Cappellis Pontificiis, Conciliis, Hiſtoriis, atque Emblematis ornatas accedamus.

DE CAPPELLIS PONTIFICIIS A SIXTO V. INNOVATIS,

Quæ in duobus Cubiculis fornicatis, Bibliothecæ annexis, repræſentantur.

EO in cubiculo, quod ad Theatrum, ſive ad Meridiem vergit, quatuor Cappellæ Pontificiæ in fornice depictæ repræſentantur, hoc eſt, ſancti Joannis in Leterano, ſancti Pauli, ſanctæ Sabinæ, & ſancti Laurentii.

In altero, quod Septentrionem ſpectat, totidem cernuntur Cappellæ, hoc eſt, ſanctæ Mariæ Majoris ad Præſepe, ſanctæ Crucis in Hieruſalem, ſanctæ Mariæ de Populo, & ſanctorum duodecim Apoſtolorum.

Ex conſt. 24. Bullarii Sixti V.

Horum autem locorum pars maior Cappellis Pontificiis antiquitùs decorabatur, præſertim verò per Summos Pontifices, quos ob eximiam vitæ ſanctitatem, rerumque geſtarum gloriam *magnos* non immeritò appellamus, Leonem, videlicèt, & Gregorium, quorum ſermones divinâ quadam ſpiritus eloquentiâ pleni inter Miſſarum ſolemnia ad Populum habiti hanc rem apertè declarant. Hinc Sixtus V. ut ſanctam, & vetuſtam ſummorum Pontificum conſuetudinem innovaret, quas narravimus Pontificias Cappellas in priſtinum ritum revocavit, eaſque in Baſilicis, certiſque almæ Urbis Eccleſiis, Dominicis, videlicèt, Quadrageſimæ, & Adventus, aliiſque ſtatis ſolemnibus diebus, ac feſtivitatibus celebrandas mandavit. Ut autèm hujus generis innovatio pateat clariùs, Cappellas, quæ inter Miſſarum ſolemnia celebrari ſolent, hoc ordine recenſere mihi viſum eſt.

S. Leo in ſer. S. Greg. lib. 40. hom. tom. 2. Innoc. 3. in ſerm.

DE CAPPELLIS ADVENTUS.

IN Adventu, Dominicâ primâ ad S. Laurentium: Secundâ, ad S. Joannem in Laterano: Tertiâ, ad ſanctam Crucem in Hieruſalem: Quartâ, ad S. Paulum. In Natali Domini, ad ſanctam Mariam Majorem, ad Præſepe Domini, more antiquiſſimo. In Circumciſione Domini, ad ſanctam Mariam de Populo. In Epiphaniâ, ad S. Petrum. In feſto item die Purificationis in Cappellâ Palatinâ, ubi a Summo Pontifice Candelæ benedictæ diſtribuuntur.

DE CAPPELLIS QUADRAGESIMÆ ET PASCHATIS.

IN die Cinerum Cappella celebratur in Eccleſia S. Sabinæ, ubi Cineres a Summo Pontifice ſolemni more benedicti ſuper capita ad pœnitentiæ, mortisque teſtificationem ſparguntur. Dominicâ primâ Quadrageſimæ ob magnam ad S. Sebaſtiani Eccleſiam ab Urbe diſtantiam, locique anguſtiam Cappella celebratur in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Populo nuncupata, univerſæ Urbis devotione percelebri, & loci amplitudine, necnon commoditate non parum opportuna: Quibus itèm de cauſis Chriſti fidelium commoditati conſultum, decretumque fuit, ut eadem Eccleſia S. Mariæ de Populo, pro S. Sebaſtiani Eccleſiâ viſitari poſſit, cum ſeptem, aut novem Eccleſiæ de more viſitantur: Dominicâ ſecundâ, Cappella celebratur in Eccleſia Sancti Pauli: Terriâ, in Eccleſia Sancti Laurentij extrà muros: Quartâ, in Eccleſia Sanctæ Crucis in Hieruſalem: Quintâ, in Eccleſia S. Mariæ Majoris: Dominicâ Palmarum in Baſilica S. Petri. Feriæ quartæ, quintæ, & ſextæ Majoris hebdomadæ Matutina, necnon Feriæ quintæ, & ſextæ, ac Sabbathi ſancti in Cappellâ Palatinâ celebrantur. Dominicâ Paſchatis, in Baſilica S. Joannis in Laterano, ubi Populo ſolemniter a Summo Pontifice benedictio datur. Die ſecundâ, & tertiâ Paſchatis in Cappellâ Palatinâ Miſſa celebratur. Sabbatho item in albis, in quo cujuscumque Pontificatus anno primo, deindè ſingulo quoque ſeptennio Agnus Dei conſecrantur, ac diſtribuuntur.

DE

DE CAPPELLIS POST PASCHA IN FESTIS MOBILIBUS.

IN Aſcenſione Domini, quo etiam die Romanus Pontifex populo ſolemniter benedicit, & in die Penteçoſtes, atque in die omnium Sanctorum Pontificiæ Cappellæ celebrantur in Baſilicâ S. Petri. Commemoratio autem omnium fidelium defunctorum celebratur in Cappellâ Palatinâ. In die item Feſto ſacratiſſimi Corporis Chriſti in Cappellâ Palatinâ Miſſa celebratur, fitque proceſſio Pontificalis.

DE CAPPELLIS FESTORUM IMMOBILIUM.

IN Aſſumptione Beatæ Mariæ Virginis ad ſanctam Mariam Majorem, de more; ubi dotes pro maritandis puellis ex inſtituto Sixti V. diſtribuuntur. In ejuſdem Nativitate ad ſanctam Mariam de Populo. In Inventione ſanctæ Crucis ad ſanctam Crucem in Hieruſalem. In Natali ſancti Petri, in Baſilicâ Vaticanâ ejuſdem. In Converſione ſancti Pauli, in ejuſdem Baſilicâ. In Natali ſancti Joannis Baptiſtæ in Baſilicâ Lateranenſi. In die Feſto S. Laurentii Martyris in ejuſdem Baſilicâ extrà muros. In Annunciatione B. Virginis in Eccleſiâ ſanctæ Mariæ ſupra Minervam, ubi etiam dotes pro maritandis puellis de more diſtribuuntur.

Cæteris feſtis, ſolemnibusque diebus divina officia in Cappellâ Palatii Apoſtolici de more celebrantur. Hæc de Pontificiis Cappellis: nunc reliquum eſt, ut Occidentalium Conciliorum, quæ in Cubiculis Bibliothecæ majori annexis depicta cernuntur, declarationem aggrediamur.

DE CONCILIIS OCCIDENTALIBUS

In Bibliotheca Vaticana depictis.

DE CONCILIO GENERALI LATERANENSI PRIMO.

S. Anton. par. 2. tit. 17. §. 10.

ONCILIIS Orientalibus octo ad Bibliothecæ Vaticanæ dextram per Pictores repræſentatis, & qua fieri potuit, brevitate ac facilitate declaratis, ita verò, ut per pictoriam artem inibi repræſentata, atque alia, etiam abſentes percipere queant, nunc reliquum eſt, ut Concilia totidem Occidentalia in aliis Cameris Bibliothecæ majori annexis depicta explicentur. Ut igitur a dextrâ exordiamur parte, Synodorum ordine id poſtulante. Concilium Lateranenſe Generale primum ſe ſe offert declarandum circâ annum Domini 1159. celebratum, cui præſens adfuit Alexander hujus nominis III. qui olim Federici Imperatoris, iram & impetum fugiens, abdidit ſe Venetias, quem deindè cognitum, & a Senatu perhonorificè ſuſceptum Othone Imperatoris filio navali prœlio a Venetis victo, captoque, Federicus ſupplex adoravit, & ad ejus pedes provolutus excommunicationis abſolutionem obtinuit, obedientiam pollicitus, cum priùs fuerit eum perſequutus, & quatuor ſchiſmaticorum Pontificum foverit ſeditiones, quibus Romana Eccleſia mirum in modum fuit perturbata, & afflicta, Guelphorum, & Gibellinorum ſectarum tempeſtate.

Generàl. 11.

Blon. libr. 5. dec. 2. & Plat.

Genebr. & Onuphr. & Plat.

Hoc in Concilio, quod poſt quatuor ſchiſmaticos Pontifices ex hac luce ſublatos, celebratum eſſe credendum eſt, Lex ſalutaris, ut ait Genebrardus, de duabus ſuffragiorum tertiis Cardinalium ſancita fuit, ne tempus in poſterum hujus generis ſchiſma de Summo Pontifice eligendo ſuboriri poſſet. Præſedit autem in hac Synodo Summus ipſe Pontifex Alexander, ut videre eſt ad dexteram Concilii partem, trecentique Epiſcopi tàm Orientales, quàm Occidentales interfuerunt pro moribus tàm Laicorum, quàm Eccleſiaſticorum reformandis, necnon Vualdenſibus, & Catharis damnandis, torneamentiſque prohibendis, ut ad dextrum Concilii angulum cernere licet, ubi mirus hujus generis Ludi apparatus cernitur, Viro edictum manu geſtante, torneamentique ducem alloquente. Ex hac parte Palatium Lateranenſe, ex alterâ verò Roma, Tyberinumque flumen repræſentantur. Hæretici verò, qui hoc in Concilio damnati fuerunt, ſeu pauperes Lugdunenſes, *Waldenſes* dicti ſunt a quodam divite Waldone Lugdunenſi, qui opibus relictis, pauperibusque erogatis, Evangelicam paupertatem ſimulans, multosque ſub hujusmodi velamine impios errores adumbrans, quoſdam libros vulgari maternâque linguâ, cum idiota eſſet, ſanctorum dictis, ac teſtimoniis extortis, ſibi conſcribi curavit: ſuoque inflatus ſpiritu munus Apoſtolicum prædicando uſurpavit. *Cathari* autem dicti ſunt quaſi puri propter munditiam & puritatem, quam arrogantiſſimè, & falsò quidem oſtentabant, dicentes ſe ſine peccato eſſe contrà illud Joannis: *Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veri-*

Genebr. lib. 4. anno Chriſti 1178.

Joan. 1.

veritas in nobis non est. Hinc omittebant illud orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra*. Hosce hæreticos S.P.Augustinus in Manichæos, in Macarios, & in Catharistas distinguit. Inscriptio autem ad universam hujus Concilij picturam pertinens in hanc legitur verborum formam.

August.lib.de hær. cap.46. tom.6.

ALEXANDRO III. PONT. FEDERICO I. IMP. WALDENSES ET CATHARI HÆRETICI DAMNANTUR:
LAICORUM ET CLERICORUM MORES AD VETEREM DISCIPLINAM RESTITUUNTUR, TORNEAMENTA VETANTUR.

Torneamenta hoc in libro intelliguntur exercitia illa armorum usum repræsentantia, undè, ut plurimùm, cædes, vel gravia vulnera reportantur: quæ si pro viribus tantùm humanis experiendis, vel pro armorum usu addiscendo fierent, ita verò, ut vitæ corporis, animæque periculum eis non ineesset, licita forent, & ab Ecclesiâ prohibita non fuissent, cujusmodi sunt hastiludia, ludus Trojanus, sive cannarum vel virgarum, quibus equites tecti clypeis ludere solent, & cętera id genus alia, quæ adhibito moderamine, quo cædes, & alia discrimina caventur, illicita non existimantur, sed potiùs permittuntur. Hinc pugnans in torneamento illicito, reus homicidii, & irregularis judicatur, si quis in eo etiam fortuitò inter pugnantes, vel extrà pugnantium cœtum occidatur: interfectus autem inter pugnantes, necnon ille, qui etiam non pugnandi causâ accessit, sepulturâ Ecclesiæ privatus judicatur. Hinc mirum non est, si prima hujus generis torneamenta illicita vetentur, cum sine animæ discrimine exerceri non queant. Hæc de Concilio Lateranensi Generali primo, ejusque Inscriptione.

Sext.decret. Extravag.tit. 9.c.unico.

DE
CONCILIO II. LATERANENSI
ŒCUMENICO,

Et duodecimo Generali, omniumque Conciliorum celeberrimo.

CONcilium hoc Oecumenicum XII., & Lateranense II. circà annum Domini 1215. celebratum, omnium, quæ umquàm fuerint in universâ Europâ, vel Ecclesiâ, extitit celeberrimum. Nam præter Romanum Pontificem, Innocentium hujus nominis III. qui Concilio præfuit, ex quatuor orbis terrarum nobilissimis Patriarchis duo hac in Synodo interfuerunt, Constantinopolitanus, scilicèt, & Hierosolymitanus: Antiochensis enim excusatione morbi legitimâ, Sacerdotes legatos, & sanctos misit: Alexandrinus autem ab Ægyptiis ire vetitus ex suis misit Oratores. Archiepiscopi tùm Græci, tùm Latini septuaginta: Episcopi quadringenti, Abbates duodecim, Sacrorum Cœnobiorum primores octingenti consedere. Fuerunt denique in universum Patres 1285., vel 1300.; ut placet Antonino Archiepiscopo Florentino, qui mille, & tercentum Episcopos huic Synodo interfuisse ait, Episcopos pro Prælatis, jureque suffragii ferendi in Concilio insignitos usurpans. Græci item, & Romani Imperii Legati, Regumque Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierusalem, & Cypri oratores interfuere.

Sanctus Ant. part.3. tit.19. c.1.§.6. Æmil. libr.5. Blon. libr. 6. dec.2. in fine. Plat.in vita Innoc. Sur.tom.3. Concil. Genebr.lib. anno Christi. 1215.

Hoc in Concilio damnatus fuit libellus, quem edidit Abbas Joachim contrà Petrum Lombardum, Magistrum sententiarum de unitate essentiæ, sivè de essentiâ Sanctissimæ Trinitatis. Magister enim in libro primo sententiarum dixit: *Quædam summa res est, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non est generans, nec genita, nec procedens.* Hæc Magister. Ex quibus verbis, Abbas Joachim hujusmodi doctrinam haùd rectè percipiens, quaternitatem colligebat: & quartam in divinis rem adstruebat, hujusque generis errorem, & notam Magistro impingebat. Hinc damnatâ Joachim doctrinâ, super quam dictum errorem Magistro Sententiarum falsò adscriptum fundabat, approbata est hæc Magistri doctrina, hunc, scilicèt, in modum: *Quædam summa res est, incomprehensibilis quidèm, & ineffabilis, quæ veracitèr est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul personæ, quarum quælibet est illa summa res non generans, non genita, nec procedens: sed Pater est qui generat: Filius qui gignitur: Spiritus Sanctus qui procedit: distinctiones enim sunt in personis, & unitas in essentiâ, vel in substantiâ, & in naturâ. Alius namque est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus quantùm ad distinctionem personarum, non tamen aliud: sed in essentiâ, & naturâ universa Trinitas omninò idem, tresque personæ illæ divinæ consubstantiales dicuntur, & sunt.*

Mag.sent. lib 1.Dist.5.

De summa Trin.cap.Firmiter.

Hoc item in Concilio de confessione auriculari singulo quoque anno faciendâ, & Eucharistiâ in Paschate recipiendâ, deque consecrationis verbis sanctiones fuerunt acclamatæ, & promulgatæ: bellumque sacrum, quod *Cruciatam* appellamus, de Hierosolyma recuperanda decretum fuit, cruce signatis institutis. Hinc Summus Pontifex Innocentius in subsellio Pontificio assidens duos viros ad ejus pedes provolutos Cruce signatorum Duces instituere, Concilio universo spectante, conspicitur. Hujus Concilii Inscriptio in hanc legitur verborum formam.

INNOCENTIO III. PONT. FEDERICO II. IMP. ABBATIS JOACHIM ERRORES DAMNANTUR. BELLUM SACRUM DE HIEROSOLYMA RECUPERANDA DECERNITUR. CRUCESIGNATI INSTITUUNTUR.

Ad lævâm hujus Concilii partem sanctus Franciscus Ecclesiam Lateranensem humeris sustinere cernitur. Hic enim Romam venit, ut sui Ordinis regulam ab Apostolicâ Sede confirmandam curaret, sed ab Innocentio III. rejectus est. Hunc autem idem Innocen-

Brev.die 4. Octob.

centius, cùm in somnis posteà idem Franciscus, quem repulerat, collabentem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere sibi visus esset, conquisitum accersiri jussit, benignèque accipiens, omnem ejus institutorum rationem confirmavit. Quarè hujus generis historia tàm insignis ad Basilicam Lateranensem, in qua Synodus ipsa celebrata fuit, & ad eumdem Pontificem pertinens, hoc in loco repræsentatur, ut Inscriptio, quæ infrà legitur, apertè docet hunc in modum :

INNOCENTIO III. PONTIFICI PER QUIETEM S. FRANCISCUS ECCLESIAM LATERANENSEM HUMERIS SUSTINERE VISUS EST.

Ad ejusdem Concilii dextram S. Dominicus, flagellum manu gestans, conspicitur. Hic enim sanctus, quamvis sui ordinis confirmationem ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi, ad quod cum Episcopo Tholosano iverat, non acceperit, sed ejusdem Pontificis hortatu ad suos pro regulâ sibi diligendâ remearit, & ab Honorio III., S. Augustini Regulâ susceptâ, Ordinis Prædicatorum confirmationem impetrarit, hoc tamen in loco repræsentatur, propterea quòd ejus consilio, & operâ Simon ille Illustrissimus, & Christianissimus Comes a Monteforti pugnam contrà Albigenses suscepit : quo in prœlio centum millia hæreticorum ab octo millibus Catholicis fusa, & interfecta fuisse perhibentur : ex quibus, cum multi capti essent, centum & octoginta fuerunt concremati hæresim abjurare renuentes. In hujusmodi hæreticæ pravitatis extirpatione, & in prædicationis officio, a quo Prædicatorii Ordinis nomen desumptum est, S. Dominicus annos circiter decem iis in partibus adlaboravit. Inscriptio dictam contrà Albigenses pugnam indicans, in hanc verborum legitur formam :

S. DOMINICO SUADENTE CONTRA ALBIGENSES HÆRETICOS SIMON COMES MONTIFORTEN. PUGNAM SUSCIPIT, EGREGIEQUE CONFICIT.

Et quoniam Innocentii III. virtutem & doctrinam Beatorum Virorum, Franciscì, videlicèt, ac Dominici sanctitas non parùm adjuvit, hinc jure quidèm unus & item alter hoc in Concilio tamquàm Ecclesiæ Catholicæ propugnacula, & fulcimenta repræsentantur.

DE CONCILIO LUGDUNENSE PRIMO, ET GENERALI XIII.

Tom. 3. Conc. Anton. 3. part. tit. 19. cap. 5. §. 1. & 2.

LUgdunense primum Concilium, & Generale XIII. Lugduni, Civitate celeberrimâ, totiusque Galliæ Celticæ olim emporio, in colle suprà confluentem Rhodani, & Araris imminente : nunc verò in plano sitâ, magnâ sui parte Rhodano & Arari fluminibus

Platina in vita Innoc. 4.

inclusâ, circà annum Domini 1245. missis per Orbem terrarum nunciis, celebratum fuit sub Innocentio IV, primo Anagniæ Pontifice, qui præsens adfuit Concilio, in quo Federicum II. Imperatorem, qui pacem inter Ecclesiam, & Imperium initam non semel violavit, Cardinalesque sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cæterosque Prælatos, & Clericos ad Concilium proficiscentes carceri mancipavit, regnumque Siciliæ, Beati Petri patrimonium in scelestissimam, ac tyrannicam servitutem redegit, hæresisque vehementi suspicione laboravit, Federicum, inquam, rogatum priùs & admonitum per Cardinales Legatos, deindè ad Concilium per nuncios accersitum, eoque proficisci renuentem, excommunicatum, omnique honore ac dignitate privatum adjudicavit, adjudicatumque promulgavit, & Ecclesiæ hostem declaravit, atque ad electores Imperii de novo eligendo Imperatore scripsit,

Genebr. lib. 4 Chron. Æmil. lib. 7. Vinc. lib. 32. Spec. hist.

Hoc in Concilio interfuerunt omnes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, aliique Prælati, necnon Ludovicus Rex Francorum offerens sese, suumque regnum in Ecclesiæ, ac Summi Pontificis defensionem, ut ad lævam hujus Concilii videre est. Ad dexteram verò Innocentius IV. subsellio Pontificio insidens pileo rubro Cardinales decorare cernitur : nam ad illam usque diem hujus generis galerum gestare amplissimus ille Senatus non consuevit. Quæ res usum tandèm obtinuit, & jure quidèm, non solùm ut major Illustrissimo illi ordini accederet majestas, sicut res ipsa postulat, sed ut hujusmodi argumento admoneantur Cardinales oportere pro Christianâ religione se semper paratos esse discrimini, & sanguinem effundere, si opus foret. Cardinales enim sunt Consiliarii Summi Pontificis, Templi Dei bases, clarissima Ecclesiæ lumina, & columina, verique cardines figurati in iis Sacræ Scripturæ verbis: *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Quam sententiam Ostiensis ille Doctor egregius ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales perpulchrè transtulit dicens: *Sicut ostium regitur cardine, ita & Ecclesia Romana consilio regitur Cardinalium* : quia etiam per septuaginta illos viros senes, populi magistros, ejusque onus secum sustentantes, & per illos Sacerdotes Leviticis generis Consiliarios figurati sunt. Hi autem in primitivâ Ecclesiâ ad pium ministerium instituti nonnumquàm presbyteri, quandoque verò in quacumque Ecclesiâ principales Sacerdotes, seu Episcopi dicebantur Cardinales, idest, principales : ut apud Gregorium Magnum videre licet : qui primates Ecclesiæ cujuscumque etiam Episcopos frequenter Sacerdotes Cardinales appellat, quibus instar septuaginta illorum senum onus populi in veteri Testamento sustentantium, ad Leviticì generis Sacerdotum, animarum curâ, spe retributionis futuræ, committebatur. Quod autem principiò prorsus oneri fuit, summo tandèm, nec immeritò quidèm, & oneri atque honori etiam esse cœpit, quando, scilicèt, illi in administrandâ Republicâ Christianâ Pontifici semper præsto adesse cœperunt, atque

Ex Vinc. libr. 30. cap. 143. & Anton. 3. par. ubi supra.

1. Reg. 2.

Num. 11.

Deut.

Greg. lib. 1. Epist. 79. & epist. 81., & lib. 2. epist. 25. Et Can. 7. q. 1. Pastoralis.

que ita ut inter contentiones Imperatorum, ac populi Romani de Pontifice creando non semel subortas, auctoritatem, & prærogativam ipsius Pontificis eligendi sibi jure compararint. Hinc iis paulatìm non solùm potestas, sed decus etiam & ornamentum, quod ad habitum pertinet, paulatìm accessit, præsertìm verò ubi primùm ab Innocentio IV. sancitum fuit, ut Equo deinceps insidentes rubro uterentur galero: posteà verò a Paulo II. Veneto veste coccineâ, cucullo insigni, hoc est, *Lacernâ*, quam sic veteres appellant, donati fuerunt, eousque hujus generis habitum non habentes. Undè Cardinalis nomen ita celebre paulatìm redditum fuit, ità denique hic ordo supremus, tantoque incremento auctus evasit, ut solus sit universæ Reipublicæ Christianæ Senatus.

Anno Christi 1245. vel 50.

Hæc de Pileo rubro, & purpurâ veste, quibus Cardinales non immeritò decorati sunt, ut in hoc Concilio videre est: in quo etiam de recuperandâ Terrâ sanctâ sancitum fuit, S. Ludovico Francorum Rege, quintæ expeditionis Duce creato, qui Cruce signatus, & in Asiam cum exercitu profectus, quinto post anno in Galliam remeavit.

Genebr. lib. 4. Chron. anno Christi 1245.

Nec silantio prætereundum esse censeo, Innocentium IV. inter alia & permulta quidem a se gesta, immortalitateque dignissimâ, nuncios ex Ordine Prædicatorum ad Tartaros misisse pro iis ad fidem convertendis. Hic etiam Pontifex Petrum Martyrem ex eodem Ordine Sanctorum cathalogo adscripsit, compluresque Cardinales, viros sanè egregios, creavit, præsertìm verò Hugonem, Ordinis item Prædicatorum, primum Cardinalem, virum omni probitate ornatum, ac doctissimum, qui universam Scripturam sacram quadruplici sensu explanavit, & in Psalmos luculentissimum edidit Commentarium, Bibliorumque indicem, quem Concordantias vocant, laboriosissimum sanè, & immensi tædii, ac temporis opus, sacrarumque literarum studiosis magnoperè necessarium, primus excogitasse, excogitatumque promulgasse, perhibetur: qui etiam in Germaniam ad Imperii electores Legatus missus est pro novo eligendo Imperatore, Federico II. dignitate Imperatoriâ privato, & huic Concilio Lugdunensi primo interfuisse creditur. Summus autem Pontifex Innocentius multis rebus gestis clarus Perusii ex hac luce decessit. Inscriptio, quæ hujus Concilii res præcipuas exponit, in hanc legitur verborum formam:

Vinc. Spec. hist. libr. 31. c. 2. Anton. 3. par. tit. 19. c. 2. §. 3.

Anton. 3. par. ubi supra, & Six. sen. lib. 4. Bibl.

INNOCENTIO IV. PONT. MAX. IMP. FEDERICUS II. HOSTIS ECCLESIÆ DECLARATUR, IMPERIOQUE PRIVATUR.

DE TERRÆ SANCTÆ REGUPERATIONE CONSTITUITUR:

HIEROSOLYMITANÆ EXPEDITIONIS DUX LUDOVICUS FRANCORUM REX DESIGNATUR:

GALERO RUBRO, ET PURPURA CARDINALES DONANTUR.

DE CONCILIO LUGDUNENSI SECUNDO, ET GENERALI XIV.

S. Ant. part. 3. tit. 20. cap. 2.

CONcilium Lugdunense II., & Generale XIV. celebratum fuit Lugduni circà annum Domini 1272. Episcoporum 500. Abbatum 60. aliorumque minorum Prælatorum, ac Sacerdotum ferè mille, præside Romano Pontifice Gregorio X. Placentino, qui fuit creatus Pontifex, dum in Syriâ legationis munere fungebatur, & Viterbii coronatus. Hinc Conclave, & eundem ferè in eligendo Pontifice modum, qui nunc observatur, & alia ad Conclave pertinentia decrevit: nam ad illud usque tempus Cardinales in Conclavi haudquàquam recludebantur, sed summo mane singulis diebus, si Romæ erant, in Laterano, vel in Basilicâ S. Petri, aut alibi, prout occasio se se offerebat; si autem extrà Urbem, in Ecclesiâ Cathedrali illius loci, in quo morabantur, unà conveniebant, non secùs atque hac tempestate fieri solet, dum congregatio habenda est.

Onuph. Panu. & Petr. Maturus in Chron. S. Ant. 3. part. tit. 20. c. 2.

Concilium hoc prò Terrâ Sanctâ recuperandâ coactum fuit, nec non contrà Græcos de processione Spiritus Sancti a Filio; declaratum enim, definitumque fuit, Spiritum Sanctum ab æterno a Patre, & Filio, non tamquàm ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio: non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione procedere: damnatique sunt sub anathematis vinculo, qui alitèr senserint, seu aliter asserere ausi fuerint. Hinc in ipso Concilio Articulus de processione Spiritus Sancti à Patre, & Filio, dum solemnis fiebat lustratio, Latinè, atque Græcè decantatus est. Quarè ad dexteram hujus Concilii per Pictorem repræsentati verba hæc Latinis figuris, notisque musicis conscripta leguntur.

In 6. Decret. de sum. Trin. & fide Cathol. lib. 1. tit. 1.

QUI A PATRE, FILIOQUE PROCEDIT.

Ad lævam autem verba hæc Græca idem sonantia notis item musicis insignita leguntur in hanc verborum formam.

ΤΟ ΠΝΕΥΜΑ ΤΟ ΑΓΙΟΝ ΕΚ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ, ΚΑΙ ΤΟΥ ΥΙΟΥ ΕΚΠΟΡΕΥΕΤΑΙ.

Id eousque, & ad hanc usque diem professa prædicavit, & docuit sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra. Hoc itèm habet orthodoxorum patrum atque doctorum tùm Latinorum, tùm etiam Græcorum incommutabilis, ac vera sententia sicut in eodem Concilio definitum fuit. Sunt qui velint Græcorum Imperatorem, Michaelem Paleologum, & Tartarorum Regem huic Concilio interfuisse, sicut pictura ipsa monent: Imperatorisque auctoritate unionem, sive concordiam utriusque Ecclesiæ, nonnullis tamen repugnantibus Græcis, initam fuisse affirmant. Hujus ge-

Ex Geneb. lib. 4. 1272. Giul. Nang. Nicephor. Greg. lib. 5. Tom. 3. Concil. & Blon. dec. 2. lib. 8. & Trith. in Chron. Monast. Hirs.

neris unionem, sive concordiam per pictores repræsentatam ad dexteram hujus Concilii partem videre est: ubi duæ mulieres se invicem salutantes cernuntur, indumentis Ecclesiasticis indutæ: quarum una Ecclesiam Latinam, altera verò Græcam satis clarè demonstrant: si utriusque indumenta rectè conspiciantur. Inscriptio verò hanc historiam declarans hunc in modum legitur:

Gregorio X. Pont. Græci ad sanctæ Ecclesiæ Romanæ unionem redeunt.

Nicephor. Greg. lib. 5.

Hinc Michael Paleologus Imperator, ut ait Nicephorus, Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ fidem, ac ritus recipere renuentes varii mulctavit modis, bonorum, videlicèt, publicationibus, relaxationibus, carceribus, excæcationibus, flagris, mutilationibus, & id genus aliis pœnis. Quare Becus, Patriarcha Constantinopolitanus, excellentis planè ingenii, ac doctrinæ vir, Imperatoris edicto de processione Spiritus Sancti non obtemperans, seu potiùs adversans, in teterrimos carceres, ut idem Nicephorus ait, conjectus fuit: at deinceps resipiscens, mutatâ sententiâ, pristinæ dignitati restitutus, ab intimis Imperatoris consiliis efficitur, atque ita, ut sine ejus consilio nil penitùs gereretur.

Genebr. lib. 4. Chron. 1272.

Ibidem.

Non desunt tamen qui affirment, non Imperatorem, sed ejus Legatos huic Synodo interfuisse: quæ quidem sententia verior existimatur, ut apertè colligitur ex Epistolâ ejusdem Gregorii X. ad eundem Imperatorem ejusque Filium missâ: in qua eis de unione ab ipsis Legatis initâ gratulatur.

Ex act. Concil. Et ex Registro. Ex Guill. Nang. Et Nicephor. Greg. libr. 5. Et Geneb. libr. 4. Chron. 1272.

Ad eandem Concilii dextram Sanctum Bonaventuram Cardinalem ex Ordine Minorum Cathedræ insidentem, necnon ejusdem instituti Fratres ad inferiorem partem assidentes, & cum Græcis de processione Spiritus Sancti disputantes videre est. Inscriptio ad hanc historiam pertinens, hæc est.

In hoc Concilio S. Bonaventura egregia virtutum officia Ecclesiæ Dei præstitit.

S. Ant. 3. part. tit. 20 cap. 2., & Brev. Rom. die 7. Martii.

Sanctus item Thomas Doctor angelicus Neapoli degens ad hoc Concilium à Gregorio X. fuit accersitus: sed in itinere faciundo adversâ valetudine impeditus, in Monasterio Fossæ novæ Ordinis Cistercienſis, non procùl a Terracinâ, & propè Pipernum castrum, ad duo milliaria, permansit, ubi Cantica canticorum explanavit, ac tandem inibi ex hac luce decessit.

Huic etiam concilio inter alios viros insignes præsens adfuit Frater Hieronymus Minorita Asculanus, qui fuit Nicolaus Papa hujus nominis IV. Hic Regem Tartarorum baptizandum ad Concilium duxit, ut videre licet ad hujus Concilii lævam, ubi Rex ipse solemni, & Ecclesiasticâ pompâ baptismum suscipere cernitur, sicut Inscriptio docet, quæ hunc in modum legitur.

Rex Tartarorum solemniter baptizatur.

Ex Actis Concil.

Sunt tamen, qui dicant non Tartarorum Regem, sed ejus Nuncios huic Synodo interfuisse: quorum unum a Petro Ostiensi Episcopo solemni pompâ baptizatum esse affirmant.

Hoc item in Concilio cernere est Gregorium X. subsellio Pontificio insidentem, & Regem Tartarorum humi provolutum, summique Pontificis pedes exosculantem, quem propè Frater Hieronymus, de quo sermonem habuimus, adstare cernitur, ipsumque Regem eò duxisse repræsentatur. Inscriptio, quæ infrà est, in hanc legitur verborum formam:

Tartarorum Rex a Fratre Hieronymo Ordinis Minorum ad Concilium perducitur.

Nec a re nostrâ alienum fore hoc loco duximus, si qua de Fratre Hieronymo, quem hac in Inscriptione videmus nominatum, dicamus. Ut autem quod pollicemur, tùm exactius tùm brevius præstare possimus, Epitaphium luculentum, quod in ejus sepulchro statuis marmoreis insignito incisum legitur, hìc apponendum censui: hac enim Inscriptione, & ejusdem Fratris Hieronymi laudes, & Sixti V. qui monumentum ipsum nobilissimum in Ecclesia S. Mariæ Majoris ædificandum curavit, animi ingenuitatem amplectemur. Epitaphium in hunc legitur verborum formam:

Nicolaus IV. Ordinem Minorum professus, Philosophus, & Theologus egregius Constantinopolim a Gregorio X. missus, Græcos ad R.E. communionem, Tartaros ad fidem reduxit. Post S. Bonaventuram Generalis, sanctitate, & doctrina Ord. propagavit. Nicolai III. Nuncius inter Francorum, & Castellæ Reges pacem conciliavit. Sanctæ Potentianæ Cardinalis, Legatus Honorii IV. in Galliam, Senatoriam P.R. dignitatem Sedi Apostolicæ restituit. Factus Pontifex Remp. sublatis discordiis composuit, Christianos Principes sacro fœdere junxit, Ptolemaidem copiis adjuvit. Flaminiam in Pontificis iterùm ditionem redegit. Publicum in monte Pessulano Gymnasium restituit. Probos, & eruditos in cognatorum loco tantum habuit. Lateranen., & hanc Basilicam structuris, & opibus auxit. Tandem Iustitiâ, & Religione orbem terræ moderatus magnæ sanctitatis opinione obiit prid. Non. Aprilis. M.CCXCII. Pontificatus sui Anno V.

DE CONCILIO VIENNENSI XV. GENERALI.

Ex Plin. lib. 3. cap. 24.

Viennense Conciliũ Generale XV. Viennæ, quæ est Austriæ Metropolis, Urbs inclyta, omniumque Urbium, quas Danubius fusti-

S. Ant. 3. part. tit. 21. c. 1. Prateolus.

sustinet, & ædium magnificentiâ, & rerum copiâ clarissima, celebratum fuit circà ann. Dom. 1311. sub Alberto I. Imperatore, & sub Clemente hujus nominis V. Hic natione Vasco, dùm erat Archiepiscopus Burdegalensis (nam Cardinalis, Burdegalæ degebat) summus Pontifex absens creatus Perusiæ, & Lugduni a Cardinalibus coronatus, Rege Galliæ, Rege Angliæ, ac Rege Tarraconensi, vel Aragoniæ præsentibus, sedem Pontificiam ab Urbe Româ, Avenionem circà ann. humanæ salutis 1305. transtulit: sed eam Gregorius XI. post ann. 70. Romam ann. Domini 1376. reduxit.

Plat. & Palm. tom. 3. conc. Ex Geneb. lib. 4. Chroni 1311.

Sunt qui velint huic Concilio interfuisse Philippum IV. cognomento *pulchrum* Francorum Regem, ejusque filium primogenitum, Ludovicum, scilicet, *Hutinum* dictum Navarræ tunc Regem, & Philippi fratrem Carolum Valois comitem, ut ex vitâ Clementis V. manuscriptâ constat.

S. Anton. ubi supra. Onuphr., & Blon. dec. 3. lib. 9. Trithemius. Et Geneb. lib. 4. Chronic. 1311.

Huic Concilio Summus præsedit Pontifex: præsentes autem adfuerunt duo Patriarchæ, Alexandrinus, scilicet, & Antiochenus, Episcopi 300. aliique Patres permulti contrà Saracenos prò Terrâ Sanctâ recuperandâ, necnon contrà Templarios hæreticos, quibus condemnatis, eorum instituti redditus in alias sacrorum ordinum familias fuerunt distributi: & quasi dato a Summo Pontifice signo è Concilio Viennensi ob nefanda quædam scelera, pravasque opiniones ad Religionem pertinentes, universus eorum ordo deletus fuit. Rex Armeniæ Regno renunciat, & in Ordinem Sancti Francisci sese abdidit.

Polid. Virgil. lib. 6. cap. 8.

Hoc in Concilio Festum Sacramenti corporis Christi ab Urbano IV. institutum, cujus officium cum hymno, & prosâ S. Thomas edidit, & ab eodem Urbano in præmium, columnam argenteam accepit, confirmatum fuit, Lustratioque ipsa, qua corpus Christi Sanctissimum in ferculum Feria V. post Octavam Pentecostes ferri solet, centum fere post annis Papiæ initium sumpsit, & in hoc item Concilio fuisse instituta, atque inde ad reliquas Occidentis partes manasse perhibetur.

Prateolus, & Genebr. ubi supra.

Eodem in Concilio Clericorum mores reformati sunt, decretumque fuit, ut honestis donarentur stipendiis, qui in primariis Europæ Academiis, Hebraicam, Caldaicam, Græcam, & Arabicam linguam publicè profitentes docerent, ut fides Catholica apud omnes nationes propagaretur. Constitutiones item, quæ Clementinæ a Clemente ipso Pontifice editæ, & ab ejusdem Pontificis nomine dictæ, approbatę fuerunt, sicut innuere videtur quatuor illi Viri, qui libros manu gestantes in terram provoluti, pontificiamque benedictionem postulantes hoc in Concilio repræsentati cernuntur. Quæ quidem ferè omnia Inscriptiones, quę infrà leguntur, hisce verbis comprehendunt.

CLEMENTE V. PONTIFICE CLEMENTINARUM DECRETALIUM CONSTITUTIONUM CODEX PROMULGATUR.

PROCESSIO SOLEMNITATIS CORPRIS DOMINI INSTITUITUR.

HEBRAICÆ, CHALDAICÆ, ARABICÆ, ET GRÆCÆ LINGUARUM STUDIUM PROPAGANDÆ FIDEI ERGO IN NOBILISSIMIS QUATUOR EUROPÆ ACADEMIIS INSTITUITUR.

Hac in Camerâ prætèr quatuor Concilia penicillo inibi repræsentata, Palatium Lateranense novum, & vetus depicta cernuntur: quorum alterum ad lævam, alterum ad dexteram videre est. De his in Emblemate 6. sermonem habuimus. Nunc reliquum est, ut ad alia Concilia, quæ in alterâ camerâ repræsentantur, accedamus.

DE CONCILIO FLORENTINO XVIII. GENERALI,

Quod Græci octavam Synodum vocant.

FLórentinum Concilium Generale XVIII. celebratum est primùm Ferrariæ, quæ est Civitas admodum nobilis a Pado flumine in Italiâ *Circumpadana* dicta. Attamen inibi inchoatum, propter ingruentem pestem absolvi non potuit: hinc ab Eugenio IV. translatum est Florentiam, Civitatem in Hetruriâ clarissimam, quæ olim *Fluentia*, quòd ad Arni fluenta extructa sit, dicta: & *Fluentini* illic Populi, Catone & Plinio, qui nunc *Florentini* nomine magis auspicato vocantur, ut Politianus in quadam scribit epistolâ, nuncupabantur. Nunc autem *Florentia* dicitur, & verè Florentissima vocitari potest, non solùm ob mercaturæ, militiæque peritiam, variarumque disciplinarum cognitionem, ingeniorumque nobilitatem, atque ædificiorum præstantiam, verùm etiam ob miram Ferdinandi Medicei magni Ducis magnanimitatem, qua tota Hetruria & Florentia præsertim exultat, & gloriatur: de qua nunc illud paronomisticum non immeritò dici valet:

Florìda Florenti floret Florentia flore.

Florentinum igitur Concilium Ferrariæ inchoatum, Florentiæ absolutum est, cui Eugenius IV. præsedit anno Domini 1438. sub Sigismundo Imperatore, præsentibus Josepho Constantinopolitano Patriarchâ, qui Florentiæ obiit, & Joanne Paleologo Orientis Imperatore, necnon Cardinalibus, multisque Episcopis tùm Græcis, tùm Latinis, Abbatibus, Monachis, & Crucesignatis.

Genebr. lib. 4. Chron. 1438. Et Prateolus.

Hoc in Concilio primùm inter Græcos, & Latinos disputatum fuit de processione Spiritus Sancti, definitumque fuit, explicationem verborum illam, *Filioque procedit*, veritatis declarandæ causâ in Concilio Lugdunensi II. urgente necessitate, & rationabiliter quidem in Symbolo fuisse appositam. Secundò de igne Purgatorii. Tertiò de Papæ primatu. Quartò de Christi corpore in azymo, sive fermentato veracitèr conficiendo: facer-

dotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque, scilicet, juxtà suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem. Quintò de panis transubstantiatione in Eucharistiæ Sacramento, Græca tandem Ecclesia cum Romanâ convenit: Armenique & Indi Sacramentum confirmationis recipientes unitatem fidei reintegrarunt, ut Inscriptio, quæ infrà legitur, in hanc verborum formulam docet:

Geneb. lib. 4. Chron. 1438. Et Prateolus.

EUGENIO IV. PONTIFICE, GRÆCI, ARMENI, ÆTHIOPES AD FIDEI UNITATEM REDEUNT.

Sed quoniàm Bessarion Trapezuntius, Archiepiscopus Nicænus, & Isidorus Archiepiscopus Thessalonicensis, doctissimi Græcorum in Latinis perindè ac Græcis literis hoc in Concilio concordiæ Ecclesiæ utriusque fuerunt Auctores, in Cardinalium collegium cooptati sunt.

Sess. 10. Ferr. 10. 3.

Hoc in Concilio sanctorum Thomæ Aquinatis, & Bonaventuræ doctrina non semel citatur, & laudatur.

Nec silentio prætereundum censeo, quòd Josepho Constantinopolitano Patriarchæ accidit. Hic enim, dum ultima Sessio agebatur, post cœnam in penetrale domus scribendi causâ sese recipiens, tremore, atque animi languore affectus subitâ morte occubuit. Quo in transitu pro suæ fidei Catholicæ testimonio reliquit Chirographum, in quo Pontificem Romanum, tamquàm verum JESU CHRISTI Vicarium, & S. Petri successorem in universo Orbe tenere primatum, animarumque Purgatorium esse confessus est: quæ omnia ad illud usque tempus fuerat inficiatus. Hinc unus ad lævam, alter verò ad dextram Concilii cernuntur in suggesto: quorum alter Concilii decreta, alter verò Confessionem Josephi Archiepiscopi Constantinopolitani de igne Purgatorii, deque primatu Petri scriptis mandatam promulgare repræsentantur.

DE CONCILIO XIX. ŒCUMENICO, ET LATERANENSI III.

Genebr. lib. 4. Chron. 1511.

LAteranense III. Generale, & XIX. Œcumenicum contra Concilium Pisanum a Maximiliano I. Imperatore, & Ludovico Rege, & a quibusdam Cardinalibus contrà Julium II. Papam coactum, ab eodem Julio indictum fuit, & non solùm contrà dictum Conciliabolum, sed etiam contra Turcas, & pro Ecclesiæ reformatione, necnon pro pace inter Principes Christianos componendâ institutum, & inchoatum, circà annum Domini 1513. ejusdemque Julii II. morte interruptum, continuatum verò, & absolutum a Leone X. Florentino ex familiâ Mediceâ. Hoc in Concilio præsentes adfuerunt Maximilianus Imperator, & Franciscus Rex Galliæ: quibus turcicum bellum commissum est, sicut duæ docent Inscriptiones, quarum altera ad lævam, altera ad dextram Concilii hisce leguntur verbis:

JULIO II. ET LEONE X. PONT. MAX. BELLUM CONTRA TURCAM, QUI SYRIAM, ET ÆGYPTUM, PROXIME SULTANO VICTO, OCCUPARAT, DECERNITUR.

MAXIMILIANUS CÆSAR, ET FRANCISCUS REX GALLIÆ BELLO TURCICO DUCES PRÆFICIUNTUR.

DE CONCILIO TRIDENTINO GENERALI XX. ET ŒCUMENICO.

TRidentinum Concilium, & ultimum Generale Tridenti, in Urbe ad Athesin sitâ, in Italiæ, & Germaniæ confinibus coactum, & in postremo Bibliothecæ loco, servato temporum ordine, depictum, fusiorem, exactioremque postulat declarationem, cùm ætate nostrâ fuerit celebratum.

Concilium hoc contrà Lutheranos, Zuinglianos, & Calvinistas sub Paulo III. qui sedit ad ann. 15. indictum fuit anno Dom. 1542. 11. Kal. Junii anno sui Pontificatus VIII., & anno 1545. inchoatum die 13. mensis Decembris: deindè sub Julio III. qui sedit annos 5. mensem 1. dies 10. Deindè sub Marcello II. qui sedit dies 28. Deinde sub Paulo IV. qui sedit annos circitèr V. Sed sub Marcello ob suam ipsius mortem, & sub Paulo IV. ob bellum nihil actum fuit. Postremò sub Pio IV. qui sedit annos 5. menses 5. absoluta, & acclamata est anno Domini 1564. 26. Januarii die S. Policarpi ab eodem confirmata, cum jam diù, multumque ab universis fidelibus fuisset desiderata.

Hoc autem Concilium non uno tantùm in loco celebratum est: nam primò idem Pont. Paulus III. anno sui Pont. III., & anno Dom. 1537. pro Concilio celebrando Mantuam locum aptum designavit, & indixit. Sed ob aliquas pactiones sibi propositas à conditione temporum, ac Sedis Apostolicæ, nominisque Ecclesiastici dignitate, atque libertate prorsùs alienas Consilium mutavit, & Concilium prorogavit ob infestationem, & invasionem Turcarum in Italiæ littoribus subortam.

Anno verò 1538. Vincentiam Urbem copiosam à Venetis concessam elegit: & Genuæ indictionis literæ promulgatæ fuerunt 4. Kal. Julii, sed ob dilationem Patrum, qui Vincentiam ituri erant, Concilium 1539. ad Summi Pontificis arbitrium suspensum fuit. Sed 1542. tandèm aliquando idem Paulus III. Tridentum locum commodum, & liberum, omnibusque Nationibus opportunum elegit, & anno 1543. incipiendum, & prosequendum promulgavit. Prima autem sessio 1545. inchoata est 13. die mensis Decembris Tridenti, Christo Salvatore nostro adspirante: Apostolicæ Sedis Legatis Præsiden-

dentibus, Joanne Maria Cardin. Episcopo Prænestino: & Marcello Presbytero Card. S. Crucis: & Reginaldo Polo Anglo Diac. Card. sub Carolo V., & Ferdinando Imp.

Hac in Civitate Tridentinâ septem sessiones celebratæ sunt. Deinde notis de causis, accedente etiam Sedis Apostolicæ auctoritate Concilium Bononiam velutì ad locum magis paratum, salubrem, & idoneum, & pro securitate vitæ ipsorum Prælatorum translatum est: & 1547. die 21. Aprilis Sessio nona Bononiæ celebrata est sub eodem Paulo III. Decima vero sub eodem Pontifice, eodemque loco, die 2. Junii ejusdem anni.

Verum 1551. Kalendis Maji Tridenti, quo Julius III. Concilium revocavit, Præsidentibus Sebastiano Archiepiscopo Sipontino, & Aloysio Episcopo Veronensi Nunciis Apostolicis, tam eorum proprio, quàm Card. Marcelli de Crescentiis, Tit. S. Marcelli, Legati absentis nomine ob adversam valetudinem, Sessio XI. celebrata est, usquè ad XVI. Sessionem inclusivè, in qua 1552. die 28. Aprilis ob novos in propinquis Germaniæ locis tumultus excitatos, & bellum in Italiâ, & Galliâ subortum, & gravissimum quidèm, suspensum fuit Concilium.

Pius autem IV. anno sui Pontificatus Primo 1560. Kalendis Decemb. Concilium Tridenti resumendum promulgavit: & 17. Sessio 1562. die 18. Jan. Cathedræ Romanę B. Petri Apostolorum Principis consecratq fuit inchoata, quæ cum reliquis ad 25., & vltimam Sess. usquè, Tridenti celebrata est: & 1563. Synodus absoluta fuit, maximâ bonorum omnium expectatione, universæque Christianæ Reipublicæ tantâ utilitate, quantâ verbis vix umquàm explicari posset, & clausum est Concilium per Joan. Moronum, per Stanislaum Hosium, Ludovicum Simonettam, & Bernardum Navagerium Card. Legatos: nam Card. Altaemps item legatus, & Pii IV. ex sorore Nepos, honestissimis, & gravissimis quidèm de causis decesserat.

Relatio autem facta fuit per Joannem Moronum, & Ludovicum Simonettam legatos. Navagerius enim ob adversam valetudinem aberat. Cardinalis verò Mantuæ 2. Martii, & Card. Seripandus Ordinis Erem. S. Augustini, item legati 17. ejusdem mensis ex hac vitâ decesserant 1563. Decretis autem Concilii subscripserunt 255. Patres, hoc est Legati quatuor, Hosius Varmiensis, Simonetta, Moronus, & Navagerius. Cardinales item duo non Legati, Madrutius, & Lotharingus, per quem fuit facta acclamatio. Patriarchæ 3. Archiepiscopi 25. Episcopi 168. Abbates 7. Procuratores absentium 39. Generales Ordinum 7.

De Bibliis sess. 4.

Hoc in Concilio decretum est de Symbolo Fidei. De Canonicis scripturis: de editione, & usu sacrorum librorum, & præsertim de Bibliorum Vulgatâ editione quàm emendatissimè imprimendâ in Sess. 4. Et de Indice librorum, & Cathechismo edendis, & de Breviario, atquè Missali reformandis, ut in Sess. 25. videre licet: & horum quatuor sub Pio V. facta sunt: Biblia vero Sacra Vulgatæ editionis ad ejusdem Concilii Tridentini præscriptum emedata, & à Sixto V. Pont. Max. recognita, & approbata 1590. in lucem prodierunt. Decretum est de peccato originali: de justificatione: & de Septem Sacramentis: de Purgatorio, & Indulgentiis. Hinc multa in Ecclesiâ Dei restaurata, declarata, & reformata sunt: & innumeræ rerum materiæ pertractatæ, & explicatæ fuerunt in honorem, & exaltationem Catholicæ Fidei, & animarum salutem.

De Indic. Cathec. Brev. & Miss. sess. 25. in fin.

Legati, qui ad Sacrosanctam œcumenicam Tridentinam Synodum convenerunt sub Pio IV. à principio usque ad finem, qui fuit die iv. Decembr. M D L X I I I.

HErcules Gonzaga S. R. E. Presb. Card. tituli Sanctæ Mariæ Novæ, Mantuanus, obiit Tridenti, die secundâ Martij 1563. & sepultus est Mantuæ.

Hieronymus Seripandus S. R. E. Presb. Card. tituli S. Susannæ, Neapolitanus, obiit Tridenti die 17. Martij 1563., & ibi sepultus in Ecclesiâ S. Marci Ordinis Fratrum Eremitarum S. August. quorum olim fuerat Generalis.

Stanislaus Hosius S. R. E. Presb. Card. tituli Sanctæ Mariæ trans Tyberim, Polonus, Vuarmiensis.

Ludovicus Simonetta S. R. E. Presb. Card. tit. S. Cyriaci in Thermis, Mediolanen.

Marcus Siticus S. R. E. Diaconus Card. Basilicę duodecim Apostolorum de Altaemps, Germanus.

Ioannes Moronus S. R. E. Card. Episcopus Prænestinus, Mediolanensis, in demortui Cardinalis de Mantuâ locum missus.

Bernardus Navagerius S. R. E. Presb. Card. tituli Sancti Nicolai inter Imagines, Venetus, in demortui Cardinalis Seripandi locum.

Cardinales non legati.

CArolus à Lotharingia S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli Sancti Apollinaris, Princeps, & Archiepiscopus Rhemensis, Gallus.

Ludovicus Madrutius S. R. E. Diaconus Cardinalis Electus Episcopus Tridentinus, Germanus.

Numerus Prælatorum cujuscumque Nationis, qui ad œcumenicam Tridentinam Synodum convenere.

Prælati	Itali.	187	Per Procuratores.	2
	Galli.	26	Per Procuratores.	1
	Germani.	2	Per Procuratores.	4
	Hiſpani.	31	Per Procuratores.	4
	Luſitani.	3		
	Græci.	6		
	Poloni.	2		
	Hungari.	2		
	Angli.	1		
	Hiberni.	3		
	Flandri.	2		
	Croati.	1		
	Moravi.	1		
	Illyrici.	3		

Fuerunt in Univerſum Prælati 281.

INDEX ORATIONUM ET CONCIONUM

Habitarum ad Patres Concilii Tridentini ſub Pio IV. Pont. Max.

Ex impreſſo Brixiæ anno 1562. juſſu Hieronymi Card. Seripandi Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

ORATIONES ANNO MDLXI.

ORATIONEM habuit ad Patres Synodi, Reverendus Pater Camillus Papienſis, in Dominicâ primâ Adventus Domini 30. Novembris.

R. Maximianus Cremenſis, Ord. Minorum, nunc Epiſcopus Clodienſis, in Dominicâ II. Advent. 7. Decemb.

R. Eugenius Piſaurenſis Ord. S. Auguſtini, in Dominicâ III. Advent. 14. d.

R. Laurentius Venetus, in Dominicâ IV. Adventus 21. d.

R. Jo: Franc. Lombardus Neapolitanus in feſto S. Stephani 26. d.

R. Cæſar Ferrantius Sveſſanus, in feſto Sancti Joannis 27. Dec.

R. Paulus Tridentinus, in feſto Sanctorum Innocent. 28. d.

ANNO M. D. LXII.

R. Julius Gabriellius Eugubinus, in feſto S. Circumciſionis JESU CHRISTI Domini noſtri 1. Jan.

R. Stephanus Aretinus, in feſto Epiphaniæ 6. dicti.

R. Archiepiſcopus Rheginus in inchoatione, ut vocant Sacroſancti Concilii 19. d.

Illuſtriſs. Orator Sereniſs. Regis Luſitaniæ 9. Febr.

R. Simon Florentinus, in feria IV. Cinerum 11. d.

R. Henricus Luſitanus, in Dom. 1. Quadrageſimæ 15. d.

R. Generalis Ord. Minorum Obſervan. in Dom. II. 22. d.

R. Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, Orator Cæſareæ Majeſtatis 24. d.

R. Archiepiſcopus Corcyrenſis in 2. ſeſſione Patrum 26. d.

R. Angelus Venetus, Ordinis S. Auguſtini in Dom. III. 1. Martii.

R. Theodorus Mantuanus, in Dominica IV. 8. dicti.

R. Auguſtinus Hiſpanus, Abbas Congregationis Caſſinenſis, in feſto S. Gregorii Magni, ac Pont. Max. 12. d.

R. Stephanus Aretinus, in Dominica V. quæ dicitur de Paſſione 15. d.

Illuſtriſs. Orator Regis Catholici 16. d.

Magnificus Orator Excellentiſs. Ducis Florentiæ 18. d.

Magnificus Orator Helvetiorum Catholicorum 20. d.

R: Jo: Fonſeca Hiſpanus, in die Paraſceves 27. dicti.

R. Epiſcopus Tinninienſis, Orator pro Clero Hungariæ 6. Apr.

Clariſſimus Orator Ducis Venetorum 25. d.

R. Taddæus Peruſinus Ordinis Eremit. S. Auguſtini, in feſto Aſcenſionis Dominicæ; qui poſteà ejuſdem Ordinis fuit Generalis 7. Maii.

R. Epiſcopus S. Agathæ in 3. Seſſione 14. d.

R. Petrus Favonius Juſtinopolitanus, in die Pentecoſtes 17. d.

R. P. Fontidonius Hiſpanus, in feſto S. Trinitatis 24. d.

Illuſtriſs. Orator Chriſtianiſs. Regis Galliarum 26. d.

R. Epiſcopus Famaguſtanus, in 4. Seſſione 4. Junii.

Excel-

Excellentiſs. Orator Illuſtriſs. & Excellentiſs. Ducis Bavariæ 27. d.

R. Epiſcopus Tinninienſis in 5. Seſſione 16. Julii.

R. Procuratores Reverendiſs. Epiſcopi Baſileenſis, & Ratiſponenſis, eodem die habuerunt Orationes 3. Aug.

R. Epiſcopus Vigintimilienſis, in 6. Seſſione 17. Sept.

R. Epiſcopus Præmiſienſis, Orator Sereniſs. Regis Poloniæ 23. Octob.

R. Franciſcus Orantes Hiſpanus, in feſto omnium Sanctorum 1. Nov.

CONCIONUM INDEX

Omnes iſtæ Conciones habitæ ſunt vulgari, ſeù patrio ſermone, exceptis tribus, nimirum Concione Paivii, Morgati, & Fontidonii.

ANNO MDLXI.

REverendiſſimus Epiſcopus Veronenſis in feſto Aſcenſionis, Concionem habuit coram Patribus Synodi 15. Maii.

R. Epiſcopus Lerienſis, in feſto S. Jacobi Apoſtoli 25. Julii.

R. Ambroſius Veronenſis, Ordinis S. Auguſtini, Prior S. Marci in feſto S. Auguſtini 28. Auguſti.

R. Sixtus Cremonenſis Canonicus Regularis in Feſto omnium Sanctorum. Hic etiam aliam habuit Concionem: die 3. Decembris pro S. Jubilei promulgatione 1. Novembris.

R. Angelus Venetus, Ord. Carmelitarum, in Dominicâ ultima poſt Pentecoſten 23. d.

ANNO MDLXII.

R. Archiepiſcopus Panormitanus in Dominica infra Octava Epiph. 11. Jan.

R. Epiſcopus Cohimbrienſis, in feſto S. Sebaſtiani 20. d.

R. Archiepiſcopus Panormitanus, in Domica Septuageſimæ 25. d.

R. Epiſcopus Accienſis, in Dominica Sexageſimæ 1. Febr.

R. Eugenius Piſaurenſis, Ordinis S. Auguſtini, in Dominica Quinquageſimæ. Qui per totam Quadrageſimæ tempus in Eccleſia Cathedrali, doctè, & ad ædificationem concionatus eſt 8. d.

R. Archiepiſcopus Panormitanus, in feria quarta poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ, qua die legitur Evangelium de cæco nato 11. Martii.

R. Didacus Paivius, Dominicâ ſecundâ poſt Paſcha 12. Apr.

R. Camillus Papienſis Dominicâ tertiâ 19. d.

R. Aloyſius à Burgo novo, Dom. quarta 26. d.

R. Antonius Ilcinenſis, Dominicâ quintâ 3. Maii.

R. Alexius Fivizanius Ordinis Sancti Auguſtini, in Dominicâ infrâ octavam Aſcenſionis 10. d.

R. Sylveſter Mantuanus Ord. Carmelit. in Dominicâ primâ poſt octavam Pentecoſtes, quæ eſt Dominicâ ſecundâ 31. d.

R. Amans Brixienſis in Dominicâ tertiâ 7. Junii.

R. Petrus Morgatus, in Dominicâ quartâ 14. dicti.

R. Aurelius de Scyo, in Dominicâ quintâ 21. dicti.

R. Angelus à Petriolo Ord. Min. de Obſervantia, in Dominicâ ſextâ 28. d.

R. Bartholomæus Pergulenſis Ord. Min. in Dom. IX. etenim in Domin. VII. & VIII. non ſunt habitæ Conciones, ſicut nec in Dom. XI. XX. XXIV. XXV. 19. Jul.

R. Alphonſus Salmeronus Jeſuita, in feſto S. Jacobi, obiit Neap. die 13. Februarii 1585. 25. d.

R. Simon Florentinus in Dominicâ X. 26. d.

R. Epiſcopus Veglenſis, in feſto S. Dominici 5. Aug.

R. Laurentius Venetus in Dominicâ XII. 9. dicti.

R. P. Martyr Vincentinus Ord. Præd. in Dom. XIII. 16. d.

R. Bonifacius Raguſinus Ordin. Min. de Obſervan. in Dom. XIV. 23. d.

R. Epiſcopus Segobricenſis, in feſto S. Aug. 28. dicti.

R. Lainez Generalis Jeſuitarum in Dom. XV. 30. dicti.

R. M. Antonius de Lugo Ord. Min. in Dominicâ XVI. 6. Sept.

R. Angelus Venetus Ord. S. Auguſtini, in Dom. XVII. 13. d.

R. Theodorus Mantuanus in Domin. XVIII. 20. dicti.

R. Stephanus Aretinus in Dominica XIX. 28. d.

R. Petrus Fontidonius in feſto S. Hieronymi 30. dicti.

R. Archiepiſcopus Panormitanus in feſto S. Franc. 4. Oct.

R. Aurelius à Corinaldo Ordin. S. Aug. in Dom. XXI. 11. d.

R. Hier. Piſtorienſis Ord. Capucinorum in Dom. XXII. 18. d.

R. Cherubinus à Caſſia Ord. S. Aug. deindè Epiſc. Teleſii, in Dominicâ XXIII. 25. d.

R. Vincentius Meſſanenſis Ord. Minor. Obſervan. in Octava Sanctorum omnium 8. Nov.

R. Antonius de Mondulfo Ord. S. Aug. in Dom. XXVI. 15. d.

R. Franciſchinus Viſdom. Ferrarienſis, Ord. Min. in Dominica XXVII., & ultima 22. dicti.

ANNO MDLXIII.

R. Stephanus Bonucius Ord. Servorum in Dom. Paſs. 28. Mart.

R. Anton. Democares Gallus in die Paraſceves 9. Apr.

R. Baſilius Piſanus Dominicanus in Dominica IV. poſt Paſca 2. Maji.

R. Alphonſus Salmeronus Jeſuita in Dom. V. 9. dicti.

R. An-

R. Andreas Mandula Ord. Min. in Dom. VI. 16. dicti.
R. Jacobus à Paida Lusitanus in die Ascens. 20. dicti.
R. Ægidius Volaterranus Ord. S. Aug. in Dom. VII. 27. d.
R. Ludovicus Joannes Villetta in die Pentecostes, hac die Missam celebravit Patriarcha Venetiarum 30. d.
R. Oron Scipius Hisp. in Dom. Trinitatis 6. Jun.
R. Paulus Ferrariensis Min. Obser. in Dom. II. post Pent. 13. d.
R. Desiderius de S. Martino Camelita. in Dom. IV. 27. d.
R. Villalpanus Hisp. in die SS. Apost. Petri, & Pauli 29. d.
R. Joan. Baptist. Cremensis in Domin. VI. 11. Jul.
R. Episcopus Aliphanus in Sess. 7. de Ordine habuit Orationem, & Missam celebravit Episc. Parisiensis 15. d.
Et idem Episcopus 18. Julii habuit concionem Hispanicè 18. d.
R. Jo: Faventinus Ord. Min. in Dom. IX. habuit Conc. 1. Aug.
R. Episc. Lancian. Dominicanus habuit concionem in die S. Dominici 5. d.
R. Simon Patavus Ord. S. Aug. habuit conc. in Dom. X. 8. d.
R. Steph. Facinus Carmelita habuit concionem in die Assumpt. in Dom. XI. 15. d.
R. And. de S. Bernardo Servita habuit conc. Dom. XII. 22. d.
R. Desiderius Veron. Dominicanus in Dom. XIII. 29. d.
R. Joan. Franciscus Vincentinus Minorum Observ. habuit concionem in Dom. XIV. 5. Sept.
R. Francischinus Visdom. Ord. Min. habuit concionem in die Nativitatis B. Virgin. 8. dicti.
R. Qui supra in Dom. XV. habuit concionem 12. dicti.
R. And. Volaterranus Ord. S. Aug. hab. conc. Dom. XVI. 19. d.
R. Lucretius Asolanus Carmel. hab. conc. Dom. XVII. 26. d.
R. Hieron. Pat. Servita habuit concionem Dom. XVIII. 3. Oct.
R. Francischinus Visdom. Ord. Min. habuit concionem in die S. Francisci 4. d.
R. Bonifacius Mantuanus Ord. Prædic. habuit concionem in Dom. XIX. 10. d.
R. Joan. Ant. Bosetus Min. Observ. hab. conc. Dom. XX. 17. d.
R. Francischinus Visdom. Ord. Min. hab. conc. Dom. XXI. 24. d.
R. Petrus Sumel Hisp. habuit orationem in die Omn. Sanct., & Missam celebravit Episcopus Lucerinus 1. Nov.
R. Hier. Venetus Carmelita habuit conc. Dom. XXII. 7. d.
R. Episcopus Atrebatensis in Sess. 8. de Matrimonio habuit orationem, & Missam celebravit R. Episcopus Trivisanus 11. d.
R. Alexander Scandianus Servita hab. conc. Dom. XXIII. 14. d.
R. Don Alphonsus Salmeronus Jesuita habuit conc. in die Præsent. B. Virg. 21. d.
R. Franciscus Forerius Dominicanus habuit orationem in Dom. 1. Adven. & hic fuit Secretarius Congregationis Indicis librorum prohibitorum: hac in Dom. Missam celebravit Episcopus Nemausiensis 28. d.
Missam celebravit Episcopus Sulmonensis, & die sequenti fuit continuata sessio, & Missam celebravit Episcopus Catinensium Neapolitanus 3. Dec.
Episcopus Nazianzenus, & coadjutor Famagustanus habuit orationem: & Dei gratiâ impositus est finis Sacro Concilio Tridentino.

Hæc de iis, qui in Concilio Tridentino Orationes, & Conciones habuerunt, ex Cathalogo jussu Cardinalis Seripandi Legati collecto, cui accesserunt qui post ejusdem Legati obitum orandi, & concionandi munere in eodem Concilio functi sunt: ex quibus, ut dictum est, postremam Orationem, in qua summatim omnia, quæ in eodem Concilio definita sunt, quæque ad piè credendum, & ad benè vivendum pertinent, habuit 4. die Decembris 1563. Hieronymus Ragazonus Venetus Episcopus Nazianzenus, & coadjutor Famagustanus. Nomina verò, cognomina, patrias, ac dignitates Prælatorum omnium, Oratorum, ac Theologorum, qui ad hanc Synodum convenerunt, videre licet ex Concilio Tridentino Venetiis in Officina Ziletti impresso, in quo Cathalogus oratorum, & concionatorum desideratur.

Quæ autem in depicto Concilio cernuntur Inscriptiones, duæ sunt: quarum una ad dextram: altera ad lævam in hanc leguntur verborum formam:

PAULO III. JULIO III. PIO IV. PONTIFICIBUS LUTHERANI, ET ALII HÆRETICI DAMNANTUR.
CLERI, POPULIQUE DISCIPLINA AD PRISTINOS MORES RESTITUITUR.

DE DUABUS

BIBLIOTHECÆ CAMERIS QUAS SECRETIORES VOCANT.

CAMERÆ, quas secretiores vocant, in selectiorum codicum usum concinnatę infrà deambulatorium illud celeberrimum, quod *Galariam* vulgò appellant, Bibliothecæ ampliori adnexæ duæ sunt: quarum fornices stemmatis gentilitiis Sixti V. & Ecclesiæ insignibus, variarumque rerum Symbolis, aligerisque puerulis, idque genus aliis ornamentis, Inscriptionibusque varia ejusdem Pontificis gesta exprimentibus insigniti cernuntur, sicùt quæq; suo loco infrà videre est.

DE SEX INSCRIPTIONIBUS,

Quæ in fornice leguntur.

DE INSCRIPTIONE I.

INscriptio, quæ primam cameram ingredienti, & fornicem intuenti, primò sese offert, reformationem ad mores, necnon ad ritus Ecclesiæ antiquioris, sive ad Ecclesiæ dignitatis sanctiones pertinentes breuitèr comprehendit in hanc verborum formulam.

ECCLESIAM PRISTINO SUO SPLENDORI RESTITUIT.

DE INSCRIPTIONE II.

ALtera, quæ sequitur Inscriptio grandem pecuniæ summam Sixti V. parsimonia, frugalitateque pontificiâ ceteriisque laudabilibus industriis comparatam, & in Arcem Sancti Angeli repositam patefacit: ad quinque enim decies centena nummum aureorum millia ad hanc usque diem, Quinto, scilicet, sui Pontificatus anno omnium admiratione congessit, & tamquàm sacrum Ecclesiæ Romanæ peculium dicto in loco sepolsuit, ità verò, ut nullo umquam tempore nisi in quibusdam præscriptis casibus, certàque desuper servatâ formâ depromi queant, ut in diplomate ad hanc rem pertinente videre est. Inscriptio legitur hisce verbis.

Ex Bullario Sixti V. Diplom. 33. & in aliis.

GRANDEM PECUNIAM IN ECCLESIÆ ÆRARIUM RETULIT.

DE INSCRIPTIONE III.

TErtia Inscriptio, Typographiam Vaticanam ab eodem Pontifice institutam ad Sanctorum Patrum opera restituenda, catholicamque disciplinam toto terrarum orbe propagandam præferre videtur in hanc verborum formam.

SANCTORUM PATRUM MONUMENTA TYPIS FIDELITER EXCUDENDA MANDAVIT.

DE INSCRIPTIONE IV.

QVarta, quæ sequitur, Inscriptio ingentem indicat curam, & verè Pontificiam, quam Sixtus V. toto susscepit conatu pro Bibliis Vulgatæ editionis emendandis, & imprimendis juxtà Concilii Tridentini præscriptum. Qua in re præstandâ tot, ac tantos die noctuque perpessus est labores, quantos unquam verbis explicare nemo posse, ut mihi persuadeo, qui hujus generis labores re ipsâ videns non semel tamquam oculatus testis obstupui. Universa enim Biblia, antequam prælo committerentur, ad verbum perlegit, etiamsi quotidie in omnes totius Christiani orbis curas, & gravissimas quidem totus incumberet, & in dies singulos, res sanè pias, & heroicas, ac Pontifice dignas produceret. Sacrosanctam igitur paginam perlegit universam, & emendavit, atque ita, ut omnes sacri Codices, juxta ejusdem Concilii Decretum, cum omnibus suis partibus legantur, prout in Ecclesia Catholicâ legi consueverunt, & in veteri vulgatâ Latinâ editione habentur. Nec eo contentus, universa item Biblia sic emendata, & recenter impressa de integro perlegit, ut omnia fideliter recognita in lucem prodirent. Quam rem Inscriptio, quæ infrà legitur, apertis hisce verbis breviter patefacit.

Sess. 4.

Sess. 4.

SACRAM PAGINAM EX CONCILII TRIDENTINI PRÆSCRIPTO, QUAM EMENDATISSIMAM DIVULGARI MANDAVIT.

DE INSCRIPTIONE V.

QVinta Inscriptio, Lauretani oppidi ex provinciâ Piceni, in ciuitatem sublimationem, eiusque Collegiatæ Ecclesiæ in Cathedralem, & Episcopalem Ecclesiam erectionem paucis complectitur verbis: Nam Sixtus V. Anno incarnationis Dominicæ 1585. 16. Kal. Aprilis, anno sui Pontificatus primo, Apostolicæ potestatis plenitudine ad Fidei orthodoxę exaltationem, necnon ad fidelium Christi profectum, hujusmodi favoribus dictum oppidum cohonestavit, ob sacrum domicilium illud, ac toto terrarum orbe celeberrimum, divinis mysteriis consecratum, Angelorumque misterio illuc

Ex Bullario Sixti V. Diplom. 34.

tran-

translatum, deindè a Christi fidelibus ex omnibus mundi partibus devotionis, & peregrinationis causâ visitatum, ac tot tantisque miraculis illustratum, in quo beata Maria semper Virgo nata fuit, & ibidem ab Angelo salutata Salvatorem mundi Spiritu Sancto concepit. Huic autem Cathedrali, & Episcopali Ecclesiæ, Archipresbyteratu etiam, ceterisque dignitatibus, & emolumentis insignitæ duo scutorum millia pro dote summus Pontifex concessit, ac pro diœcesi civitatem Recanatensem, (quæ tamen civitatis nomen, titulum, & privilegia non amisit) Castrum item Ficardi, & Sanctæ Mariæ in Cassiano, & Montisluponi, dictorumque territoria assignavit: Jus verò patronatus ad præsentandum Archipresbyterum, quotiescumque occasio sese offert, familiæ suæ Perettæ reservavit, & concessit.

Decrevit intereà idem Sixtus, ad majorem loci amplitudinem, insignioremque Civitatis formam, ut Civitas ipsa Lauretana muris cingeretur, & singula quæque Piceni Communitas domum sibi in ea construeret. Id quod executioni mandatur. Inscriptio autem, quæ infrà legitur, hujus Civitatis sublimationem, & Ecclesiæ Cathedralis erectionem explicat hisce verbis:

LAURETUM MOENIBUS CINXIT, CIVITATIS JURE, ET EPISCOPALI DIGNITATE DONAVIT.

In quarum item rerum testimonium ad frontispicium dictæ Ecclesiæ Lauretanæ, quæ sequuntur Inscriptiones marmore incisæ in hanc verborum hinc indè leguntur formam:

SIXTUS V. PONT. MAX. PICENUS
ECCLESIAM HANC EX COLLEGIATA
CATHEDRALEM CONSTITUIT
MDLXXXVI. PONT. I.

SIXTUS V. PONT. MAX. PICENUS
LAURETUM OPPIDUM EPISCOPALI
DIGNITATE ORNATUM
CIVITATIS JURE DONAVIT
MDLXXXVI. PONT. I.

DE INSCRIPTIONE VI.

SExta, & postrema fornicis Inscriptio breviter comprehedit accessionem Breviario Romano factam ex ejusdem Sixti V. præcepto propria enim sanctorum aliquot officia instituta sunt, hoc est, S. Francisci de Paula, S. Petri Martyris Ord. Prædic. S. Antonii de Padua, S. Nicolai de Tolentino Ord. Eremitarum, S. Augustini, & SS. Januarii, & sociorum, necnon S. Didaci, quem in sanctorum numerum retulit, ab omnibus Ecclesiasticis, statutis diebus recitanda mandavit: Inscriptio hanc rem apertè docens hæc est.

BREVIARIUM ROMANUM PROPRIIS SANCTORUM ALIQUOT OFFICIIS AUXII.

DE EMBLEMATIS, ET HISTORIIS,

Necnon Inscriptionibus, quæ ad parietes Bibliothecæ secretioris conspiciuntur.

EMBLEMA I.

De S. Bonaventura ad Doctoratum sublimato.

AD parietes, & ad cujuscunque fenestræ fornicem secretioris Bibliothecę hinc indè varia Emblemata, variæ historiæ, variæque Inscriptiones cernuntur: quorum omnium pars Sixti V. res gestas, altera verò præcipuorum Sacrosanctæ Ecclesiæ Doctorum tam Græcorum, quàm etiam Latinorum insigniora quædam acta repræsentant. Primam secretioris Bibliothecæ cameram ingredienti à tergo introitus actio illa sese offert, qua Sixtus V. Romæ in Basilicâ SS. Duodecim Apostolorum sollemni pompâ præsentibus Cardinalibus, & aliis Ecclesiæ Prælatis S. Bonaventuram Ordin. Min. Card. & Episcopum Alban. in præcipuos, & primarios Ecclesię Doctores retulit, atquè inibi S. Bonaventuræ Collegium instituit: ex cujus libris, & commentariis sacra Theologia publicè explicatur. Inscriptio in hanc legitur verborum formam:

Dum Bonaventura eximios numerabitur inter.
Doctores jussu maxime Sixte tuo,
Tu quoque Pontifices inter numerabere primos:
Quis scit an, & major fama futura tibi?
Tu facis, hic scripsit: tua grandia facta manebunt.
Ut Bonaventuræ grandia scripta manent.

FX 2. part. Bullarii Sixti V. Const. 29.

Hæc

Hac in Inſcriptione Blancus Sixtum V. cum Sancto Bonaventura ſtudet conferre per apoſtrophem ad ipſum Pontificem Maximum dicens, Sixtum V. in præcipuos, & primarios Pontifices (quod ad geſta eorum pertinet) adſcriptum iri, dum S. Bonaventuram inter præcipuos, & primarios Eccleſiæ Doctores annumerandum decernit: immò dum amborum præſtantiam, ſcriptorum, ſcilicèt, factorumque vim ac difficultatem ponderare videtur, Sixti V. majorem futuram eſſe famam autumat, inquiens *hunc facere, ſcripſiſſe illum*: quamvis enim illius grandia ſint ſcripta, hujus tamen grandia eſſe facta ait, quin, & illis majora innuit, ſi præclara ipſius Pontificis geſta (iis tamen omiſſis, quæ pertinent ad ſanctitatis rationem, pontificiamque poteſtatem, qua major in terris nulla eſt) diligenter ſpectentur. Hæc de Inſcriptione: nunc reliquum eſt, ut ceteras Inſcriptiones ſolutâ oratione confectas, necnon Emblemata diſtichis explicata exponamus.

DE SANCTO AMBROSIO ECCLESIÆ DOCTORE.

AD dextram primæ cameræ, quam ſecretiorem appellant, ſuprà coronam ad fornicem Sanctus Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis Ambroſii Civis Romani filius, tamquàm Eccleſiæ Doctor ſcribendi actu cernitur. Infrà verò coronam ad parietem repræſentatur actio illa, cum Theodoſium Imp. propter cædem Theſſalonicæ perpetratam, ingreſſu Eccleſiæ prohibuit. Cui cum ille, David, quoque Regem adulterum, & homicidam fuiſſe, dixiſſet, reſpondit Ambroſius: *Qui ſecutus es errantem, ſequere pœnitentem*. Hinc Theodoſius publicam ſibi ab Ambroſio impoſitam pœnitentiam ſubmiſſo animo egit. Sanctus item Ambroſius Maximum, qui Gratianum Imp. occiderat, pœnitentiam agere recuſantem à fidelium communione, tamquàm legatus, amovit. Hic denique Catholicam Fidem, & Eccleſiaſticam diſciplinam acerrimè defendens multos Arrianos, alioſque hæreticos ad Fidei veritatem convertit, & clariſſimum Eccleſiæ lumen, malleumque hæreticorum S. Auguſtinum Jeſu Chriſto peperit. Inſcriptio autem, quæ infrà legitur, hiſtoriam Theodoſii Imperatoris ſuperiùs enarratam complectitur hiſce verbis:

S. AMBROSIUS THEODOSIUM IMP. PROPTER CÆDEM
THESSALONICÆ FACTAM ECCLESIÆ LIMINE PROHIBUIT.

EMBLEMA II.

De Paludum Pontinarum exſiccatione.

AD eandem cameræ partem ſuprà feneſtræ primæ coronam, ſiccatio paludum pontinarum illa, præclarum, ſcilicèt, opus undequàquè laudandum, repræſentatur, hoc eſt, ingens planities, juxtà quam videre eſt Tarracinæ portum, & oppidum ipſum in paludes pronum ſuprà Mare in edito aſperrimoque loco ſitum. De paludibus hiſce, ex quibus longitudine ad viginti, latitudine verò ad ſeptem milliaria factus eſt Ager, nihil eſt quòd verba hoc loco faciam: de iis enim ſatis à me dictum eſſe reor, in Emblemate III. de Annonâ Urbi, & Italiæ ſubminiſtrata. Inſcriptio, quæ ad Emblema, de quo hic agitur, pertinet, infrà coronam ad feneſtræ fornicem in hanc legitur verborum formam:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

Pontinas Sixtus potuit ſiccare paludes.
Fontibus ut potuit ſicca rigare loca.

Eleganter, & ingeniosè quidèm hoc diſticho Blancus, inſcriptionis auctor, paludum Pontinarum ſiccationem, aliorumque locorum irrigationem per illam verborum antitheſim mirâ carminis facilitate, & felicitate comprehendit, ac ſi dicere voluiſſet, Sixtum V. eâdem providentiâ, & prudentiâ, ac pietate, animique ingenuitate, ac magnificentiâ, Pontificiâque liberalitate paludes, exſiccare potuiſſe: quibus virtutibus ſanè omnibus Quirinalem, & Exquilinum colles, ceteraque loca aquæ, natura reluctante, rigavit, quin ampliſſimis ditavit fontibus. Utrumque enim, ſiccatio, ſcilicèt, & rigatio, providentiam, & prudentiam, ac pietatem, animi ingenuitatem, ac magnificentiam, Pontificiamque denique liberalitatem præſeferre cernitur. De paludibus autem exſiccatis, & collibus irrigatis Emblema nupèr citatum videre eſt. De hac item re ingenioſum Epigramma judicatum eſt illud, quod in aulâ Sancti Joannis in Laterano ab eodem Blanco editum in hanc verborum legitur formam: Emblema II

Cynthius ut Sixtum vidit ſiccare paludes
Pallenti tales miſit ab ore ſonos:
Sol ſuus eſt terris: quid ego mea lumina fundam?
Nam mihi nec licuit quod tibi Sixte licet.

Hoc Epigrammate luſu poetico Blancus, Solem ipſum ab altero Sole, ideſt Sixto V. ſuperatum fuiſſe ingeniosè commentatus eſt, dicens, peculiarem in terris eſſe, Solem, qui ſiccare illud potuit, quod ſibi non licuiſſe fatetur.

DE S. HIERONYMO, ET S. THOMA ECCLESIÆ DOCTORIBUS.

INter primam, & ſecundam feneſtram S. Hieronymus, & S. Thomas Eccleſiæ Doctores ad cameræ fornicem depicti conſpiciuntur: infrà verò coronam ad parietem nonnulla notatu digna, & ad ſtudiorum rationem pertinentia repræſentantur.

DE

DE S. HIERONYMO.

EX alterâ hujus interfeneſtrii parte Sanctus Hieronymus repræſentatur, quando juvenilem agens ætatem, prophanorum lectionibus nimirum addictus morbo, ac verberibus miniſterio angelico fuit cruciatus. Hieronymus enim, ut ipſe fatetur, lecturus Tullium, jejunabat: poſt noctium crebras vigilias, poſt lacrymas, quas ſibi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat, Plautum ſumebat in manus: ſi quando in ſemetipſum reverſus Prophetas legere cœpiſſet, ſermo tamquàm incultus ſibi horrebat: & quia cæcis oculis, lumen non videbat, non oculorum putabat culpam eſſe, ſed ſolis. Hinc, Deo jubente, in tam gravem incidit febrem, ut moribundus videretur, cum ſubitò raptus in ſpiritu, ad Tribunal Judicis pertrahitur, & interrogatus de conditione, *Chriſtianum ſe eſſe* reſpondit. Et ille, qui præſidebat, *Mentiris*, ait, *Ciceronianus es, non Chriſtianus*: verberandumque ipſum tradidit, deindè eorum, qui aſtabant, precibus, veniam adoleſcentiæ, errorique locum pœnitentiæ tribuens, eundem verberibus cæſum, ac de prophanis codicibus tempus in poſterum non legendis dejerantem dimiſit.

Epiſt. 22. ad Euſtochium tom. 1.

Hæc ex S. Hieronymi epiſtolâ ad Euſtochium de cuſtodiâ virginitatis, & ferè ad verbum. Quæ omnia hiſce præſcriptis verbis affirmat dicens: *Nec verò ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quibus ſæpè deludimur: teſtis eſt tribunal illud, antè quod jacui: teſtis, judicium triſte, quod timui: ita mihi nunquàm contingat in talem incidere quæſtionem. Liventes fateor habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & tanto de hinc ſtudio divina legiſſe, quanto non ante mortalia.* Hæc Hieronymus ad verbum. Inſcriptio hanc hiſtoriam breviter complectens in hanc legitur verborum formam:

Epiſt. 22. tom. 1.

S. HIERONYMUS AB ANGELO PER SOMNUM VERBERIBUS CÆSUS A CICERONIANA LECTIONE DETERRETUR.

DE S. THOMA AQUINATE.

EX alterâ ejuſdem interfeneſtrii parte Sanctus Thomas, Doctor Angelicus ſuprà cameræ coronam ſiniſtrâ manu Eccleſiam geſtans, dextrâ verò, qua ſcripſit, magnum luminis ſplendorem in eam ipſam Eccleſiam immittens cernitur, eâ fortaſſe ratione, qua ſplendidiſſimum Eccleſiæ lumen eſſe creditur ob ſuam ipſius Angelicam doctrinam, qua univerſum Chriſtianum orbem illuſtravit. Hic enim in omni ſcientiarum genere optimè verſatus doctiſſima edidit ſcripta, & permulta quidèm, ut omnes norunt: ſcribendi autem, reſque difficiles explicandi facilitate adeò excelluit, ut hanc ob cauſam Doctoris Angelici nomen non immeritò ſit adeptus. Hinc Neapoli cum ad Imaginem Crucifixi vehementius oraret (numquàm enim lectioni, aut ſcriptioni abſque prævia oratione operam dedit) hanc vocem audivit: *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, ſicut quæ infrà legitur, docet Inſcriptio:

SANCTI THOMÆ DE CHRISTO SCRIPTA A CHRISTO CRUCIFIXO PROBANTUR.

EMBLEMA III.

De unione Chriſtianæ Reipublicæ à Sixto V. Pont. Max. conſervatâ.

AD eandem cameræ dextram ſuprà feneſtræ ſecundæ coronam Chriſtianorum Principum concordia à pictore repræſentatur per varias animalium ſpecies, adumbrata. Leo enim intrà Navim, ſeu Cymbam ſtare conſpicitur ſuprà Mare, hinc indè ad littus variis animalibus conſiſtentibus.

Navis, ſive Cymba Eccleſiam, Leo Sixtum Quintum repræſentat: & eſt ad ipſius ſtemmata gentilitia alluſio manifeſta.

Variæ illæ animalium ſpecies hinc indè conſiſtentes nonniſi Chriſtianæ Reipublicæ Principes, Imperatorem, ſcilicèt, Reges, ac Duces, eorundemque inſignia, ſive commentitia quædam ad aliquid innuendum præſeferunt. Quod quidèm Emblema curam Sixti V. non modicam indicat pro Chriſtianorum Principum pace ineundâ, & concordiâ conſervandâ, ſicut ex duabus præſertim Legationibus Poloniæ, & Galliæ latè patet. Qua in re præſtandâ idem Pontifex mirificam prudentiam, ac ſapientiam cunctis in rebus conficiundis declaratam patefecit: ſelectiſſimos enim Patres ad legationes tanti ponderis obeundas, delegatoſque Præſules Viros ingenio, ſolertiâ, eruditione, atquè uſu rerum præſtantes elegit. Nam pro Regni Poloniæ pace, ac tranquillitate, Sigiſmundo III. Rege, Hippolytum Aldobrandinum Florentinum, S. R. E. Cardinalem, & ſummum Pœnitentiarium, Legatum à latere in Sarmatiam miſit: Præſules autem fuerunt Laurentius Blanchettus Bononienſis, Rotæ Auditor. Joannes Toloſanus Collenſis, utriuſque Signaturæ Referendarius. Andreas Grandius Romanus, Signaturæ Juſtitiæ Referendarius. Michael Mercatus Miniatenſis Protonotarius Apoſtolicus, & Sanctiſſimi D. N. Sixti V. familiaris.

Anno Dom. 1588. menſe Maio.

Ad totius Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitatem, Fidei Catholicæ, ac Nobiliſſimi Regni Franciæ conſervationem, Henrico III. Rege interfecto, Henricum Cardinalem Caetanum Romanum, & Sanctæ R. E. Camerarium, Legatum itèm à latere in Galliam miſit: cujus Præſules aliique viri ſunt hi: Camillus Caetanus Patriarcha Alexandrinus, & Legati frater. Dominicus Grimaldus Ganuenſis, Archiepiſcopus Avenionenſis. Alexander Caniſianus Florentinus, Archiepiſcopus Aquæ Sextienſis. Philippus Sega Bononienſis, Epiſcopus Placentinus. Marcus Antonius Mocenicus Epiſcopus Cenetenſis, F. Franciſcus Panicarola

Anno Dom. 1589. menſe Septemb.

Me-

Mediolanenſis, Epiſcopus Aſtenſis. Laurentius Blanchettus Bononienſis, Rotæ Auditor. Joan. Antonius Caracciolus Neapolitanus, & Guillelmus Blancus Albienſis, Natione Gallus, Protonotarii Apoſtolici, & intimi Sanctiſſimi D. N. Sixti V. Cubilarij. Hieronymus Comes de Porcìa Protonotarius Apoſtolicus. Robertus Bellarminus ex Societate Jeſu Theologus inſignis. Inſcriptio ad unionem pertinens hæc eſt:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

Mutua diſjuncti coeunt in fœdera Reges,
Et Sixti auſpiciis Pax ſtabilita viget.

DE SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO, ET DE S. CYRILLO.

DE S. JOANNE CHRISOSTOMO.

AD hanc eandem Cameræ partem, atquè itèm ſuprà coronam S. Jo: Chryſoſtomus, & S. Cyrillus depicti cernuntur. In alterâ interfeneſtrii parte cernitur S. Joannis Antiocheni cognomento Chryſoſtomi ob aureum eloquentiæ flumen hiſtoria: qui cum eſſet Epiſcopus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, pravos mores, nobiliorumque hominum vivendi licentiam objurgans,& ad Chalcedonenſem conventum non legitimè ab Epiſcopis aliquot coactum ire recuſans, in exilium, Eudoxiâ in primis nitente, eiicitur: ſed paucis poſt diebus ob id ſeditione Populi factâ, quin admirabili Civitatis plauſu ab exilio revocatur: verùm paſtorali munere fungi non deſiſtens, ob peſſimorum hominum conſpirationem iterùm exulare cogitur, bonis omnibus reclamantibus, & hoc factum lugentibus. Concilio autem Romæ habito, Innocentii Primi Pont. Max. decreto tandèm reſtituitur: qui cum per Armeniam duceretur, S. Baſiliſcus Martyr, in cujus Templo anteà oraverat, noctu ſic eum affatus eſt: *Joannes frater, craſtinus dies nos loco conjunget.* Quarè poſtridie, ſumpto Euchariſtiæ Sacramento, ex hac luce deceſſit: in cujus obitu, ingens Conſtantinopoli cecidit grando, & quarto poſt die Auguſta vitam cum morte commutavit. Inſcriptio autem, quæ infrà legitur, Sancti Joannis Chryſoſtomi exilium, prævisamque mortem comprehendit in hanc verborum formam:

S. Jo: Chrisostomus bis in exilium pulsus, tandem a S. Basilisco Martyre per somnium admonitus in Domino requievit.

In alterâ interfeneſtrii parte S. Cyrillus conſpicitur dum philoſophum rationibus convictum, atque humi proſtratum proterit, & conculcat, ut Inſcriptio ipſa hunc in modum docet:

S. Cyrillus devictum Philosophum proterit, et conculcat.

DE S. HIERONYMO, ET S. JO: DAMASCENO.

DE S. HIERONYMO.

AD tertiam Cameræ feneſtram, ſuprà coronam, Templum S. Hieronymi Illyricorum Sixti V. impenſis a fundamentis extructum repræſentatur: cui etiam Eccleſiæ, Illyricorum Nationi hoſpitium, ſivè Xenodochium deſtinatum, extat adnexum. Vetuſtâ autem Ædiculâ (cujus erat Titularis F. Felix Cardinalis Montaltus, nunc Sixtus V. Pont. Max.) ſolo æquatâ, in ampliorem poſteà, inſignioremque formam redacta eſt. Quam rem Inſcriptio in hujus Templi frontiſpicio lapide incisâ explicat hiſce verbis:

Suprà feneſtram:

SANCTO HIERONYMO DICATUM.
Infrà:
SIXTUS V. P. M. ORD. MIN.
TEMPLUM A FUNDAMENTIS EREXIT
PONT. SUI ANNO IV.
SAL. M. D. LXXXVIII.

In interioris Eccleſiæ frontiſpicio:

Sixte opus hoc, munusque tuum eſt, tibi plaudit ab aſtris
Illyricus toto notus in orbe ſenex.

Blancus autem hujuſce operis pietatem inſignem perpendens ait, domum Sixto V. in cœlis a Deo parari, dum ipſe Sixtus Sancto Hieronymo Templum in terris ſtruit, ut Inſcriptio, quæ infrà legitur, apertè docet hunc in modum:

Dũ tibi Templa locat ſupplex, Hieronyme, Sixtus,
Huic parat in Cœlis aurea tecta Deus.

Cœlum hoc loco Inſcriptionis Auctor aurea appellat tecta more poetico, alludens ad colorem ſtellarum, quæ aureo colori quodam modo comparantur. Vel dixit: aurea tecta, ut per aurum, quod omnibus metallis eſt pretioſius, locum illum, in quo juſtorum animæ perpetuâ beatitudine perfruuntur, more humano indicet pretioſum, & electis plenum, qui inſtar auri in fornace probati ſunt. Sap. 3.

DE S. JO: DAMASCENO.

AD eamdem Cameræ partem poſtremo loco ſuprà coronam in fornice ipſo cernitur S. Joannes Damaſcenus: infrà verò hiſtoria de manu ejus abſciſsâ repræſentatur. Damaſcenus enim cum a conſiliis Saracenorum Joan. Patriarcha Hieroſolymitanus in vita Damaſceni.

rum Ducis esset, scripsit libellos epistolares ad familiares suos pro venerandarum imaginum honore, docte ac sapienter, demonstrans necessariam divinarum effigiarum esse adorationem, contrà Leonem Isauricum Imperatorem, qui leonem rapientem, ac rugientem agebat, dum sacras imagines exurendas, ipsarumque cultores interficiendos curabat. Quarè Isauricus pietatem Damasceni ægrè ferens, suamque impietatem tueri cupiens, characterem Damasceni in scribendo, ejusdemque stylum in dictando a notariis imitari studuit: deindè characterum Damasceni imitatione literas, mentito Damasceni nomine, ad se missas de falsâ Civitatis Saracenorum proditione pollicendâ effingendas dolosè curavit: easque ad Barbarum illum Damasci Principem misit, alteris item ad eum missis, rem effictam, & fraudulenter inventam pro verâ exponens Leo hac in re non leonem apertè irascentem, sed draconem occultè insidiantem imitatus fuit. Quarè Barbarus huic impiæ falsitati fide præstitâ, dextram Joanni Damasceno abscindi præcepit, Damascenus autem ubi primùm abfectam sibi manum vidit, suum ingressus est cubiculum: in quo ad Imaginem Genitricis Dei provolutus inter preces, ac lacrymas somno correptus fuit; experrectus autem dextram amputatam divinitùs sibi restitutam, lineolâ tamen amputationis quadam insignitam reperit. Hæc ex Joanne Patriarchâ Hierosolymitano. Quare infrà leguntur hæc verba:

In vitâ Joan. Damasceni.

S. DAMASCENO FALSÈ ACCUSATO, ABSCISA A PRINCIPE MANUS, DIVINITUS RESTITUITUR.

Hæc de dextrâ primæ cameræ parte: nunc reliquum est ut ad lævam accedamus.

DE S. GREGORIO MAGNO PONTIFICE, ET ECCLESIÆ DOCTORE.

AD lævam primæ Cameræ, primo loco S. Gregorius Magnus Pont. Max. suprà coronam in ipso fornice depictus conspicitur; infrà verò de ejusdem Moralium inventione miraculum repræsentatur. Tagio enim Cæsaraugustanus Episcopus, ut exordium ab ovo, sicut adagio fertur, præteream, ab Hispaniæ Rege Romam ad Pontificem missus pro dictis Moralibus in Apostolicæ Sedis archivo conquirendis, cùm negotium differri cerneret, impetravit, ut sibi in Ecclesiâ S. Petri per Summum Pontificem pernoctare semel liceret. Quarè eâ in Basilicâ Episcopus ipse dum intempestâ nocte orationi vacabat, ecce sacras ædes immenso lumine divinitùs completas, ingentemque Summorum Pontificum, necnon Episcoporum cœtum lustrationem, seu supplicationem insignem repræsentantem, & ad altare S. Petri adeuntem, eique honorem præstantem: in quo sanctorum virorum cœtu erat B. Gregorius, qui Episcopum Tagionem allocutus, suos libros Morales in recondito quodam scrinio sub Altari asservatos, ultrò citròque habito sermone, ostendit. Quarè Inscriptio hujusmodi inventionem complectitur hunc in modum:

S. GREGORII MORALIA A TAGIONE EPISCOPO CÆSARAUGUSTANO IN ECCLESIA S. PETRI DIVINITUS REPERIUNTUR.

EMBLEMA I.

De aquis ad Centumcellas adductis.

AD lævam item primæ Cameræ, quam secretiorem dicunt, *Civitas vetus* (sic præsens in tempus vocitatur, olim *Centumcellæ*) Arx, scilicèt, munitissima Mari Mediterraneo adjacens, ejusque Portus repræsentantur. Hic autem locus nomen sumpsit a civitate illa, olim a Saracenis diruta, quam multi *Centumcellas*, ob centum cellas ab Hadriano Imperat. pro causis dicendis ibi constructas, vocitarunt: alii verò eumdem locum ΠΥΡΟΥΣ nominarunt: & *Cincellum* etiam hodiè appellant. Hæc loca ob aquas dulces, quæ ibi ob miram earundem inopiam desiderabantur, & a Sixto V. per longos aquæductus abundantissimè illùc adductæ fuerunt, suprà fenestræ primæ coronam repræsentantur. Infrà verò Inscriptio legitur hisce verbis:

Urbs vicina Mari mediis sitiebat in undis,
Nunc dulces Sixti munere potat aquas.

Mirum profectò est, quantâ carminis facilitate, Latinæque linguæ puritate ingenii sui acumen patefaciat Blancus. Hic enim priori versu aquarum inopiam, posteriore copiam venustè & artificiosè quidèm comprehendit, ubique tamen ingenii sui dulcem, eamdemque copiosam venam, atque uberrimum doctrinæ fontem aperit, alludens, ni fallor, ad illam Tantali fabulam: quem fabulantur poetæ in sui sceleris vindictam ad inferos detrusum perpetuâ fame & siti torqueri, Eridani fluvii aquis ori, & pomis capiti ejus imminentibus, sed captationem fugientibus. Id quod Horatius in lib. serm. apertè docuit, & in avaros perpulchrè transtulisse visus est, dicens:

Horat. libr. 1. 1. Serm. 1. Sat. 1.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur.

Ovidius item:

Ovid. in Elog

Quærit aquas in aquis, & poma fugientia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.

Quarè Inscriptionis Auctor, ad locutionem Horatianam & Ovidianam alludens, ex primo versu, ait Urbem illam maritimam aquis salsis affluentem, dulcibus verò carentem, in mediis ferè aquis olim sitiisse: nunc verò Pontificis munere, hoc est, munificentiâ Sixtianâ, nunquàm satis laudata, dulces potare

tare aquas. Quam rem mirâ carminis facilitate, & felicitate, ut ſolet omnia, paucis verbis feſtivè complexus eſt.

De hac item re Blancus aliud edidit Epigramma, quod in aulâ S. Joannis in Laterano legitur hiſce verbis.

Undæ ſunt liquidæ, ſolidum ſed marmor habetur:
Marmor vi trahitur, ſponte ſed unda fluit.
Quid mirum eſt igitur ducat ſi fornice rivos,
Quando etiam Sixtus marmora vaſta trahit?

Inſcriptionis Auctor hiſce verſibus non ſolùm in aquis ad Centumcellas, & ad Urbem adductis, verùm etiam in ædificiis conſtruendis difficultatem, ac duplicem Sixti V. laudem comprehendit, aquis & ingentibus quidèm ſaxis inter ſe collatis. Hæc hactenùs, ut alia perſequamur.

DE SANCTO AUGUSTINO ECCLESIÆ DOCTORE.

AD eamdem Cameræ partem in ipſo fornice S. Pater Auguſtinus Eccleſiæ Doctor, malleus hæreticorum, & Epiſcopus Hypponenſis Pontificalibus veſtibus & cucullo nigro indutus cernitur: infrà verò coronam actio illa repræſentatur, cum in Centumcellarum, vel Oſtiæ Civitatis portu, in ipſo, ſcilicèt, maris, fluminisque confinio puerulum nucis putamine aquam è mari haurientem invenit, & ab hujusmodi incœpto deſiſtendum eſſe dixit: cui puerulus reſpondit, illud fore ſibi facilius, quàm eidem Auguſtino ſecretiſſimam, & ab ingenii humani perſpicacitate alienam ſacratiſſimæ divinarum perſonarum Trinitatis, & Eſſentiæ unitatis Inquiſitionem, atque inveſtigationem eſſe affirmavit, ut Inſcriptio, quæ infrà legitur, hiſce docet verbis:

PUERULUS NUCIS PUTAMINE AQUAM E MARI HAURIENS SANCTUM AUGUSTINUM A SANCTISSIMÆ TRINITATIS INDAGATIONE DEHORTATUR.

DE S. THOMA AQUINATE, ET S. BONAVENTURA ECCLESIÆ DOCTORIBUS.

AD eamdem Cameræ, ejuſdemque interfeneſtrii partem, S. Bonaventura Balneoregienſis, Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis, necnon eximius Eccleſiæ Doctor ſuprà coronam in ipſo fornice depictus cernitur: infrà verò actio illa repræſentatur, qua S. Thomas Aquinas, Eccleſiæ item Doctor eumdem Bonaventuram adivit ſalutandi gratiâ, eumque vitam S. Franciſci ſcribentem reperiens idem B. Thomas Sanctum adhuc viventem appellavit, dicens: *Sinamus Sanctum pro Sancto laborare*, ut apertè docet Inſcriptio, quæ infrà legitur hiſce verbis:

S. THOMAS S. BONAVENTURAM PRO S. FRANCISCO LABORARE SINIT.

EMBLEMA II.

De quinque decies centenis nummum aureorum millibus in Arcem S. Angeli repoſitis.

AD alteram ejuſdem partis Cameræ feneſtram ſuprà coronam ærarium Pontificium repræſentatur per arcam quandam ſeris occluſam, & Leonem deſuper jacentem, atque Eccleſiæ claves geſtantem, necnon per Angelum tenentem in ſublimi Tiaram Pontificiam, quam *Regnum Mundi* appellant, hinc indè imaginibus, vel ſymbolis humi conſiſtentibus, quæ Chriſtianos Principes Eccleſiæ Sanctæ Romanæ, Catholicæ, ſcilicèt, fidei operam laturos, ut ſuperiùs dictum eſt, repræſentant: Angelo item ad partem alteram clavem, & enſem geſtante. Infrà verò Inſcriptio in hanc legitur verborum formam:

Quæ fuit a parco congeſta pecunia Sixto,
Turcæ erit exitium, præſidiumque Petri.

Duo in omnibus humanis actibus potiſſimum inſpici debent, modus, ſcilicèt, agendi, & finis actæ rei: quæ quidèm in præclariſſimâ Sixti actione erudite obſervat Blancus: priore ſiquidèm verſu modum colligendæ pecuniæ, poſteriore uſum, & finem collectæ venuſtè comprehendit: ſicùt enim Princeps: qui ad pecuniæ collectionem animum adjicit non tyrannicâ vi, aut aliis modis illegitimis, ſed honeſtâ, & legitimâ viâ, qualis eſt parſimonia, quæ a ſapientibus olim *magnum vectigal* dicta eſt, conficere debet, ita Sixtus, qui omnia rectè peragit, incredibili parſimoniâ intra paucos dies tantam pecuniæ vim, quantam nullus anteà Pontificum, confecit. Quod priore, ut diximus, verſu denotat Blancus; dum eum parcum appellat epitetho non ocioſo, quaſi dicat, Sixtum V. ex parſimoniâ ſuâ pecuniam congeſſiſſe: idque clariùs expreſſit Inſcriptionis Auctor in euchariſtico ſuo Carmine dicens:

In tua congeſtos retuliſti ærarja nummos,
Quos efferre poteſt non niſi cauſa gravis:
Nec tibi theſauros vis ulla tyrannica fecit,
Sola manus tantas parca paravit opes.

Uſus autem collectæ pecuniæ, ut etiam tradidimus, accuratè conſiderari debet, ut non ad fovendam avaritiam, malorum omnium radicem, non ad prodigalitatem, non ad voluptates, & mollities, alioſve execrandos uſus, ſed ad neceſſarios, honeſtos, & laudatos comperetur. Uſus autem publicæ pecuniæ (quod in ſuo eâ de re Diplomate præſenſit Sixtus V.) eſt præſidium, & ornamentum Reipublicæ: exitium, & interitus hoſtium, quando pecunia a veteribus belli nervus appellatur. Uſum igitur explicat Blancus dum ait:

Ex Bullario Sixti V. Conſtit. 33. part. 1. Et par. 2. conſtit. 13.

Turcæ erit exitium, præſidiumque Petri, Hoc eſt, Romanæ, & Apoſtolicæ ſedis. Hùc ſpectat ejuſdem Blanci locus in Euchariſtico ſuo dicens:

Turca rues : tantos Arx alia ſervat in uſus:
Quas ſummus Princeps accumulavit opes:
Quoſq; ſibi belli nervos confecit abundè,
Vertet theſauros in caput ille tuum.
Infelix tu Turca rues hoc nomine, Felix,
Quòd tu felici ſub Duce Turca rues.

Et ut locum Blanci obiter illuſtrem, ſciendum hanc ingentem pecuniam a Sixto V. collecta repoſitam eſſe in mole Ælii Hadriani, quam hodie *Caſtellum S. Angeli* dicimus, ob eamque cauſam Arcem æliam is appellat ab Ælio Hadriano Imp. qui eam extruxit. Hanc item rem Blancus decantavit Epigrammate alio, quod in aulâ S. Joannis in Laterano legitur hiſce verbis:

Aurum lege ſuâ Plato quondam exegit ab Urbe,
Lege ſuâ id Sixtus condit in arce Pater.
Scilicèt aurum eſſe excidium Plato cenſuit Urbis,
Urbis præſidium Sixtus id eſſe probat.

Qui autem plura ad id ſpectantia, & ſcitu digna noſcere cupit, ad dictum Diploma, ſeù ad alteram hujus generis Inſcriptionem ſuperiùs declaratam confugiat.

DE S. GREGORIO NAZIANZENO, ET SANCTO ATHANASIO ECCLESIÆ DOCTORIBUS.

IN altero ejuſdem lęvę interfeneſtrio Sanctus Gregorius Nazianzenus, & S. Athanaſius Eccleſiæ Doctores ſuprà cameræ coronam depicti cernuntur: infrà verò eorundem actiones duæ præcipuæ conſpiciuntur.

Ex alterâ parte Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui ob ſingularem divinarum literarum ſcientiam, Theologi nomen conſequutus eſt, primùm Saſimorum, deindè Na-Nazianzi Epiſcopus, repræſentatur. Poſtremò autem Conſtantinopolim ad eam regendam Eccleſiam cùm fuiſſet accerſitus, eam civitatem hæreſum purgatam erroribus ad Catholicam fidem reduxit. Quam ob rem, cum pravorum hominum odium ſibi paraſſet, ob idque magna intèr Epiſcopos facta fuiſſet ſeditio, ſponte abdicans ſe Epiſcopatu, illud Prophetæ dictum uſurpavit dicens: *Si propter me commota eſt hæc tempeſtas, deiicite me in mare, ut vos jactari deſinatis*. Hinc Nazianzum rediit. Inſcriptio autem, quæ infrà legitur, hanc rem apertè hiſce indicat verbis.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS OB COMMOTAM INTER EPISCOPOS SEDITIONEM CONSTANTINOPOLITANO EPISCOPATU SPONTE SE ABDICAVIT.

In altera interfeneſtrii parte S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, & Eccleſiæ Doctor cernitur, qui multas Arianorum inſidias perpeſſus eſt: quarum una, cum de magicâ arte falſo fuerit accuſatus, & divinâ ope liberatus, per demortui manum, quæ hic conſpicitur, in locum judicii delata, repræſentatur, & per Inſcriptionem, quæ infrà legitur, apertè indicatur hiſce verbis:

S. ATHANASIUS DE MALEFICIO INJUSTE ACCUSATUS DEI BENEFICIO JUSTE LIBERATUR.

EMBLEMA III.

De Scalâ ſanctâ a Sixto Quinto in ſplendidiorem locum translatâ.

AD tertiam ejuſdem lævæ Cameræ feneſtram ſuprà coronam celeberrima illa Scala ſancta pretioſo, ſalutarique Chriſti ſanguine conſperſa in nobiliorem, commodioremque locum translata, ſacrarumque hiſtoriarum picturis, aliiſque ornamentis ad devotionem, meditationemque excitantibus mirificè inſignita, necnon Palatii, & Baſilicæ Lateranenſis frontiſpicia ſplendidiſſima repræſentantur: cujus rei translationem inſignem duobus hiſce verſibus comprehendit Blanchus:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

Scalas innocuo conſperſas Sanguine Chriſti
Tot ſibi conſtituit Sixtus ad aſtra gradus.

Hæc Inſcriptio adeò facilis eſt, & clara, ut expoſitione non indigeat. Hanc eandem translationem decantavit Blancus argutiori quidèm Diſticho, quod in Palatio ad Thermas legitur hiſce verbis:

Quot transfert ſacro perfuſos ſanguine Chriſti
Conſtituit Sixtus ſplendidiore loco.

Hoc eſt, tot gradus in cælum aſcendendi ſibi parat Sixtus, quot ſunt Scalæ ſanctæ gradus pretioſo Chriſti ſanguine perfuſi, & ab eodem Sixto translati.

DE S. BASILIO MAGNO ECCLESIÆ DOCTORE.

AD hujus lævę angulum ſuprà coronam S. Baſilius ob omnium doctrinarum, ſanctæque vitæ excellentiam cognomento *Magnus*, necnon Epiſcopus, & Eccleſiæ Doctor depictus cernitur: infrà verò repræſentatur actio illa, qua Valens Imp. pro tribunali ſedens eum in exilium eiicere conatur. Baſilius enim Dei Filium Patri conſubſtantialem contrà Valentem Imp. hæreticum defendens, hujus iras expertus eſt. Fuit tamen ejuſdem Filii Dei ope ab iis liberatus: cum enim Valens impiæ ſententiæ vacaret, ſubſellium, in quo Valens ſcripturus erat decretum de eiiciendo e civitate Baſilio, fractum fuit: tribuſque ab eo calamis adhibitis ad ſcribendam exilii legem, nullus eorum reddidit atramentum: cumque in propoſito ſcribendi impium decretum perſiſteret, ipſius dextera diſſolutis nervis tota contremuit. His commotus Valens chartam vtrâque manu conſcidit. Hinc Auctor Inſcriptionis per luſum quendam paro-

rono-

ronomaſticum ſatis venuſtum, hunc in modum hiſtoriam brevibus enarrat verbis:

S. BASILIUM MIRACULIS PRÆPOTENTEM IN EXILIUM EJICERE IMPERATOR VALENS NON VALUIT.

EMBLEMA IV.

De Canonizatione S. Didaci Complutenſis ex ord. Sancti Franciſci.

AD poſtremum primæ Cameræ, quam ſecretiorem dicunt, parietem è regione introitus Canonizatio Sancti Didaci Complutenſis ordinis S. Franciſci luculentiſſimè per pictores repræſentatur: quam Sixtus V. Pont. Max. admirandâ pietate, ſolemni ritu, frequentiſſimo cleri, populique conventu in Baſilica S. Petri celebravit VI. Nonas Jul. Anno Dom. M. D. LXXXVIII. pietate florentiſſimo Hiſpaniarum Rege Catholico Philippo II. poſtulante. Quare Blancus hujus Sancti Canonizationem eleganti celebrans hexaſticho, quod infrà legitur, ait Sixtum V. manum ſuam invictam, qua homines facinoroſos, & præſertim prædones hinc indè fuſos ab Italiâ expulit, in cælum ſuſtuliſſe pro Didaco Cœlitibus, vel ſanctis civibus adſcribendo, ejuſque feſto die inſtituendo: eundemque Pontificem ob ſua ipſius geſta, & præclara quidèm, ſolum, & polum, hoc eſt cælum, & terram jam ſibi demeruiſſe, perbellè concludit. Inſcriptio legitur in hanc verborum formam.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

Poſtquàm Italis fuſos prædones expulit oris,
Suſtulit invictas Sixtus ad aſtra manus.
Et Didacum æthereis adſcripſit civibus, illi
Thura dedit, feſtos inſtituitque dies.
Sic tu Sixte tibi potuiſti ingentibus actis
Demeruiſſe ſolum, demeruiſſe polum.

Perpulchra eſt profectò atquè adeò facilis, feſtivaque hujus Inſcriptionis concluſio, non ſolùm ob ejuſdem verbi repetitionem, verùm etiam ob illam ſoli, & poli paronomaſiam, concurſionemque ſyllabarum ſatis hoc loco jucundam, qua ſumma Sixti V. laus concluditur ex Italiâ ſicariis, & facinoroſis hominibus liberatâ, Canonizationeque ſancti Didaci celebrata. De hujus ſancti Canonizatione, ac vitâ Petrus Galeſinius Protonotarius Apoſtolicus, & Franciſcus Peña Auditor Rotæ conſcripſerunt. Franciſcus autem Avantius Venetus, bonarum artium ſtudioſus, vtramque editionem ex Latinâ linguâ in Italicam emendatiorem feliciter tranſtulit.

DE ALTERA

BIBLIOTHECÆ CAMERA,

Quam ſecretiorem appellant,

EMBLEMA I.

De Obeliſci Vaticani translatione.

AD alterius Cameræ introitum a tergo ſuprà portam, translatio Obeliſci Vaticani erectio, ac locatio, hoc eſt, trabes ferro connexæ, funibuſque invicem compactæ, ſcalæ, rudentes, ſubductuarii tunes, necnon alia id genus inſtrumenta ad tantam molem transferendam, erigendam, locandamque neceſſaria, Equi item vehicularii non pauci, homineſque permulti huic rei agendæ incumbentes, per Pictores repræſentantur: atquè ita, ut ex pictura ipſa quivis facile dignoſcat, quanta rei fuerit magnitudo, humanique ingenii ad tantam rem præſtandam excellentia. Id quod Dominicus Fontana Comes Palatinus, & Eques aureatus, necnon Sixti Quinti Architectus ex Pago Millì Agri Novocomenſis, qui Romæ quatuor Obeliſcos tranſtulit, erexit, & locavit, typis, ſeù formis æneis, & Italicò idiomate fuſiùs, & expreſſiùs in ſuo de ædificiis Sixtianis libro ob oculos ponit.

Blancus autem, qui res Sixti Quinti immortalitate digniſſimi perpendit, hac Obeliſci translatione miram ejuſdem Pontificis præſtantiam ingeniosè decantat hunc in modum:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

Saxa agit Amphion, Thebana ut mœnia condat:
Sixtus, & immenſæ pondera molis agit.
Saxa trahunt ambo longè diverſa: ſed arte
Hæc trahit Amphion, Sixtus, & arte trahit.
At tantum exuperat Dircæum Amphiona Sixtus,
Quantum hic exuperat cetera ſaxa lapis.

Hac in Inſcriptione eſt luſus quidam poeticus, argutaque comparitio, Amphionis, & Sixti V. in trahendis ſaxis. Amphion enim, ut poetæ fabulantur, Jovis filius a Dirce matre *Dircæus* dictus, fuit Muſicus tam inſignis, ut teſtudinem a Mercurio dicatur accepiſſe, ejuſque ſono ſaxa ad Urbis Thebanæ conſtructionem attraxiſſe, ut Horatius in Arte poeticâ teſtatur apertè dicens: Orat. in arte Poet.

Dictus, & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet.

Quòd ideò finxerunt Poetæ, quoniam eloquii ſuavitas homines rudes, & incultis moribus, ad obſequii civilis pellexit diſciplinam. Hinc Horatius cum dixiſſet: *Sono teſtudinis*, addidit: *Et prece blandâ*. Quarè Inſcriptionis Auctor effictam Thebarum conſtructionem eo modo enarratam ad ſuum tran-

transfert propoſitum inquiens, Amphionem, & Sixtum traxiſſe ſaxa, longè tamen diverſa: Adde etiam quòd diversâ item arte: ita verò ſicut ſermo a funę, efficiumque a vero diſtant. Quarè ad hunç ſenſum, ni fallor, Blancus hexaſtichi concluſionem direxiſſe videtur dicens, tantum a Sixto V. Amphionem in trahendis ſaxis fuiſſe ſuperatum, quantum cetera ſaxa ab hujus generis Obeliſcis ſuperari conſtat. Hoc autem hexaſtichum extat etiam in libro epigrammutum Gulielmi Blanci ſuperioribus annis edito.

Hæc de Obeliſci Vaticani translatione: de Obeliſcis autem nihil eſt, quod hoc loco ſermonem habeam: nam de iis necnon de eorundem Obeliſcorum Scriptoribus in prioribus Emblematis, quod ad meum inſtitutum pertinebat, ſatis dictum puto. Addam tamen, Michaelem Mercatum Protonotarium Apoſtolicum, Virum profectò eruditum, de Obeliſcis tùm generatim, ſive in univerſum, tùm denique ſingulatim, ac nominatim de iis, qui nunc Romæ a Sixto V. erecti ſunt, multa abſtruſa, ac ſcitu digniſſima non minus curiosè quàm doctè, Etruſcâ linguâ ſcripſiſſe: quæ in lucem prodierunt.

EMBLEMA II.

De Tholo Sancti Petri.

ERegione ſuperioris Emblematis Tholus Sancti Petri, ejuſdemque Baſilicæ novæ frontiſpicium, magnificis porticibus hinc indè ornatum, ad id celebritatis, & perfectionis, quam habere debent, efficta conſpiciuntur, atque itaut nihil hac re pulchrius, nihilue admirabilius ferè deſiderari, nedum inveniri queat. De hujuſmodi ædificio tam excellenti, omnique laude digno, a Julio II. Pont. Max. olim inchoato, in Emblemate primo de Sixti V. Coronatione verba fecimus. Hinc alia de hoc Tholo ſcire cupientes eò confugiant. Hujus Emblematis Inſcriptio in hanc legitur verborum formam:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

Pontifices olim quem fundavere priores,
Præcipuâ Sixtus perficit arte tholum.
Et tantum Sixti ſe gloria tollit in altum,
Quantum ſe Sixti nobile tollit opus.
Magnus honos magni fundamina ponere Templi,
Sed finem cœptis addere, major honos.

Hac Inſcriptione Blancus hujus Tholi, ſeu potiùs Baſilicæ novæ fundamenta ab aliis Summis Pontificibus jacta fuiſſe ait, eamque omnibus ſuis numeris abſolutam ad finem vſque jam ferè deſperatum a Sixto V., Deo opitulante, deductum iri affirmat: tantamque Sixti gloriam inter alios Pontifices fore auſpicatur, quantam hujus generis opus adeò nobile, famam, & admirationem inter cetera ædificia adipiſci poteſt. Hùc accedit quòd multo majorem gloriam conſequitur, qui rerum cœptis finem imponit, quàm qui earundem jecit fundamenta. Hæc ex Blanco: cetera adeò plana ſunt, ut declaratione non indigeant, hinc reliquorum Emblematum expoſitionem aggrediendum eſt, ut Bibliothecæ Vaticanæ finem tandèm aliquando imponamus.

EMBLEMA III.

De Lauretana Civitate.

HOc Emblemate ad dextram hujus Cameræ partem ſuprà feneſtram primam Lauretum toto terrarum orbe celeberrimum, in quo extat ſacrum illud Cubiculum divinis myſteriis inſignitum, ubi B. Maria ſemper virgo nata, & ab Angelo ſalutata, Salvatorem mundi de Spiritu ſancto concepit, repræſentatur. Quibus de cauſis Sixtus V. ad omnes res pias, ac præclaras producendas natus, Lauretum oppidum Piceni in Civitatem ſublimavit, quam etiam augendam mandavit: & Eccleſiam Lauretanam ex Collegiatâ in Cathedralem, & Epiſcopalem erexit. Hinc Blancus hæc omnia a Sixto V. inſigniter acta duobus tantùm verſibus, ut infrà, eleganter hunc in modum comprehendit:

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

Lauretum muris, Paſtore, & civibus auctum
A Sixto, & Sixti laus ſimul aucta fuit.

His verſibus Auctor Inſcriptionis laudem Sixti V. augeri, perindè atque Lauretum ipſum ab eodem Pontifice, & muris, ac domibus, civitatiſque nomine, Epiſcopalique dignitate auctum, illuſtratumque fuit. Hujus generis ſublimationem, quæ hoc in Emblemate tamquàm tenui penicillo deſignata eſt, & ut ſic dixerim, ſuperficie tenus adumbrata, in altera ejuſdem argumenti Inſcriptione ſolutâ oratione exaratâ, quæ in fornice alterius cameræ ſecretioris cernitur, ſatis diffusè explicavimus. Huc item ſpectat quod in Palatio Lateranenſi ab eodem Blanco editum legitur hiſce verbis:

Fœtam Urbem populis Piceno in littore Sixtus
Mœnibus incinxit, Pontificemque dedit.
Sic teneros ſeptis includit villicus agnos,
Cuſtodemque illis donat habere ſuum.

Hæc autem hactenùs, ut cetera, quæ ſuperſunt declaranda perſequamur.

EMBLEMA IV.

De Equorum Phidiæ, & Praxitelis translatione.

EMblemate hoc ad eandem cameræ partem ſuprà ſecundam feneſtram Mons Quirinalis a Quirini Fano, vel a Quiritibus, qui cum Tatio a Curibus venientes vbi caſtra poſuerunt, olim dictus: nunc verò, ab Equis illis marmoreis, & celeberrimis quidèm, *Mons Caballus* vulgò vocitatus, necnon dictorum

Bartholom. Marlianus lib. 5. cap. 21. & 22.

rum Equorum translatio repreſentatur. Hinc Auctor inſcriptionis hunc in modum ait:

Sixtus Equos transfert geminos, quos finxerat olim
Artificum e Pario marmore docta manus.

Hac Inſcriptione Blancus in tranſlatione ipsâ enarrandâ duo præcipua, lapidis ſcilicèt, & Artificum excellentiam brevitèr comprehendit, dum illos equos è Pario marmore, & à doctâ virorum manu exculptos fuiſſe dicit. Parius enim lapis, à Paro Inſulâ maris Ægæi, dictus, non eſt Lydius, quo aurum probatur, ſed marmor candidum, omnium optimum, & ad Deorum ſimulacra olim maximè expetitum, ex quo dicti equi dicuntur exculpti. Equorum Artifices Phidias & Praxiteles fuerunt, Statuarii inſignes. Ille, ut Plinius ait, artifex numquâm ſatis laudatus, in ebore longè citrà æmulum claruit: Diis tamen, ut Quintilianus ait, quàm hominibus effigiandis melior. Inter illius opera maximè commendata eſt Minervæ ſtatua, quam Athenis ex Ebore fecit 26. cubitorum altitudine, in cujus clypeo Amazonum pugnam, & Gigantomachiam inſculpſit: in ſoleis verò centaurorum, & lapitharum certamen. Inter alia ipſius opera, proximam commendationem meruit Juppiter Olympius ex ebore: & Romæ in porticibus Octaviæ Venus.

Plin. libr. 36. cap. 5.

Praxiteles autem, ut ait Gabriel Barrius Francicanus, fuit homo Calaber ex oppido, *Peripoli* olim dicto, nunc *Amygdalia*, vulgò *Mendolia*, in extremâ Italiæ orâ, quam magnam Græciam vocant, natus, marmoris gloria ſe ipſum ſuperavit, Plinio teſte, duplici præſertìm Venere nobilitatus, Gnidiâ, & Coâ. quæ ob artis præſtantiâm, magnam mortalium vim eas in Inſulas ad ſui ſpectaculum allexerunt: hinc quemdam Juvenem Gnidiæ veſano amore captum, in Templo delitentem cum ſimulacro coiviſſe ajunt. Equum item, visâ Equæ ſtatuâ, hinnitum edidiſſe, & Canes aſpectu Canis efficti latratum emiſiſſe, Taurumque marmoreæ Vaccæ concubitum Siracuſiis appetiiſſe ferunt. Fecit & Niobis in ſaxum olim, ut fabulantur Poetæ, transformatæ ſtatuam pulcherrimam à Græcis Poetis celebratam: de qua hoc Epigramma ad verbum latinitate donatum extat in hanc verborum formam:

Gabr. Francianus libr. 1. & 3. de Antiq. Calaber. Ex Plin. ubi ſup. Ex Valer. Max. lib. 8.

Ovid. 6. Metamor.

Ex vita me dii fecerunt lapidem, ex lapide vero
Vitam Praxiteles iterum fecit.

Item Auſonius:

Vivebam, ſum factu ſilex, quæ deindè polita
Praxitelis manibus vivo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, ſed ſine ſenſu:
Hanc ego, cum læſi numina, non habui.

Hic denique eb artis ſtatuariæ excellentiam Civitate Romanâ donatus, eam egregiis ſignis ornaſſe commemoratur, Triptolemo præſertìm, Florâ, & Cerere, quæ in hortis Servilianis, necnon Boni Eventus, & Bonæ Fortunæ ſimulacris, quæ in Capitolio, & aliis plurimis, quæ paſſim hinc indè Romæ extare dicuntur. Hæc mihi dicenda viſa ſunt ad equorum Artificum nobilitatem, & excellentiam declarandam.

Ex Plin. ubi ſup.

Duo autem Equi marmorei Bucephalum Alexandri equum repræſentantes, quorum alterum Phidias, alterum verò Praxiteles ſculpſiſſe dicuntur, in monte Quirinali ſuper baſes lateritias abſque marmoris incruſtatione cum Aurigis, ſeu potiùs Domitoribus marmoreis: coloſſeâ formâ, Alexandrum repræſentantibus, ob uetuſtatem ſatis conſumpti viſi ſunt hiſce literis marmore inciſis.

OPUS PHIDIÆ.

OPUS PRAXITELIS.

Sunt qui velint hos Equos Romam a Tiridate Armeniæ Rege aſportatos, & Neroni donatos: Id autem ego nonniſi de Equo Phidiæ dici poſſe reor, cum Praxitelem extrà Italiæ oras fuiſſe non conſtet. Adde etiam quòd Publio Victore teſte, erat Romæ in ſeptimâ regione viâ. quæ *lata* dicebatur, locus ab Equo Tiridatis Regis Armeniæ nomen habens, ubi de uno tantum equo loquitur. Hino nonnulli Praxitelem in Urbe Roma, ubi eum floruiſſe, multaque ſimulacra exculpſiſſe volunt, Equum illum ad Phidiæ æmulationem effinxiſſe ajunt.

Publ. Victor. var. lect.

Sunt præterea qui per eadem illa Simulacra duorum Juvenum coloſſeâ magnitudine equos efferos domantium: Caſtorem, & Pollucem, quibus domandi artem tribuerunt, intelligendos eſſe velint. Id quod rationi omninò refragatur. Caſtoris enim & Pollucis ſtatuæ vel ſtellatæ effingi ſolent, vel inſtar earum, quæ nuper ad gradus Capitolinos collocatæ cernuntur pileatæ, ac tenentes equos cicuratos, & manſuetos. Major tamen hominum pars per eadem ſimulacra Alexandrum Magnum actu domandi Bucephalum, ferociſſimum equum, à duobus Artificibus Græcis mirâ ſtatuariæ artis excellentiâ præditis ad æmulationem repræſentatum ſentit, & affirmat.

Per coloſſeas item ſtatuas illas, Alexandrum Magnum, & Bucephalum ejus equum repræſentatos fuiſſe, vetera numiſmata cum ipſius nominis Inſcriptione Græcâ docent, quæ ſtatuarum eandem referunt effigiem. Thoraces verò, & Loricæ juxtà Alexandri Magni ſimulacra Gentes domitas, ſibique ſubjectas præſeferunt.

Varia autem numiſmatum genera ſunt, quæ Alexandri Magni effigiem, ac Bucephalum ejus Equum repræſentant: alia enim ſunt ærea, alia argentea, alia verò aurea. Quædam ex alterâ facie ejuſdem Alexandri imaginem habent, cum hiſce literis Græcis, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ, vel ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, ideſt Alexandri Regis Macedonum. Ex adverſâ verò parte habent eumdem Alexandrum actu domandi Bucephalum. Quædam autem ex alterâ parte Alexandri effigiem, & ex poſticâ, vel eumdem Alexandrum Equo inſidentem habent, vel Equum alatum, quem *pegaſum* dicunt, ad ejuſdem Alexandri famam innuendam: cujus ſymbolum

lum inter alia est Equus alatus. Quædam denique Alexandri habent effigiem, & alia, quæ longum esset recensere. In gemmis autem, & præsertim amethysto, gemma purpurea, ad colorem vini accedente, & in violam desinente, sola Alexandri imago sculpta conspicitur, vel Alexander Bucephalum domatum tenens. Hæc autem omnia, multoque plura ad hanc rem pertinentia penes Annibalem Zitellium à Roccâ contratâ, concivem meum, multæ quidèm eruditionis virum asservantur. Quamvis verò effigies Alexandri omnes tàm in nummis, quàm in gemmis incisæ eamdem simulacrorum ad Quirinalem extantium effigiem referre inveniantur, si capillitium, frons, nasus, genæ, mentum, necnon labia conferantur: ego tamen numisma primo loco superiùs nominatum incidendum, atque hìc apponendum curavi, cum in eo Alexander Magnus actu domandi Bucephalum repræsentetur. Nec cuiquam mirum videri debet, si positura, vel situatio simulacrorum non sit omninò eadem cum eâ, quæ in nummis apparet: id enim vel ob multas eorumdem non semel instauratorum translationes factum esse, vel modum domandi inter marmora sculpenda, cudendaque numismata arbitrarium fuisse censendum est.

EX NUMMO ÆREO.



Plin. libr. 34. cap. 5.

Hoc autem opus Latinorum esse non videtur, sed Græcorum, si Plinio credimus, qui, ut cæteros scriptores silentio præteream, ait, *Græcos Artifices nihil velare*, cuiusmodi sunt duæ illæ statuæ nudæ: Latinos verò velamen, seu thoraces, vel indumentum addere solere. Nec quisquam mirari debet, excellentes viros hanc decertandi provinciam suscepisse, si Alexandri Magni nomen celeberrimum, & Bucephali generositas, atque ferocitas, miraque ejusdem Alexandri in Bucephalo edomando laus spectentur. Bucephali nomen Græcè *Taurinum caput* significat: atque illud ei impositum judicatur, vel ex eo quòd taurinam truculentiam, vel formam referret, vel quòd taurinum caput armo haberet impressum. Tanta autem hujus equi ferocitas erat, ut nemini tractabilis videretur, nullumque Sessorem admitteret. Quarè Philippus ubi primum ab Alexandro filio Bucephalum edomitum vidit, spectatoribus admirantibus, illacrymasse, Aldxandrumque exosculans, ei dixisse fertur:

Diod. Sic. lib. 17. Plin. lib. 8. cap. 42.

Plutarch. in vita Alexan.

Regnum tibi quære: Macedonia enim te non capit

Duæ illæ igitur statuæ equos efferos domantes Alexandrum Magnum & Bucephalum repræsentant. Num verò Phidias, & Praxiteles eas effinxerint, nonnulli dubitarunt, dicentes Phidiam Athenienſem floruisse, ut ex Plinio colligitur, Olympiade 83. & 300. circiter ann. ab Urbe conditâ, & 115. ann. antequàm Alexander Magnus regnare cœpisset. Quæ quidèm sententia ab opinione Eusebii abhorrere non videtur, qui narrat Phidiam vixisse Olympiade 85. anno mundi 4760. Alexandrum verò Olympiade C. XI. anno Mundi 4860. Plato item, quem antè Alexandrum regnantem anno circiter 20. fuisse narrat Eusebius, de Phidia statuario, & Protagora mentionem facit. Plutarchus denique, ait, Phidiam mortuum fuisse tempore Pericli, qui eum carceri mancipavit, & centum, eoque ampliùs anno antè Alexandrum regnavit.

Plin. lib. 34. cap. 8.

Euseb. in Chron. & 36. cap. 5.

Plutarch. in Pericle to. 1.

Praxiteles autem duos fuisse, alterum anno circitèr 30. antequàm Alexander regnare cœpisset: alterum verò anno circiter 160. Alexandro posteriorem extitisse ex Plinio item colligitur: quorum prior in marmore, quàm ære felicior: posterior argenti cælator clarissimus fuit. Hinc colossæas statuas illas, de quibus nunc sermo habetur, Phidiæ & Praxitelis operâ esse non opinantur, etiamsi ejusdem Alexandri Magni tempore floruissent, cum Lysippo, soli clarissimo statuario, Alexandri imaginem, dum hac fruebatur luce, effingere; & nonnisi Apelli pictoriam artem optimè callenti pingere licuisse constet.

Plin. libr. 34. c. 8. & 36. c. 5.

Ego verò, qui ex supputationibus, atque ex pluribus ejusdem nominis rebus falsas opiniones, seu deceptiones suboriri non semel expertus sum, colossea illa Simulacra nonnisi Phidiæ & Praxitelis operâ esse puto atque affirmo, quippè qui duas hasce Inscriptiones marmore vetustissimo ad bases earundem Statuarum incisas sexcenties me legisse memini in hanc verborum formulam:

OPUS FIDIÆ.

OPUS PRAXITELIS.

Nec facilè adduci possum, ut has Inscriptiones suppositltias esse, atque id à quopiam effictum fuisse credam, ut ex iis Inscriptionibus major iisdem Statuis auctoritas aut existimatio tribueretur. Artifices enim dictarum Statuarum fuisse excellentes, & in primis claros,

ros, ipſamet ſimulacra ſatis declarant. Præterea ſicut de his Inſcriptionibus, ita de omnibus aliis, quæ in excellentiſſimorum Artificum ſimulacris inciſæ paſſim conſpiciuntur, poterit dubitari. Eſto autem quòd huiuſmodi ſtatuæ in Græciâ, ut reor, ſint effictæ, ac tempore Conſtantini Magni Romam ad ipſius Thermas exornandas tranſvectæ, deindè ad eas Quirinalis partes, in quibus ad hanc uſque diem extant, translatæ, ac Romæ iiſdem Statuis ſubjectæ fuerint Inſcriptiones illæ, quas hoc loco appoſuimus: id tamen vel à Conſtantino Magno, vel à quopiam præpotenti Principe, vel viro bonarum literarum, atque hiſtoriarum, ſive antiquitatum non ignaro factum eſſe credendum eſt, cum hujus generis facinus tam illuſtre nonniſi ad Principes & præclaros viros pertinere conſtet. Id quod privati homines, bonarumque artium ignari, vel tentare auſi non fuiſſent, vel illud idem facere iis non fuiſſet permiſſum. Adde etiam, quòd Inſcriptio ipſa cubitali characterum formâ exarata, elegantem, & pulcherrimam literarum antiquitatem redolet illam, quæ temporis Conſtantini, ac futuris deindè temporibus deſiderabatur: & marmor, in quo inciſa erat Inſcriptio, ab eorumdem ſimulacrorum colore nulla ex parte diſtare judicatum eſt.

Nec noſtris hiſce rationibus videtur adverſari Orthographia, in Inſcriptione operi Phidiæ ſuppoſitâ, in qua Auctor Inſcriptionis Fidias pro Phidias ſcribendi judicavit: id enim nec minus accuratè, nec indoctè quidèm factum eſſe cenſeo, dum hunc ſcribendi modum in aliis Inſcriptionibus, & planè inſignioribus, ac perantiquis obſervatum fuiſſe video. Nam ſicut TRIUMPUS, & TRIUMFUS, ac TROPÆUM abſque aſpiratione pro TRIUMPHUS, & TROPHÆUM à Latinis, & doctis viris aliquâ tempeſtate, & frequenter quidèm ſcribi ſolebat, ut à nobis jam diffusè demonſtratum eſt: ita etiam quandòque ab iiſdem Romanis, & ſanè eruditis viris F, pro Ph, paſſim uſurpatum fuit, ſicut ex Inſcriptionibus tùm privatis, tùm publicis, quas infrà videre eſt, latè patet.

INSCRIPTIONES PRIVATÆ

De uſu literæ F, pro Ph.

Afrodiſia apud Fulvium Urſinum. *Fileros* ad S. Pauli Baſilicam. *Filonius* in Ædibus Columnenſium. *Filo*, inter Quirinalem, & fontem Trivii. *Filumena* in Ædibus Bruti Gothfredi, ad S. Agnetis Eccleſiam. *Hierofanta* ad S. Petri Ædes. Salviæ *Daſnæ* in vinea Matthæi Morelli in aſcenſu Quirinalis. *Symfor* ad S. Angelum in foro Piſcario in pariete domus. *Trofimus* Anagniæ ad Cathedralem Eccleſiam.

INSCRIPTIONES PUBLICÆ

De uſu literæ F, pro Ph.

Triumfator in Ædibus Capranicorum in Inſcriptione Flavii Eugenii, de Conſtantino, & Juliano Cæſaribus.

Triumfator in Ædibus Franciſci Liſchæ in Parione, de Arcadio.

Triumfatores ad forum Trajani in Inſcriptione Saturnini ſecundi, de Valentiniano, & Valente Cæſaribus.

Triumfis in vetuſtâ Obeliſci ad Ædes Lateranenſes tranſlati Inſcriptione: in qua Michael Mercatus invenit *Triumfis*.

Aſulæ in Eccleſia majori S. Andreæ, in columna.

DIV. FL. JOVIANO
TRIUMFATORI
SEMPER AUG.

Simulacra igitur coloſſea illa, ut rem tandem concludamus, ad Quirinalem montem propè Palatium Pontificium collocata, quæ olim lacera, & obſcuro loco, hominumque aſpectui non accommodato extabant, nunc verò juſſu Sixti V. Pont. Max. inſtaurata, & in nobiliorem, commodioremque locum tranſlata, Alexandrum Bucephali domitorem repræſentant: eaque Phidiæ ac Praxitelis opera eſſe, non modò vetuſtæ, ſed etiam novæ docent Inſcriptiones, quas infrà videre eſt.

Ad baſem Equi Phidiæ Inſcriptio.

PHIDIAS NOBILIS SCULPTOR
AD ARTIFICII PRÆSTANTIAM
DECLARANDAM
ALEXANDRI BUCEPHALUM
DOMANTIS EFFIGIEM
E MARMORE EXPRESSIT.

Ad baſem Equi Praxitelis Inſcriptio.

PRAXITELES SCULPTOR
AD PHIDIÆ ÆMULATIONEM
SUI MONUMENTA INGENII
POSTERIS RELINQUERE CUPIENS
EJUSDEM ALEXANDRI
BUCEPHALIQUE SIGNA
FELICI CONTENTIONE
PERFECIT.

Ad baſis Equi Phidiæ dextram hæc item legitur Inſcriptio.

SIXTUS V. PONT. MAX.
SIGNA ALEXANDRI MAGNI
CELEBRISQUE EJUS BUCEPHALI
EX ANTIQUITATIS TESTIMONIO
PHIDIÆ, ET PRAXITELIS ÆMULATIONE
HOC MARMORE
AD VIVAM EFFIGIEM EXPRESSA
A FL. CONSTANTINO MAX. E GRÆCIA
ADVECTA, SUISQUE IN THERMIS
IN HOC
QUIRINALI MONTE COLLOCATA
TEMPORIS VI DEFORMATA, LACERAQUE
AD EJUSDEM IMP. MEMORIAM, URBISQUE
DECOREM IN PRISTINAM FORMAM
RESTITUTA HIC REPONI JUSSIT
AN. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

Hac ſeſe offerente occaſione, ſilentio prætereundum non eſt, Quirinalem collem, ſeu Montem, ut nunc vocant, *Caballum*, & Equorum iuſtauratione ac tranſlatione, necnon aliis de rebus ſplendidiorem, ejusque incolis commodiorem, ſalubrioremque reddi. Nam ab Equorum loco porta ipſa Nomentana, ſeu Pia ab Equis ad quingentos paſſus diſtans ſpectatur, Via ipſa nunc palmos circiter tredecim aliquo in loco excavata, & & quaſi ad perpendiculum complanata, ſemitisque ex utraque parte lapideis, ac prominentioribus deambulationi commodis, multisque ædificiis ornata, palatio præſertim Pontificio à Sixto V. in ampliorem, nobilioremque formam redacto, fontibusque humanæ vitæ neceſſariis, necnon aquis Felicibus ditata, ex quibus innumeræ commoditates eandem viam incolentibus, aliorumque locorum accolis oriuntur, præſertim verò mulieribus pauperculis, lavatricibus, quibus ex aquâ Felici ad Thermas Diocletiani propè Viam Quirinalem, ſive Piam, amplum lavacrum muris cinctum Sixtus V. conſtruendum mandavit: in cujus rei teſtimonium ad lavacri portam hæc legitur Inſcriptio lapide inciſa:

SIXTUS P.P. V.
PAUPERUM
COMMODITATI
MULIERUM
EXTRUI FECIT
A. MDLXXXVIII.

Huc etiam ſpectat illud ejuſdem Blanci Epigramma in hanc verborum formulam:

Qua lavet immundos mulier paupercula pannos,
Felicem Sixtus ſuppeditavit aquam.

Hæc de Phidiæ, & Praxitelis operibus eorumque translatione, ac Monte Quirinali, Viâ, atquè ædificiis illuſtrato, uberrimiſque aquis ditato. Quę quidem omnia Blancus omni felicitate, ac facilitate, quatuor, ut infrà, verſibus compræhendit in hanc verborum formã:

Structa domus, ducti fontes, via aperta, caballi
Tranſpoſiti, atque uno eſt area ſtructa loco.
O felix nimium via, equi, domus, area, fontes,
Dum vivent Vatis carmina, SIXTE, tui.

Hæc

Hæc de colle Quirinali in commodiorem, illustrioremque formam redacto Sixti V. mandato. Reliquum est autem, ut cetera ejusdem cameræ Emblemata explicentur.

EMBLEMA V.

De Montalti in Civitatem sublimatione, & ampliatione,

Ex Bullario Sixti V. part. 1. Const. 48.

AD lævam cameræ suprà fenestram primam, Patria Sixti V. oppidum scilicèt Montaltum in Piceno, & in edito loco situm, muris undique cinctum, & collegiatâ Ecclesiâ ornatum, nunc autem ab eodem Pontifice erga Patriam pietate, ac liberalitate in Civitatem sublimatum, necnon Cathedrali, & Episcopali Ecclesiâ insignitum repræsentatur: in qua sublimatione, & erectione præstanda idem Sixtus Diœcesi, ac dote Civitatem donavit, sicut etiam de oppido Lauretano, & oppido S. Severini ex Piceno idem factum esse constat. Hinc Auctor Inscriptionis ad Episcopalem dignitatem alludens ait:

Ex eodem Bull. Constit. 34. & 49.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

Montaltum Sixto Patrem donavit habere,
Montalto Sixtus donat habere Patrem.

Hac inscriptione Blancus sub Patris nomine, & more poetico ludit dicens, Sixtum V. in remunerationem sui Patris Patrem spiritualem, Episcopum, scilicèt, Patriæ antidorice donasse: quæ enim à Latinis remunerationes, à Græcis *antidora* nuncupantur: sunt enim ea omnia, quæ pro acceptis muneribus redduntur. Locus autem adeò facilis est, ut declaratione non egeat. Ejusdem Montalti muris olim etiam undique cincti in Civitatis sublimationem, seu loci ampliationem sub mœniorum nomine videtur spectare illud Epigramma, quod in Palatio Lateranensi legitur in hanc verborum formam:

Cum te Sixte olim sub luminis edidit oras
Patria, dicta fuit tunc tua vera Parens.
Sed modò, dum firmis circumdas mœnibus illam,
Quis Patriæ verum te neget esse Patrem?

Hoc Epigrammate Blancus Sixtum Quintum à Montalto, cujus fuit alumnus, ob dicti loci sublimationem, & ampliationem Patrem Patriæ appellat, quam Parentem esse ait, Terram olim, scilicet, Montalti Ripanæ Diœcesis, quæ natalibus ejusdem Sixti V. felicem præbuit ortum. Nec silentio prætereundum videtur, quid pro Montalto ampliando, & illustrando singulos in dies præstetur. Palatiis enim, aliisque ædificiis construendis, viisque sternendis navatur opera. Episcopium irèm, habitatio, scilicèt, Episcopi conficitur, & quidquid ad Civitatis ampliationem, commoditatem, ac decorem, sive splendorem pertinet, summa fit diligentia. Mons denique pro Civitate ampliandâ complanatur: nihilque pro hac re præstandâ prætermittitur. Hæc de Montalti sublimatione, atquè ampliatione, ut ad Bibliothecæ Vaticanæ describendæ finem properemus.

EMBLEMA VI.

De Fonte Capitolino.

AD eandem Camerę partem suprà secundam fenestram Fons Capitolinus in Capitolio, jussu Sixti V. nupèr constructus, & Felici aquâ donatus, repræsentatur. Capitolium enim mons est celeberrimus, in quo erat Arx Romanorum munitissima, variis ornata marmoribus, sedes, & domus omnium triumphorum, quo in loco Augustus tributarium vidit orbem. Erant ob id in Capitolio Deorum Templa, Sacella: & Aræ, aliaque plurima ædificia publica, statuæ aureæ, & argenteæ Regum Romanorum, & aliorum virorum illustrium, ut ait Plinius: quin Eutropius nullam nisi auream, aut argeteam statuam inibi poni potuisse affirmat. Erant prætereà vasa aurea, & argentea, atque crystallina permulta, ærearumque tabularum, in quas incisæ erant, & monimenta publica, & leges, tria millia. Capitolium quater incendium passum esse narratur: mons autem ante Urbem conditam *Saturnius* à Saturnia Civitate in radicis Monte sitâ, dictus est: deindè *Capitolium* à capite Toli hominis illic invento, dum Templa Jovis aperirentur fundamenta. Dictus & anteà est *Tarpejus*, hinc Auctor Inscriptionis, Montem Capitolinum, Tarpejum, scilicèt, habere iterum fontem, qualem tamen non habuisse ait hunc in modum:

Ex Barth. Marl. libr. 1. Topogr. Vrb. Romæ c. 1. Et ex Andr. Palladio.

Arnobius adverſ. Gent.

INSCRIPTIO EMBLEMATIS.

Fontem rursus habet sedes Tarpeja, sed quem
Non habet, infensi dum timet arma Tati.

Argutus est hoc loco Blancus, Poeta, ut alias interim laudandas illius animi dotes prætereram, nobilissimus, & ætate nostrâ florentissimus: sed hac Inscriptione, tùm ob historiam, & fabulam, tùm etiam ob phrasim poeticam non satis clarus, ne dicam, obscurus. Dicam tamen quæ sentio, quæque ab historicis, & poetis accepi, hoc est à Varrone, Plutarcho, Virgilio, & à Propertio in primis, qui huic obscuritati lucem videtur afferre. Romulus enim cum bella contrâ Tatium Sabinorum Ducem tractaret, ac Tarpejo cuidam Arcem tuendam dedisset, filia ejus Tarpeja incidit in hostes, ad fontem aquarum profecta: quam cum ad proditionem arcis cohortarentur, illa pro præmio quidquid in sinistris brachiis portarent, sibi dari popoſcit, armillas intelligens, quas illi aureas gemmatasque lævo in brachio ferebant. Itaque proditione arcis factâ, hostes ingeniosâ ipsius morte promissum persolverunt, eam oculis orbatam, scutisque non armillis, obrutam eodem in monte sepelientes: ex cujus morte, atque sepulchro, ipsi monti nomen Tarpejæ indiderunt, *Tarpejusque* mons tempus in posterum dictus est, deindè multis post annis *Capitolinus*, ut præsens in tempus vocitatur. Hoc igitur in Capitolio,

Propert. libr. 4. Eleg. 2. & 4.

lio, ædificiis, ac Statuis marmoreis, atque æneis, picturisque pulcherrimis, aliisque ornamentis, ut ætas nostra fert, insignito, in quo etiam Populi Romani Senatus residet, nunc fons satis nobilis constructus cernitur, aquæ Felicis ubertate ditatus. Hinc, ut reor; Auctor inscriptionis ait, Tarpejam sedem, hoc est, Montem Capitolinum rursum habere fontem, sed non qualem habuit, dum timuit infensi arma Tati, hoc est, Titi Tatii acerrimi Pop. Rom. hostis, Sabinorum Ducis. Et nisi dicamus, hac in Inscriptione tempus pro tempore positum esse per figuram illam Grammaticis notam, sensus rationi congruens haùd quàquam elici potest: præsens enim, ut opinor, hoc loco pro præterito ponitur, hoc est, Tarpejus mons rursus fontem habet, sed non qualem habuit, infelicem, scilicet, infeliciſque proditionis causam occasionalem, ut ajunt naturalis philosophiæ professores. Ex hoc enim fonte, qui nunc extat, nonnisi felicia augurari licet, cum sit Felici aquâ repletus: hinc Capitolium non habuit, qualem nunc habet fontem. Num ego Blanci sententiam fuerim assequutus, judicet ipse: Adlaboravi tamen ego, ut quod rationi videtur consentaneum, dicerem: mihi enim conjectare, sed non divinare datum est.

Hæc de Emblematis, Bibliothecis, Conciliis, & Inscriptionibus versu, & solutâ oratione confectis. Cetera autem, quæ pro arbitrio Pictorum ad parietes utriusque secretioris Cameræ, & ad ipsos tùm earundem, atquè aliarum, tùm etiam Bibliothecæ amplioris fornices, stemmata gentilitia Sixti V. mirificamque ejus virtutem per symbola, & dicteria, quæ symbolorum animæ appellantur, adumbrantia passim cernuntur, silentio prætereunda censeo, ne intuentibus meditandi ansam omninò auferamus.

Reliquum est autem ut nostros hosce Commentarios tandem aliquando concludamus, ac definiamus, apponentes quæ ad Bibliothecæ introitus dextram in Tabula lignea satis grandi depicta cernuntur. Hoc enim loco Sixtus V. Pont. Max. ad vivum repræsentatus sedere conspicitur, aliis adstantibus ad vivum item omnibus effictis à Petro Facchetto Mantuano, qui in imaginibus ad vivum exprimendis excellens judicatur. Ad vivum etiam efficti sunt, Antonius Card. Carafa, Bibliothecæ Præfectus: & Sixti V. Pronepotes, Alexander, scilicet, Perettus Card. Montaltus, ac Vicecancellarius, ejusque frater, Michael Perettus, Marchio, & Civitatis Leoninæ, sive Burgi Gubernator.

Hìc etiam, ut alias imagines silentio præteream, quæ neminem singulariter aut propriè referunt, videre est ad vivum item expressum Dominicum Fontanam, Comitem Palatinum, & Equitem aureatum, necnon Sixti V. Architectum, qui, flexo genu, Bibliothecæ Ichonographiam, sive descriptionem Summo Pontifici offerre cernitur. Is enim non solùm omnes Obeliscos hisce in Commentariis enarratos transtulit, & erexit, sed Bibliothecæ etiam Architecturam præstitit, eamque tribus ordinibus distinctam, Dorica, scilicet, structura prima, altitudinis palmorum 51. Jonica altera palmorum 38. tertia verò composita, non eâ compositione à veteribus observata, sed à recentioribus inventa, Corinthiâ prætermissâ, palmorum 36. ut ad eam præsertìm partem, quæ Theatrum spectat, videre est: cujus frontispicium est longitudinis, sive latitudinis palmorum 325. altitudinis vero 125. De hujusmodi ædificiorum generibus, quæ Ethnici mirum in modum observarunt, ac religiosè excoluerunt in Deorum Templis ædificandis, Ariſque construendis, Vitruvius Architectorum Magister, diffusè loquitur, & Anastasius Germonius Archidiaconus Taurinensis, in libro de Immunitatibus Ecclesiasticis juxtà Antiquorum morem hæc tria ædificiorum genera luculentissimè explicat, & eruditè quidèm.

Vitru. libr. 1. c. 2. & lib. 4. c. cap. 1. Anast. lib. 1. cap. 1.

Huic Tabulæ, in qua Sixti V. Imago ad vivum expressa, aliæque effigies repræsentantur, Bibliothecæ porta extat adnexa: suprà quâ hæc legitur Inscriptio penicillo facta:

SIXTUS V. PONT. MAX.
BIBLIOTHECAM HANC VATICANAM
ÆDIFICAVIT, EXORNAVITQUE
ANN. MDLXXXVIII.
PONT. III.

UNiversa Bibliotheca Vaticana, adjuvante Deo, Commentariis explicata, reliquum est, ut ordine retrogrado ejusdem Bibliothecæ vestibulum videamus, quidve in eo contineatur. Id quod tempore, ac re ipsâ postulante factum est: hosce enim Commentarios antè biennium olim conficeram, typisque mandare cœperam jam indè ab eo tempore, quo non solùm vestibulum ipsum picturis, & Inscriptionibus carebat, sed nondum Obelisci omnes erecti, nec Statuæ suprà columnas Cochlides collocatæ fuerant: multaque alia inchoata extabant, vel nondum cœpta desiderabantur: de quibus omnibus in hac Bibtiothecâ Vaticanâ nobis loquendum fuit. Qua rè omnia suo loco apponere non potuimus, sed de quibusdam rebus, quæ ad operis perfectionem pertinent, Appendicem duximus conficiundam, quam infrà cernere licet. Quamvìs autem hosce Commentarios, ut dixi, a duobus ferè jam inde annis prælo committere cœperam, fui tamen è medio, ut sic dixerim, cursu ob graviorem mihi curam a S.D.N. Sixto V. demandatam revocatus. Hinc ab incœpto desistens, rem ad hanc usque diem prorogare coactus sum. Mirum igitur cuiquam videri non debet, si ordine forsan præpostero Bibliothecæ considéremus vestibulum, in quo non solùm duæ Inscriptiones præcipuæ summam totius rei complectentes, quæ magis fini, & ordini nostro conveniunt, sed nonnulla etiam, quæ ad Commentariorum initium, & quasi præludium quoddam, spectare videntur, non sine fortasse ratione a Pictoribus hìc ob oculos posita sunt. Hoc enim loco Sibyllas in fornice ipso vestibuli depictas videre licet, quas Varro decem

fuis-

Ex Gell.lib.1. c.19.

S.Aug. lib.18. c.23.de Civit. Dei ex Lactan.Firm. Ex Gell.lib.1. c.18.

fuisse scribit: Fuerunt enim, Persica, Libyca, Delphica, Cumæa, Erithræa, Samia, Cumana, Amalthea nomine, Hellespontica, Phrygia, Tyburtina, nomine Abulnea, quæ de Christo vaticinatæ sunt, & præsertim Erythræa; dicens: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ, ideſt, Jesus Christus Dei filius, Salvator, ut S. P. Augustinus testatur, qui has voces ex capitibus versuum dictæ Sibyllæ collectas esse narrat. De Cumana etiam, quæ novem libros Tarquinio priſcò obtulit, suo loco sermonem habuimus.

Hoc item in vestibulo multæ picturæ ad artem Typoghaphicam,& ad Chartam conficiendam pertinentes in ipso fornice conspiciuntur. Sed quia de Typographiæ, & chartarum inventione, atque utilitate in Appendice loqui statuimus,ad præcipuas Bibliothecæ accedamus Inscriptiones, quarum una antiquam Bibliothecæ Vaticanæ institutionem, & incrementum, deinde illustrationem, necnon translationes explicat: altera verò continet Edictum, quo Anathematis vinculum iis, qui modum tractandi libros ejusdem Bibliothecæ præscriptum contempserint, minatur,ut,versâ paginâ, videre est.

Ad Portæ dextram Inscriptio.

SIXTUS V. PONT. MAX.
BIBLIOTHECAM APOSTOLICAM
A SANCTISSIMIS PRIORIBUS ILLIS PONTIFICIBUS, QUI BEATI PETRI VOCEM AUDIERUNT, IN IPSIS ADHUC SURGENTIS ECCLESIÆ PRIMORDIIS INCHOATAM, PACE ECCLESIÆ REDDITA, LATERANI INSTITUTAM, A POSTERIORIBUS DEINDE IN VATICANUM UT AD USUS PONTIFICIOS PARATIOR ESSET, TRANSLATAM, IBIQUE A NICOLAO V. AUCTAM, A SIXTO IV. INSIGNITER EXCULTAM QUO FIDEI NOSTRÆ, ET VETERUM ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ RITUUM DOCUMENTA OMNIBUS LINGUIS EXPRESSA, ET ALIORUM MULTIPLEX SACRORUM COPIA LIBRORUM CONSERVARETUR AD PURAM, ET INCORRUPTAM FIDEI, ET DOCTRINÆ VERITATEM PERPETUA SUCCESSIONE IN NOS DERIVANDAM TOTO TERRARUM ORBE CELEBERRIMAM, CUM LOCO DEPRESSO, OBSCURO, ET INSALUBRI SITA ESSET, AULA PERAMPLA, VESTIBULO, CUBICULIS CIRCUM ET INFRA, SCALIS, PORTICIBUS, TOTOQUE ÆDIFICIO A FUNDAMENTIS EXTRUCTO, SUBSELLIIS, PLUTEISQUE DIRECTIS, LIBRIS DISPOSITIS, IN HUNC EDITUM, PERLUCIDUM SALUBREM, MAGISQUE OPPORTUNUM LOCUM EXTULIT, PICTURIS ILLUSTRIBUS UNDIQUE ORNAVIT, LIBERALIBUSQUE DOCTRINIS,
ET PUBLICÆ STUDIORUM UTILITATI DICAVIT.
ANNO M. D. LXXXVIII. PONTIFIC. IV.

Inscriptio hæc adeò facilis est, ut nullâ declaratione indigere videatur. Hinc ad Edictum deveniendum est.

Ad Portæ lævam Edictum.

SIXTUS V. PONT. MAX.

PERPETUO HOC DECRETO DE LIBRIS VATICANÆ BIBLIOTHECÆ CONSERVANDIS, QUÆ INFRA SUNT SCRIPTA HUNC IN MODUM SANCITA SUNTO, INVIOLATEQUE OBSERVANTOR.

NEMINI LIBROS, CODICES VOLUMINA HUJUS VATICANÆ BIBLIOTHECÆ EX EA AUFERENDI EXTRAHENDI, ALIOVE ASPORTANDI; NON BIBLIOTHECARIO, NEQUE CUSTODIBUS, SCRIBISQUE, NEQUE QUIBUSVIS ALIIS CUJUSVIS ORDINIS, ET DIGNITATIS, NISI DE LICENTIA SUMMI ROM. PONT. SCRIPTA MANU FACULTAS ESTO.

SI QUIS SECUS FECERIT, LIBROS PARTEMVE ALIQUAM ABSTULERIT, EXTRAXERIT, CLEPSERIT, RAPSERITQUE, CONCERPSERIT, CORRUPERIT DOLO MALO, ILLICO A FIDELIUM COMMUNIONE EJECTUS MALEDICTUS ANATHEMATIS VINCULO COLLIGATUS ESTO, A QUOQUAM PRÆTERQUAM ROM. PONT. NE ABSOLVITOR.

Apostolicum Edictum hoc formam redolet illam, qua in condendis legibus usi sunt antiqui: & aliquibus constat verbis, quæ quamvis apud probatissimos Auctores inveniantur, non sunt tamen in frequenti usu, nisi in legum præsertim sanctionibus promulgandis. *Clepserit* enim à *Clepo*, quod verbum non semel à Livio, à Plauto, & a Cicerone usurpatur, a Græco κλέπτω sumptum est pro furto aliquid surripere. Unde *Cleptum*, dicitur furto sublatum. *Rapserit* item est a verbo *Rapio*, quod in præterito, *Rapsi*, fecit. *Concerpserit* denique est a verbo *Concerpo*, & est idem quod discerpo, & lacero. Hinc Cicero: *Sacrum; sacrove commendatum qui clepserit, rapseritve, parricida esto*. Et quoniam in Edicto imperandi modus adhiberi solet, hinc *Sunto*, pro *Sint*, *Observator*, pro *Observentur*, *Esto*, pro *Sit*, *Absolvitor* pro *Absolvatur*. *Dolo malo*, idest fraude, apud I. C. Cetera patent.

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ

APPENDIX.

T tandem hisce in Commentariis ultima primis respondeant, silentio haudquaquàm prætereundum censeo, Molem hanc totam a fundamentis, ut initio dictum est, excitatam, totque picturis illustratam unius ferè anni curriculo, omnibus suis numeris fuisse absolutam Dominici Fontanæ Equitis aureati, & Architecti industriâ, qui operariis hominibus ad structuram murariam pertinentibus circiter centum, totidemque ad artem pictoriam spectantibus secum adhibitis, universum opus tam citò, tantâque omnium admiratione perfecit, præsertim verò, ut cæteros prætermittam, operâ Cæsaris Nebbii Urbevetani, & Joannis Guerræi Mutinensis, quibus pingendi cura omnis demandata est. Cæsar enim Urbevetanus arte pollens pictoriâ, & jam indè a juventute a laudato viro non parum laudatus, Bibliothecarum, Conciliorumq; historias, literarumque Inventores, cæteraſq; imagines ad historiam pertinentes delineavit, hoc est, pingui quadam Minervâ futuri operis lineamenta manu suâ duxit, deindè ab aliis pictoribus ad amussim pingenda diligentèr curavit.

Greg. Vasar. 3. part. de Pictor. Sculpt. & Architect. diversis.

Harum rerum inventionem Federicus Ranaldus Valven. Bibliothecæ custos, Sixto V. obtulit. Silvius autem Antonianus Sacri Collegii Illustriss. S. R. E. Cardinalium a secretis easdem res disposuit, & Inscriptionibus, eodem Sixto jubente, & dijudicante, illustravit, aliquâ ex parte Petro Galesinio Protonot. Apostolico adjuvante. Qua in re nonnihil etiam operæ præstitit horum Commentariorum Auctor. Joannes verò Mutinensis ingenio præstans, & ex arte non ignobilis Emblemata omnia, necnon cætera Bibliothecæ ornamenta ad pictoris arbitrium facta adinvenit, ac delineavit, & ab aliis item pictoribus ad unguem absolvenda studuit. Ad hæc autem omnia conficienda non modicam præstitit operam Joannes Baptista Navarrensis, pictor satis clarus, qui ob delineandi, pingendique scientiam apud artis pictoriæ peritos maximam sui expectationem concitavit. Hæc hactenus.

Anteà verò quàm postremam Commentariis imponamus manum, nonnulla in hac Appendice pro earundem rerum declaratione, repetenda, quædam verò, quæ in nostris hisce Commentariis desiderari possent, adjicienda censuimus, quibusdam dubitationibus occurrentes. Quando enim in Bibliothecam Vaticanam Commentarios, quos duobus ferè ab hinc annis perfeci, imprimendos curabam, nonulla, ut dixi, desiderabantur, quæ nondùm in aperto, & propatulo loco extabant. Propterea quòd ego, ut dictum est, gravioribus ac ferè perpetuis studiis distentus, ita verò, vix ut ad hanc usque diem respirare queam, siquid subcesivarum mihi horarum aliquando concedebatur (id quod perrarò quidèm evenire solebat) statìm arripiebam: illudque temporis pauxillulum mihi concessum in hac Bibliothecâ Vaticanâ explicandâ ad lucernam consumebam, lucubrationemque ipsam Typographi commoditati in lucem edendam patiebar, ne in tantâ temporis angustiâ totum opus mihi simul ferè tandèm aliquando imprimendum relinqueretur. Hinc factum est, ut aliquot Inscriptiones, necnon

alia permulta, quæ infrà subjicientur, suo loco apponere non potuerim: quædam verò hìc repetuntur, quoniam declaratione indigere videntur. A vetustis igitur Obelisci Lateranensis Inscriptionibus, & ab ejusdem dedicatione exordiemur, ut dubitationibus quibusdam in primis occuramus.

DE OBELISCI LATERANENSIS ANTIQUIORI DEDICATIONE.

QUÆ hìc oriuntur dubitationes, ad Obelisci Lateranensis antiquiorem dedicationem, inscriptionesq; hieroglyphicas latinitate donatas pertinent: dixi enim cùm de ipso Obelisco sermonem habui, ipsum Heliopoli, hoc est, in Solis Urbe Ægyptiâ primùm fuisse erectum iis Inscriptionibus hieroglyphicis insignitum, quas ego apposui ex Ammiani Marcellini verbis, quæ satis implicata videntur. Sed quoniam de duabus hisce rebus, geminus mihi scrupulus injectus est; quæ scripsi, rectiori quadam trutinà, quoad fieri poterit, accuratiùs examinabo. Quod enim de Maximi Obelisci dedicatione antiquiori a me dictum est, id a veritate alienum esse nonnulli, & eruditi quidem viri affirmant. Ego autem, si Ammiani Marcellini verba satis implexa percepi, quod scripseram confirmabo: quodque apud probatissimos Auctores reperi, in medium afferam: si enim aliud mihi constaret, palinodiam recantare non ægrè ferrem. Id quod animi ingenuitati attribuendum esse mihi persuadeo. Dixi ergò Obeliscum illum omnium aliorum maximum Heliopoli, Civitate Ægyptia, primitùs fuisse erectum: nec id videtur abhorrere a verbis Ammiani, qui ipsum Obeliscum in Circo maximo se vidisse, & ab Heliopolitanâ civitate Ægyptiâ a Constantio Imp. fuisse transvectum ait, vel saltem innuit, ut ex ejusdem verborum serie aut vi colligi necesse est. Nec satis video cur magis per veterem Obeliscum, moles ab Octaviano Augusto Romam advecta, quàm illa altera a Constantio translata intelligi debeat, etiamsi illa ab Octavio veteri Principe, ut ait Ammianus, hæc verò multis post annis a Constantio recens advecta dicatur: vetustas enim ad molis etiam incisionem, antiquioremque in Ægypto dedicationem referri potest: nam fieri potuit, ut Obeliscus Maximus prior aliis Obeliscis ab Ammiano commemoratis, & fuerit incisus, atque in Ægypto, Solis numini præcipuo munere, eodem teste, fuerit dedicatus: qui etiam tamquam apex omnium eminebat, ut ipse ait. Adde etiam, quod Hermapioni, & Ammiano majorem de majori, celebriorique Obelisco extitisse curam, quàm de aliis credendum est: hinc Inscriptiones illas hieroglyphicas ab Hermapione interpetratas (cùm aliæ ab eo interpetratæ non reperiantur) ad majorem celebrioremq; Obeliscum pertinere, eundemq; Obeliscũ Heliopoli primitùs erectum fuisse censendum est, cum Soli eum dedicatum esse, eidemque Soli præcipuum honorem Ægyptios, eâ præsertim in civitate, præstitisse constet; *Heliopolis* enim ab Helio, Solis nomine, *Solis Vrbs nuncupatur*, Huic sententiæ favet Plinius, qui ait *Ramisem, Rhamestem item dictum in Solis Vrbe Obeliscum quadragenorum, & octonum cubitorum erexisse: alterum verò longitudine vndecenis pedibus*, hoc est nonaginta novem geometricis, qui palmos usuales centum, & nonaginta octo efficiunt; cujusmodi est Obeliscus de quo hic verba facimus, sicut ab Architecto, qui hunc Obeliscum ad Ædes Sancti Joannis Lateranensis transtulit, & erexit, inventum est. Nec nostræ sententiæ refragatur primum Hexastichum Inscriptionis Constantianæ, in cujus versu postremo hanc molem e Thebis revulsam fuisse legimus: Heliopolis enim est Civitas Ægypti inter Alexandriam, & Coptum: & a Græcis, teste Diodoro Siculo, *Thebe* dicitur; qua Civitate Obeliscus ipse a Constantino Alexandriam, recto itinere, deindè a Constantio Romam fuit transvectus. Et quoniam Heliopolis nomen in hexametro versu accomodari non potest, hinc Poeta, Inscriptionis Auctor, Thebarum, & non Heliopolis voce usus est: Thebe enim est item Civitas Ægyptorum eminentissima, atque ampliſſima, ut Plato testatur. Hæc pro geminis mihi injectis scrupulis eruendis dicenda visa sunt. Num veritatem sim assecutus, judicent alii, & suo quisque sensu abundans, opinionem suam tueatur licet, & hac in re præsertim a memoriâ nostri temporis adeò remota, & in tantâ Scriptorum: ac locorum nominum varietate: quarum quidèm rerum omnis investigatio in conjectura sita est.

Ammian. Marc. ibid.

Plin. lib. 36. c. 8. in fine.

Ammian. Marc. lib. 17.

VETUS INSCRIPTIO

BASIS OBELISCI MAGNI,

Quem è ruderibus Circi Maximi erutum Sixtus V. Pont. Max. ad Lateranenſem Baſilicam transferendum, erigendumque curavit.

Hexaſtichum I.

PATRIS OPUS MUNUSQUE *ſuum* TIBI ROMA DICAVIT
AUGUSTUS *tota Conſtan*TIUS ORBE RECEPTO:
ET QUOD NULLA TULIT TELLUS, NEC VIDERAT ÆTAS
CONDIDIT, UT CLARIS EXA*equ*ET DONA TRIUMFIS.
HOC DECUS ORNATUM GENITOR COGNOMINIS URBIS
ESSE VOLENS, CÆSA THEBIS DE RUPE REVELLIT.

Hexaſtichum II.

SED GRAVIOR DIVUM TANGEBAT CURA VEHENDI,
QUOD NULLO INGENIO, NISUQUE, MANUQUE MOVERI
CAUCASEAM MOLEM DISCURRENS FAMA MONEBAT.
AT DOMINUS MUNDI CONSTANTIUS OMNIA FRETUS
CEDERE VIRTUTI, TERRIS INCEDERE JUSSIT
HAUT PARTEM EXIGUAM MONTIS, PONTOQUE TUMENTI.

Hexaſtichum III.

CREDIDIT, ET PLACIDO *vexerunt æquora fluc*TU
LITUS AD HESPERIUM *Tiberi* MIRANTE CARINAM.
INTEREA ROMAM TA*po*RO VASTANTE TYRANNO
AUGUSTI JACUIT DONUM STUDIUMQUE LOCANDI,
NON FASTU SPRETI, SED QUOD NON CREDERET ULLUS
TANTÆ MOLIS OPUS SUPERAS CONSURGERE IN AURAS.

Hexaſtichum IV.

NUNC VELUTI RURSUS RU*fis* AVULSA METALLIS
EMICUIT, PULSATQUE POLOS HÆC GLORIA DUDUM
AUCTORI SERVATA SUO, CU*m* CÆDE TYRANNI
REDDITUR, ATQUE ADITU RO*mæ* VIRTUTE REPERTO
VICTOR OVANS URBIQ*ue locat ſublime* TROPÆUM,
PRINCIPIS ET MUNUS CONDI*gnis uſ*QUE TRIUMFIS.

Quamvis Inſcriptionem hanc vetuſtam ſuo jam loco appoſuerimus, in hac tamen Appendice duximus repetendam, ut nonnulla, quæ ſcitu digna ſunt, dignoſcantur. Nam Michael Mercatus Protonot. Apoſtolicus labore non modico, ſummàque ingenii perſpicacitate duce, bonarumque artium cognitione comite, ut minores indicant characteres, Inſcriptionem ipſam corroſam, & dilaceratam, vel in varias partes divulſam, e ruderibus eruit, & in hanc formam redegit.

Anteà verò quàm ad amuſſim fuiſſet concinnata, eam alij raptim typis mandarunt erroribus conſperſam, quam ego, quoad potui expurgavi, dum ſuo loco dictam Inſcriptionem in his Commentariis apponere ſtudebam: ubi legitur *Tropæum* pro *Trophæum*, juxtà uſum ſcribendi antiquum, ut inibi hac de re ſatis dictum puto. Sed quoniam ego hujus vocis, *Tropæum*, ſimilitudine deceptus in quarto verſu primi Hexaſtichi, & in poſtremo Quarti, *Triumpis* pro *Triumphis* ſive pro *Triumfis*, ſicut eo tempore ſcribi ſolebat, reliqui; hinc vocem hanc *Triumfis* (non *Triumpis* nec *Triumphis*) à Michaele Mercato in Obeliſci baſi inventam ſicut ipſummet id ita eſſe non ſemel aſſeveraſſe audivi, pro *Triumphis* repoſui. Antiqui enim F, pro Ph, non rarò uſurpabant, ſicut alibi, tùm ex privatis, tùm etiam ex publicis Inſcriptionibus à me demonſtratum eſt. Ita contrà: Quod antiquiores item Latini per ph, ſcribebant, ut *phama*, *phanum*, & *phagus*, nos per F, ſcribere ſolemus, ut *Fama*, *Fanum*, & *Fagus*.

In poſtremo ſecundi Hexaſtichi verſu *Haut* pro *Haud* legitur, T, pro D, interdum ab antiquis Latinis ſumpto, ſicut è converſo D, pro T non rarò ab iiſdem uſurpatum fuiſſe inveni. Qui enim T, pro D, uſi ſunt, mollem ſonum evitare voluiſſe judicati ſunt, duriorem vel ſicciorem ſequentes, ut patet ex Inſcriptionibus non paucis marmore inciſis. Exempla ſunt hæc: *Aiexſanter*, pro *Alexander* Romæ in Ædibus Marchionis Riani. *Aput* pro *Apud*, Romæ in Ædibus Coritianis ad Forum Trajani, in hortis S. Sebaſtiani ad Viam Appiam, & in Ædibus Capranicorum. *Aliut*, pro *Aliud* apud Sudorinos ad S. Rocchum. *At* pro *Ad*, Veronæ in ædibus Jo: Baptiſtæ Orthii. *Atſigno*, pro *Adſigno* Romæ. *It*, pro *Id* Brundiſii extrà Urbem. *Quot*, pro *Quod* infrà Præneſte in vinea quadam. *Set*, pro *Sed* in Pratis Quinctiis in vinea, in hortis Carpenſibus, & alibi. In Ædibus Mafæjorum extat Inſcriptio puplica marmore inciſa, ſatis longa, e Cæritibus allata, de eorundem Cæritum Municipio, Q. Ninnio Haſta, & P. Manlio Vopiſco Coſ. anno ad Urbe condita 866. Trajano Imperante: & in ea legitur *Set*, pro *Sed*, & *It*, pro *Id*. *Set* pro *Sed* in vetuſtioribus ſcriptis, & impreſſis Antiphonariis Eccleſiaſticis.

Ad hanc eandem rem comprobandam hoc loco libet apponere quod Linacer, Aldus, & alii recentiores, ſed eruditi ſanè viri, ſcriptum reliquerunt in hanc ferè verborum formam: T, uſurpatum eſt pro D, & D, pro T nam veteres dixere *Adque*, nos *Atque*, ſanè melior priſcorum ratio: nam & mollior ſonus eſt, & origo ſervatur: præpoſitionis enim vis adhuc manet, ut dicamus: Tu *atque* ego: & ſit, Tu & *ad te* ego. Sed antiqui voluere diſcrimen eſſe inter præpoſitionem, & conjunctionem. Ejuſdem modi fuit, *Sed*: nam e contrario olim erat, *Se Et*: disjungit enim, Tu curris, *Se Et* ego ſedeo. Separata enim eſt actio mea ab opere tuo. Adverſatur enim vox illa, *Se*, ut ſeorsùm, ſecurus, ſegrego, ſeparo, & alia innumera. Etiam, *Aud*, non *Aut* & illi dixere, & nos dicere deberemus: nam ſi negativæ *Haud* addita eſt aſpiratio, differentiæ causâ, ſanè cetera elementa ad quærendum diſcrimen non ſunt mutanda, quin fortaſſe potiùs utrumque ſicciore elemento ſcribendum ſit, *Aut*, *Haut*, Græcum enim fuit, Αὖτε. Omnis autem disjunctio vim obtinet negationis. Hæc de uſu literarum D, pro T, & T, pro D, ne quis poſthac Haut pro Haud mendum eſſe opinetur, ſicut fortaſſe aliqui arbitrati ſunt, qui *Haud* pro *Haut* repoſuerunt: quos ego, qui *Haud* pro *Haut* impreſſum reperi nondum alloquutus Mercatum, qui vetuſtam Inſcriptionem in varias partes divulſam vidit, & concinnavit, in priſtinamque formam diligenter, & ingeniosè quidem redegit, imitari coactus fui.

In tertio tertii Hexaſtichi verſu, TAPORO pro Magnentio intelligi debet, ut Mercatus rectè ſentit: Magnentius enim dictus eſt Taporus Tyrannus, quia apud Helenam, caſtrum Tapororum, qui Cantabriæ Populi ſunt, montibuſque pyreneis proximi, Conſtantem Conſtantii fratrem interfecit. Hinc Mercatus eam vocem, *Taporo*, cujus duæ literæ mediæ deſiderabantur, reſtituit. *Taporus pro Magnentio.*

In primo quarti Hexaſtichi verſu per Metalla rufa lapidis Syenitis fodinas idem Mercatus intelligendas teſtatur: ex quo lapide omnes Obeliſcos eſſe affirmat. Rufus enim color Græce πυῤῥός dicitur: a quo Syenites lapis etiam dictus eſt Pyrrho pœcilus. Hæc de vetuſtâ Inſcriptione, quæ ad baſem Obeliſci Lateranenſis inciſa olim extabat. Qui plura de hac Inſcriptione ſcire cupit, ad librum Mercati de Obeliſcis conſcriptum, & eruditionis plenum confugiat. *Plin. lib. 36. c. 8.*

DE NOVIS OBELISCI INSCRIPTIONIBUS.

Ad Ædes Sanctæ Mariæ de Populo erecti.

DUm Obeliſci, quem Cæſar Auguſtus ex Ægypto in poteſtatem Populi Romani redacta Romam in Circum Maximum tranſtulit, Solique dicavit, translationem, & erectionem ad Ædes Sanctę Marię de Populo imprimendam curabam, nondum, ut dixi, novæ Inſcriptiones in ejuſdem Obeliſci baſi

basi erant incisæ ; hinc eæ , quas infrà videre est, suo loco apponi non potuerunt. Inscriptiones novæ in hanc leguntur verborum formam :

Inscriptio I.

ANTE SACRAM ILLIUS ÆDEM
AUGUSTIOR, LÆTIORQUE SURGO,
CUJUS EX UTERO VIRGINALI
AUG. IMPERANTE
SOL JUSTITIÆ EXORTUS EST.

Inscriptio II.

SIXTUS V. PONT. MAX.
OBELISCUM HUNC A CÆS. AUG.
SOLI IN CIRCO MAX.
RITU DICATUM IMPIO,
MISERANDA RUINA FRACTUM, OBRUTUMQUE
ERUI, TRANSFERRI, FORMÆ SUÆ REDDI,
CRUCIQUE INVICTISS. DEDICARI
JUSSIT
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

Ceteræ Inscriptiones duæ, quæ sunt vetustæ, & in eâdem basi insculptæ conspiciuntur, unius, & ejusdem sunt argumenti : cujus exemplum suo loco apposuimus.

DE SACELLO SIXTIANO.

HOc in Sixtiano Sacello, Statuis septem marmoreis candidi coloris,& pulcherrimis quidem, necnon Inscriptionibus, & Picturis nunc prætermissis, quas suo jam loco descripsimus, extat etiam Statua Sixti V. Præsepe Christi Domini adorans, inscriptionibus item decoranda, de qua priùs mentionem non fecimus ob causas superiùs enarratas. Ad dextram Sacelli Altare Sanctæ Luciæ Sanctorum Innocentum Reliquiis insignitum conspicitur : ad lævam verò, Altare Sancto Hieronymo dicatum. Illud in honorem S. Luciæ, in cujus festo die Sixtus V. natus est : hoc autem in honorem S. Hieronymi, cujus Titulo, dum erat Cardinalis, decorabatur, idem Sixtus hoc loco statui mandavit. De Sanctissimo Christi Præsepio in hoc Sacellum mirâ arte translato, omnique admiratione, venerationeque digno quosdam olim edidimus versus, quos ob oculos ponere libuit, ut infrà videre est.

Anno Dom. 1721.

DE SANCTISS. CHRISTI PRÆSEPIO

A Sixto V. Pont. Max. in splendidissimum Sacellum translato.

A Vgustũ in Terris cur dat Præsepe Tonanti
Sixtus ? *ut in Cœlo nunc sibi tecta paret.*

IDEM.

Astra, *Polũq; refert* Sixtus, *cunabula* Christi
Dum novat, & ponit splendidiore loco.

IDEM.

A Sixto *hìc quicumque vides Præsepe repostum,*
Phidiacam dicas, Parrhasiamque manum.

IDEM.

Cur Sixtus *Præsepe novat mirâ arte vetustum,*
Quo nitidas stellas æquiparatque Polum ?
Nãq; Opifex rerũ hic fuit, hic Moderator Olympi,
Hic Spes, hic Vita, hic unica nostra Salus.

DE TRANSLATIONE CORPORIS PII V.

In Sacellum Sixtianum.

PIUS V., summum veræ pietatis fuit exemplar, clarissimum Catholicæ Religionis Lumen, ac Sanctitatis Splendor. Hinc Sixtus V. tanta illius merita, magnaque

que ab eodem in se collata beneficia singulari pietatis officio prosequi cupiens, Corpus ejus Christianâ, sollemnique pompâ, ac Pontifice digna suum in Sacellum transferri mandavit; ibique nobili structurâ, & verè Pontificiâ ipsum locari jussit. De hac autem translatione, quam suo loco descripsimus, tetrastichum, quod infrà cernitur, edidimus in hanc verborum formam:

Hìc ubi jam CHRISTUS *voluit de Virgine nasci,*
Mandavit SIXTUS *condier ossa* PII;
Ut fateare piè, vicinum hunc esse TONANTI,
Præsepi veluti proximus est Tumulus.

DE STATUA SANCTI PETRI

Æneâ in Columnæ Trajanæ fastigio erectâ.

DE Columna Cochlide Trajano olim erectâ, Parthis, & Dacis ab eo devictis, nunc autem B. Petro dedicata, in cujus fastigio ejusdem Apostolorum Principis Simulacrum collocatum est, suo loco satis dictum esse arbitror. Quarè infrà nonnisi quædam carmina apponentur, quæ de Statua S. Petri suprà Columnam Trajanam erecta olim conscripsimus hisce verbis:

BELLICA *Trajani spectat dum Roma trophæa,*
Erigit huic Cochlidem, sculpit, & historiam.
SIXTUS *dum Petri veneratur mille triumphos,*
Erigit huic Statuam, subiicit & Cochlidem.
Petrus enim CHRISTO *generosus vicit ovantes*
Terrarum Reges, tartareosque Duces:
Felix hinc meritò SIXTUS, *cognomine Quintus,*
Victori Petro tanta trophæa dicat.

IDEM AUCTOR
DE SANCTISSIMA CHRISTI CRUCE,

Deque Sacrâ B. Petri Statuâ æneâ: illâ in Cæsaris Obelisci, hac verò in Trajani Columnæ Cochlidis fastigio erectis.

NUMINA *falsa potens Pretioso Sanguine Christi*
Abstulit, & lustit sæcula vana Jovis: (*stus*
SIXTUS *id exequitur, Christi dum jura tuetur,*
Dum Petri Cymbam tractat, & Imperium:
Dæmonibus pulsis, Obeliscum, altamque Columnam
Lymphâ lustrali purgat, & ore sacro.
Sustinet hæc Statuam Petri, Christi ille Triumphis,
Trajani hæc perdit, Cæsaris ille decus.
Successor Petri, Christique Vicarius idem,
Et Christo, & Petro clara trophæa sacrat.

DE COLUMNÆ ANTONIANÆ
INSCRIPTIONIBUS, ET HISTORIIS.

DE Columna Cochlide Antonino Pio Imperatori olim erectâ, a SIXTO V. instaurata, in cujus fastigio Statua S. Pauli ab eodem Sixto fuit collocata, satis dictum esse reor eo in Emblemate, quod ad Christianam, & verè piam Columnæ dedicationem, sacramque statuæ erectionem pertinet. Nunc reliquum est, ut novas Inscriptiones, quas inibi apponere non potuimus ob causam jam enarratam, subscribam. Inscriptiones sunt, quæ infrà leguntur;

Ad Occidentem.

M. AURELIUS IMP.
ARMENIS PARTHIS
GERMANISQUE BELLO
MAXIMO DEVICTIS
TRIUMPHALEM HANC
COLUMNAM REBUS
GESTIS INSIGNEM
IMP. ANTONINO PIO
PATRI DEDICAVIT.

Ad Meridiem.

SIXTUS V. PONT. MAX.
COLUMNAM HANC
COCHLIDEM IMP.
ANTONINO DICATAM
MISERE LACERAM
RUINOSAMQUE PRIMÆ
FORMÆ RESTUIT
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

Ad Orientem.

SIXTUS V. PONT. MAX.
COLUMNAM HANC
AB OMNI IMPIETATE
EXPURGATAM
S. PAULO APOSTOLO
ÆNEA EJUS STATUA
INAURATA IN SUMMO
VERTICE POSITA DD.
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

Ad Septentrionem.

TRIUMPALIS
ET SACRA NUNC SUM
CHRISTI VERE PIUM
DISCIPULUM FERENS
QUI PER CRUCIS
PRÆDICATIONEM
DE ROMANIS BARBARISQUE
TRIUMPHAVIT.

Quam-

Quamvis Columna hæc Antonino Pio fuerit olim dedicata a Marco Antonino philoſopho, in ejus filium adſcito, qui deindè, Julio Capitolino teſte, M. Aurelius Antoninus dictus eſt; hiſtoriæ tamen in eâ exculptæ ad præclata Marci Aurelii geſta pertinent: nam Antoninus Pius nihil annotatu, ſive memoriâ dignum in bellis geſſiſſe fertur, ſed Marcus Aurelius de Armenis, & Parthis, necnon de Germanis, Quadis, videlicet, Marcomannis, ſiue Moravis, & aliis Populis, qui, ut nonnulli Scriptores prodierunt, equorum, & vulpium carnibus delectantur, victoriam reportavit. Hujus igitur generis Victoriæ in Columnâ Antonianâ exculptæ conſpiciuntur, & præſertim memorabile illud factum, & omni admiratione dignum, ſive egregium Chriſtianæ victoriæ trophæum repræſentatur, quod Marco Aurelio Chriſtianę multitudinis precibus in bello Germanico, ſive Marcomannico accidiſſe proditum eſt. Cùm enim Marcus Aurelius in mediâ Germaniâ ſuo cum exercitu montibus undiquè concluſus, ingenti aquæ penuriâ laboraret, mirâque ſiti vexaretur, Chriſtianos cohortatus eſt, ut opem a Deo peterent, atquè aquam precibus impetrandam curarent. Quod quidèm factum eſſe conſtat: nondùm enim Chriſtiani orationibus finem impoſuerunt, & ecce tonitrua audiri, & fulmina micare cœperunt, pluvia divinitùs miſſa, ex qua Romanorum exercitus ſeſe recrearunt, hoſtes verò magnâ ex parte fulminibus tacti interiere. Hinc de Romanorum hoſtibus illud Pſalmi dici poterat: *Intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis: miſit ſagittas ſuas, & diſſipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* De Romanis autem illud: *Apparuerunt fontes aquarum. Et: Fulgura in pluviam fecit.*

Iul. Capitol. in vita M. Antonini Philoſophi.

Ex Iul. Capitol.

Pſal. 17.

Pſal. 134.

Hæc res effecit ut Marcus Aurelius Chriſtianos mirum in modum commendaret, eamque Chriſtianorum multitudinem fulminantium nomine nobilitaret, vel eoſdem ſaltem legioni ejuſdem nominis aggregaret, Chriſtianumque nomen Chriſtianis crimini tempus in poſterum haùdquaquàm foret, ut ejuſdem Imperatoris Epiſtolâ ad Senatum miſsâ latè patet. Hujus generis Epiſtola, & Græcè, & Latinè conſcripta reperitur apud probatiſſimos Auctores. Latina vero, quam infra apponere libet, in Bibliothecâ Vaticanâ legitur in hanc verborum formam:

IMP. CÆSAR. M. AURELIUS. ANTONINUS. AUGUSTUS. PARTHICUS. GERMANICUS. SARMATICUS. PONTIFEX. MAXIMUS. TRIBUNITIÆ. POTESTATIS. XXVIII. IMP. VII. COS. III. PATER. PATRIÆ. PRO. COS. S.P.Q.R.S.D.

Certiores vos feci de conſilii, propoſitique mei magnitudine, & quæ in Germaniâ mihi in diſcrimine, atque obſidione, alia ex aliis acciderunt, quàm in ejus medio labore, atque æſtu confectus fuiſſem. Sanè dum Carnuti eſſem, ſpeculatores nobis indicarunt ſeptuaginta quatuor hoſtium dracones propè nos novem millibus adeſſe: idemque Pompejanus, quem bello ducem præfecimus, quod nos quoquè videbamus, renunciavit. Cùmque in noſtrorum militum exercitu haberemus tantum legiones Primam, Decimam, Geminam, & Fretenſem; hoſtium verò nongentorum, & ſeptuaginta ſeptem millia; meaſque ipſius copias cum ingenti Barbarorum atque hoſtium exercitu comparaſſem, Deos patrios votis ſuſceptis rogavi. Sed cum ab eis negligerer; meque ab hoſtibus premi animadverterem; copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos qui apud nos Chriſtiani dicuntur: accerſivi ac rogavi; inveniquè magnam eorum multitudinem: illoſque minis compuli, quod minimè decuerat, propterea quòd poſteà illorum vim ac poteſtatem cognovi. Itaque non ad telorum præparationem, non ad armorum, neque ad tubarum uſum ſe contulerunt: hoc enim illis facere Dei causâ, & nomine, quem in conſcientiâ geſtant, gratum non eſt. Æquum igitur eſt, ut quos impios eſſe, & a Deo alienos opinabamur: eos exiſtimemus Deo munitos eſſe. Cùm enim ſe humi projeciſſent, non ſolùm precati ſunt pro me, ſed etiam pro toto hoc exercitu, ut famis, ac ſitis, qua urgebamur, remedium aliquod afferretur: quinque enim diebus aquam non ſumpſeramus, quòd ea non ſuppeteret. Eramus enim in mediâ Germaniâ montibus undiquè concluſi. Simùl autem atq; ſeſe humi abjecerunt, ac Deum illum precati ſunt, quem ego ignorabam: ſtatim è cælo pluvia delapſa eſt in nos quidèm frigidiſſima, in Romanorum vero hoſtes grando, ignis ſpecie, ac ſimilitudine, & fulmina: eorumq; orationibus, ac precibus ſtatim præſto Deus fuit, qui neq; vinci, neq; expugnari poteſt. Quamobrem illinc exorſi, concedamus talibus, ut ſint Chriſtiani, ne qua arma ejus generis contra nos petant, & impetrent. Cenſeo autem neminem, quòd Chriſtianus ſit, eſſe in crimen, & in judicium vocandum. Quòd ſi quis inventus fuerit crimini dare cuipiam, quòd Chriſtianus ſit, ei quidèm qui in crimen vocatur, manifeſtum fieri volo, ſi nihil aliud objectum eſt, quàm quòd Chriſtianus tantùm, dimitti: eum autem, qui Chriſtianum accuſavit, vivum exuri: illum verò, qui Chriſtianum ſe eſſe profeſſus fuerit, periculo omni, quod ob eam rem ei intendebatur, liberatum: Is, cui provincia commiſſa eſt, nequàquàm ad pœnitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Hæc autem S.C. etiam ſanciri volo; atque hoc meum edictum in foro Divi Trajani proponi, ut legi poſſit. Curæ autem erit Vetraſio Pollioni Præfecto Urbi, ut ad omnes provincias hæc conſtitutio mittatur: neque quiſquam, qui eam exſcribere, vel ipsâ uti voluerit, prohibeatur. Valete.

Al. Cotini, vel Carnutii. Dracones, militaria Barbarorum ſigna.

Euſeb. lib. 4. c. 12. de hiſt. Eccleſ.

Juſtinus Martyr Apol. 2. ſub finem.

De hac hujuſmodi hiſtoriâ Tertullianus apertam mentionem facit, dum ad Scapulam Carthaginis præſidem, vel proconſulem ſcribens ait: *Marcus Aurelius in Germanicâ expeditione Chriſtianorũ militum orationibus ad Deum factis imbres in ſiti illâ impetravit.* De Marci Aurelii Epiſtolâ, quam ſuprà appoſuimus, idem Tertullianus luculentum præbet teſtimonium dicens hunc in modum: *Si literæ Marci Aurelii graviſſimi Imperatoris requirantur,*

Tertul. lib. ad Scapulam. Ann. Chriſti 200.

Tertull. in Apolog. ad verſ. Gentes cap. 5.

tur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precatianibus impetrato imbre discussam contestatur, sicut non palàm ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palàm dispersit, adjectâ etiam accusatoribus damnatione, & quidèm tetriore. Hæc Tertullianus. Hujus item Epistolæ meminit Justinus Martyr, eamque sub finem Apologiæ secundæ scriptam reliquit. Idem Orosius lib. 7. cap. 15. de hac historiâ, vel Epistolâ testatur Eusebius lib. 4. hist. Eccl. cap. 12. & 13. De hac eâdem historiâ testimonium protulit Apollinaris Episcopus Hierapolitanus in Phrygiâ. Idem Polyeuctus Martyr clarissimus, ejusdem Fulminatricis legionis miles, ut Metaphrastes ait. Idem Gregorius Nyssenus. Idem Niceph. lib. 4. hist. Eccl. cap. 12. Et Bapt. Egnatius lib. 5. cap. 7. Et Onuphr. Panv. lib. 2. Fast. Et Cæsar Baron. in Annal. Eccl. Anno Christi 176.

Justin. Mart. anno Christi 148. Eusebius. Orosius. Apollin. Polyeuct. Metaphr. die 9. Jan. Greg. Nyss. in Quadr. Mart. Niceph. Egnat. Cæsar Baron.

Hæc eadem historia ab Ethnicis scriptoribus enarratur, nec est qui eam inficietur. Hi autem hujusmodi factum, vel magicæ arti, vel Marci Aurelii precibus adscribunt. Et quamvis nemo ferè illorum hominum sit, qui auxilium divinitùs obtentum Christianis acceptum ferat, nemo tamen Epistolam illam confictam, & supposititiam esse ait. Dion autem historicus cognomento *Cassius*, patriâ Nicæus, vir consularis, qui Romanam historiam libris lxxx. comprehendit, copiosè testatur unam Christiani nominis legionem illud pluviæ donum impetrasse. Suidas verò rem omnem ad magię præstigias refert, & præsertìm in julianum quendam Chaldęum Magum rejicit, seu Arnuphin Ægyptium philosophum magiæ præsidio præpollentem, a quo exercitum Romanum periclitantem conservatum esse ait: Sed Julius Capitolinus in Marco Philosopho id omne ipsi Imperatori M. Aurelio Antonino apertè tribuit. Nos autem magis Antonini Epistolæ quàm aliis Ethnicis fidem adhibere debemus: nam de fide ejusdem Epistolæ nos dubitare non patitur Antonini constitutio, quam ille in hujus rei memoriam gratitudinis ergò sancivit.

Dion. hist. Suidas in dict. Julianus Julius Capitolinus.

De hac Triumphali Columnâ Josephus Castalio, vir sanè eruditus Commentarium solutâ scripsit oratione. De miraculo autem per Christum in Marci Aurelii Imperatoris gratiam adversùs barbaros facto elegantem edidit Elegiam.

Josephus Castalio.

Ut autem huic rei finem imponamus, ad columnam illam Antonini Cochlidem revertamur dicentes, hujus generis miraculum tàm insigne, Christi virtute editum, ad perpetuam rei memoriam dictâ in columnâ fuisse exculptum, sed imagine quadam, quæ Jovem Pluvium imbres, & fulgura demittentem, atque ex alterâ parte Romanos recreatos, ac lætabundos, ex alterâ verò Barbaros fulminibus occisos repræsentat, ut apud Cæsarem Baronium Ecclesiasticæ historiæ non minus doctum, quàm accuratum scriptorem videre est, qui hujusmodi imaginem in columnâ incisam, formâ æneâ diligenter exprimendam curavit. Ego verò ligneam formam hoc loco repræsentandam volui, ut in sequenti pagellâ cernere licet.

Cæsar. Baron. tom. 2. Annal. Eccl.

Quamvis autem Marcus Imperator pluviæ munus Christianorum precibus divinitùs datum per publicas literas confessus fuerit, Gentilitas tamen Jovi pluvio illud acceptum

ptum referens, Jovis alatam imaginem largientis pluviam, barbâ admodum prolixâ, & brachiis extenſis expreſſam, in Columnâ ipsâ exculpſit, Chriſtianæ glorię monimento preclariſſimo, ſed propter Ethnicam ſuperſtitionem adjectam ſuboſcurato. Hinc ob talem impietatem, columnam illam partim barbarico olim furore, Deo ſaltem permittente, incenſam, partim verò cælitùs fulmine tactam fuiſſe credendum eſt. Verùm ut impietas ipſa magis aboleretur, Sixtus V. Pontifex Max. eam columnam multis in locis fractam, & laceram, ſummo ſtudio, magnâque impensâ reſtaurandam, & in priſtinam formam reſtituendam, exorcizandamque curavit, in ejuſque faſtigio pro Marco Antonino Philoſopho, & pro Antonino Pio, æneum, & inauratum ſimulacrum Sancti Pauli, qui verus Chriſtianę fidei Philoſophus, & Doctor Gentium fuit, veramque pietatem Chriſtianam excoluit, & propagari, collocari juſſit, ut hoc item facto, veram non fuiſſe pietatem illâ Antonino Pio tributam, ob quam præſertim virtutem, columnam, ac ſtatuam ſibi a Marco filio erigendam commeruit, oſtenderetur. Virtutes enim, ut ait Sanctus Pater Auguſtinus, *niſi ad verum Deum referantur, non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt, juxta illud Apoſtoli dictum: Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: nam a communi Theologorum ſcholâ, ut alias in hanc ſententiam interpretationes poſthabeam, omnis vita infidelium peccatum nuncupatur ex quadam concomitantiâ, peccato, ſcilicèt, infidelitatis concomitante omnes infidelium actiones.

S. Aug. lib. 19. de Civ. c. 25.

Rom. 14.

Infideles enim, quatenùs infideles, efficere poſſunt aliquod opus bonum, quod de genere bonorum dicitur, illud tamen opus bonum, ut eleemoſyna, & id genus alia, ut Ægidius Romanus, & alii Doctores inquiunt, ſi ad idolum, vel ad inanem gloriam referatur, peccatum omninò eſt: quia eſt opus bonum, ſed non benè factum: ſi autem non ad idolum, nec ad inanem gloriam illud referatur, ſed naturali quadam pietate, non tamen eſt omninò bonum, peccato infidelitatis concomitante, formâque operis, charitate, ſcilicèt, deficiente. Et ſicut, teſte Ariſtotele, juſtus ille non eſt cenſendus, qui juſtè non agit, etiamſi juſta faciat: juxtà illud præceptum: *Juſtè quod juſtum eſt perſequeris*; ita, nec pius judicandus eſt qui pietatem quadam hoc vel illo modo præſtat, peccato, ſcilicet, infidelitatis concomitante, quo ſaltèm Antoninum Pium ſuam exercuiſſe pietatem, cenſendum eſt. Id quod aliis item Gentilibus verâ fide carentibus accidiſſe dicas oportet, qui virtutes tanquàm animæ facultatum perfectiones, non tanquàm ad optimum, & ſupremum finem, Deum verum, ordinatas cognoverunt. Quare Sanctus Bonaventura rectè ait, Philoſophos pennas habere ſtruthionis, qui etiamſi alas habeat, non tamen inſtar aliarũ Avium volare poteſt. Gentilium enim virtutes, quæ vicem alarum in hominibus quodam modo gerunt, nec ſunt fide illuſtratæ, nec ſpe ſuſtentatæ, nec Chriſtianâ denique charitate informatæ, hominem ad æternæ vitæ præmium elevare non queunt. Quare hujuſmodi pietate inſigniti non verè pii, ſed potius impii quadam ex parte dici poſſunt; Quam profectò rem Sixtus Quintus facto ipſo explicavit, dum in columnæ vertice verum pietatis cultorem, Gentium Doctorem, & vas electionis Sanctum Paulum, ſeu Pauli ſimulacrum collocavit, atque ita, ut non inſulsè cecinerit Blancus in hanc verborum formam.

Deut. 16.

S. Bonav. in hexaem. ſer. 7 tom. 1.

Jure Antoninum Paulo vis, SIXTE, ſubeſſe.
Nam verè hic pius eſt, impius ille Pius.

Ægid. Rom. lib. 2. ſent. diſt. 41. qu. 2. art. 3.

Ariſt. libr. 2. Moral. Nichom. c. 4.

Jure quidèm; nam ſicut hæc columna a Marco Aurelio Philoſopho fuerat dedicata Antonio Pio, ſeu potius impio, ſi falſa religio ſpectetur Imperatoris, qui *Sixto* primo ſedente imperavit, ita a *Sixto* ipſi Paulo verè Pio, veroque Chriſtiano Philoſopho, ac Gentium Doctori erat conſecranda, ut injuria Deo illata, dum Imperatori, qui temporibus *Sixti* primi vixit, Columna dicatur, a *Sixto* quoquè optimo jure vindicaretur.

Ex hiſtor. Tarchag. par. 2. lib. 3. Et Annal. Eccleſ. Cæſ. Baron. a. & aliis.

Hæc de Columnâ Antonianâ, deque Ethnicorum virtutibus, de quibus alibi prolixiorem habui ſermonem dum quærerem, num Philoſophi in lege naturæ ſalvari potuerint: ubi multa, & ſcitu quidèm digna de Platone recitantur. Nunc reliquum eſt, ut cetera ad Bibliothecæ Vaticanæ Appendicem pertinentia tranſeamus.

Lib. de Patientia Italica lingua conſcripto. Multa item de Plat.

APPEN-

APPENDIX DE DIALECTIS,

HOC EST

De variis linguarum generibus.

Aptim ego, & currente quasi, ut dicitur, calamo, gravioribus negotiis distentus variarum linguarum characteres, eorumque inventores suo jam loco descripsi. Hinc de Dialectis Appendicem hìc conscribendam censui, ut quisque majorem indè, exactioremque cognitionem adipisci valeat. Gentes enim, & linguas septuaginta quinque esse multi hac ratione ducti dixerunt quòd Moyses scripsit, Animas exiisse ex Jacob in universum quinque & septuaginta, quæ in Ægyptum descenderunt: vel ut aliis placet, septuaginta duas esse linguas è totidem capitibus familiarum, quæ in Genesi recensentur. Reliquæ verò linguæ multæ ad unum genus commune, quod duas, aut tres, pluresve dialectos contineat, referendæ sunt.

Euphorus, & alii ex Clem. Alexan.

Gen. 46. Exo. 1. Act. 7. Gen. 10.

Hoc autem loco silentio prætereundum non est, cur in Genesi, & in Exodo septuaginta, in Actibus verò Apostolorum septuaginta quinque fuisse animas, quę in Ægyptum ingressæ sunt, legatur. Ad quam rem declarandam, subscribam quæ S. Hieronymus docet hisce verbis: *Omnes animæ* (inquit) *quæ ingressæ sunt cum Jacob Ægyptum, & quæ exierunt de femoribus ejus absq; mulieribus filiorum Jacob animæ sexagintasex. Filii autem Joseph, qui nati sunt ei in Ægypto, animæ novem. Omnes ergo animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob Ægyptum, septuagintaquinque, quòd excepto Joseph, & filiis ejus, sexagintasex animæ, quæ egressæ sunt de femoribus Jacob, introjerunt Ægyptum, nulla dubitatio est. Ita enim, & paulatim per singulos supputatus numerus approbat, & in Hebræis voluminibus invenitur. Hoc autem quod in septuaginta Interpretibus legimus, Filii autem Joseph, qui nati sunt ei in Ægypto, animæ novem, sciamus in Hebræo pro novem esse duas. Ephraim quippè, & Manasse, antequàm Jacob intraret in Ægyptum, & famis tempus ingrueret, nati sunt de Aseneth filia Phutipharis in Ægypto. Sed, & illud, quod suprà legimus, Facti sunt autem filii Manasse, quos genuit ei concubina Syra Machir, & Machir genuit Galaad, Filii autem Ephraim fratris Manasse Suthalaam Ethaam; Filii verò Suthalaam Edom additum est. Siquidèm id, quod posteà legimus, quasi per anticipationem factum esse describitur. Neque enim illo tempore, quo ingressus est Jacob Ægyptum, ejus ætatis erant Ephraim, & Manasse, ut filios generare potuerint. Ex quo manifestum est, omnes animas, quæ ingressæ sunt Ægyptum de femoribus Jacob, fuisse septuaginta, dum sexagintasex postea ingressæ sunt, & repererunt in Ægypto tres animas, Joseph, scilicet, cum duobus filiis ejus. Septuagesimus autem ipse fuerit Jacob. Hanc rem ne videamur adversum scripturæ auctoritatem loqui, etiam septuaginta interpretes in Deuteronomio transtulerunt, quòd in septuaginta animabus ingressus est Jacob in Ægytum. Si quis igitur nostræ sententiæ refragatur, scripturam inter se contrariam faciet. Ipsi enim septuaginta interpretes, qui hic septuaginta quinque animas per prolepsim cum Joseph, & posteris suis Ægyptum ingressas esse dixerunt, in Deuteronomio septuaginta tantùm intrasse memorant. Quòd si è contrario nobis id opponitur, quomodò in Actibus Apostolorum in concione Stephani dicatur ad populum, septuaginta quinque animas ingressas esse Ægyptum, facilis excusatio est. Non enim debuit sanctus Lucas, qui ipsius historiæ scriptor est, in Gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversùs eam scripturam, quæ jam fuerat Gentibus divulgata. Et utique majoris opinionis illo dumtaxàt tempore, septuaginta interpretum habebatur auctoritas, quàm Lucæ, qui ignotus, & vilis, & non magnæ fidei in nationibus ducebatur.*

S. Hieron. in Gen. tom. 3. Ex Gen. 46. & Exo. 1.

Ephraim, & Manasse filii Joseph.

Quinque filii filiorum Joseph.

Conciliatio locorum. Deut. 10.

Objectio. Act. 7.

Responsio.

Hoc autem generaliter est observandum, quòd ubicumque sancti Apostoli, aùt Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerumq; testimoniis abuntur, quæ jam fuerant in Gentibus divulgata. Hæc S. Hieronymus loco suprà citato. Reliquum est ut ad Dialectos revertamur.

Regula.

Dialectus est dictio, quæ peculiarem alicujus loci notam præfert, vel propriam, aut communem Gentis characterem ostendit. Hinc Græci dialectorum suæ linguæ differentias quinque, Atticam, scilicèt, Jonicam, Doricam, Æolicam, & Communem habere dicuntur. Voces autem barbaræ a Græcis usurpatæ glossæ dictæ sunt, ut Clemens Alexandrinus testatur: ob idque Galenus glossas Hippocratis, idest prisca, & obsoleta in ejus libris vocabula proprio libro interpretatus est,

Dialectus quid ex Clemente Alex. lib. 1. Strom.

Clem. Alex. lib. 1. Strom.

Dioscurias, Urbs in Colchide, nunc deserta, quondam adeò clara fuit, ut nonnulli prodiderint in eam trecentas nationes, quæ dissimilibus linguis uterentur, descendisse, ficut Plinius ait: deindè a Romanis centum triginta interpretibus negocia ibi gesta fuisse.

Plin. lib. 6. c. 6. Et Stephanus ex Demosthene Græco.

Mithridatem Ponti regem duarum, & vigin-

Ex iisdem scriptoribus.

viginti gentium ore loquutum constat, nec de subjectis gentibus ullum hominem per interpretem ab eo appellatum quinquâginta sex annis, quibus regnavit.

Diod. lib. 3.

Diodorus Siculus de fabulosis antiquorum gestis narrat, insulam quandam, *Felicem* dictam, habere homines, qui non solùm voce humana loquantur, verùmetiam avium diversarum cantus imitentur ob linguam divisam sibi a naturâ datam. Quodque mirabilius est, unum hominem cum duobus loqui posse ait: una enim linguæ pars uni: altera alteri loquitur.

Herodotus Cic. lib. de leg.

Herodotus Halicarnasseus a Cicerone Pater historiæ nuncupatus, narrat Troglodytas Æthiopes, qui serpentibus, & lacertis vescuntur, voce instar vespertilionum stridere.

Nutus pro lingua.

In remotissimis quibusdam ad septentrionem regionibus mercatores rerum commutationes nutibus, & gestibus facere legimus: non quòd loquendi facultate omnino careant tanquam muti, sed quòd linguis planè diversis utantur.

Gen. 11.

Varia igitur linguarum genera, & permulta quidèm, sive septuaginta duo, sive plura, vel pauciora iam indè ab ædificatione Turris extitisse pro comperto habetur. Immò, ut alii volunt, ex illa ædificatione, seù potiùs insaniâ, tanta homini sermonis varietas, linguarumque confusio innata est, ut quot orbis Regiones sunt, tot hominum linguæ sint: priùs

Ibid.

enim universa Terra, teste Moyse, labii unius erat. Quamvis autem ceteræ linguæ ab Hebræo Idiomate originem traxerint, sola tamen Hebraica, vel tanquàm omnium prima, & antiquissima, pura, & sincera remansit, vel ob eas fortasse rationes, quas recensuimus, dum de ea suo jam loco loquuti sumus: nulla enim lingua est, quæ ab Hebraica quædam derivata, & corrupta vocabula non habeat, ut

Ex S. Hieron. in c. 7. Isa. Et Isidor. libr. 1. Etym. c. 3.

Chaldaica, Syriaca, Phrygiaca, Ægyptiaca, Punica, Græca, Latina, & aliæ.

Infra de Carica lingua, Germanica, & Italica.

Et sicut Latini innumera non solùm artium, sed rerum etiam vocabula à Græcis mutuati sunt, ita aliæ linguæ multas itèm voces acceperunt à Latina, quæ à Gothis, & ab aliis Populis in Italiâ, Galliâ, & Hispaniâ, atquè alibi corrupta est, ut satis eo loci dictum fuit, ubi de Gothorum literis verba fecimus. Sic etiam alias linguas inter se corruptas fuisse constat, ut alio in loco ostendemus, cum de barbaricis linguis sermonem habebimus: omnes enim linguæ, Hebraicâ, Græcâ, & Latinâ saltèm exceptis, Barbaricæ dici possunt, ac debent. Hinc, ut ceteras nunc rationes posthabeam, tribus hisce linguis universa Biblia conscripta, Titulumque Salvatoris nostri Cruci non sine divino consilio, ac mysterio appositum fuisse dicendum est. Sed quamvis Græci ceteras linguas Barbaricas appellare consueverint, hæ tamen tres insigniores sunt, præcipuumque obtinent locum, Hebraica præsertim lingua tanquàm omnium linguarum genitrix, & mundo coæva, ut alibi dictum est, ubi multarum linguarum originem demonstravimus. Quando autem à Plauto, & ab aliis probatissimis Scriptoribus Latina lingua *barbara* nuncupatur, hæc vox, *Barbara*, pro exterâ voce sumitur. Barbari enim aliquandò pro advenis, aut exteris Populis dicti sunt. Hinc Nævius, Plautus, & alii Poetæ Latini appellati sunt barbari, idest exteri, quippè qui comœdias Græcas latinitate, hoc est, linguâ exterâ, donarunt. Quarè Plautus in Asinaria inquit: *Nomen huic Græcæ Onagros est fabulæ, Demophilus, scripsit* [idest Græcè] *Marcus vertit barbare* [idest Latinè] Item in Trinummo: *Græcè est huic Thesauro fabulæ, Philenus scripsit* [idèst Græcè] *Plautus vertit barbarè* [idest Latinè.]

In Prologis.

Præcipuæ igitur, & insigniores linguæ sunt Hebraica, Græca, & Latina. Quod cum ita sit, ab re alienum me facturum non puto, si de harum trium elementis nonnulla dicantur, antequàm ad singulas quasque linguas perveniamus, cum ipsæ exactiorem quidèm sermonem jure postulent. Hebraica enim elementa, & Græci, & Latini sibi desumpserunt, non solùm quantùm ad scribendas aliquâ ex parte notas, verùm etiam quantùm ad earundem pronunciationes, & præsertìm Græci, ut infrà videre est.

De triplicis Alphabeti consonantiâ.

Hebraicè Aleph א.
Græcè Alpha α.
Latinè A.

Primum autem hujusce linguę sacrę elementum non solùm à Græcis, & Latinis, sed ab omnibus ferè linguis usurpatum esse inveni, ut dictum est eo loci, ubi de novo Alphabeto Hebraico sermonem habui. Prima enim Hebraica litera, Aleph nuncupatur. Hæc deindè Alepha, & per syncopen Alpha à Græcis dicta est. In aliis linguis prima Alphabeti litera vel eandem omninò Hebræorum pronunciationem, vel initium, vel saltèm desinentiam ejusdem pronunciationis retinet, velut apùd Syriacos, & Assyrios, Ægyptios, & Asianos, Samaritanos, & Armenos, Arabes, & Æthiopes, Indos, & Saracenos, Phœnices, & Illyricos, sive Dalmatas, Hetruscos, & Turcas, necnon apud alias Nationes: nam sicut prima litera ab Hebræis, & ab aliis Aleph vocitatur (à Chaldæis tamen Olaph) ita ab Indis Alefu, ab Assiriis, sive Syriacis, ac Phœnicibus Aluz, à Saracenis Alchmon, ab Ægyptiis Athomus, vel Athoin, à Græcis, Hetruscis, & Jacobitis, multisque aliis Nationibus Alpha, & à Latinis, A. Id quod non sine consilio, aut mysterio factum esse dicendum est. Hæc denique litera à Dionysio plenitudo vocis appellatur: à cujus literæ figurâ aliquotiès conjuncta hoc modo, *pentagonum* nuncupatur *pentalpha*, quasi *quintuplum Alpha*: nam in hujusmodi figurâ, si rectè spectetur, A, vel Alpha quinquies videtur esse repetita.

Ex Append. Thes. Ambr. de introd. variar. linguarum.

Hebraicè Beth ב.
Græcè Beta β.
Latinè Beb,

Hæc litera Hebraicè Beth, Græcè Βῆτα, & Beta, Latinè B, vel Be, dicitur: utrumque tamen ab Hebraicâ pronunciatione Beth. Beta autem vel Be à Latinis pronunciari debet, non Vita. Quòd autem hoc elementum *Beta*, non *Vita* appellari debeat, illud nobis argumento eſt, quòd *Alphabetum*, non *Alphavitum* ex duarum literarum Alpha, & Beta, voce vel ſono compoſitum ab omnibus dici ſolet, ut eruditè docet Adolphus Mekerchus Brugenſis, quem majori ex parte in hujuſmodi ſymphoniâ, ſive conſonantiâ Alphabeti Hebraici, Græci, atque Latini ſequuti ſumus. Hinc Juvenalis de Beta teſtatur hunc in modum:

Juvenalis.

Hoc diſcunt omnes ante Alpha, & Beta puelli.

Et Martialis lib. 5.

Dicas licebit Beta me togatorum.

Hinc Græci Latinis vel Hebraicis utentes dictionibus, per b, literam ſcribunt, eas item per β ſcribere ſolent, ut Brutus, Βρῦτος. Strabo, Στραβὼν. Tiberius, Τυβέριος. Benedictus, Βενέδικτος. Budeus Βυδαῖος, idque genus alia ſexcenta apud Plutarchum, Dionem, & alios Hiſtoricos Græcos paſſim videre eſt. Idem dicitur de vocibus Hebraicis, ut Saba, Σαβά. Balaam, Βαλαὰμ. Baal, Βαὰλ. Abraam, Ἀβραὰμ, & alia id genus permulta. Id quod clariùs patet ex eâ dictione Hebraicâ, vel, ut S. Hieronymus ait, Syrica, quam ex duabus primis Alphabeti Hebraici literis Aleph, & Beth compoſitam Beatus Paulus ſuis in Epiſtolis hoc modo reliquit Ἀββᾶ, ὁ Πατὴρ, *Abba*, ideſt *Abba Pater*, ut quiddam eſſe in hac voce peculiare, quod & patres libenter audiunt, & pueri ſtatim ſonare diſcunt. Infantes enim pro hac voce *Abba*, *Babba*, vel *Babbo* pronunciare incipiunt. Qui igitur *Vita*, non *Beta* pronunciant, ineptè, & corruptè loquuntur, illud vitium imitantes, quo Hiſpania, & Caſtellæ præſertim Provincia, ſive Burgenſis Diœceſis perpetuò laborat pronuncians *Veſtia*, pro *Beſtia*: *Vene* pro *Bene*, ut alibi ſub aliis exemplis demonſtratum eſt: & è converſo ſive præpoſterè: *Bita* pro *Vita*: *Bacca* pro *Vacca*: & *Vonum binum* pro *Bonum vinum*, ut apud Vaſcones in Hiſpania citeriore populos, quibus hoc vitium peculiare eſt: dicunt enim *Bibo* pro *Vivo*, quaſi eorum vivere, Bibere ſit, ut neſcio quem in quodam Epigrammate de iis hac in re non inſulsè luſiſſe memini. De hac literâ multa alia vide in Adolpho Mekercho Brugenſi.

S. Hieron. in cap. 4. ad Gal. tom. 6.

Rom. 8. Gal. 4.

Adolphus de pronunc. linguæ Græcæ.

Hebraicè Ghimel ג.
Græcè Gamma γ, γ.
Latinè Ge G, g.

Hæc litera eodem ferè ſono apud Hebræos, Græcos, atque Latinos pronunciari ſolet, & ab Hebræo nomine originem traxit. Et quoniàm Græcè *Gamma* dicitur, hinc hæc litera ϝ, Digamma Æolicum appellatur quia duplicis Gammatis imaginem referre videtur, hoc modo F, ΓΓ de quo ſuperius ſatis dictum fuit. Apud Græcos autem Gamma geminatum, vim & ſonum, n, retinere ſolet, ut Αγγελος, *Angelus*. Ita etiam ante χ ut Εγχος *Enchos*. Et ante kappa, ut πέφαγκα *Pephanca*.

Hebraicè Deleth ד.
Græcè Delta Δ, δ.
Latinè De D, d.

Delta à nomine Hebræo Daleth, ſive Deleth. Undè deleta, & per ſyncopen Delta, triangularis figuræ imaginem apud Græcos repræſentans hoc modo Δ, ut alibi me explicaſſe memini.

Hebraicè He ה.
Græcè Epſilon Ε, ε.
Latinè E, e.

Hebræis nulla eſt litera, quæ Græcæ literæ Epſilon reſpondeat, niſi accipiatur He, quam Græci in vocalem mutaverunt, ut Heth in Ητα.

Hebraicè Tſade צ.
Græcè Zeta Ζ, ζ.
Latinè Z, Z, z.

Hæc litera à Græcis dicitur Zeta, non Zita, & Tſade Hebræorum, non Zain, opponitur. Flandri pronunciant, Tſ: Latini pro Zeta Græco elemento. Hanc literam, ut Martianus Capella refert, Appius Claudius reformidavit, quòd dum exprimitur, morientis dentes imitetur, ut ſuperiùs demonſtratum eſt.

Hebraicè Heth ח.
Græcè Eta Η, η.
Latinè E, E, e.

Heth Hebraicè, pro qua Græci Hta, vel Eta, Latini convertunt in E, longum. Sed Hta Græcum Latinè rectiùs Eta, quàm Ita pronunciandum videtur, ut ΙΗΣΟΥΣ, Jesus, non Iſus, & Ηλὶ Ηλὶ λαμαζαβάχθανι, Heli Heli, lamaſabachthani. Beth item ſecundum Alphabeti Hebraici elementum in Threnis Græcè ſcriptum invenitur Βήθ, à Latinis nonniſi Beth Hebræorum more pronunciandum eſſe ratio ipſa perſuadet, non Vith, vel Bith, ſicut de Beta Græco non Vita à Latinis ſcribendum, pronunciandumque eſſe demonſtravimus, ex Mekercho Brugenſi.

Hebraicè Teth ט.
Græcè Theta Τ, τ.
Latinè The T, t.

Hæc litera pro Th idem valet apud Hebræos, Græcos, & Latinos, & eandem ferè

ferè pronunciationem apud eosdem habet. Et quamvis Græcè Θῆτα scribatur, & pronuncietur per I, à Latinis tamen per E, non per I, pronunciari debet iisdem rationibus, quas de Beta, Zeta, & Eta enarravimus. Theta igitur non Thita dicendum est. De hujus literæ mysterio, & apud Judices usu, satis dictum esse reor aliis in locis.

Hebraicè Jod י.
Græcè Jota Ι, ι.
Latinè I, I, i.

Litera Jota ab Hebræo Jod, t, pro d, usurpato, & Latine I, respondet. Quamvis autem I, variè à Græcis scribatur, & pronuncietur (sunt enim apud eos varii characteres eundem ferè sonum retinentes) Jota tamen apud Græcos, & Latinos est idem elementum, & nunquàm ejus mutatur figura, etiamsi apud Latinos vim consonantis interdum obtineat.

Hebraicè Cap, Caph, vel Coph כ.
Græcè Kappa Κ, κ.
Latinè Ce C, c.

Hoc elementum quamvis apud Hebræos, Græcos, & Latinos eandem notam, idemque nomen omninò non habeat, eandem tamen retinet potestatem. Hac literâ veteres Latini frequentiùs utebantur, quàm novi: & non minus rectè per C, quàm per Q scribere solebant, ut *Cuando*, & *Cuoniam* pro *Quando*, & *Quoniam*, & id genus alia: quia C, & Q, maximam inter se habent affinitatem, ut videre est in Relativo Quis, vel Qui, nam ejus obliqui tam C, quàm Q, retinere solent, ut Cujus, Cui, & Quem, & Quo, ut fusius alio in loco dictum est.

Hebraicè Lamed ל.
Græcè Lambda Λ, λ.
Latinè El L, l.

Hæc litera tam apud Hebræos, quàm Græcos, & Latinos eandem retinet potestatem, quamvis eandem notam, idemque nomen non habeat apud eosdem. Interdum autem apud Græcos μμ geminata, primam vim, & sonum, n, retinere solet, ut Μάλλιος, Manlius.

Hebraicè Mem מ.
Græcè My Μ, μ.
Latinè Em M, m.

Hoc elementum tam apud Hebræos, quàm apud Græcos, & Latinos idem ferè nomen literulis transpositis, eandemque pronunciationem habere videtur: eandem tamen retinet potestatem. Est litera, quæ labris imprimitur: si autem hujusce literæ nomen Hebraicum diligenter spectes, illud à suavissimo nomine, quo infantuli Matrem, sivè Nutricem appellant, non multum distare dicas oportet. Infantuli enim Matrem sive Nutricem Mammam vocitare solent. Hinc Martialis: Martialis lib. 1. *Epig.* 56.

Mammas atq; Tatas habet Afra, sed ipsa Tatarum
Dici, & Mammarum maxima Mamma potest.

Varro: Qui cibum, ac potionem *Buas*, & *Pappas* vocant, & Patrem *Tatam*, & Matrem *Mammam*. Hæc Varro. Bua infantulorum potio, *Bomba*, vel *Bombo* à Nostratibus dicta: *Mammam* verò qua Matres vocantur, à Mamma feminea, lactis receptaculo, quo ipsis infantulis nihil charius, jucundiusve esse potest, ortum traxisse puto. Hinc in aliquot Italiæ locis, & præsertim apud Nostrates, pueri omnes *Mammoli* à Mamma, & Puellæ *Mammolæ* vocitantur. Hac eâdem, ut suspicor, ratione Avia, Patris, vel Matris Mater, Μάμμη Græcè dicitur, idest, *Mamme*, cum Avia mea Patri, vel Matri meæ præbuerit Mammam, sive Mamillam, & quodam modo quasi altera Mater mea dicenda sit. Ob id Mammare apud S. Aug. est Mammas ad sugendum præbere. Varro de liberis educandis, & Cato.

Hebraicè Nun נ.
Græcè Ny Ν, ν.
Latinè En N, n.

Nun Hebraicè, Græcè verò Ny, quasi Nu per u exile, abjecto ultimo, n: & hoc modo est idem hujus elementi nomen tam apud Hebræos, quàm apud Græcos: & idem sonat quod N apud Latinos.

Hebraicè Scin ש.
Græcè Xi Ξ, ξ.
Latinè Ix X, x.

Hoc elementum valet idem quod cs, vel gs. Græcus ille sonus Xi, ab Hebræo ductum videtur, & est eadem nota, quæ & Latina, literulis inversis, ut Xi, & Ix.

Græcè Omicron Ο, ο.
Latinè O, o.

Nulla litera Hebraici Alphabeti huic Græcę respondere invenitur, sed Latinæ O. Appellatur autem apud Græcos O, breve ad differentiam ω, quæ est O magnum, ut fusius loco suo dicetur.

Hebraicè Pe פ.
Græcè Pi Π, π.
Latinè Pe P, p.

In hoc elemento Hebræi, & Latini, quod ad nomen pertinet, nihil omninò differunt: Græci verò ab iis nonnihil: immò adeò parum, ut nihil distare videatur. Hujus autem literæ eadem est potestas apud omnes.

Hebraicè Res ר.
Græcè Rh ἄ Ρ, ρ.
Latinè Er R, r.

Hujus literæ originem Græcus traxisse videtur ab Hebraico elemento Res, vel Resc,

à quo tamèn longius remotum nomen desumpsit : Latinus verò propinquius, duabus primis literulis inversis, & ultima abjecta,

Hebraicè Samech ס.
Græcè Sigma Σ, σ.
Latinè Es S, s.

Hujus literę nomen tam apud Hebręos, quàm Græcos idem ferè videtur esse, quadam tamen literarum mutatione, ac trajectione facta : & à Messalla corvino *sibilum* vocatur. Majuscula litera est M, Latinum transversa conscriptum, Antiquiores Græci pro litera S, majusculâ utebantur eâ notâ, quæ est eadem prorsus, ac C Latinorum, nisi quòd extrema cornua habet intus magis reflexa, & magis oblonga hoc modo C. Hinc per abbreviationem tribus modis scriptitare solebant Jesu Christi, Salvatoris nostri nomen; ut IC : vel IΣ., vel IHΣ. Qua ex re imperiti hoc nomen scribebant cum adspiratione hunc in modum Ihesus, vel Ihesus, vel IHS, putantes H Græcum, esse h Latinum, ut fusiùs alio in loco à me dictum est.

Hebraicè Tau ת.
Græcè Tau, vel Taf Τ, τ.
Latinè Te T, t.

Tau, tàm apud Græcos, quàm apud Hebræos pronunciari debet hoc elementum. De mysterio hujus literæ, quæ sanctissimæ Crucis similitudinem repræsentat, multa diximus eo in loco, ubi Alphabetum Hebraicum antiquius appositum est : Hinc eadem repetere supervacaneum censeo, Addam tamen quod sentit Tertullianus dicens : *Ipsa est enim litera Græcorum Tau, nostra autem T, species Crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam Hierusalem. Quapropter etiam Typus est sacrosanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi.*

Tertul. libr. 3. adv. Marcionem.

Græcè Ypsilon Υ, υ.
Latinè Fyo Y, y.

Nulla in Alphabeto Hebraico litera est, quæ huic Græcæ Ypsilon respondeat: est enim Græca tantùm, qua Latini in dictionibus Græcis utuntur. De hujus literæ mysterio aliis in locis multa diximus, hinc ea hoc loco subticenda censeo.

Hebraicè Phe פ, ף.
Græcè Phi Φ, φ.
Latinè Ef Ph.

Hæc litera apud Hebræos & Græcos eodem ferè nomine pronunciatur, & Latino F, respondet : quod quidem inversum Ϝ Digamma appellatur, solis Æolibus peculiare. De hoc Digammate, quod Claudius Imperator invenisse fertur, multa suo jam loco dicta sunt. Hinc eò confugiendum est.

Græcè Chi Χ, χ.
Latinè Ch.

Nullum est apud Hebræos elementum, quod Græco, aut Latino respondeat. Græci autem & Latini, quod ad figuram pertinet, omninò conveniunt. Græci enim pro literâ majusculâ utuntur hoc elemento Χ, quod quidem à Latinis usurpatur, sed non pro Ch, veluti apud Græcos. Χ enim apud Latinos habet vim cs, & gs, instar literæ Græcæ, Ξ. Hinc imperitorum Latinorum ortus est error : hi enim scribunt sic $X\bar{p}s$, pro Christus, putantes hanc dictionem, $\overline{XP\Sigma}$, sic a Græcis conscriptam, constare ex X, & P, Latinis literis, cum sint Græcæ pro Ch, & R, nam X Latinum adsimile χ Græco : & P Latinum, Ρω Græco est. De hoc modo scribendi multa suo jam loco dicta sunt, hinc cætera sunt hìc prætermittenda.

Græcè Psi Ψ, ψ.
Latinè Ps.

Hæc litera apud Hebræos non invenitur, nec apud Latinos : sumitur autem pro ps, aut bs, ut Ψαλμὸς, Psalmus : & Ἄραψ, Arabs.

Græcè Omega Ω, ω.

Hoc elementum est tantum apud Græcos, & vocatur O magnum duabus de causis : tùm quia est naturâ longum, tùm quia, veluti ex duobus ο ο, constare videtur, utrâque item ratione dicitur magnum ad differentiam, Omicron, quod appellatur o breve.

Hæc de præcipuis linguarum generibus, à quibus omnia alia Idiomata emanasse censendum est, ut experientia ipsa docet. Anteà verò quàm ad singulas quasque linguas declarandas perveniamus, de cœlestium spirituum necnon animalium Dialectis nonnulla dicenda esse reor. Plato enim Diis Dialectum quandam attribuit, conjecturâ ex somniis & oraculis facta : & insuper ex dæmoniacis, ut qui non suâ, sed dæmonum inhabitantium Dialecto loquantur. Ego verò spiritibus tàm bonis, quàm malis Dialectum esse peculiarem quandam non crederem cum ii in corporibus assumptis quavis linguâ loqui possint, & locutione aliquâ externâ non indigeant, quando ad mortales non loquuntur. Angelus enim alteri Angelo duobus modis loqui potest, hoc est, verba in corde suo formata, vel in mente aut cogitationes per signa intelligibilia exprimendo, vel virtutem suam ad res corporeas absque corporum transmutatione applicando : cum enim Angelus convertit se super speciem intelligibilem, quam habet apud se, format indè verbum, quod est idem quod cogitatio : & tale verbum in uno Angelo non est notum alteri Angelo : quia nec vnius Angeli cogitationes naturâ ipsâ alteri Angelo sunt notæ, nisi in genere. Postquàm verò Angelus convertit se super speciem intelligibilem, & formavit inde verbum, quod est cogi-

Dialectus spirituum ex Platone in Cratylo.

Ex Ægid. Rom. libr. 2. Sent. dist. 10. quæst. 3. art. 1. dub. 5. & 6. laterali.

Spirituum locutio.

cogitatio; potest iterùm se convertere super hujusmodi verbum, & formare aliquod signum intelligibile, quod etiam potest appellari verbum, quia est illius verbi formati expressio. Angelus igitur alteri Angelo loqui potest his duobus modis, vel cogitationum, verborumque formatorum expressione, vel suæ virtutis ad res corporeas applicatione. Homini autem uno tantùm modo loqui potest, suæ, videlicet, virtutis ad res corporeas applicatione. Id quod duobus item modis fieri potest: vel per organum, sive instrumentum phantasticum ad phantasiam spectans, ab eo mutatum, vel per aerem ab eodem commotum, corporis tamen transmutatione. Quamvis enim Angeli non habeant linguam, nec item organa alia corporea ad locutionem pertinentia, eis tamen res corporeæ, quantum ad motum, sicut universa Theologorum schola fatetur, ad nutum obediunt: & quia omnes spiritus perfectam de rebus corporeis ac naturalibus habent cognitionem, hinc in imaginatione, & organo phantastico cujusvis hominis efficere possunt aliqua signa imaginabilia, vel species imaginabiles, ut sibi placet, deducendo humores, & spiritus animales ad principium sensitivum, & organum phantasticum, vel ad phantasiam, in quibus hujus generis species, vel similitudines sedem habent; & hoc primo modo homini loquuntur, repræsentantes ei, quę repręsentare volunt. Secundo autem modo Spiritus loqui possunt homini aerem commoventes, vel condensantes, vel frangentes, aut verberantes, atque ita, ut fiant ibi soni quicunque juxtà suam ipsorum Spirituum voluntatem, aut placitum propter voces efficiendas, & locutionem formandam, cum eis perfecta rerum naturalium cognitio sit, resque corporeæ ad nutum iis obediant eo modo, quo dictum est. Quamvis igitur Spiritus loqui possint hominibus, ego tamen non video, cur eis peculiaris lingua tribuenda sit, cùm quavis linguà hominibus loqui possint: & inter se locutione externà, vel vocali non indigeant.

Angelus Angelo duobus modis loqui & potest: homini autem uno

Res corporeæ quo modo spiritibus obediant.

Secundus modus loquendi, quo Spiritus loqui possunt homini.

Brutorum item suam esse Dialectum, censet Plato, quam ejusdem generis animantes intelligant. Ad hoc autem comprobandum quædam narratur historia de Elephante, qui in cœnum illapsus, clamasse fertur: alius, qui aderat, hoc viso, abiit: & mox cum grege elephantum reversus periclitantem servavit. In Libyâ quoque ajunt scorpium, sive hominem ut feriat contingere non possit, abire, & cum pluribus reverti, atque ita catenatim cohærentibus & demissis illis, hominem, cui insidiatur, ferire. Unde quidam coniiciunt, bruta non aliquo nutu obscuro, neque aliquo corporis motu, gestuve, sed suâ potius Dialecto, quæ voluerint inter se significando communicare. Fertur præterea de piscibus, si quis fortè lineâ attractus, eâ ruptâ, evaserit, nullum deinceps eo in loco per illum diem ejusdem generis piscem apparere. Hæc Clemens Alexandrinus.

Ex Clem. Alex. libr. 1. Strom.

Clem. Alex. lib. 1. Strom.

De brutorum inter se colloquio multa etiam Porphyrius tradit in libris de abstinendo ab animatis. Sed absurdum videtur illud quod Clemens de brutis in genere scribit, tanquàm omnia dialecto quadam inter se utantur, scorpii quoque & pisces: quibus cum ipsa vox negata sit, multo magis etiam Dialectum negatam fateamur oportet. Quamvis enim Psittacus Ἀνθρωπολῶττος dictus quasi linguam hominis habens, & Corvus, & Pica ob linguam sibi latiorem naturaliter datam, voces quasdam articulatas, humanæ locutioni adsimiles, velut quodam naturæ artificio exprimere videantur, eas tamen aves loqui propriè non est dicendum: quæ enim pronunciant non intelligunt, sed assuetudine quadam id agunt: nam lingua (teste Aristotele) nonnisi ad significandum aliquid alteri contributa est. Id quod absque rei intelligentiâ, quæ in Brutis non est, fieri non potest. Quòd autem Livius quædam Bruta fuisse loquuta narrat, illud prodigiosum, ac dæmonum operâ factum esse dicas licet. Quod verò legitur de Balaam Asinâ, quam Scriptura Sacra loquutam fuisse ait, id divinæ virtuti adscribendum est: *aperuit enim Dominus os Asinæ, & locuta est*, ut eadem Scriptura testatur: Asina verò nec verba illa formabat, nec intelligebat, quia verba rationalia non intelliguntur, nec formantur nisi ab eo, qui est rationis particeps, idest habens intellectum. Hinc verba illa nonnisi ministerio Angeli moventis linguam asinæ, fuerunt formata, ut Lyranus, & alii interpretes affirmant. Bruta igitur, quibus lingua ad loquendum data non fuit, dialecto carere omninò credendum est. Si qua verò narrantur, quæ iis quendam intellectus gradum adscribere videantur, vel fabulosa sunt, vel iis causis, quas enarravimus, attribuenda, vel quodam naturæ instinctu facta esse dicas oportet: sunt enim aliqua animalia magis quodammodò disciplinabilia, quàm alia, ut Canis, Psittacus, Pica, & Corvus, de quibus alio in loco loquuti sumus: ubi multa, & scitu quidèm digna de loquutione, hoc est de antiquitatis linguæ controversiâ, & quænam lingua sit homini naturalis, dicta sunt. Elephas item quamvis videatur intelligere, cum Reges adorare doceatur, non tamen intelligit, quia nulla creatura potest intelligere nisi per intellectum. Cùm autem sit animal maximè domesticum, ad multa facienda eruditur, & intelligit, ut ait S. Thomas, non quidèm per intellectum, sed per vim æstimativam. Hæc de Dialectis in genere. Reliquum est, ut singulam quamque Dialectum ordine Alphabetico explicemus.

Ex Arist. 2. de part. animal. c. 17. & 4. de hist. c. 9. to. 5.

Aristot. 3. de anima tex. 11. in ultimis verbis.

Liv. Dec. 1. libr. 3. Dec. 3. lib. 4. & 7. Num. 22.

Nicol. Lyranus.

S. Thom. in Iob. c. 40. lect. 2.

DE DIALECTIS,

Hoc est,

De Linguis diversis ordine Alphabetico sigillatim dispositis.

A Basinorum Dialectum videre est in Titulum, *Æthiopica lingua*: est enim Regio latissima, cujus Populi olim *Troglodytæ* vocitabantur, deindè *Abasini*, & *Indiani* dicti sunt. Abgazari, vel Abgazelli, vel Mengrel-

grelli, & Circaſſi, Populi ſunt verſus Mare Hyrcanum habitantes. Horum linguam vide dictione, *Gazari*.

ÆGYPTIACA LINGUA.

Plin.lib.5.c.9. Strabo lib.17. Ptolem.lib.4. c.6. Ammian. Marcel.lib.22

ÆGyptus eſt Africæ regio, ſed inſula à nonnullis dicta, & Nilo ita ſe ſe circà ipſam findente, ut *Triquetra* nuncupata ſit, triangularem figuram efficiens, quam ideo multi Græcæ literæ vocabulo, Δ, Deltam vocitarunt. Hujus incolæ cum omnibus aliis Nationibus, quæ ſub cælo ſunt, Apoſtolos ſuâ dialecto loquentes in die Sanctiſſimo Pentecoſtes Hieroſolymis virtute Spiritus Sancti audierunt, & admirati ſunt, dicentes: *Nonne, ecce omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt: & quomodò nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus?* Ægyptiaca lingua eſt eadem, qua Colchis Aſiæ regio uti ſolet, ut Euſtathius ſcribit Dionyſium Afrum enarrans, & eadem, quæ Alexandrina, ut ait Athenæus. De linguâ Ægyptiacâ, cujus characterum inventrix fuit Iſis Regina, ſatis dictum arbitror in ſecunda Columna paraſtatica de Iſide Regina; ubi Alphabetum conſcriptum eſt.

Act. Apoſtol. cap. 2.

Euſtachius.

Athenæus.

Anni menſes duodecim ſunt apud Ægyptios: eorumque nomina accentum in ultimâ ſyllabâ habere dicuntur hoc modo: Tybì Mechìr, Phamenòth, Pharmuthì, Pachòn, Paunì, Epiphì, Meſorì, Thòth, Paophì, Choeàch. Ideſt Januarius &c. Hæc item nomina Nicolaus Myrepſus Alexandrinus explicans Alexandrina eſſe ait: ſed pro Januario Tymbè, pro Junio Paynì, pro Septembri Thòd, pro Octobri Phaophì, pro Decembri Chiàch, quæ omnia maximam habent cum ſuperioribus affinitatem.

Nicol. Myreps. Antidoto 371.

Aquam Moy vocant Ægyptii. Undè Moyſes ab aqua dictus eſt, apta etymologia, eo quòd ex aquâ ſublatus eſſet à Pharaonis Regis Ægypti filiâ, ut habetur in Exodo. Bajeth apud Ægyptios, & accipitrem, & animam ſignificat. Ælianus autem accipitrem, & Thauſtum ab eiſdem dici ait. *Baris* ab Ægyptiis *cymba*, quæ cadaverą vectat: Græcè, & Latinè feretrum, Italicè *Bara* vocitatur. Hercules vox Ægyptia eſt, non Græca, ut Marco Porcio Catoni placet. Canem *Anubin*, & Felem *Bubaſtum* vocant. Cetera animalium nomina apud Orum Appollinem videre eſt, qui loquitur de Hieroglyphicis, hoc eſt ſacris literis, quas ſoli ſacerdotes in Ægypto norunt: ceteras verò vulgo didicerunt omnes, ut ſuo jam loco dictum eſt. Alphabetum Ægyptiacum ſupra videre eſt, de quo multa dicta ſunt.

Clem. Alex. libr. 1. Strom. Exo. 2.

Ælianus.

M. Porc. Cato.

Orus Apoll.

ÆOLICA LINGUA.

ÆOlica lingua, dialectus eſt Græcæ communis, in qua ſcriptum nihil extare dicitur niſi apud Poetas: & hac vtitur Homerus aliquàdo, Plutarcho teſte. Æolicè item ſcripſiſſe Alcæum tradunt. Æolia eſt regio in Aſiâ, Græcorum colonia: cujus incolæ *Æolii* dicuntur.

Plutarch.

ÆTHIOPICA LINGUA.

ÆThiopia, Hebræis Chus, quaſi nigra: vel nigredo, Græcis ardorem ſignificat: & eſt Aphricæ Regio, vel pars ab Æthiope Vulcani filio dicta. Hujus Regionis lingua cum Hebraicâ in multis, cum Chaldaicâ in paucis congruere, & cum Abſinis, vel Indianis omninò convenire ſcriptores prodiderunt. Sciendum tamen eſt, duplicem eſſe Indiam, unam orientalem, quæ in Aſia extremum occupat locum, cujus linguam, & literas penitùs ignorari ajunt: Altera eſt Meridionalis in Africâ, ſcilicèt, ſita, quæ ad Orientem habet mare rubrum, Arabiæ felici contermina, niſi quod Arabicus interfluit ſinus. Ad Septentrionem, jungitur Ægypto: & ad Occidentem Æthiopiæ. Eſt regio latiſſima cujus populi olim Troglodytæ, qui cavernas incolunt, ſerpentibus veſcuntur, & magìs ſtrident quàm loquantur: hodie autem Abaſini, & Indiani appellàtur viventes ſub potentiſſimo rege, quem vulgò *Presbyterum Ioannem* vocant: aut, quod vero adſimile tamen eſt, *Presbyterum Cohan*, quod tàm Hebraicè, quàm Caldaicè Sacerdotem ſonat. Ad hos itaque homines dictam ſpectare linguam, Bernardus Breitembachius, & Joannes Potken teſtantur, quorum ille Hieroſolymis, hic Romæ homines Indianos conveniſſe, & Alphabeti literas deſcripſiſſe fatentur. Sunt autem qui opinentur linguam Indianam a Caldaicâ non differre: ſed ut ab hujuſmodi linguarum peritis accepi, Æthiopica lingua ſive Indica eſt propria, & ſuæ genti peculiaris, nunc quidèm cum Chaldaiſmo, nunc verò cum Hebraiſmo nonnihil habens affinitatis, plus autem diverſitatis cum utroque, ut Deus ab Indis, vel Æthiopibus appellatur Amolachâ, a Chaldæis Elaha. Homo ab illis Saboo, ab his vero Enasà. Panis ab Æthiopibus Oholo, a Caldæis Lachmà, Vinum ab Indis Ion, a Caldæis Ienà Domus autem ab utriſque Bethà nuncupatur. Ex his igitur, aliiſque dictionibus, quas dicti Scriptores ob oculos ponunt, ego verò brevitatis causâ prætermitto, facilè quis intelliget, Æthiopicam linguam ſive Indicam a Caldaicâ non parum differre.

Bernard. Breitem bachius in ſuo itinerario, Ioan. Potken, & alii.

Ex Plinio, Pomp. Mela libr. 1, & Hieron.

Breit., & Potken.

AFRICANA LINGUA.

AFrica pars Orbis tertia, quam Græci Libyam appellavere, ut Plinius teſtatur, qui multa de hac Regione ſcribit in Quinto naturalis hiſtoriæ libro. Hujus regionis Populi non ſolùm Africani, ſed etiam Mauri nigri appellantur, qui ad mare Mediterraneum habitant circa Tripolim arcem, quam Rhodienſes obtinent. Hujus Regionis linguæ vocabula hoc loco apponenda duxi: Deus enim hac lingua, Aihà dicitur: Reges, Battì: Panis, Brit. Vinum, Syràp: Cyathus, Got: a Venetis Gotto. Papirus, Cart, a Latinis Charta. Sed apud Mauros albos Africana lingua alia eſt, ut ex Erodoto, & aliis ſcriptoribus accepi.

Ex Plin. libr. 5. c. 4. Et libr. 5. in proœm.

Herod. libr. 4.

ALE-

ALEXANDRINA, ET AMMONIA.

Ex Herodoto lib. 2.

ALexandrina lingua eadem est, quæ Ægyptia: & sicut Ammonii Ægyptiorum, atque Æthiopum coloni sunt, ita etiam linguam inter utrosque usurpare dicuntur. Hinc nihil est quod hoc loco in hujusmodi linguis immoremur.

ANGLICA LINGUA.

ANglia, cultior pars Britanniæ, Insula in Oceano undique a circumfuso mari complexa, nusquam continenti conjuncta. Hanc primum Troes incoluerunt. Hos postmodùm longo temporis tractu Saxones, Alemaniæ populi oppressere, eorumque agros, & opes inter Legatos Saxonum Regina Angela divisit. Hinc Anglia *quasi Angela* dicta est. Angli præterea a Sancto Gregorio Magno *quasi Angeli* interpretati sunt, ut videre est in ejus vitâ a Ioanne Diacono conscriptâ, nam tempore S. Gregorii, Angli ad fidem conversi sunt, Eleutherii Papæ tempore a Gentilitate ad fidem Christi, conversi sunt: sed postea defecerunt, ut patet ex lib. 5. epist. 59., & lib. 12. epist. 15. & 31. Alii vero Angliam, quasi nostri Orbis *angulum*, dictam volunt: est enim in mundi angulo posita, ut Cosmographi ajunt: cujus quidem rei Sanctus item Gregorius testimonium præbet. Hujus autem linguæ Anglicæ vocabula ob causas commemoratas vel Germanica, vel Saxonica ferè omnia, aliqua tamen ex parte detorta, vel immutata censentur. Sunt autem qui Avorum memoriâ multo pauciora Gallica, & Latina in hac lingua fuisse vocabula testentur, quibus nunc abundant: nam in colloquiis ea multi affectant, & in scriptis præsertim, veluti flosculos, ac pigmenta quædam intermiscent, ita ut vulgus non nisi adhibitâ interpretatione intelligere queat. Maxima tamen pars adhuc Saxonica est. Libri quidem antè ducentos, aut trecentos annos in Angliâ scripti, Saxonicâ ferè toti linguâ constare dicuntur. Quædam verò propria ex veteri fortè Britannicâ habent linguâ. Britannica autem vetus, quæ adhuc in Angliæ parte retinetur, *Vallica*, ut infrà, nuncupatur. Scotica deniquè ab Anglicâ parum differre dicitur, sed pauciora Gallica habet vocabula, utpotè Septentrioni propinquior: ipsi enim Angli Septentrionales magis quàm Australes ad Germanicam linguam accedunt.

S. Gregor. Ex Edit. Vatic. lib. 5. to. 1. Ex S. Anton. par. 2. c. 1. §. 7. Et Beda lib. 2. c. 1. hist. Angl. Ex edit. vet. tom. 2. Ex Vatic. tom. 3. Libr. 7. epist. 30.

Anglica igitur lingua mixta est ex multis linguis, præsertim Germanicâ, & Gallicâ: olim verò Germanica omninò erat. Id quod ex Beda animadvertere licet, qui ex Angliâ fuit oriundus. Is enim in libro de temporibus ait hunc in modum: *Veteres Anglicani populi numeraverunt menses suos secundum Lunæ cursum, appellantque Lunam Nonam, & mensem Monath. Decembrem vocant Halegmonath, ideſt sacrum mensem, Aprilem Eostermonath, ideſt paschalem mensem: idque a Dea quadam, cui Teutonici populi in paganismo sacrificia fecerunt mense Aprili, quæ Eostet appellabatur. Majum appellaverunt Trimelci, ideſt tres mulctras, quòd eo mense pecora ter die mulgerent.* Sunt autem vocabula illa, quæ Beda Anglica facit, Germanica omnia. Angli tamen hodie nonnihil variant, nuncupantes Lunam Mone: Mensem Moneth. Pascha Easter: Mulctram vas, Mylcingpayle: ipsum lac mulctum, Meale. Hæc ex iis, qui linguam norunt.

Beda Britannus.

AQUITANICA LINGUA.

QUænam olim lingua fuerit Aquitaniæ, quæ tertia Galliæ pars ab obliquis aquis *Ligeris* dicta est, non satis constat. De Gallicâ autem linguâ suo loco dicetur.

Ex Plin. libr. 4. & Steph.

ARABICA LINGUA.

ARabica in Asiæ Regione lingua est item Punica, qua omnes Mahumeticæ sectæ cultores in gramaticis utuntur: affinis aliquâ ex parte Hebraicæ: elementorum autem formæ variæ omninò sunt, ut Theseus Ambrosius testatur. Arabes, & Punici duo tantum genera habent, Chaldæorum, & Hebræorum more, ut ait Priscianus, masculinum scilicèt, & femininum, neutrum penitùs ignorantes: numeros autem in aliquibus nominibus tres habent, singularem, videlicèt, dualem, & pluralem. Hebræi autem in geminatis a naturâ, ut duæ aures, & duo oculi, & in numero centenario, & millenario dualem habent, non pluralem: & quando habent pluralem, dualem non admittunt. Masculina verò nomina Chaldæorum, Hebræorum, Syrorum, atque Indorum more unicam in singulari, & unicam in plurali terminationem habent Arabes: in duali verò peculiarem, & ab his differentem retinent desinentiam. Homo in figulari, Raiul dicitur: In duali, Rajulaym, ideſt duo homines. Mulier, vel uxor in singulari, Mara: In duali Maraten, vel Marataym, ideſt duæ mulieres, vel uxores. Casus nominum non secùs atquè apud Latinos. Habent item Arabes in verbis more Græcorum numerum singularem, dualem, & pluralem. Arabica, & Turcica linguæ sunt diversæ, characteribus autem iisdem utuntur. Hæc ex Theseo Ambrosio in Appendice. Arabes suâ dialecto loquentes Apostolos Hierosolymis in die Sancto Pentecostes admirati sunt.

Thes. Ambros. in Introd. diversarum lingu. in Appendice.

Thes. Ambros. in Append. Act. 2.

ARAMÆA LINGUA.

ARamæam linguam eandem Chaldaicam esse, de qua suo loco sermonem habebimus. Quarè hic non est, quòd de ea sermonem habeamus.

ARMENICA LINGUA.

ARmenica lingua ab Armenia, Asiæ Regione, quam Hebræi *Arab* vocant, dicta est. Hæc vulgaris eadem ferè, quæ Turcica, & Tartarica est: sed inter Tartaricam, & Armenicam Georgianorum linguam esse scri-

Ex Plin. libr. 1. & 9. Ex Ptolem. Tab. 4. & Strabone 2.

ſcriptores aiunt. De Armenicâ linguâ Plutarchus in libro de fluviis, & Joannes Stobæus loquuti ſunt. De hujus item linguæ Alphabeto, ejuſdemque inventore multa ſuo iam loco dicta ſunt. Sed quoniam Armenica lingua voces multas habet Hebraicas, ut eam parentem referat, nonnulla hoc loco vocabula apponemus.

Armenicè.	*Latinè.*	*Hebraicè.*
Ael.	Deus.	El.
Aeli.	Deus meus.	Elì.
Rabbì, & Rabbòni.	Magiſter.	Rab, & Rabbì.
Jezu.	Lingua.	Laſciòn.
Zamanach.	Tempus.	Zemàn.
Chahanaim.	Sacerdotes.	Cohaìm.
Hgatz.	Crux.	Ethz, vel Hethz.
Ail.	Sed.	Ellà.
Uſan.	Signum, vel Vexillum.	Nes.
Cho.	Tu.	Attà.
Chum.	Tuus.	Sciellecha.

Quædam cum aliis linguis habet communia, ut ſunt, Epiſcoputhi, ideſt Epiſcopatus, ut apud Græcos, & Latinos. Du, Tu. Von, Ab. Ail, Alii. Ἄλλοι. Em, Εἰμὶ, Sum, Meſch, Μέσον, Medium. Za, præpoſitivum articulum cum Æthiopicâ communem habet. Ab Armenis autem Germani acceperunt nonnulla vocabula: dicunt enim Armeni Car, Potuit. *Carolus*, ideſt, *Potens*. Germani verò Carle, Carol. Hæc ex iis, qui linguas haſce non parum callent. Armenia à Beroſo Saga item vocatur, quam alii Scythicam interpretantur. Hæc autem, ut Xenophon in Æquivocis ait, *Gallerim*, eo quòd ab undis ſalvet, appellat. Hinc eadem forſan à Germanis, Gallis, & Italis *Galea*, vulgari nomine nuncupatur. Plura de Armenicâ linguâ ex Beroſo, & Xenophontis Æquivocis videre licet, qui Noe tanquàm virum ſapientiſſimum Olybama, & Arſa, ideſt, Cœlum & Solem ab Armenis cognominatum affirmant.

Beroſus, & Xenophon.

ASIATICA LINGUA.

Ex Strabone lib. 2.

ASia, & regiones, & linguas multas, diverſasque habet, ut Athenæus ait, hinc ad cœteras tranſeundum eſt. Aſiæ Incolæ Apoſtolos ſuâ linguâ loquentes Hieroſolymis in Feſto Pentecoſtes audierunt, & mirati ſunt.

Aſſyriorum linguam videre eſt in dictione Chaldaica.

ATTICA LINGUA.

ATtica, Græciæ Regio inter Achajam, & Macedoniam ſita, ſuam dialectum habet, qua præ cœteris Homerus uſus eſt. Hæc lingua duas ſyllabas in unam ſæpè convertit, ut τεῦτος, pro το ἕτος. Ex optativis quibuſdam ι, aufert, ut δοκοῖς, pro δοκοίησ. Profert *us*, pro *es*, & id genus alia. Vocales breves interdum omittit. Epſilon augmentis vocalium præponit. Jota omittit alicubi, & Optativis utitur pro Indicativis. Nominibus fœmininis articulos, vel participia, vel adiectiva generis maſculini adjungit. Inter Auctores, qui Attico ſcripſerunt, Atiſtophanes comicus, ac Demoſthenes Rhetor celebrantur. Hæc ex Joannis Ammonii de dialectis libello.

Joan. Ammon.

BABYLONICA LINGUA.

BAbylonia, Magna Meſopotamiæ, Aſſyriæque pars, ut Plinio placet, ſuam, quæ eſt Chaldaica, dialectum habet: nomenque ei Babylon, urbs olim Chaldææ totius caput, præbuit. Hanc Urbem Strabo à Semiramide conditam tradit. Hebræorum verò literæ originem a Nemroth gigante, & à linguarum confuſione Babel nominatam volunt. Ambitus ejus quadringentorum octoginta ſtadiorum Eufrate fluvio mediam eam interfluente. Quoniam verò hæc lingua Chaldaica eſt, & ſuo loco declaranda, ad alias linguas accedemus.

Plin. libr. 6. cap. 26.

Strabo lib. 16.

Belgicam linguam. Vide in Gallica dictione.

Beſſi, hodiè Boſnenſes in Illyrica conſiderantur.

Bithynica lingua Græca eſt, ut ex menſium nominibus colligi poteſt.

Boſini, vel Boſnenſes Illyricè loquuntur.

BRITANNICA LINGUA.

HÆc lingua hodiè *Vallica* apud Anglos vocatur, vetus, ſcilicèt, Britannica, in tota Inſula uſitata antequàm Saxones, eâ devictâ, linguam quoque ſuam intuliſſent, quæ maximâ ex parte nunc obtinet, Britannicâ veteri in regionem non magnam contractâ. Vallos Germani vocant, quaſi Gallos, peregrino, & incognito eis ſermone loquentes homines, ut Græci ac Latini Barbaros. Veteres Pruſſi, quorum è numero ſunt Sudini, Curi, atque âlii, utuntur ſuâ linguâ, quam Cornelius Tacitus Britannicæ linguæ propiorem eſſe ait. Immixtæ ſunt ei multæ Græcorum voces, quas tamen ita ruſticè proferunt, ut eas, niſi quis diligenter animadvertat, intelligere haudquaquàm poſſit. Pruſſica item eadem ferè eſt, qua Curorum,

Corn. Tacit. lib. 12.

Li-

Livonum, & Lituanorum, ut nonnulli affirmant. Sunt tamen qui Curos Illyricè loqui velint.

Bulgari. Vide dictionem, Rascii.

CAPPADOCUM LINGUA.

z Plin. lib. 5. 24. & libr. 6. 2. & 3.

CAppadocia regio suam dialectum habet, quam barbaram esse Scriptores narrant, dum mensium nomina considerant. Hujus incolæ mirantur Apostolos Hierosolymis in die sancto Pentecostes suâ linguâ loquentes.

CARICA LINGUA.

x Plin. lib. 3. cap. 27. Philippus.

CAria minoris Asiæ regio suam dialectum habet, Græcis nominibus admixtam non paucis, ut Philippus Caricarum rerum conscriptor testatur. Homerus autem in Cathalago, Cares privatim Βαρβαροφώνους, non quia Cariæ lingua brevissima sit, sed eos barbaros appellatos censeo, quòd difficultèr asperè, ac duritèr loquerentur, ut blæsos, balbosque dicimus. Cares enim, sive Carii per totam Græciam erraverunt stipendia merentes: & in Asiam profecti, ibi sine Græcis vivere non potuerunt. Hinc cùm Græcis malè Græcissantes, idest corruptè, aut vitiosè loquentes, barbari dicti sunt: Barbarismus enim est contrà sermonis legem dictio vitiosè scripta, aut pronunciata. Idque fit vel unius literæ, vel syllabæ adiectione, detractione, mutatione, sive transpositione. Vel si, exempli causâ, in Latino sermone *Guerra* pro bello diceretur. Solœcismus autem est inconveniens partium orationis compositura, seu pravitas orationis tortuosa, quæ nunc à Latinis imparilitas, à vetustioribus verò stribligo, tanquàm sterobligo quædam dicebatur. Solœcismi nomen à Solone deductum Laertius testatur, qui cum in Cilicià Urbem à suo nomine, Soloe condidisset, pauci ex Athenienssibus, quos in eâ reliquit, non multo interiecto tempore, corrupto patrio sermone, inconvenienti partium structurâ loqui cœperunt: fitque solœcismus in oratione, ut si vitiosè dicatur: *Nos lego, Tu curritis, lego libris*, & alia id genus innumera. Barbarismus autem fit in dictione tantùm iis modis, quos commemoravimus. Carios igitur corruptè loquentes *Barbaros* appellatos fuisse dicendum est. De Cariis, eorumque linguà corruptâ, sive barbarismo multa Strabo conscripsit. Hæc hactenus.

Gell. libr. 5. c. 20.

Diogenes Laertius in vita Solonis.

Strabo lib. 14.

Carni, Galliam togatam inhabitantes, quos Veneti *Cherssos* vocant, Carniolani, & Carinthii Illyricè loquuntur: Carnia, vulgò *Carniola*, à Ptolemæo suprà forum Julii, & Concordiam locatur.

Casubi, aliàs Cassubitę Illyricè loquuntur.

Celtica lingua. Vide in Gallica dictione.

CHALDAICA LINGUA.

CHaldæa, Asiæ majoris Regio, Arabiæ contermina, plana, fontium indiga, in qua Babylon ciuitas magna. Chaldæos Arphasat instituit. Hæc Regio suam habet dialectum, quæ & *Aramæa*, & Syrorum, & Assyriorum, & Babyloniorum vocatur. Hac linguâ in Ægypto, & Æthiopiâ eruditiores utuntur, ut a multis accepi. Hębraicæ confinis est, nec multo magis quàm Dorica a Græcâ communi differt. De literis Syriacis, & Chaldaicis, earumque inuentore, satis dictum reor, cum de Abrahamo loquuti sumus, & characteres ordine Alphabetico recensuimus, multarum linguarum originem enarrantes. Hinc ad cęteras linguas accedendum est.

Circassi circà mare Caspium, & *Mamaluchi* etiam dicti Illyricè loquuntur.

Circassi circà mare Hyrcanum bellicosissimi ex Sclavorum Gente oriundi Sclavonicâ utuntur linguâ, & Christi fidem secundum ritum Græcum sequuntur.

Colchis lingua eadem, quæ Ægyptiis, ut ait Eustathius. Eustachius in Dionys.

Corali Illyricè loquuntur.

Crestoniatæ ab Urbe Thraciæ, quæ *Crestion* dicitur, cognominati, Pelasgicè loquuntur.

Cretenses Insulam in medio Ponto, teste Virgilio, Græco sermone utuntur. Hi etiam Apostolos Hierosolymis in die sancto Pentecostes suâ dialecto loquentes audierunt, & admirati sunt. Ex Herodoto Et Virg.

Croati, & Culmij Illiricè loquuntur.

Curorum linguam in Britannicâ linguâ videre est.

Cyprii Insula in sinu Issico Græcè loquuntur etiamnum, sed corruptè.

Cyrnii Insulani in mari ligustico, Cyrnum, idest Corsicam incolentes, & longissimo æuo propter mellis usum utentes linguâ, exules, seu profugi balari dicuntur. Ex Pausania. Pausanias.

DACICA LINGUA.

DAcia, Scythiæ Europæ Regio, hodie divisa in Transylvaniam, Zipserlandiam, Rasciam, Serviam, Septem castra, & Bulgaria. Transylvania verò Hungariæ item nomine censetur, in qua mirabilis diversarum, nec unius linguæ gentium mixtura est. Dacicæ aliquot stirpium nomenclaturæ leguntur inter eas, quæ Dioscoridi attribuuntur, ex quibus, qualis hæc lingua sit, coniici non potest, ut ab eruditis accepi. Dacorum autem, & Getarum sermo idem iudicatur, ut Straboni placet. Ptolom. Plin. & Alii. Strabo lib. 7.

DALMATICA LINGUA.

DAlmatia, quam *Sclavoniam* dicunt, Illyrici pars, Liburniæ contermina, suam habet dialectum, quæ Dalmatica, siue Illyrica, vel Sclavona nuncupari solet. Hæc ab Illyricâ illâ, quæ *Serviana* dicitur, non distat: characteres autem sunt omninò diversi, ut supra videre est, ubi utriusque linguæ Alphabeta conscripta cernuntur. Dalmaticarum, siue Sclavonicarum literarum inventorem Sanctum Hieronymum fuisse superiori loco dixi-

diximus, ubi de hac linguâ sermonem habuimus, licèt eum non Dalmatam, vel Illyricum, sed Istrianum, Stridonensem, scilicet, fuisse, ibidem a nobis demonstratũ sit. Quamvis autem Sclavonicios characteres a Sancto Hieronymo inventos fuisse, passim dicatur, Joannes VIII. in Epistolâ ad Sfentopulchrum, eas a Constantino quodam Philosopho inventas esse narrat dicens:

Joan. VIII. in Epistola ad Sfentopulchr. Comitem.

Ex Regist. M. S. Vaticano.

Literas denique Sclavonicas a Constantino quodam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debitæ resonent, jure laudamus, & in eâdem linguâ Christi Domini nostri præconia, & opera enarrentur, jubemus. Neque enim tribus tantùm, sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacrâ monemur, qua præcipit, dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. *Et Apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cœlestis quoque tuba insonat, monens:* Omnis lingua confiteatur: *quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris. De quibus etiam linguis in primâ ad Corinthios epistolâ satis, & manifestè nos admonet, quatenùs linguis loquentes Ecclesiam Dei ædificemus. Nec sanè fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eâdem Sclavonicâ linguâ canere, sive sacrarum Evangelium, vel lectiones divinas novi, & veteris Testamenti benè translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere; Quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam, scilicet, Græcam, & Latinam, ipse creavit, & alias omnes ad laudem, & gloriam suam. Jubemus tamen ut in omnibus Ecclesiis terræ vestræ propter majorem honorificentiam Evangelium Latinè legatur, & postmodum Sclavonicâ linguâ translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis, adnuncietur. Sicut in quibusdam Ecclesiis fieri videtur. Et si tibi, & judicibus tuis placet Missas Latinâ linguâ magis audire, præcipimus, ut Latinè Missarum tibi sollemnia celebrentur. Data M. Jun. Indict.* XIII.

Psal. 116.

Act. cap. 1.

Philipp. 2.

1. Cor. 14.

Hæc Joannes Papa hujus nominis VIII. Quid autem hac linguâ de sacris rebus a Sancto Hieronymo conscriptum sit, quidve de eâdem lingua impetratum sit, eodem loco supra citato cernere licet. De alterâ verò Illyricâ, quæ *Serviana* dicitur, supra item satis dictum puto: infrà verò alia explicabimus, cum de Illyricis sermonem habebimus. Hæc hactenus.

DEORUM LINGUA.

HOmerus nomina quędam humana, quędam divina facit: divina autem nimirum illa ab eodem Homero nuncupantur, quæ quàm rectissimè, seu verissimè facta sunt, ut fluvius, quem *Xanthum* a Diis vocari ait, ab hominibus verò *Scamandrum*: Avis, quam Dii *Chalcidem*, homines *Cymindin*: & Urbs, quam tum *Baticam*, tum *Myrinem* appellari canit. Idem Filium Hectoris *Scamandrium* a mulieribus, a viris (rectius nimirùm) *Astyanactem* vocari ait. Hæc ex Platone, in Cratylo, ubi hæ voces ab eo examinantur. De hac Deorum linguâ plura quære apud Homerum, & Scholiastem Odysseæ, & ex iis, quæ narravimus paulò superius, ubi multa de spirituum locutione dicta sunt.

Plato in Cratylo tom. 1.

Dibriorum sermo Illyricus est.

DORICA LINGUA.

HOmerus, ut aliis Græcæ linguæ dialectis, teste Plutarcho, ita etiam Doricâ usus est linguâ, quæ a Doria Achajæ parte Athenis propinqua, & *Dori* pro *Achivis*, mutato nomine, appellati sunt, ut ait Plato. Hæc dialectus utitur frequenter dictionibus in fine mutilâtis per figuram apocopen, vel in medio per syncopen, literis, vel syllabis detractis. Solent etiam Dori transponere literas, & futura circumflectunt, & in secundis personis Iota omittunt, & Alpha pro Ita ῆτα ponere iis frequentissimum est. Theocritus Poeta, & Timæus locrus de naturâ Doricè scripserunt. Lacedemonii Crœsi temporibus, Herodoto teste, excelluerunt inter Doros, qui a Græcis incessuntur quòd iusto frequentius in dictionibus Alpha ingerere soleant, ut Rhodiginus ait.

Plato libr. 3 Legum. to.

Herodotus.

Cæl. Rhodig.

ELAMITARUM LINGUA.

ELamitæ, Arabiæ populi, Apostolos Hierosolymis in die sancto Pentecostes lingua suâ loquentes admirabunda audivit.

Epirotarum lingua Illyrica est. Epirus autem regio est Græciæ finitima.

Etruscam linguam vide in dictione, Etrusca.

GALATARUM LINGUA.

GAlatia minoris Asiæ Regio, Phrygiæ contermina, cujus incolæ *Galatæ* appellantur: & *Gallogræci*, quòd ex Gallis, & Græcis coaluerint, suam habet dialectum. Sunt autem qui velint Galatarum in Asia eandem esse aut fuisse linguam, quæ in Europa Gallorum est, aut fuit. Plura vide mox in Gallica linguâ de Galatis, ad quos S. Paulus Epistolam scripsit.

Plin. lib. 5. cap. 32.

GALLICA LINGUA.

GAllia, Europæ pars, a candore populi dicta (*Gala* enim *lac* Latinè dicitur) triplex est, Togata, scilicèt, Comata, & Brachata. Togata ab Alpium radicibus & Rubicone fluvio incipiens *Cisalpina* dicta est. Comata verò cognominatur omnis *Transalpina Gallia*, ut Plinius ait, & in Belgicam, Celticam, & Aquitanicam dividitur, ut Cæsar testatur: eidemque Comatæ, nomen reliquæ Galliæ, ut Brachata, quæ *Francia* nuncupatur, à villoso vestis genere, quo ii Populi utebantur, dicta, videtur convenire, Provinciâ Narbonensi exceptâ.

Plin. lib. 4. cap. 17.

Cæsar. lib. 1. de Bello Gall. in princ.

DE

DE VETERI LINGUA GALLICA.

Ex Henrico Glareano, & aliis.

GAlliæ lingua duplex cenſetur, vetus, ſcilicèt, ac recens, hinc de veteri primùm, deindè recentiori verba faciemus. Sunt qui velint veterem fuiſſe eam; qua Helvetii, & Galli Julii Cæſaris tempore uſi ſunt, ut Ægidio Schudo, & Henrico Glareano placet, qui hanc rem multis rationibus & conjecturis probare ſtudent. Alii aútem Gallicam linguam veterem tunc neque cum Germanicâ, neque cum Franciâ, qua hodiè Galli utuntur, communicaſſe, ſed propriam extitiſſe linguam volunt. Nos autem hujus generis controverſiam, brevitatis causâ, prætermittendam hoc loco cenſemus. Dicendum tamen videtur, Belgicam, Galliæ Regionem, à bellis, quibus fatigata eſt, quæque nunc Flandriam, & Picardiam ſolùm comprehendit, dictam, necnon Aquitaniam, & Celticam, inſtitutis, legibus, ac linguâ inter ſe differre Scriptores affirmant, & præſertim C: Julius Cæſar ſuis in Commentariis. Celtas verò non ſolùm Gallos, ſed etiam Germanos à veteribus præſertim Græcis, communi nomine appellatos multis teſtimoniis approbari poteſt, quæ hoc in loco, ne multis immorer, prætermittenda dijudicavi, ut de veteri linguâ Gallicâ loquamur dicentes, Gallorum linguam multis de cauſis eam eſſe, ut multi affirmant, qua hodiè Rhenus utitur, maximèque Helvetii, & Sequani Rhenani. Primùm enim conſtat Cajum Cæſarem bello Gallico per interpretem loquutum fuiſſe cum Gallis. Deindè eam quidèm linguam, qua hodiè Francia utitur, Romanam eſſe, quamquàm corruptam, ut infrà dicemus, nemini dubium videri debet, quippè adhuc uſque de priſcâ linguâ Gallicâ innumeras retinentem dictiones, quas recenſere longum eſſet. Non igitur Francicâ linguâ olim Galli loquuti ſunt, ſed aliâ. Veriſimillimum autem eſt, eâ loquutos linguâ, qua adhuc ii utuntur Galli, qui Francicè non loquuntur, ut omnes populi circà Rhenum, proximi autem Rheno, Helvetii, Rauraci, Sequani, Elſatici, Tribocchi, Vangiones, & tota ferè Belgica. Ad hanc rem comprobandam Henricus Glareanus multis utitur rationibus, & exemplis, quibus ſatis liquet Helvetiorum linguam ac Rheni verè Gallicam, niſi quòd Germani quædam miſcuerunt, maximè infrà Argentinam. Spiræ enim, Vormatiæ, Moguntiæ, atque in circumjacentibus eâ Rheni parte populis mixtus eſt ſermo ex Germaniâ, atque Celticâ linguis: neque enim purè Germanicè, neque purè Celtice loquuntur. Helvetii autem, Rauraci, Sequani, Rheno proximi, Briſgoenſes, & Elſatici magnâ ex parte merè Celticè loquuntur. Non mirum igitur eſt, quòd S. Hieronymus ſcriptum reliquerit Galatas, ad quos ſcripſit S. Paulus, qui etiam à Celtis deſcenderunt, ut auctor eſt Livius, eâdem loquutos ſuo tempore linguâ, qua Treviri utebantur. Quis autem neſcit Trevirorum linguam eſſe antiquam, nec multo à Germanorum linguâ diverſam? Et ſi concedi oportet quod Strabo ait Germaniæ vocabulum Romanorum eſſe; quam aliam cauſam fuiſſe credimus Romanis, quòd eos germanos appellarint, quàm quòd vel linguâ, & moribus magnam cum Gallis haberent communionem? Vel, quòd quidèm non abſurdè argumentantur, ab ipsâ inter ipſos appellatione? Fratres enim ſeſe etiamnum hac tempeſtate in rebus ſeriis ac bellis vocant. Id Romani ſivè per ſe de Germanis reſciverint, ſivè à Gallis didicerint, parum conſtat, neque hujus eſt negotii.

Ægidius cud. Henr. Glar.

Cæſar in Comment. lib. 1. de Bello Gal. in princ.

Cajus Cæſar de bello Gal. libr. 1. ante med. pag. 14.

Henricus Glareanus.

S. Hieron. in Procem. in Epiſt. ad Gal. tom. 5.

Livius libr. 8. 4. Dec.

Strabo lib. 7.

Quòd autem Helvetiorum lingua verè ſit Gallica, ut diximus, id non parvum eſt argumentum, quòd Latini auctores multa Gallicæ linguæ vocabula recenſent, quæ etiamnum in Helvetiorum ſunt linguâ, quamquàm à Romanis ſcriptoribus partim malè ſcripta, partim malè percepta, utpotè quæ quòd barbara non magnoperè curarent, obiter dumtaxat in operibus conſcribuntur. Quæ tamen ipſa nobis argumento ſunt, Gallicam linguam in aliquâ apud eos fuiſſe exiſtimatione. Itaque Cæſar Gallorum propria & maximè Helvetiorum nomina mirè torſit, omiſſis ſæpè ac mutatis literis aliquot, ut Latinæ declinationi apta fierent, de quibus paulò poſt dicturi ſumus. Idem Plinius fecit, qui Gallus fuit, ex ipsâ Galliâ Ciſalpinâ, ut Romani loquuntur, natus: quem iſtam ſciſſe linguam, atque eam magni feciſſe, dubium non eſt: quippè qui in tàm nobile de naturâ opus inſerere voluerit, ea tamen verba temporum injuriâ ad hanc uſque diem magìs depravata apud eum leguntur, nemine de eâ linguâ mille ab hinc annis curante. Id clarum fit ex eo præſertim loco, in quo Plinius aratra rotulis inſtructa, Gallicum inventum, *Plugrat* rectè nominavit: ubi tamen codices, *Plummarat*, alii *Planarat*, habent. Quidam verò, ut ſe prorsùs ineptos oſtenderent, in *Planetam*, mutarunt. Idem Plinius *Bodincum*, Padum fluvium, hoc eſt fundo carentem, *Gallica lingua*, à Liguribus dictum ait. Idem ibidem oppidum eodem tractu eſſe *Bodincomagum* vetuſto nomine nuncupatum dicit. Ita apud Svetonium in Galba præpinguis Gallicè *Galb* intelligitur, ſeu potiùs vitulus: nam ita homo præpinguis, atque obeſus, per jocum, vitulus vocatur: Et *Becco* roſtrum apud eundem in Vitellio Belgæ noſtrâ ætate in ſuâ linguâ adhuc habent ſicut Itali. Multa his ſimilia enumerat Ægidius Tſchudus, qui etiam hodiernam Francorum linguam ex duabus linguis conſtare ait, ex priſcâ linguâ Celticâ & Romanâ: in qua tamen Romana dominatur linguâ.

Plin. II. Veronenſis libr. 3. c. 16. & libr. 18. c. 18.

Plin. lib. 18. c. 18. ſub fin.

Plin. libr. 3. c. 16. ſub finem.

Svetonius in Galba, & in Vitellio.

Nomina item Gallicè deſinentia Cæſar in deſinentiam & formam convertit Latinam ut *Caſtich*, Caſtichus, Sequanus Regius filius: *Arnold*, Arionoldus: *Ernſt*, Erneſtus Germanorum Rex, quod poſteà nomen corruptum eſt in Arioviſtum: *Orgentorix*, vel Orgetorix Helvetiorum Princeps, apud Helvetios per quandam literam Græcam deſinebat hoc modo χ, nunc vero per X terminatur, ut etiam

Quæ Cæſar in Latinam deſinentiam convertit. Lib. 1. de Bello Gal. non procul a princ.

Dumno-

Dumnorix, & alia id genus permulta: quibus constat veterem linguam Gallicam eamdem fuisse Germanis.

Rursus Celtas, & Gallos veteribus eosdem esse Germanis, & veterem Gallicam Germanicam ex Annalium Scriptoribus colligitur, sicut Ephorus, & Strabo graves inprimis Auctores tradunt. Cato præterea, Plinius, Sextus, Ruffus, Festus Pompejus, Diodorus Siculus Gallicam linguam, quæ modò Teutonicorum, sive Germanorum est, eam vocari affirmant, docentes apud eos *Padum* pro picea, *Pondicum* pro fundo, *Bulgam*, pro facco scorteo, vel coriaceo *Bergomum* pro Montana Urbe, *Cimbrum* pro latrone vel pugnaci, *Emporedum* pro equorum domitore, *Rhedam* pro curru, vel rota, *Pyrenem* pro combusto, *Cervisiamque* pro potu ex hordeo valere: quibus vocabulis Teutones adhuc utuntur. Adde etiam, ut iidem tradunt scriptores, quòd omnia nomina Populorum, Regum, & Ducum, Germanica Teutonicaque sunt, & ad hanc usque diem usurpantur, quæ brevitatis causâ prætermitto. Multa item probatissimorum scriptorum in hunc sensum congerere possem si vellem loca, quibus linguam veterem Gallicam Helvetiis, Teutonicis, aut Germanis eandem fuisse, affirmari potest: sed ea dictam ob causam subticenda sunt. Hæc igitur de linguâ veteri Gallicâ, ut ad recentiorem perveniamus.

Ephorus, & Strabo.

Plin. lib. 3. cap. 16.

DE GALLICA LINGUA RECENTIORE.

LAtinæ linguæ propagines, sed tempore, & vulgi imperitia valdè corruptæ, sunt tres, hodie vulgares linguæ, Italica, Hispanica, & Gallica. Prima minus, utpote Latinæ linguæ proxima, secunda magis, tertia maximè corrupta, hoc est terminationibus, & literis, syllabisque mutata, atque distorta: & insuper vocabulis mixta alienis ab eo nimirùm tempore, quo Gothi non modò regna, & regiones vastare, sed etiam linguas imperio suo pervertere cœperunt. Gallica igitur lingua plurimas habet Latinas voces, quasdam habet Gothicas, quasdam verò Germanicas (nam Franci, qui ceteris ejusdem Regionis populis imperant, à Francis Germanis descenderunt) quædam verò habet de suâ, & vetere Gallicâ linguâ, ut ratio ipsa postulat. Hinc dialectis variat non parum: est enim alia tersior in parte, quæ privatim *Francia* dicitur: aliæ crassiores, ut Provincialis, Lotharingica, Burgundica, & id genus reliquæ: crassissima verò harum omnium Sabaudica, & aliæ linguæ circà Alpes, Italiæ confines. Hæc ex Ægidio Tscudo, & Henrico Glareano. Gallicâ in linguâ, ut ceteris plerisque omnibus barbaris, metra tantùm homœoteleuta (*rythmos* vulgò vocant) nullâ prosodiæ habitâ ratione olim condebantur, nunc verò hujus etiam ratio à quibusdam habetur, ut ego ipse vidi. Hæc de Gallicâ linguâ recentiore.

Ægid. Tscud. & Henr. Glarean.

GAZARICA LINGUA.

GAzarorum gentes, quæ hodie *Abgazari*, & *Abgazelli* à Græcis vocantur, necnon *Mengrelli*, & Circassi, habitant versus Mare Hyrcanum. Apud hasce Gentes. Tartari Savolenses tela, & alia comparant necessaria. Hi autem omnes ex Sclavorum gente originem sumpsere: linguâque utuntur Sclavonicâ, & Christi Fidem secundùm ritum Græcum sequuntur.

GEORGIANICA LINGUA.

GEorgiana, Asiæ Regio à Tartaris subacta, cujus Populi ab agriculturâ nomen sortiti Georgi dicti sunt, vel, ut à Turcis vocantur, *Jurioni*, Græcâ linguâ utitur in sacris: vulgaris autem ejus lingua Tartaricæ, & Armenicæ media est. Blondus lib. 7 Decad. 2. ann. fol. 122.

Gepidis in usu est sermo Illyricus. Vide infrà, Hungaris.

GERMANICA LINGUA.

DE Germanicâ linguâ, quam veteri Gallicæ eandem fuisse aliqui affirmant, jam suprà dictum fuit, præsertim quòad vetera nomina propria: item in Anglicâ nonnihil. Germanorum autem nomen antiquius esse, quàm *Alemanorum*, cum aliàs constat, tùm ex Flavii Vopisci Proculo. Multa de Germanicâ, & Helveticâ linguâ, necnon de Germanicæ linguæ vetustate dicenda forent, sed qui hæc scire cupit, ad Ægidium Tscudum confugiat. Dicam tamen Germanorum quatuor esse genera, Teutones, scilicet, Venedos, Cimbros, Vuagros, qui non solùm linguâ, verùm etiam institutis, ac religione differre dicuntur. Num verò inter Germanos Picti populi Septemtrionales Hannonii, Lotharinghi, Burgundiones, Allobroges, & Sabaudienses annumerandi sint, dubitatur: sunt tamen medii inter Celtarum, Germanorumque imperia, Germanis obtemperantes Imperatoribus, ut docent Historici. De Venedis, & Vuagris suo loco dicetur: nunc de Teutonibus, ac Cimbris loquendum est.

Flav. Vopisc.

Ægidius Tscudus c. 36. 37. 38.

Teutones, sive *Teutoni*, ita dicti à Teutone sive Tuistone ipsorum Deo, quem indigenam, ac terrâ ortum existimabant, à Cornelio Tacito *Thuyscones* appellati sunt. Hi autem à Celtis *Alemani*, à Venedis *Nomades*, ac *Nemetes* à jaculando nominantur: à Vuagris *Scythulæ*, sive *Scythæ*, hoc est casei, ac lactis voraces, quos Græci *tyrophagos*, & *galactophagos* nuncupant. Horum partes sunt multæ, quæ brevitatis causâ subticendæ sunt.

Corn. Tacit. lib. De Moribus German. in prine.

Plin. lib. 4.

Cimbrorum partes sunt Dani, Scandia, Selandria, Scandiavia: ubi Nordovici, & Normandini, Sviones qui, & Svesii, & Svedi, Fenni, Gothi. Eos Græci *Getas*, Latini *Dacos* vocare solent: immò Gothi, qui & *Dani*, *Daci*, & *Getæ* dicti sunt, homines erant ingenti corpore, horrendisque oculis, in acie gaudio exultantes, tanquàm gloriosè, & se-

Valerius Max. & felicitèr vitâ excessuri : contrà verò ex morbo quopiam vitam cum morte commutantes, perindè quasi turpiter perituri. De Teutonibus, sive Thuysconibus, necnon Cimbris, vide Berosum, Cæsarem, Tacitum, Marcellinum, & Cassiodorum.

Sermo Germanicus, & præsertìm Saxonicus, literarum naturâ, & potestate, diphthongorum vi, & numero, syllabarum pronunciatione, declamatione, articulis, accentu, ratione loquendi, ceterisque hujusmodi dictionum proprietatibus, maximam habet communitatem, plurimumque retinet commercii cum Græcorum linguâ, rectiùsque literis Græcis, quàm Latinis scribitur, ut Sigismundus Gelenius, & alii Scriptores tradunt affirmantes infinita esse vocabula, quæ idem Germanis, & Græcis valere dicuntur. Gelenius item in Lexico suo Symphono, in quo ex quatuor linguis, Latina, videlicet, Græca, Germanica, & Illyrica, partìm omnium, partìm trium, partìm duarum vocabula inter se, & eruditè quidem comparat, hujus generis affinitatem linguarum patefacit. Nec desunt qui Germanicam linguam ab Hebraicâ originem aliquâ ex parte traxisse opinentur. Maximam verò in eâ mutationem factam esse iidem Scriptores observarunt, atquè adeò eam ipsam mutatam esse dicunt, ut eam, quæ olim fuerit, ægre etiam peritus quis intelligat.

Sigismundus Gelenius.

Id quod factum esse censendum est ob plurimas bellorum injurias, & populorum migrationes, necnon ob literarum, & historiarum denique cultum à multis neglectum, sicut Italicę linguę evenisse Franciscus Alumnus Ferrarienſis in Divitiis, & in Thesauro vulgaris linguæ demonstrat, ut in Italicâ linguâ videre licet.

Franciscus Alumnus.

GETICA LINGUA.

GEtæ, Populi in Scythiâ Europæâ, quos Appianus *Dacos* appellat. Strabo vero Getas à Dacis ita distinguit, ut Getæ sint qui ad Pontum in Orientem vergunt : Daci, qui in oppositum latus spectant, versùs Germaniam, & Istri fontes, quos olim *Danos* vocatos nonnulli volunt. Ex quo apud Athenienses Danorum, & Getarum servilia nomina in usu maximè fuerunt. Ælius Spartianus scribit *Getas* dictos fuisse, qui postea *Gothi* appellati sunt. Alii verò eosdem Getas esse Tartaros, & veterem Gothorum regionem hodie Tartariæ Regno subjectam, ejusque partem esse, Germanicâque linguâ uti affirmant.

Appian. Alexand. Strabo.

Ælius Spart.

GOTHICA LINGUA.

GOthi immanes Scythię populi in Tractu Septemtrionali Europæ, Danis, & Norvegis contermini, qui olim armis Italiam subegerunt, Romamque ipsam solo æquarunt, suamque in totum orbem invexerunt barbariem, ut alibì dictum est, cum de Ulphila Gothicarum literarum inventore sermonem habuimus, ubi de maximâ Latinæ linguæ jacturâ, quam à Gothis accepit, loquuti sumus, multaque exempla ad hanc rem pertinentia in medium attulimus, necnon Alphabetum.

A Gothis *Ostrogothæ*, tanquàm Orientales illorum vocabulis ita dicti, & *Vvisigothæ*, qui Occidentalium sese Regionibus infudere, nuncupati sunt : Gothalani verò sunt populi ex utrisque mixti : Alani enim sunt populi Scythiam Europæ ad Mæotidem paludem incolentes, quorum meminisse Plinium legi. Hi autem omnes necnon alii eâ in Regione populi, ut Gothini, Quadi, Osi, Marcomanni, & ceteri permulti Germanicè loquebantur, ut à multis accepi Scriptoribus.

Cæl. Rhod. lib. 18. c. 24. tom. 2.

Plin. li. 4. c. 12.

Nunc verò ex omnibus nationibus Gothicis nullam ampliùs in Germaniâ supereſse constat, Scyris vel Stiriis, sive Stirensibus, & Turingis exceptis. Norvegicam verò linguam Germanicæ adsimilem esse multi prodiderunt : idque ita esse inveni in Italico Josaphat Barbari libro de suâ, qua functus est, ex Venetiis ad Tanam legatione. Hæc de Gothicâ linguâ.

Corn. Tacit. lib. De Mor. German.

Josaphat Barbarus.

GRÆCA LINGUA VETUS.

GRæcia, Europæ regio olim omni disciplinarum genere excultissima : cujus tamen populi levitatis, vanitatisque nomine malè audierunt, & fabulosi dicti sunt, quia ab iis fabulas originem traxisse omnes affirmant. Hinc pluribus in locis, Cicero ait : *Homines levitate Græci, erudelitate barbari, docti quidèm, & ingeniosi, sed parum in testimoniis dicendis religiosi*. Hæc Cicero : ob idque Græcâ fide mercari apud Comicos est pecuniâ numeratâ sive præsente, mercaturam exercere, cum eos mendaciis laborare constet, sicut de Cretensibus præsertim ab Epimenide Græco dictum fuit, & in Scripturâ sacrâ affirmatur.

Cic. in orationibus tom. 2.

S. Paulus ad Tit. c. 1.

Græca lingua non solùm in Europâ, hoc est, in ipsâ Græciâ propriè dicta, verum etiam in Asiâ minore, ut in Joniâ, necnon in finitimis ei regionibus, atque in extremâ Italiæ orâ, quam Magnam Græciam vocant, ut in Apuliâ, & Calabriâ, in iis præsertìm partibus, quæ Mari Adriatico, & Jonico adjacent, olim vigebat, & in communi, vulgarique erat usu : cui etiam linguæ non solùm Romani, sed remotissimæ itèm Regiones propter bonas, & utiles artes atque scientias, necnon propter inutiles, & vanas, ut magiam, & id genus reliquas eo Idiomate traditas, operam dederunt. Hæc lingua ex tribus, quæ sunt celebriores, est. Hebraica verò omnium vetustissima, ut suo jam loco demonstratum est, primarium optimo sibi jure comparavit. Hanc sequitur Græca. Post Græcam Latina sibi vendicat locum, si earum tempora necnon earum dignitates, & jura cuncta spectentur, quæ quidèm multa sunt.

Greca lingua quinque distinguitur dialectis ut dictum est, Æolica, scilicet, Atticâ, Jonicâ, Doricâ. & Communi. Attica verò intèr ceteras elegantior, & communi propior, Dorica crassissima judicatur, & in hac Æclogæ, & Pastorum colloquia a Theocrito con-

conſcripta fuiſſe ajunt. Communem autem linguâ in nullâ Regione privatim vulgò receptam nonnulli opinantur, cùm ubique vulgus ſuum aliquid proprium habeat, quibus a ceteris pleriſque differt: Communis enim fortaſsè illa eſt, quam viri vel literati, vel ſapientes, & cultiores uſurpabant. Theſſala a nonnullis inter Græcas dialectos memoratur, & aliæ quædam, quæ ad eas ipſas referri queunt.

Ex Theſeo Ambroſ. in Introd. diverſ ling.

Græca linguâ in ſacris Georgiani uti dicuntur cum vulgaris eorum lingua Tartaricæ, & Armenicæ media cenſeatur. Iacobitę item, & Moſchovitæ in linguâ Græcâ ſimilibus characteribus utuntur, qui a Græcis parum recedere videntur, ut in Theſei Ambroſii introductione videre eſt. Carthaginenſes, ut ait Rhodiginus, *in bello adversùs Dionyſium ſeniorem, cum ſe literarum Græcarum commercio proditos ſenſiſſent, ac quidquid fuiſſet ab ipſis decretum, Dionyſio ſignificatum, Senatuſconſulto caverunt, nequis Cartaginenſium, aut literis Græcis, aut ſermoni inſueſceret, ſtuderetve.* Hæc Rhodiginus.

Cœl. Rhodiginus tom. 3. lib. 22. c. 17.

GRÆCA LINGUA VULGARIS,

Et recentior.

GRæca lingua vulgaris, qua hodie utuntur Græci, tùm vocabulis, tùm Græcorum depravatione, literis, ac terminationibus immutatis, a vetere Græcâ multis in locis non minus receſſit, quàm Italica, Gallica, & Hiſpanica a vetere Latinâ, cujus hæ tres propagines cenſentur. Hac linguâ Iliadem Homeri tranſlatam, & impreſſam fuiſſe teſtatur Petrus Burrana Lucarnenſis, qui libellum, *Corona prætioſa* inſcriptum, edidit: in quo e regione conferuntur vocabula linguarum quatuor, Italicæ, ſcilicet, vulgaris, Latinæ, Græcæ vulgaris, & veteris Græcæ. Opinor autem, ut italis evenire ſolet, ipſum vulgi ſermonem corruptiorem eſſe, quàm qui a literis ſcribi ſolet, & in eorum ore verſatur. Inter varias autem dialectos, quarum aliæ aliis plus minuſve corruptæ ſunt, ut Cretæ, Cypri: Corcyræ, & inter alias, Peloponenſem tanquàm puriorem, vel minus corruptam præferri a Græcis, accepi. Hęc de Græcâ linguâ recentiore, necnon vetuſtâ, cujus Alphabetum pronunciationibus, figuris, ac nominibus diſtinctum ſuo jam loco ob oculos poſitum eſt, ubi de Græcarum literarum Inventoribus, multiſque aliis rebus, ſcitu quidem dignis, verba fecimus. Hìc autem numerandi modum juxtâ literas Alphabeti, inſtar Hebræorum, a quibus hanc formam ſicut, & complures literas, earumque nomina Græci acceperunt, apponere libuit, ut videre eſt.

Petr. Burrana

MODUS NUMERANDI
GRÆCUS, ET LATINUS.

Græcè.		*Latinè.*	
En.	α´	1	Unum.
Dyo.	β´	2	Duo.
Tria.	γ´	3	Tria.
Teſſarâ.	δ´	4	Quatuor.
Pente.	ε´	5	Quinque.
Ex.	ϛ´	6	Sex.
Epta.	ζ´	7	Septem.
Octo.	η´	8	Octo.
Ennea.	θ´	9	Novem.
Deca.	ι´	10	Decem.
Endeca.	ια´	11	Undecim.
Dodeca.	ιβ´	12	Duodecim.
Decatria.	ιγ´	13	Tredecim.
Decateſſara.	ιδ´	14	Quatuordecim.
Decapente.	ιε´	15	Quindecim.
Decaex.	ις´	16	Sexdecim.
Decaepta.	ιζ´	17	Decem ſeptem.
Decaocto.	ιη´	18	Decem octo.
Decaennea.	ιθ´	19	Decem & novem.
Icoſi.	κ´	20	Viginti.
Icoſien.	κα´	21	Viginti unum.
Icoſidyo.	κβ´	22	Viginti duo.
Icoſitria.	κγ´	23	Viginti tria.
Icoſiteſſara.	κδ´	24	Viginti quatuor.
Icoſipente.	κε´	25	Viginti quinque.

Ico-

Icoſiex.	κϛ'	26	Viginti ſex.
Icoſiepta.	κζ'	27	Viginti ſeptem.
Icoſiocto.	κη'	28	Viginti octo.
Icoſiennea.	κθ'	29	Viginti novem.
Triaconta.	λ'	30	Triginta.
Triacontaen.	λά	31	Triginta unum.
Teſſaraconta.	μ'	40	Quadraginta.
Teſſaracontaen.	μά	41	Quadraginta unum.
Penticonta.	ν'	50	Quinquaginta.
Penticontaen.	νά	51	Quinquaginta unum.
Exiconta.	ξ'	60	Sexaginta.
Exicontaen.	ξά	61	Sexaginta unum.
Ebdomiconta.	ο'	70	Septuaginta.
Ebdomicontaen.	οά	71	Septuaginta unum.
Ogdoiconta.	π'	80	Octoginta.
Ogdoicontaen.	πά	81	Octuaginta unum.
Enneniconta.	ϟ'	90	Nonaginta.
Ennenicontaen.	ϟά	91	Nonaginta unum.
Ecaton.	ρ'	100	Centum.
Diacoſia.	σ'	200	Ducenta.
Triacoſia.	τ'	300	Tercenta.
Teſſaracoſia.	υ'	400	Quadringenta.
Pentacoſia.	φ'	500	Quingenta.
Exacoſia.	χ'	600	Sexcenta.
Eptacoſia.	ψ'	700	Septingenta.
Octacoſia.	ω'	800	Octingenta.
Enneacoſia.	ϡ'	900	Nongenta.
Chilii.	,α	1000	Mille.
Diſchilii.	,β	2000	Bis mille.
Triſchilii.	,γ	3000	Tres mille.
Tetraciſchilii.	,δ	4000	Quater mille.
Pentaciſchilii.	,ε	5000	Quinquies mille.
Exaciſchilii.	,ϛ	6000	Sexies mille.
Eptaciſchilii.	,ζ	7000	Septies mille.
Ogdaciſchilii.	,η	8000	Octies mille.
Enneaciſchilii.	,θ	9000	Nonies mille.
Myria.	,ι	10000	Decem millia.
Dyſmyria.	,κ	20000	Viginti millia.
Triſmyria.	,λ	30000	Triginta millia.
Tetraciſmyria.	,μ	40000	Quadraginta millia.
Pentaciſmyria.	,ν	50000	Quinquaginta millia.
Exaciſmyria.	,ξ	60000	Sexaginta millia.
Eptaciſmyria.	,ο	70000	Septuaginta millia.
Ogdoaciſmyria.	,π	80000	Octoginta millia.
Enneaciſmyria.	,ϟ	90000	Nonaginta millia.
Decamyria.	,ρ	100000	Centum millia.
Icoſimyria.	,σ	200000	Ducenta millia.
Triacontamyria.	,τ	300000	Trecenta millia.
Teſſaracontamyria.	,υ	400000	Quadringenta millia.
Penticontamyria.	,φ	500000	Quingenta millia.
Exicontamyria.	,χ	600000	Sexcenta millia.
Ebdomicontamiria.	,ψ	700000	Septingenta millia.
Ogdoicontamyria.	,ω	800000	Octingenta millia.
Ennenicontamyria.	,ϡ	900000	Noningenta millia.

De nominibus ordinalibus. Quin etiam ipsi ordinales numeri à superioribus ducunt originem; ut,

Protos.	Primus.
Deuteros.	Secuudus.
Tritos.	Tertius.
Tetartos.	Quartus.
Pemptos.	Quintus.
Ectos.	Sextus.
Ebdomos.	Septimus.
Ogdoos.	Octavus.
Ennatos.	Nonus.
Decatos.	Decimus.
Endecatos.	Undecimus.
Dyocedecatos.	Duodecimus.
Triscædecatos.	Decimus tertius.
Tessarescædecatos.	Decimus quartus.
Pentecædecatos.	Decimus quintus.
Eccædecatos.	Decimus sextus.
Eptacædecatos.	Decimus septimus.
Octocædecatos.	Decimus octavus.
Enneacædecatos.	Decimus nonus.
Icostos.	Vigesimus.
Icostos protos.	Vigesimus primus.
Icostos deuteros.	Vigesimus secundus.
Triacostos.	Trigesimus.
Triacostos protos.	Trigesimus primus.
Tessaracostos.	Quadragesimus.
Tessaracostos protos.	Quadragesimus primus.
Penticostos.	Quinquagesimus.
Penticostos protos.	Quinquagesimus primus.
Exicostos.	Sexagesimus.
Exicostos protos.	Sexagesimus primus.
Ebdomicostos.	Septuagesimus.
Ebdomicostos protos.	Septuagesimus primus.
Ogdoicostos.	Octogesimus.
Ogdoicostos protos.	Octogesimus primus.
Ennenicostos.	Nonagesimus.
Ennenicostos protos.	Nonagesimus primus.
Ecatostos.	Centesimus.
Dyacosiostos.	Ducentesimus.
Triacosiostos.	Trecentesimus.
Tetracosiostos.	Quadringentesimus.
Pentacosiostos.	Quingentesimus:
Exacosiostos.	Sexcentesimus.
Eptacosiostos.	Septingentesimus.
Octacosiostos.	Octingentesimus.
Enneacosiostos.	Nongentesimus.
Chiliostos.	Millesimus.
Dischiliostos.	Bis millesimus.
Trischiliostos.	Ter millesimus.
Tetracischiliostos.	Quater millesimus.
Pentacischiliostos.	Quinquies millesimus.
Exacischiliostos.	Sex millesimus.
Eptacischiliostos.	Septies millesimus.
Octacischiliostos.	Octies millesimus:
Enneacischiliostos.	Nonies millesimus.
Myriostos.	Decies millesimus.

Græci præter illud supputandi formam à serie Alphabeti desumptam, sex in numeris designandis utuntur literis, hoc est, ΠΔΗΧΜ. Ι, unitatem significat. Π, πέντε, ideſt quinque, Δ, δέκα, ideſt decem. Η, ἑκατὸν, ideſt centum. Χ, χίλια, ideſt mille. Μ, μύρια, ideſt decies mille: quoties autem harum literarum singula quæque geminatur, toties idem numerus multiplicatur. Decadum verò, centuriarum, & Chiliadum, ac Myriadum literæ ΔΗΧΜ, in hoc charactere Græco Π, inclusæ, quinarium eorum numerorum semper multiplicat, ut nam hæc litera Π, quinque significat. Horum numerorum adjunctione reliqui omnes gignuntur, &

|Δ| 50. |Η| 500. |Χ| 5000. |Μ| 50000.

in com-

in compositione major semper minori præponi solet: sed in compositione nominum numeralium major numerus minori sine conjunctione præfertur, ut δεκατρία, ideſt decem tria: si autem minor majori præponatur, conjunctio intercedit, ut τρια καὶδεκα, ideſt tria & decem.

HEBRAICA LINGUA.

Gen.14. Gen.10. HEbræi non ab Abraam, qui Hebræus in Genesi appellatur, sed ab Heber, qui fuit abnepos Sem, filii Noe, qui & Judæi a Judæa, quæ & Chananæa, & promissionis Terra in Scripturis sacris nuncupatur, dicti sunt Syriæ Regionem incolentes. Et quia in Heber Familiâ remansit lingua, quæ prius humano generi creditur fuisse communis, cùm Gentes linguarum diversitate sunt divisæ, Hebraica deinceps nuncupata est. Hac Hebraicâ, sive Judaicâ linguâ, quæ & *sacra* dicitur, vetus Testamentum, libris Job, Danielis, & partim Esdræ exceptis, qui Chaldaicâ linguâ editi reperiuntur, conscriptum fuit: qui profectò Liber ferè solus purè Hebraicus habetur, ut eruditi affirmant: alij enim iisdem Characteribus conscripti, vel Chaldaici sunt, vel alias dialectos, & glossas habent admixtas. Hinc recentiorum Judæorum Thalmud vanitatibus, & impietatibus plenum, nunc Romæ expurgationi traditum, obscurum censetur, quia omnium ferè gentium vocabulis respersum est. De Alphabetis Hebraicis, antiquiori, scilicèt, & recentiori, quæ suo iam loco fuerunt appositæ, deque hujus linguæ majestate, & excellentiâ, multisque rebus aliis ad hanc eandem linguam pertinentibus, præsertim verò de literarum mysteriis, quibus ipsa lingua abundat, satis ibi dictum opinor.

Gen.11.

Addam autem hoc loco, quæ ad nominum numeros, ac desinentiam pertinent. Hebræi enim in geminatis a naturâ, ut duæ aures, duo oculi, & cetera hujus generis nomina, necnon in numero centenario, ac millenario dualem habent, non pluralem: quæ enim pluralem habent, duali carent. Masculina nomina unicam in singulari, & unicam in plurali desinentiam habent.

De iis, qui literas Hebraicas antiquas, ac recentiores invenerunt, suis jam locis sermonem habuimus, ubi multa, & scitu quidèm digna, dicta sunt, num, scilicet, Hebraica lingua, sive libri sacri hac linguâ conscripti fuerint corrupti: qua in re demonstrandâ multas recensuimus causas, & rationes.

De modo scribendi, qui ab Hebræis observatur, suo item iam loco dictum est, ubi modum scribendi apud Latinos, a sinistrâ parte in dextram magis naturalem esse naturæ, quàm a dextrâ in sinistram demonstravimus.

De literarum Hebraicarum mysteriis nonnulla etiam diximus: sed earundem interpretationem, connexionem, & ordinem videre est in Œconomia Georgii Ederi, & apud Sanctum Hieronymum in proœmio lamentationum.

Tomo 4.

Verùm quia ex ordine literarum numerandi modum observant Hebræi, hinc juxtà literas Hebraicas supputandi formam infrà apponere nobis visum est.

NUMERUS SUPPUTANDI APUD HEBRÆOS.

א	Hechad.	1 Unum.
ב	Scienaim.	2 Duo.
ג	Scieloscia.	3 Tria.
ד	Arbagha.	4 Quatuor.
ה	Chamiscia.	5 Quinque.
ו	Sciscia.	6 Sex.
ז	Scibgha.	7 Septem.
ח	Sciemona.	8 Octo.
ט	Tiscgha.	9 Novem.
י	Ghasara.	10 Decem.
יא	Hechadaghasar.	11 Undecim.
יב	Scienaimghasar.	12 Duodecim.
יג	Scieloscighasar.	13 Tredecim.
יד	Arbaghaghasar.	14 Quatuordecim.
יה	Chamiscighasar.	15 Quindecim.
יו	Sciscighasar.	16 Sexdecim.
יז	Scibghaghasar.	17 Decem septem.
יח	Sciemonaghasar.	18 Decem octo.
יט	Tiseghaghasar.	19 Decem & novem.
כ	Ghesrim.	20 Viginti.
ל	Scieloscim.	30 Triginta.
מ	Arbaghim.	40 Quadraginta.
נ	Chamiscim,	50 Quinquaginta.
ס	Sciscim.	60 Sexaginta.
ע	Scibgim.	70 Septuaginta.
פ	Sciemonim.	80 Octoginta.
צ	Tiseghim.	90 Nonaginta.
ק	Mea.	100 Centum.
ר	Mathaim.	200 Ducenta.
ש	Scialoscmeoth.	300 Trecenta.
ת	Arbaghmeoth.	400 Quadringenta.
ך	Chameschmeoth.	500 Quingenta.
ם	Sejeschmeoth.	620 Sexcenta.
ן	Scievaghmeoth.	700 Septingenta.
ף	Sciemonemeoth.	800 Octingenta.
ץ	Teschighmeoth.	900 Noningenta.
א	Eleph.	1000 Mille.

Num. ordinalis.

Risçion.	Primus.
Sieni.	Secundus.
Scieliſci.	Tertius.
Rerieghi.	Quartus.
Chamiſchi.	Quintus.
Sciſci.	Sextus.
Scievighi.	Septimus.
Sciemini.	Octavus.
Teſcighi.	Nonus.
Ghaſiri.	Decimus.

Pro numero cujuscumque decadis multiplicando eadem nomina ab unitate ad denarium usque numerum resumuntur, majore minori, & contrà, præposito. Id quod etiam in numero ordinali observatur.

HETRUSCA LINGUA.

Claudianus in Ruffinum.

HEtruria, Italiæ Regio, Tyrrhæno mari incumbens ad primam usque Tyberis ripam protensa, Macra fluvio a Liguria discreta: auguriorum olim, & haruspicinæ peritissima, ut Claudianus testatur. Hinc dictæ Regionis incolæ *Hetrusci* sunt appellati, atque *Hetrusca lingua vetus*, qua Populi Hetrusci utebantur. Hujus linguæ Alphabetum suo jam loco appositum est, ubi de Demaratho Hetruscarum literarum Inventore loquuti sumus. Ejusdem linguæ septem illæ Tabulæ æneæ vetustissimæ Eugubii, sivè Igubii repertæ censentur esse.

Hanc linguam, quam hodie nullam extare, pro comperto habetur, a Latinâ longè diversam fuisse apparet ex vocibus quibusdam paucis, quas apud probatissimos Scriptotes me legisse memini. Deus enim, ut Svetonius ait, *Aesar* ab Hetruscis dicebatur, & Padus a profunditate, *Botigon*, quem Ligures *Botigum* dicunt, appellabatur. Ancona, prius Hetrusco vocabulo *Picena* simul, & *Aboriginum* dicta. Piceni, Hetruscâ linguâ *genus sacrum* dicitur, orti a Sabinis. Hetrusci etiam, ut Cato testatur, nobilem Principem *Laronem*, vel *Larunem*, & *Arunem* appellabant, quem Itali, Hispani, & alii *Baronem* vocitare solent. Eidem item linguæ voces illæ, quas Arnobius de victimis, earumque partibus recenset, adscribuntur a Rhenano, & Pamelio, quia ibi Arnobius de Hetruriâ, quam *genitricem*, & *Matrem superstitionis* appellat, sermonem habet. Voces hujus generis sunt: *Apexabo, Longavo, Tucetum, Tenia, Plasea, Fendica, Isitium, Mateola, Fitilla, Augmen, Magmentum*, & id genus aliæ: quas iidem Scriptores pro animalibus, animaliumque partibus, atque farciminum generibus, quibus utebantur Hetrusci in sacrificiis, studeant explicare. Vocabula enim sunt ab iis conficta, ut propter eorum obscuritatem augustiora judicarentur, sicut idem Rhenanus testatur.

Svetonius Tranquil. in Augusto.

M. Portius Cato. & Berosus.

Arnobius adversus Gentes. lib. 7. circa med.

Rhen. & Pamelius.

Hæc lingua aliquid commune cum Armenicâ, & Scythicâ habuisse nonnulli suspicantur: Utrique enim Pontifices suos, & sacros expiatores *Sagos* appellabant, & *Noam* ex Armeniâ in Italiam profectum dicebant, Vestamque colebant, perpeptuumque ignem servabant: fabulas Hetruscorum quasdam a Livio, & a Cicerone explicatas Crinitus testatur. Hæc de veteri Hetruscâ linguâ.

Petr. Crinitus.

Recentior autem est Italica, & emendatior quidem, quæ adeò floret, ut inter Vulgares linguas nobilior, & cultior, habeatur. Hac eâdem linguâ omnes artes, atque scientiæ passim in Italiâ conscribi solent. Hinc sicut Romanos olim pueros Hetruscis literis eruditi solitos tradit Livius, ita tempus in præsens Hetruscæ linguæ recentiori omnes ferè operam navant, & præsertim ii, qui Italicâ linguâ emendatè, & perpolitè quidem scribere, aut loqui percupiunt: maximo enim pretio habetur apud omnes. Hæc hactenus.

Livius libr. 9. hist. ab orbe cõdito Dec. 1.

HIBERNICA LINGUA.

HIbernia, Insula non procul ab Angliâ, vulgò *Hirlanda* in Oceano inter Angliam, & Hispaniam sita est, ab Ibero dicta Duce, homine Hispano, qui primus magno hominum numero eam occupavit: vel ab Ibero Hispaniæ fluvio, cujus accolæ primi Insulam habitasse feruntur. Hiberni quidèm cùm habitu corporum, tùm vivendi ritu, atque moribus non valdè ab Hispanis vicinioribus discrepare dicuntur: linguam verò eorum peculiarem esse, qua Scotos etiam silvestres, & Insulanos ab Hibernis oriundos uti ajunt.

Cæs. libr. 5. de Bello Gall.

HISPANICA LINGUA.

HIspania, latissima Europæ Regio, a montibus Pyrenæis incipiens, & per Columnas Herculeas circumiens ad Borealem usquè Oceanum protenditur, & in Citeriorem, & Ulteriorem secatur, *Hesperia* olim dicta ab Hespero Atlantis fratre, vel ab Hespero stellâ lucidissimâ: ultimò autem ab Hispali, quam hodie *Siviliam* vocant, Hispalia, unâque deindè litera immutatâ, *Hispania* dicta est: Hispanorum autem lingua vetus quænam fuerit, invenire non potui. Sed verisimile est, in oris ad Mediterraneum mare, præsertim occasum versus, remotis, Lybicæ vel Mauritanicæ linguæ olim extitisse usum. Mauri enim iis in Regionibus imperarunt: atquè inibi, & in Lusitaniâ præsertim Maurorum vocabula relicta sunt, ut ab Hispaniarum Indigenis accepi. Habent etiam eæ Regiones quædam vocabula Gothica, virorum præsertim: nam multo tempore Hispanias obtinuerunt Gothi, quorum item grassationibus, & imperiis Latina lingua majestatem suam, suumque imperium in Italiâ omisit primùm, deindè in Galliis, & Hispaniis: & novæ illæ, quibus nunc loquuntur, fuerunt introductæ.

Plin. lib. 5. c. 1. 2. & 3.

Castellana verò lingua ceteris dialectis, quibus hodie utuntur Hispani, sicut Hetrusca in Italiâ, præfertur, ut ego re ipsâ novi: Affinis est Italicæ, & ad Latinam linguam propiùs quàm Gallica accedit, minus tamen quàm Italica: has enim tres linguas vulgares Latini idiomatis propagines esse dictum est. Hæc de Hispanicâ linguâ.

HUNGARICA LINGUA.

HUngaria Austriæ contermina, & in Orientem vergens, inferiorem Pannoniam a fluvio Leycha ad Savuna usq; complectitur, & Danubium transgressa ad Polonos usque protenditur: & ultrà, citràque Istrum latè dominatur. Extat adhuc non longè ab ortu Tanais altera Hungaria, & linguâ, & moribus illi penè similis, sed Christi cultrix: illa verò ritu barbarico vivens servit idolis. Hæc ex Ænea Silvio.

Æneas Silvius in Europa.

Hujus nationis numeri cardinales, ut ajunt, sunt infrà conscripti, ut hujus Gentis numerandi modus aliquâ ex parte habeatur.

1. Eig.	Unum.
2. Ketto.	Duo.
3. Harom.	Tria.
4. Nieg.	Quatuor.
5. Ot.	Quinque.
6. Hatt.	Sex.
7. Het.	Septem.
8. Niogis.	Octo.
9. Kilentz.	Nouem.
10. Tiz.	Decem.

Sunt qui velint eosdem esse Hunnos atque Hungaros paucis literis immutatis: alii verò Hunnos ab Hungaris distinguunt, atque hos ad Vagum fluvium Illyricè loqui solitos ajunt.

Hunni, vel Huni, vide Hungaria.

JACOBITARUM LINGUA.

JAcobitæ characteribus quibusdam utuntur, qui à Græcis parum differre videntur: ut ego ipse vidi in Appendice diversarum literarum Thesei Ambrosii Papiensis, & Canonici Regularis Lateranensis, qui ibi ob oculos ponit Jacobitarum Alphabetum, in quo non solùm plurimi characteres Græcis literis adsimiles sunt, immò omninò iidem qui, & Græci, verùm etiam nomina literarum majori ex parte cum Græcis habent affinitatem: lingua verò est Arabica, ut Ambrosius ait.

Thes. Ambr. in princ. Appendicis.

ILLYRICA LINGUA.

ILlyrium, sive Illyris, Illyriave, Regio Europæ satis ampla, & Epiro conterminа, Italiæ propinqua, ab Illyrio, ut Appianus inquit, Polyphemi filio, sive, ut Eustathio placet, Cadmi filio denominata, hinc Italiam, illinc Germaniam, inde Macedoniam, Thraciam, & Epirum habens confines: hinc Adriaticum sinum, quem *Golphum Venetiæ* appellant: indè autem Danubium Flumen. Hanc regionem, & Dalmatiam, quæ est pars Illyrii, & *Sclavoniam* hodie vocant, quæ & *Slavonia* rectiùs dicitur. Hujus Regionis lingua, quæ *Illyrica* nuncupatur, latè se diffundit, cùm plurimi populi eâ uti soleant: utuntur enim Illyricâ linguâ, Dalmatia, sive Sclavonia, Istria, Stiria, Carinthia, Croatia inter Dalmatiam, & Istriam sita, Forum Julii, Carnia, necnon gentes aliæ his finitimæ: Servia item Bulgaria, Musia, Vallachia; & Moldavia, & aliæ Daciæ partes, Bosina etiam, Russia, Moschovia, & aliæ Gentes ad Orientalem plagam pertinentes: Boœmia item, Polonia, Moravia, Lithuania, & aliæ Gentes quàmplurimæ, quas infrà conscribam, ut à multis Scriptoribus accepi, & à non paucis dictorum locorum incolis audivi. Hæc deniquè lingua in Græciâ necnon Constantinopoli in Ottomanorum aulâ est familiaris: & nuper in Ægypto apud Memphiticum Sultanum, & equites Mamaluchos haùd ingratis auribus audiebatur. Per universam autem Turcicam Gentem, præcipuè verò apud milites, Sclauonica lingua adeo est in usu, ut Constantinopolis ipsa jam non amplius prisco nomine, sed Cæsaris domus Sclavonicâ vocetur linguâ. Hæc ex Sigismundo Gelenio, Marino Temperizza Epidaurio, sive Ragusæo è Societate Jesu, & aliis.

Appianus, & Eustachius.

Sigismundus Gelen. Mar. Temper.

In hanc linguam sacrarum literarum codices, industriâ Sancti Hieronymi, & Cyrilli translati sunt, ut suis jam locis dictum est. Hac itèm linguâ non solùm patrii Annales, verùm etiam de Alexandro Magno, Romanisque Cæsaribus, necnon de Marco Antonio, & Cleopatrâ commentarii conscripti iis in locis reperiuntur, ut Jovius narrat. *Philosophiam verò, & Astrologiam, ceteraſque disciplinas, rationalemque medicinam eæ Gentes numquàm attigere.* Hæc Jovius.

Paulus Iovius

Quamvis autem Illyricâ linguâ tot Gentes, ut fusiùs enarrabimus, utantur, characteres tamen sunt omninò inter se diversi sicut suprà videre est, ubi Alphabetum Sclavonicum, ac Servianum apposuimus figuris, nominibus, ac pronunciationibus sive potestatibus distinctum: illud verò tribus ac triginta, hoc autem tribus, & quadraginta literis constat: illud à Sancto Hieronymo, hoc à Sancto Cyrillo censetur inventum, ut suis jam locis dictum esse memini. Sclavonicum autem Alphabetum licèt à S. Hieronymo inventum fuisse dictum sit, ut rumor docet: hoc tamen loco sententiam Joannis Octavi silentio prætereundam esse non opinor: Joannes enim in Epistolâ ad Sfentopulchrum Sclavonicas literas, sive *Croaticas* à Croatiâ dictas inter Dalmatiam, & Istriam sita à Constantino quodam Philosopho inventas esse testatur: cujus Epistolam videre est in dictione, *Dalmatica lingua*.

Joan. VIII. in Registro.

Idem supra in dict. Dalmatica.

Quænam verò Gentes Alphabeto Sclavonico, quod Hieronymianum vocant, quænam etiam Serviano, vel Cyrilliano utantur, suis jam locis enarratum est: quamvis enim Illyricam linguam tot Nationibus communem esse pateat, characteres tamen diversi omninò sunt.

Hæc autem lingua à tot Gentibus adhibetur non secùs atque Italica lingua in Italiâ, in qua tot Provinciæ eâdem linguâ, sed aliæ magis, aliæ minus cultè loquuntur, ita verò, ut singula quæque Provincia, quin singuli quique populi nonnullas habeant voces, ac pronunciationes aliundè ob commercium desumptas, ut in Italicâ linguâ eveniſſe ostendemus. Ut autem quis faciliùs videre queat, quinam populi sint ii, qui Illyricâ, sed vulgari lingua loquantur, omnia eorum Populorum nomina, qui eâ utuntur, tùm ex Auctorum verbis jam recitatis, tùm etiam ex Sigismundi Gelenii præsertim Epistolâ, necnon ex iis, quæ Marinus Temperizza Epidaurius e Societate Jesu, vir quidèm Illyricam linguam, Illyricosque characteres optimè callens, mihi copiosè narravit, hoc loco recensenda existimavi.

Infra in Dict. Italica.

Sigism. & Marinus.

No-

Nomina Populorum, qui Illyricâ loquuntur linguâ, ordine Alphabetico disposita.

ABgazari, vel Abgazelli, qui & Gazari circa Mare Caspium.
Antivi.
Arbenses.
Bessi, hodie Bosnenses, vel Bosnasienses.
Bohemi.
Borussii.
Bosnenses. Vide Bessi.
Bulgari, sive Rascii.
Carni.
Carniolani.
Carinthii.
Cassubi, vel Cassubitæ.
Circassi Quinquemontani circà Pontum, vel Ciercassi circà Mare Caspium.
Corali.
Croati, vel Chroati.
Culmii.
Curi.
Dalmatæ, vel Delmatæ.
Dibrii.
Epidaurii, sive Ragusæi ex Epidauro Civitate juxta Dalmatiam ad Illyricum Mare sita.
Epirotæ.
Forojulienses, vulgò *Furlani*, à Forojulio Italiæ Regione, in qua sunt Aquileja, Utinum, Cividale, ac Tergestum.
Gazari. Vide, Abgazari.
Gepidæ.
Hungari ad Vagum Fluvium.
Japides, vel Forojulienses.
Jaziges.
Istri.
Lithuani.
Livi.
Lusarii.
Lygi.
Macedones Mediterranei.
Maxobii, vel Mazolitæ.
Meisi, vel Mysii.
Moldavi.
Moravi.
Mysii, vel Meisi.
Nugardi.
Obodritæ, vel Obrotriti.
Ohulici.
Pannoniæ pars.
Permi.
Plescovii, vel Plescovienses.
Podolii.
Polabi.
Poloni majores, & minores.
Pomerani.
Ragusæi. Vide Epidaurii.
Rascii, vel Rasci, sive Bulgari.
Rugi.
Russani, vel Russi à Russiâ: vel Rutheni.
Samogitæ.
Sarbi. Vide Sorabi.
Sarmatæ, qui & Poloni dicuntur.
Sclavi, vel rectiùs Slavi.
Servii. Vide Sorabi.
Slesii, vel Silesii, aliàs Slesitæ.
Smolnenses.
Sorabi, aliàs Sarbi, hodie Servii.
Transilvani.
Vandali, aliàs Vuandali.
Veltæ.
Vilaci.
Vuagrii.
Vvinuli.
Zogorani.
Zadravani.

Hi sunt igitur Populi, qui Illyricâ linguâ vulgari utuntur: extat enim altera huic valdè adsimilis, & ferè eadem, quæ *scripturalis*, vel *literaria* nuncupari potest, *Buchuizza* à Sclavis dicta, quæ nonnisi per regulas disci potest, & à rudioribus absque regulis non rectè intelligitur, neq; rectè pronunciatur. In hanc linguam à Sancto Hieronymo Scripturam sacram Sclavonicis literis, & à Sancto Cyrillo Servianis characteribus translatam fuisse credendum est. Id, quod etiam de Missali, de Codice horario, deque aliis Sclavorum libris dicendum puto. Sunt autem qui hanc linguam non Illyricam, sed Sarmaticam potiùs, idest Polonicam, vocandam affirment, quòd ceteræ ab hac sint ortæ: Polonica enim non multum à Sclavonicâ, & Bohemicâ recedit, ut facilè intelligere potui ex Oratione Dominicâ tribus hisce linguis conscriptâ, quam apud Bartholomæum Georgenitam, & Sigismundum Gelenium Bohemum, qui Syphonum edidit lexicon, in quo vocabula linguarum, Latinæ, Græcæ, Germanicæ, & Illyricæ, quæ inter se conveniunt, vel in duabus ex his, vel tribus, vel quatuor linguis, conferre studet. Quòd autem Polonica, & Sclavonica, sive Illyrica linguæ magnam inter se affinitatem habeant, ex eorundem supputandi modo, quem infrà apponere libuit, facilè comprobari potest.

Bartholom. Georg. & Sigism. Gelen.

MODUS NUMERANDI ILLYRICE.

Jedan.	1	Unum.
Dvà.	2	Duo.
Trì.	3	Tria.
Cetiri.	4	Quatuor.
Pet.	5	Quinque.
Sceſt.	6	Sex.
Sedam.	7	Septem.
Oſſam.	8	Octo.
Deveth.	9	Novem.
Deſeth.	10	Decem.
Jedanaeſt.	11	Undecim.
Dvanaeſt.	12	Duodecim.
Trinaeſt.	13	Tredecim.
Ceternaeſt.	14	Quatuordecim.
Petnaeſt.	15	Quindecim.
Sceſtnaeſt.	16	Sexdecim.
Sedanaeſt.	17	Decem ſeptem.
Oſſanaeſt.	18	Decem octo.
Devethnaeſt.	19	Decem & novem.
Dvadeſeth.	20	Viginti.
Dvadeſeth i jedam.	21	Viginti unum.
Dvadeſeth dva.	22	Vigintiduo.
Dvadeſeth i trì.	23	Viginti tria.
Dvadeſeth i cetiri.	24	Viginti quatuor.
Dvadeſeth i peth.	25	Viginti quinque.
Dvadeſeth i ſceſt.	26	Viginti ſex.
Dvadeſeth i cedam.	27	Viginti ſeptem.
Dvadeſeth i oſſam.	28	Viginti octo.
Dvadeſeth devet.	29	Viginti novem.
Trideſet.	30	Triginta.
Trideſet i jedan.	31	Triginta unum.
Ceteri deſet.	40	Quadraginta.
Ceterdeſet i jedan.	41	Quadraginta unum.
Pedeſet.	50	Quinquaginta.
Pedeſet i jedan.	51	Quinquaginta unum.
Sceſdeſet.	60	Sexaginta.
Sceſdeſet i jedan.	61	Sexaginta unum.
Sedamdeſet.	70	Septuaginta.
Sedamdeſet i jedan.	71	Septuaginta unum.
Oſſamdeſet.	80	Octoginta.
Oſſamdeſet i jedan.	81	Octoginta unum.
Devetdeſet.	90	Nonaginta.
Devetdeſet i jedan.	91	Nonaginta unum.
Sto.	100	Centum.
Tiſucchià.	1000	Mille.
Dvi e tiſucchiè.	2000	Duo millia.
Trì tiſucchiè.	3000	Tria millia.

Qui plura de Illyricâ, & Polonicâ linguâ, ſcitu quidèm digna, noſcere cupit, Bartholomæi ſcripta, & Gelenii, qui de eâ copiosè ſcripſerunt perlegere ſtudeat. Hæc hactenus.

INDICA LINGUA.

INdia, Regio Orientalis, Aſiæ terminus ab Indo dicta fluvio, qui ſolus præter Nilum Crocodilos creat, tam vaſta eſſe perhibetur, ut eam tradant eſſe tertiam omnium terrarum partem. Abundat gemmis, elephantos procreat Africanis multo majores, arbores ſemper

Ex Pomponio, & Strabone lib. 15.

per habet frondentes; bis fruges in anno ad maturitatem perducit, aromata ad nos mittit, binasque habet æstates. Hujus autem Regionis lingua adeò Hebraicæ, Chaldaicæ, & Arabicę affinis est (licèt characteribus variet) ut rara admodùm in hac sit dictio, quæ in aliarum aliquâ non reperiatur: & hæc sola Orientalium, quæ ab Hebræâ originem habent, nostro legitur modo, a siniſtrâ, scilicèt, in dextram, ut a viris peritis, atque ab huiusce Regionis incolis accepi, & re ipsâ id ita esse comperi: vidi enim, & contrectaui codicem quemdam ex Indiis transvectum e subtilissimis autem arborum corticibus confectum, ac typis mandatum, quem superioribus annis frater Spiritus Vicentinus, summus olim ordinis Eremitarum S. Augustini Magister Sixto Quinto dono dedit. Quod quidèm munus tùm ob miram rei novitatem ad loca hæc asportatam, tùm etiam ob admirabile ingenii artificium Summo Pontifice dignum existimatum fuit: ex eo enim codice iam impresso, typographia anteaquàm in Europam fuisset advecta, in Indiis floruisse patet. Adde etiam quòd pagina ex arborum corticibus confecta adeò subtilis, & araneæ telæ adsimilis est, ut duæ paginæ pro una sumantur, alterâ tantùm paginæ parte typis insignita: quæ profectò res ingenii perspicacitati, nonnisi admirationi esse potest. Hæc de Indicâ linguâ. Plura in Æthiopum linguâ legenda sunt.

Typographia Indiana ante Typogr. Europæ.

JONICA LINGUA.

JOnia, Asiæ minoris Regio, media inter Cariam, & Æolidem, tùm cæli bonitate, tùm situs commoditate nulli Regionum posthabenda: hinc Jonica Dialectus inter quinque Græcarum linguas notissima dicta est, quæ diæreses sine contractione præter usum communem, & quaidam literarum mutationes admittit. Hac linguâ Hippocrates medicus, & Herodotus historicus scripsisse dicti sunt. Hæc ex Joanne Grammatico.

Ismaelitica dialectus in Æthiopum linguâ videnda est.

Istri Illyricè loquuntur.

ITALICA LINGUA.

ITalia, Europæ regio nobilissima, ejusdemque *Viridarium* perpulchrum vulgò nuncupata, *Hesperia* prius ab Hespero Rege, siue, ut Macrobio placet, ab Hespero, stellâ occidentali, cui subjecta est, deindè *Œnotria*, vel a bonitate vini, quod in eâ nascitur [Græci enim vinum, οἶνον appellant] vel ab Œnotrio Sabinorum Rege: postremò autem *Italia* dicta est ab Italo Siculorum Rege, qui Italos agriculturam docuit, & leges condidit: eamque partem, in qua posteà Turnus regnavit, a suo nomine *Italiam* appellavit. Est autem universa Italia in formam cruris inter Adriaticum, & Tuscum mare sita, umbilicum in agro Reatino habens: cujus longitudo ab Augustâ Prætoriâ ad Rhegium usque Calabriæ terminum, sive Messanæ Pharum, Solino teste, decies centena millia passuum continet: Latitudo verò quadringenta decem, ubi maxima latitudo: ubi autem minima, ad viginti milliaria: hæc autem angustia est inter Scyllaticum sinum, & Terineum, vel sanctam Euphemiam. Hujus Regiones, vel Provinciæ maximè insignes, sunt Liguria, Insubria, sive Gallia Cisalpina, Venetia, Japidia, Carnia, & Istria, Hetruria, Æmilia, vel Flaminia, sive Romandiola, Picenum, Umbria, Latium, Campania, Samnium, sive Aprutium, Apulia, Lucania, & Calabria, quibus Siciliam a Calabria non naturâ, sed angustiori terræ parte ab Jonio, ac Tirreno mari subtus corrosa, Diodoro Siculo teste, vel secundum alios, sed vi terræmotus olim disiunctam, nonnulli adiiciunt: ex cujus terræ avvlsione natum est fretum Siculam, inter Messanam, & Rhegium, quod Pharum vulgò appellant: *Pharos* enim *separationem* significat. Est autem hoc mare verticosum, & periculosum nautis, quod contrariis fluctuum cursibus collisionem facit, & rapta quæque absorbet, & reiicit ob diversa maria contrariis ventis agitata, quæ in ipsum confluunt, & a nonnullis vocitatur *Charybdis*: sunt enim in hoc freto, quod *Pharum* vocant, duo saxa, quorum unum in confinio Siciliæ âlterum verò in extremâ Calabriæ orâ extant: illud *Charybdis*, hoc *Scylla* fabulosè monstra vocitantur: hinc natum proverbium illud:

Diod. Sic. li. 5. Et Thom. Fazellus hist. Sicil. lib. 1. c. 3.

Incidit in Scyllam cupiens evitare Charybdim.

Harum igitur Provinciarum omnium una est lingua, quæ *Italica* nuncupatur, vna, scilicèt, ex iis tribus, quæ Latinæ linguæ propagines vocantur, ut olìm dictum est. Quamvìs autem his Italiæ Provinciis una sit lingua, Hetrusca tamen nova cultior, & emendatior inter alias censetur, & majori habetur pretio: ad quam profectò linguam qui magis accedit, purior in dicendo, aut in scribendo existimatur. Insubres, & Siculi ab eâ non parùm, Genuenses autem magis in loquendo recedunt: hi enim voces adeò diversas, & pronunciationem aliarum Provinciarum locutione ita distinctam habent, ut ab iis, qui eorùm loca diù non incoluerunt, haùd facilè intelligantur. Idquod factum reor ob maximum locorum intervallum, quo ab Hetruriâ, & ab Italiæ præsertìm centro disiunguntur: hæc enim loca aliis Regionibus contermina, sunt extremæ Italorum oræ. Hinc ob frequens diversarum Gentium commercium alienas voces aliquâ ex parte detortas, exterorumque pronunciationes admittunt, atque itaut diversam quodam modo linguam efficiant. Quibus de causis idem Siculis, Calabris, & Appulis eveniſse credendum est: nam iis in locis Greciam quandoque fuisse pro comperto habetur, & ad hanc usque diem alicubi, hoc est, in aliquibus Calabriæ, & Apuliæ, sive Magnæ Græciæ partibus Græcanicum sermonem, ac ritum in vivendo extare inveni, Regno utriusque Siciliæ peragrato, dum Augustinianæ Reipublicæ a secretis eram,

Dictione Gallica, & Hispanica.

Longitudo, & latitudo Italiæ ex Solino, & Gabriele Barrio Francicano libr. 1. de antiqu. Calabriæ. Strabo libr. 6. Trog. Pomp. apud Iustinum lib. 4. & Virg. lib. 3. Æneid. De separ. Sic. a Calabria.

eram, summumque Augustinianorum Magistrum, fratrem Spiritum Vicentinum Italiæ provincias visitandi gratiâ perlustrantem comitabar. In Siciliâ verò non solùm voculas Græcas, Gallicas, & Hispanicas, verùm etiam barbaras, quas Saracenorum appellant, sicut ipsamet multorum locorum nomina aperte docent, in frequenti usu remansisse eas ob causas nuper enarratas, me reperisse memini. Adde etiam quòd Gothi eâ in Insulâ anno salutis D.XV. tempore Justiniani Imperatoris: Anno vero M. CC. LXXXII. Galli dominati sunt: sed hi stratagemate quadam tertio die Paschatis eâdem ferè horâ per universam Siciliam trucidati sunt. Anno autem M. CCC. XXVI. Africani Siciliam subegere, eamque regalem sibi sedem fecerunt. Nunc denique Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus utriusque Siciliæ Regno dominatur; Huc accedit quòd in hac Insulâ Græci, & aliæ Gentes multa loca ædificarunt, & præsertim Chaldæi, Damasceni, & Fœnices Panormum, & Messenii Achajæ, seu Græciæ populi Messanam, primarias Insulæ civitates, condiderunt. Hinc mirum non est, variarum linguarum voces, ac pronunciationes in hanc Insulam fuisse introductas.

Ex Thoma Fazello Dec. 1. lib. 8. c. 1. & Dec 2. libr. 6. c. 4.

Ut autem variarum mixtionem linguarum brevitatis causâ prætermittam, perpauca de pronunciatione referam. Siculi enim Melitæ, atq; Africæ proximi accentu quodam a ceteris Italiæ pronunciationibus distincto inter loquendum utuntur, & V, pro O, necnon E, pro I, frequenter usurpare solent dicentes hoc modo: *Vuliti viniri?* & id genus reliqua pro eo quod Italicè dicitur; *Volete venire?* Latine autem: *Vultisne venire?* Prætereà, sicut barbaras voces retinent, & permultas quidèm: ita, & barbariem, quod ad mores pertinet, multis in rebus conservant, præsertim verò mulieres in mortuis deplorandis morem imitantes antiquorum, apud quos mulieres, quæ *Præficæ* dicebantur, adhiberi solebant funeri mercede conductæ ad præstandum lamentabilem cantum in demortui laudibus recensendis, ut ceteris plangendi modum præberent. Hujusmodi autem plangendi consuetudo in Italiâ, non solùm in Siciliâ, sed in Apuliâ, & Calabriâ ad hanc usque diem conservatur: Mulieres enim alieno in funere ad hujus generis munus exhibendum conductæ, quæ *Repetentes*, vulgari linguâ *Repetitrici*, vocitantur, capillos scindunt magis, atquè magis clamantes, ut aliæ fœminæ, & præsertim defuncti, vel defunctæ affines, & consanguineæ lacrimis, ac fletibus, necnon funeralibus ad ululandum laudationibus invitentur, quæ tandèm non solùm capillos discindunt, sed unguibus etiam scalpunt faciem, & domos horrendis implent ululatibus: quæ profectò barbaries stultitiam non minus, quàm sævitiam repræsentat, ut ego ipse iis in locis, hoc est, in Sicilia, Calabria, & Apulia non semel vidi. Qua ex re barbariem repræsentante coniiciendum est, multas in hasce Provincias, voces, ac pronunciationes a barbaris fuisse introductas: pronunciant enim, & scribunt hujus Regni incolæ, *ch*, pro, p, & *i*, pro g, ut *Chiano*, pro *piano*, Latinè, *submisse*. *Chianura*, pro *pianura*, Latine *planities*: & *Chiaja*, pro *piaggia*, & *spiaggia del mare*, Latinè, *proclivitas*, vel litus maris, & id genus reliqua.

Ex Nonio Plauto in Frivolaria, & Truc. & Lucilio lib. 22. & Nævio.

Mulieres autem ad plorandum conductæ *Repetentes* Latinâ linguâ, & vulgari linguâ *Repetitrici* dictæ sunt, vel a laudibus demortui repetendis, quasi ad memoriam revocandis, sive potius, ut sic dixerim, *Reputatrices* dicendæ sunt a verbo Italico *Reputare*, quod Latine *æstimare* sonat: defunctus enim in magnam trahitur existimationem.

Multas iidem Siculi non solùm barbaras voces, necnon Gallicas, atque Hispanas, verùm etiam Latinas, a Latino fonte cadentes, sed parum detortas retinent, sicut ceteræ Italiæ partes, quippè quæ Latinæ olim fuerunt: & Latina lingua latè dominata est. Insubres vulgò *Lombardi* in Galliâ Cisalpinâ, cujus civitates sunt, Mediolanum, Papia, Lauda, Novaria, Vercellæ, & Comum, satis corruptè loquuntur, atque ita ut non facilè interdum intelligantur, non solùm ob variarum vocum mixtionem, sed etiam ob corruptam pronunciationem, truncataque voces, figuram Apocopen frequenter usurpantes: corruptè enim dicunt exempli gratia: *Vien scià chi lò*, idest *vieu quà a questo luogo*, pro eo quod dicunt Veneti: *Vien za quà*, & ceteri Italiæ populi: *Vien quà*, Latini verò: *Veni ad hunc locum*, vel *veni huc*. Pronunciant præterea Insubres, & quidèm perperam, f, pro u, dicentes: *Bref*, pro Breve, & id genus permulta. Veneti de medio dictionum literas nonnullas abiicere solent, ut *Pare*, & *Mare*, pro eo quod ceteri Italiæ populi dicunt *Patre*, & *Matre*: interdùm auferunt p, dicentes *Cao*, pro *Capo*: Latinè, caput. *Fiao*, pro *fiato* Italicè, Latinè verò, *Flatus*, & frequenter d, pro t, uti solent: nam *frater* Italicè dicitur *Fratello*, Veneti dicunt, *Fradelo*, t, in d, mutatâ, & literâ, l, abjectâ. Multa sunt alia, quæ varias voces apud Italos sortita fuisse comperio, ut est illud quod Latinè dicitur *Modo*, vel *nunc*: Italicè enim, & quidem passim dicitur, *Adesso*: vel *hora*, ut *Adesso vengo*, *hora vengo*, idest, *Nunc venio*. Hetruscâ autem linguâ recentiori a Scriptoribus antiquis dicitur: *Testè*. Sunt item in Italiâ Populi, ut Perusini, Eugubini, & Camertes, qui & alii dicunt: *Assaja*: Alibi vero, *Mo*: Crassissimè alicubi, *Vècona*. Omnes hæ tamen voces idem significant.

Sunt prætereà in Italia, ut Perusini, & alii agro Perusino contermini, qui proferunt *Tochecco*, *Tochello*, *Toshì*, & *Tolì*, pro eo quod Latini dicunt: *Hoc loco*, & *eo loco*, vel *hic*, & *illic*. Alii vero, ut Nostrates, & rudiores quidem, *Macchì*, & *Mallì*, & *Macchitta*, & *Mallitta* pro *hic*, & *illic*. Dicunt etiam Nostrates ad pronunciationem Hetruscam multis in rebus quadam ex parte accedentes: *Testo*, & *Testui*, per figuram Aphæresim, pro eo quod Hetrusci dicunt: *Cotesto*, & *Cotestui*, Latini verò: *Istuc*, vel *istud*, & *iste*, qui apud te est, vel de quo loqueris. Proferunt etiam Nostrates Hetruscorum more

more in vocabulis quibuſdam i, pro, r, dicentes: *Gennajo*, & *Febrajo*, idemque in aliis vocibus id genus ſexcentis pronunciare ſolent. Perperàm autem multi pronunciant, & aliqui ſcribunt ſc, pro ſimplici ſ, ut *Deſcidero* pro *deſidero*, & c, pro ſ, ut *concidero*, pro *conſidero*. Alii prætereà in Italiâ populi minus rectè pronunciant, a: medium enim quoddam inter a, & e, proferunt, ut *Paeter*, & alia permulta. Utuntur item interdum alii, u, pro o, dicentes: *Priuri*, pro hac Italicâ voce *Priori*, & *Lu capo*, pro eo eo quod alii rectè dicunt: *Il capo*. Sunt qui perperam dicant: *Madamè*, *Madatè*, pro *Amè*, *Atè*.

Quamvìs igitur in Italiâ una ſit lingua, quæ *Italica* dicitur, ſunt tamen variæ pronunciationes, quas longum eſſet recenſere, & varii ſunt accentus, immò variæ uſurpantur voces, quæ ab exteris Nationibus mutuatæ ſunt, & cum aliis linguis magnam habent affinitatem. Gothica enim lingua multas habet voces, quæ non ſolùm cum Germanicis quandam retinent affinitatem, ſed Italicæ item linguæ ſunt omninò communes, deſinentia, & accentu exceptis: nam Gothicâ lingua Angelus dicitur *Angil*, Germanicè *Angl*, Italicè *Angelo*. Monachus Gothicè *Monch*, Germanicè *Mènich*, Italicè *Monaco*. Monialis, Gothicè, & Germanicè *Nun*, vel *Nunna*, Italicè *Monacha*. Monaſterium Monialium, *Nunecloſtr'*, vel *Fraucloſtr'*, ideſt clauſtrum moniale: Monachorum autem clauſtrum, *Mènicheloſtr'*, Italicè, *Chioſtro de Monachi*. Scamnum, Germanicè *Ponch*, Gothicè *Banch*, Italicè *Banco*. Vexillum, Gothicè *Banèr*, Italicè *Bandiera*. Pera, Gothicè, & Italicè *Taſcha*. Poculum, vel Ciathus, Gothicè, & Italicè *Becchier*, ab Africanis *Got*, ut diximus, à Venetis *Goto*, à Germanis *Glos*: *Gott* Germanicè ſtricto ore, & duplici tt, Deus appellatur, *Guot* verò bonum. *Charta* Latinè, & Italicè, Africanicè *Cart*, ut ſuprà videre eſt. Navis item ſive Triremis ab Armenis *Gallèri*, dicitur, à Germanis autem, Gallis, & Italis vulgari nomine *Galèa* nuncupatur, ut ſuo jam loco dictum eſt. Feretrum ab Ægyptiis appellarur *Baris*, Italicè dicitur *Bara*. *Hercules* item eſt vox Ægyptiaca, ut ſuo jam loco diximus, à Græcis tamen, Latinis, & Italis eâdem voce uſurpatur. *Petra* item à Græco fonte cadit, & apud Latinos adeo eſt in frequenti uſu, ut Latinâ eſſe dicatur: nam Πέτρος Græcè lapis magnus eſt, qui Syriacè teſte Hieronymo, dicitur *Cephas*. Hinc dictum eſt Petro: *Tu vocaberis Cephas*: quod interpretatur Petrus: deindè alio in loco: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Saccus dicitur Græcè, & Latinè, Italicè *Saccha*, Hebraicè *Sach*; quæ ſanè res eodem etiam nomine apud Hiſpanos, Flandros, Germanos, Gallos, multarumque aliarum Gentium homines uſurpatur.

S. Hieron. in c. 2. ep. ad Gal. tom. 6.

Joan. 1. Luc. 6.

Mirum item cuiquam videri non debet, Gothos ab Italis, atque Italos à Gothis multas accepiſſe voces, parum aut nihil immutatas: Gothos enim in Italiâ olim commoratos fuiſſe conſtat. Itali prætereà ab aliis Nationibus vocabula non pauca ſibi mutuarunt, vel ob commercium in bellis gerendis, vel mercaturis exercendis, vel ob alias cauſas, quas ſuprà enumeravi. Itali namque ſuâ linguâ dicunt: *Monſignor*, quaſi ſolus, ut Alumno placet, ſive unicus dominus: Gallicè enim ajunt: *Monſieur*: nam vox Latina, *Solus*, *Monos* dicitur apud Græcos. Dicunt etiam Itali *Meſſer*, & *Miſſer* quaſi *Mio ſir*, hoc eſt *Dominus meus*. *Sir* enim Gallica vox eſt, quæ dominum ſignificat: quare *Meſſer* dicitur, quaſi *meus herus*. Veneti autem hanc vocem *Sier* à Gallis mutuatam, literulâ unicâ adjectâ, frequenter uſurpant: ceteri verò Italiæ populi *Ser* pronunciant, & hujuſmodi vocem Notariis ut plurimum tribuere ſolent. Via anguſta in Urbe, ſive Oppido, vel Villa *Vicus* dicitur à Latinis: à Romanis vero *Vico*, & *Vicolo*; à Noſtratibus, *Androne*: Ἀνδρών Græcè dicitur locus, ubi viri verſantur: A Peruſinis *Rembocco*: à Latinis item *Callis*, quaſi via callo perdurata, à Venetis *Cale*, literâ unicâ, l, abjectâ. Veneti namque inter pronunciandum plurimas literas abiiciunt, multaſque immutant, ut ſuprà dictum eſt. Sunt item in Italiâ populi Aprutio contermini, qui b, pro u, & u pro b, frequenter uti ſolent, alii verò ab iis remoti, b, pro u, interdum uſurpant dicentes ſtricto ore, *Boto*, pro *Voto*, vulgari tantùm linguâ, & n pro d, ut *Banno* pro *Bando* pronunciant, quod à Latinis *Exilium* dicitur.

Eſt deniquè in Italiâ Regio dicta olim Japidia, nunc Forum Julium Latinè, Italicè autem *Friuli*, ubi non ſolùm Sclavonica lingua, ſed tanta multarum linguarum mixtio adhibetur, vix ut credi poſſit. Hinc ipſi alios facilè intelligunt, ſed non intelliguntur, & præſertim, dum quadam linguâ, quæ inſtar Zingarorum, vel Erronum vocabula quædam fictitia, ſuoque ipſorum arbitratu, vel commento quodam habet, jocandi vel obloquendi causâ utuntur.

Quamvìs igitur una ſit Italica lingua, ſingula quæque tamen Provincia, immò quilibet Italiæ locus peculiaria quædam habet vocabula, peculiareſque pronunciationes, quæ inter ſe non parum diſtant. Hetruſca item lingua recentior, quæ præſtantiſſima ab omnibus cenſetur, ſuam habet pronunciationem ab aliis diſtinctam: Hetruſci enim in pronunciando ſpiritum intrà palatum retinere ſolent, ingurgitantium morem imitantes. Romana verò locutio non ſolùm in pronunciando, verùm etiam in vocibus utendis totius Italicæ linguæ perfectionem, & quandam communitatem, neglectâ affectatione, habere judicatur. Hæc de Italicâ linguâ, ut ceteras dialectos tandem aliquando conſideremus.

Judæorum lingua eadem eſt, quæ Hebraica.

Juhri. Vide Ungari: iidem ſunt Ugri, Rhuteni quidem pro g, pronunciant h, pro Jugra *Juhra*.

LACONICA LINGUA.

LAconia in Peloponneſo Provincia, quæ, & Œbalia, & Lacedemonia dicitur à quibuſdam, ſicut à mediâ Græciâ remotior eſt, ita à communi linguâ longiùs recedit, & ad Doricam accedit. Lacones in dicendo, aut ſcribendo brevitate utuntur. Cic. ad Attic. libr. 4. & ad Brut. libr. 15. epiſt. 25. Quinct. lib. 6. cap. 3. Unde brevitas, *laconiſmus* nuncupatur: Attici verò prolixitate uti ſolent, & quemadmodùm brevitas dicendi *Laconiſmus* appellatur, ita & Atticus dicendi modus *Atticiſmus* nuncupatur, ut à Cicerone, & Quinctiliano accepi. Cice. de Orat. & de Clar. orat. multis in locis. Eſt autem Atticorum locutio argutiarum, exemplorum, urbanitatis, & ſuavitatis plena, ut idem Cicero teſtatur; qui etiam dicit Atticorum eſſe inculte, & horridè dicere, modò id eleganter, enucleatèque fiat. Crœſi tempore inter Dores, ut Herodotus ait, excelluerunt Lacedemonii, quorum Gloſſæ, ideſt, dictiones huic linguæ peculiares ab Heſychio annotantur: eorumdemque Apophtegmata copiosè deſcripta ſunt à Plutarcho, qui etiam in vitâ Lycurgi multa Laconum tùm vocabula tùm dicta enarrat. Hæc de Laconicâ linguâ.

LATINA LINGUA.

DE Latinâ linguâ ſuo jam loco multa à me dicta ſunt, quòd una ſit ex tribus cultioribus, quarum comparatione ceteræ omnes barbaræ dicuntur: quòd antiquiſſima, & quòd multa à Græcis fuerit mutuata. De ejuſdem linguæ ubertate, qua Græcam ſuperari demonſtravi, nihil eſt quod dicam: nam non ſolùm ſuprà id ſatis me explicaſſe memini, ſed etiam in noſtro de Latinæ linguæ obſervationibus libello idipſum copioſiùs declaravi. Libell. de Obſerv. linguæ Lat.

Addam autem hoc loco, apud Latinos quatuor idiomatum genera eſſe, Priſcum, ſcilicèt, Latinum, Romanum, & Mixtum, vel Antiquiſſimum, Antiquum, Perfectum, & Imperfectum, vel corruptum. Petrus Crinitus de hujuſmodi temporibus linguæ Latinæ loquitur hunc in modum: *Relatum eſt, quatuor fuiſſe apud noſtros linguarum proprietates, hoc eſt, Priſcam, Latinam, Romanam, & Mixtam.* Id quod ex Varronis item auctoritate Grammatici tradunt.

Anno ab Orbe condito 1550. vel 4448 vel teſte Solino 3233. ante mundi ſalutem 752.

Priſca eſt, qua vetuſtiſſimi Italiæ Populi ſub Jano, videlicèt, & Saturno Regibus, vel ab Urbe conditâ uſi ſunt: cujuſmodi carmina quædam incondita, parumque à noſtris intellecta adhuc ſuperſunt. Hæc autem ætas ad Livium uſque Andronicum primum inter Latinos ſcriptorem duraſſe dicitur, ut ab Horatio accepi dicente:

Horat. libr. 2. Epiſt. 1. Diomed. libr. 26. cap. vlt.

——— *Habet hos, numeratque Poetas*
Ad noſtrum tempus Livi ſcriptoris ab ævo.

Hic primus Comædias Latinâ linguâ conſcripſit, ut Diomedes ait. De ſcriptis Auctoris, quem multi in quintâ mundi ætate fuiſſe tradunt, Cato mentionem facit. Cato de orig.

Latina verò eſt, qua ſub Latino, & Regibus Tuſciæ ceteri quidem Populi in ipſo Latio loquebantur: qua Tabulæ decemvirales ſcriptæ ſunt, multæ leges, & publica quædam edicta. Hæc ætas à Livio Andronico incæpit, anno mundi 4968. ante Salvatoris noſtri adventum 231. ad Ciceronem uſque. Hac in ætate fuerunt multi ſcriptores, & præſertim Livius Andronicus, Ennius, & Cato. De Livio Andronico Cicero hunc ait in modum: *Fabulam docuit non ſatis dignam, quæ iterùm legeretur.* Cic. in Bruto. De Ennio autem, & Catone Horatius ait: Horat. in Arte Poet.

——— *Lingua Catonis, & Enni*
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit ———

De Ennio Ovidius; Ovid. de Triſt.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Virgilius de eodem interrogatus ait: *Aurum colligo e ſtercore Ennii.* Virg. apud Donat. Cicer in Bruto. Cicero de Catone: *Catonis orationes ſignificant formam quandam ingenii, ſed admodum impolitum, & penè rudem ſermonem.* De Carbone, Gracchis, & Cornelia Gracchorum Matre, & Lucio Cotta, ac de aliis mentionem item facit Cicero in Bruto. Ceteros hujus ætatis ſcriptores videre eſt in noſtro de Latina lingua libello.

Romana eſt, quæ poſt exactos Reges Romanos Populi geſta complexa fuit: nam & hanc ipſam inter Poetas M. Plautus, Nævius, Accius, Pacuvius, Terentius, Horatius, Virgilius, & alii maximè coluerunt. Ex Oratoribus autem, & Hiſtoricis M. Cato, Siſenna, Quadrigarius, Val. Antias, Cæſar, Salluſtius, M. Cicero, & alii permulti.

Mixta verò eſt, quæ aucto imperio, & libertate amiſsâ, varios Populos, ac Nationes in jura Civitatis admiſit. Hinc factum eſt, ut Romana virtus, ac loquendi forma, ſive integritas paſſim cum moribus degenerarit. Neque enim me latet, ut ſuprà jam diximus, Latinam quidèm doctrinam ex multiplici, varioque idiomate conſtare. Siquidèm, & Oſca, & Sabina vocabula à multis recepta ſunt, ut Punica, & Græca nunc omittamus: nam Q. Ennius Oſce loquutus eſt, & alii Hetruſcas fabulas expoſuerunt, ſicut Livius, & M. Cicero teſtantur. Hactenus de Latinâ linguâ.

Libyes circa Cyrenem Apoſtolos in die ſancto Pentecoſtes Hieroſolymis ſuâ dialecto variiſque linguis loquentes mirati ſunt.

LIGURICA LINGUA.

LIgures Hetruriæ pars ſunt, & ipſi Hetruſcâ linguâ, ut ratio docet, olim uſi ſunt: nam ſicut Padum à profunditate Hetruſci *Botigon* vocaverunt, ſic Ligures *Botigum*, ut Marcus Porcius Cato teſtatur. De hac linguâ in Italicâ ſatis dictum puto.

LITHUANICA LINGUA.

LIthuania olim ſuum ducem magnum habuit, nunc Regi Poloniæ ſubiicitur. Hujus regionis lingua quadripartita cenſetur. Prima eſt Jaczuingorum, qui circà Caſtrum Drohicin habitarunt, quorum pauci ſuperſunt. Altera Lithuanorum, & Samagitharum. Tertia Prutenica. Quarta in Lothua, ſeu Lothihola, ideſt Livonia, circà fluvium Dzuina & Rigam Civitatem. Horum autem quamvis eadem ſit lingua, unus tamen alium non ſatis intelligit, niſi iis in locis non fuerit commoratus. Hæc regio utitur etiam Polonico ſermone, quo ſacerdotes in Eccleſiis concionantur, ut Matthias à Michou teſtatur. Alii Lithuanos Illyricè loqui ajunt. Hæc de Lithuanicâ linguâ.

Matt. Mich.

LIVONICA LINGUA.

LIvonum, vel Livorum, & Lithuanorum, & Curorum lingua, eadem eſt, quæ vetus Pruſſia, dialectis tantùm variant. Vide in Britannica.

LYDICA LINCUA.

LYdi, ut Pryges, panem, *Beccus*, vel *becus*, vel Βέκος, vocabant, ut ait Svidas, & Herodotus in Thalia. De Phrygiarum literarum in Βεκκεβέλ inventore, atque Alphabeto, ſatis ſuo jam loco dictum fuit, ubi quænam ſit lingua homini naturalis, & quænam inter linguas antiquior, multis rationibus & exemplis declaratum eſt.

Suidas in B. Herod. lib. 3.

Lygorum ſermo Illyricus eſt.

MACEDONICA LINGUA.

MAcedonia, latiſſima Europæ Regio, duobus olim Regibus, ac terræ imperio clariſſima, cujus populi, ſed Mediterranei, Illyricè loquuntur, ſunt qui Macedoniæ incolas linguâ Græcâ, dialecto autem gloſſisque diſtincta, uſos olim fuiſſe velint: quod ex vetuſtis menſium apud ipſos nomenclaturis colligi poteſt: Menſes enim apud Macedonicos ex duodecim Zodiaci animalium nominibus appellantur, quæ ſunt:

Aquarius.	Piſcis.
Υδροχοὸς.	Ιχθῦς.
Januarius.	Februarius.
Aries.	Taurus.
Κριὸς.	Ταῦρος.
Martius.	Aprilis.
Gemini.	Cancer.
Δίδυμος.	Καρκίνος.
Majus.	Junius.
Leo.	Virgo.
Λέων.	Παρθένος.
Julius.	Auguſtus.
Libra.	Scorpio.
Ζυγὸς.	Σκορπίος.
September.	October.
Sagittarius.	Capricornus.
Τοξότης.	Αἰγόκερως.
November.	December.

Aqua, vel aër, ut ait Clemens Alexandrinus, apud eoſdem Populos Βάδυ nuncupatur.

Clem. Alex. Strom. Quinto.

MARSIGNICA LINGUA.

MArſigni, & Burii terga Marcomannorum, Quadorumque claudentes, ſermone, cultuque Svevos referunt, ut Cornelius Tacitus teſtatur.

Corn. Tacit.

Maxobii, aliàs Maxobitæ Illyricè loquuntur.

MEDORUM, ET MESOPOTAMORUM LINGUA.

MEdi, & Meſopotamiæ Incolæ Apoſtolos Domini Salvatoris noſtri Hieroſolymis variis linguis atque item ſuâ, Spiritus Sancti dono loquentes in die ſancto Pentecoſtes mirantur. Medi *canem*, *ſpaca* vocant, ut Herodotus ait: quod ſanè nomen ad Illyricum, *pos*, vel *pœs* accedit:

Herodotus.

Meiſi, vel Miſii Illyricè loquuntur.

Mengrelli item, ſed vide Gazari.

Moldavi, Moravi, & Morlaci Illyricè loquuntur.

Monæ Inſulæ duæ, quarum una eſt inter Britanniam, & Hiberniam ſita, ut Plinius, & Tacitus teſtantur: altera in Rheno fluvio Hollandiæ, Phryſiæ, & Ghueldriæ proxima, undè Monaſterienſes fortè dicti ſunt, ut idem Tacitus narrat. Has autem Inſulas ſub ditione Anglorum linguam ab aliis prorsùs diſtinctam habere accepi.

Plin. lib. 4. cap. 16. Tacit. lib. 14.

MOSCOVITARUM LINGUA.

MOſcovia Ruſſiæ, vel Rhutenorum caput ſuam per Scythiam longè latèque extendens ditionem, Sclavonicâ utitur linguâ, externis tamen linguis adeò confuſâ, vix ut Sclavus, & Moſcovita ſe invicem intelligant, ſicut Sigiſmundus Liber in rerum Moſcovitarum Commentariis teſtatur, ubi plurima hujus linguæ vocabula tùm propria, tùm aliena in medium affert: & ab initio operis eo Rhutenorum peculiari circà literas quaſdam pronunciatione nonnullas conſcribit obſervationes: Moſcovitica enim lingua eadem cum Ruſſica, vel Rhutenida & Sclavonica videtur eſſe, ut ipſe ait: nam Ruſſi, vel Rhuteni iidem qui Moſcovitæ ſunt. Antonius autem Wied Lithuanus Alphabetum, quo Moſcovitæ & Lithuani utuntur, Græco non diſſimile, ſed characteribus aliquot auctius, in Tabulâ Chorographicâ proponit.

Sigiſmundus Liber.

Antonius Vuied.

Myſii, vel Meſii Illyricè loquuntur.

Nugaroli Illyricè loquuntur.

Obodritæ Illyricè loquuntur.

OSCI-

OSCICA LINGUA.

Oſci, *Voloſci*, vel *Volſci* Italiæ populi antiqui in Campania ab oris fœditate ut cœteras hujuſce nominis etymologias omittam, dicti: undè impudica verba, ut ait Feſtus, *obſcœna* dicuntur: frequentiſſimus enim Oſcis fuit libidinum ſporcarum uſus. Q. Ennium Oſce loquutum fuiſſe Crinitus ait.

Feſtus Pompejus.

Petr. Crin.

Oſi Pannonicè loquuntur. Vide Gothini.

PAMPHILICA LINGUA.

Ptol. lib. 5.

Pamphilia, Ptolemæo teſte, minoris Aſiæ Regio eſt inter Ciliciam, & Syriam, ab Occaſu Lyciam, & Aſiæ-minoris partem, à Septemtrione Galatiam & Cappadociam, à Meridie Mediterraneum mare, quod illic Pamphylii maris nomen habet. Hujus Regionis Populi, Pamphylii, ſcilicèt, Apoſtolos Spiritus Sancti dono diverſis linguis, & ſuâ etiam Hieroſolymis in die ſancto Pentecoſtes loquentes ſummâ cum admiratione audierunt.

PANNONICA LINGUA.

Corn. Tac.

Pannoniæ pars Illirycè loquitur. Pannonicè item loquuntur Oſi, ut Cornelius Tacitus teſtatur. Sed ſuprà vide dictionem, Hungarica lingua.

PARTHICA LINGUA.

Parthia Aſiæ Regio, ab Occaſu Media, ab Aquilone Hyrcania, ab Ortu Ariana, à Meridie Carmaniæ deſertis terminatur: cujus incolæ Parthi, qui pertinaciſſimi olim nominis Romani hoſtes, qui Craſſum inſidiis circumventum cum univerſo exercitu ad internecionem ceciderunt, Apoſtolos JESU CHRISTI Salvatoris noſtri, virtute Spiritus Sancti vario idiomate, & ſuo item, Hieroſolymis loquentes in die ſancto Pentecoſtes admirati ſunt.

PELASGICA LINGUA.

Plin. lib. 4. cap. 4.

Pelaſgia, Græciæ Regio circà extremam Macedoniæ partem, versùs Achaja, olim Theſſalia dicta inter duo maria propter anguloſos receſſus: cujus incolæ errabundi ciconiarum ritu per multas nationes vagati ſunt: quanam verò linguâ Pelaſgi ſint uſi, affirmare non poſſum, ſed conjecturâ, ut ait Herodotus, dici poteſt, eandem fuiſſe cum eâ, qua nunc Pelaſgi utuntur qui ſuprà Tyrrenos urbem Creſtonem incolunt, quodam tempore finitimi eorum, qui nunc Dores vocantur: Dores autem incolebant regionem illam, quæ nunc Theſſaliotis nominatur, eodem Herodoto teſte, qui etiam Pelaſgicam Gentem barbaram eſſe, eamque ob cauſam magnos profectus haudquaquàm feciſſe idem Herodotus affirmat.

Herod. lib. 1.

PERSICA LINGUA.

Perſia Orientalis Regio à Septemtrione Medis terminatur, ab Occaſu Suſiana, ab ortu ſolis, duplici Carmania minoris Aſiæ Regione inter Perſiam & Indiam ſita, à Meridie parte ſinus Perſici. Hujus Regionis lingua ab Ægyptiacâ, & Judaieâ diverſa eſt, & cum Illyricâ, atque Armenicâ nihil commune habet, ut Bartholomæus Georgevitus docet, qui multa hujus linguæ vocabula, & locutiones in libello de afflictione Chriſtianorum ſub Turcis recenſet, eandemque Perſicam, ac Turcicam appellat. Ut autem de Perſicâ linguâ nonnihil notitiæ habeatur, hoc apponam loco de Turcico Imperio à Chriſti tandèm fidelibus evertendo Vaticinium, quod in ejuſdem Bartholomæi Georgevitæ libello inveni hac linguâ conſcriptum hiſce verbis Perſiacis, ac Latinis:

Ptolomæus lib. 5.

Bartholom. Georgeu.

Vaticinium de Turcico Imperio evertendo Perſicâ linguâ conſcriptum.

Patiſſah	*omos*
Imperator	noſter
ghelur	*Ciaſerum*
veniet	Ethnici principis
memleketi	*alur*
regnum	capiet,
kenzul almai	*alur*
rubrum pomum	capiet
kapzeiler,	*Jedi*
ſubiget,	quòd ſi
yladegh	*gyaur*
ad annum	uſque ſeptimum
Keleci	*cſikmaſſe*,
gladius, ſcilicèt, Chriſtianorum	non inſurrexerit,
on iki	*yladegh*
uſque ad	annum
onlarum	*beghli*
duodecimum	eis
gheder,	*euſi*
dominabitur,	domos
japar,	*haghi diker*
ædificabit,	vineas plantabit,
baſcſai	*baghlar*
hortos	ſæpiet,
oglikei	*olur iki*
liberos	procreabit.
yldenſſora	

Poſt duodecimum, ſcilicèt, annum, ex quo rubrum pomum in ejus poteſtatem redactum fuerit,

Hriſtianon	*kelecî*
Chriſtianorum	gladius
cſikar,	*ol*
apparebit,	qui
Turki	*ghereſſine*
Turcam	quaquaverſum
tuskure.	
fugabit.	

Vaticinium ſic ſe habet cum Georgeviti interpretatione, quam ego ad verbum Perſicis vocabulis accommodandam curavi. Qui plu-

plura vocabula hujus Perſicæ linguæ ſcire cupit, videat libellum Andreæ Bellunenſis, qui ea in Gloſſis Avicennæ copiosè interpretatur: multæ enim voces Perſicæ à variis Nationibus uſurpatæ reperiuntur, ut *Paraſanga*, *Schoenus*, & *Aſtarus*, menſurarum de terræ ſpatiis nomina. Perſica etiam à Græcis nonnullis adhibentur, ut Athenæus ait. *Suſon* lilium apud Perſas ſignificat, & Suſa Urbs nominata eſt propter loci pulchritudinem, & amœnitatem, ut idem Athenæus teſtatur. Magi dicuntur ſapientes linguâ Perſarum, ut ait Porphyrius. Hæc de Perſicâ linguâ.

Andr. Bellunenſis.

Athen. libr. 3. Ex Herod. lib. 9.

Porphyrius.

PHŒNICUM LINGUA.

PHœnicia, Aſiæ Regio, Syris, & Judæis contermina ſuam habet dialectum, cujus Alphabetum in tertiâ Columnâ paraſtaticâ videre eſt, ubi de Phœnicum literarum inventore, necnon de alijs rebus, ſcitu quidèm dignis ſermonem habuimus. Sunt qui Hebraicam & Phœniciam linguam eandem eſſe dicant, omnium antiquiſſimam. De hac linguâ vide in dictione Punica.

Steph. ex Strab. libr. 16.

PHRIGIACA LINGUA.

PHrigia minoris Aſiæ Regio, Cariæ, Lydiæ, Miſiæ, & Bithyniæ finitima, ſuam habet dialectum, cujus Alphabetum in tertiâ Columnâ paraſtaticâ videre licèt, ubi de Phrygiacis characteribus, eorumdemque inventore ſatis dictum puto. Eo loci de hujus linguæ antiquitate ſermonem habuimus deque infantibus, quos mulieribus lingua præciſis educandi gratiâ traditos ait Strabo, hiſtoriam enarravimus, & controverſiam explicavimus, num, ſcilicèt, aliqua homini lingua ſit naturalis. Qua in re declarandâ philoſophiæ rationes, & Ariſtotelis dicta in medium attulimus: & multa ſcitu quidèm digna interpretari ſtuduimus. Hoc autem loco addo quod Plato ait de hac voce, πῦρ, ideſt, ignis: quam barbaricam eſſe, Phrygiacam, videlicèt, in Cratylo affirmat. Idem ait de hac voce ὕδωρ, & κύνες, ideſt, *Canes*. Erinaceus Phrygum linguâ *Exis*, vel *Exin* dicitur: Aqua, *Bedy*: *Noticus*, *utris*. Plura vide in Æquivocis Xenophontis. Phryges Apoſtolos ſanctos variis linguis atque item ſuâ loquentes in die ſancto Pentecoſtes maximâ cum admiratione audierunt.

Strab. libr. 13.

Herodotus, Diodorus Sicul. Pauſan. Suid., & alii.

Plato in Cratylo.

Clem. Alex. Strom. 5.

Xenophon.

Placianorum lingua. Vide Pelaſgica. Eſt autem Plâcia Urbs Myſiæ.

Peſcovii, Polabi, Poloni, & Pomeriani Illyricè loquuntur.

PRUSSICA LINGUA VETUS.

HAnc linguam, vide in Britannicâ dictione, & in Lithuanorum linguâ: Pruſſiæ incolæ Pruteni dicuntur: & linguâ olim diversâ uſi ſunt: poſtquàm verò Teutonicorum fratrum jugum ſubiere, lingua Teutonica introducta eſt, & religio Chriſtiana fuit accepta Federici Imperatoris II. temporibus.

PUNICA LINGUA.

PŒni iidem qui Carthaginenſes, ita dicti quaſi *Phœni* à Phœnicibus originem trahentes. Hinc Punicus quaſi Pœnicus, œ in u, converſo. Punicè Deus dicitur *Hal*, ut Servius ait in Virgilium: Sepis *Gadir*, ut Plinius teſtatur. *Zegeries* genus murium, Græcè Βορυὸς, ut ex Herodoto colligitur. Valla autem hanc vocem, *colles*, transfert.

Raſcii, aliter Raſci, ſeu Bulgari Illyricè loquuntur.

Servius.

Plin. lib. 4. cap. 22.

Herod. libr. 4.

RHÆTICA LINGUA.

RHetia, Europæ Regio: quæ in duas dividitur partes, ſuperiorem, & inferiorem. Illa magnam Galliæ Ciſalpinæ partem occupat: cujus incolæ Griſones hodiè vocitantur. Hæc verò alteram Galliæ partem Comum uſque pertingens. Hujus Regionis incolæ ſermone Italico, omnium autem corruptiſſimo utuntur, ut in Oretione Dominicâ vernaculo Rhætorum conſcripta ſermone, quem ipſi vulgò Romanum appellant, vidi. Deus enim ab ipſis *Bab* nuncupatur: nam quod Latinè dicunt *Nos*, & Itali *Noi*, Rhæti ajunt *Nus*: quod verò Latini *Noſtra*, & Itali *Noſtri*, ipſi *Nos* dicunt. Horum ſermo eſt adeò corruptus, ut nihil ferè ab Italis tàm in pronunciando, quàm in ſcribendo intelligatur, quamvis eos à Thuſcis non à Romanis originem traxiſſe eruditi viri affirment. De hiſce populis Livius ſcribit, & Ægidius Tſcudus.

Liv. & Ægid.

Romana lingua. Vide ſuprà in Latinâ.

Rugi Illyricè loquuntur.

Ruthenorum lingua, vel Ruſſorum linguâ. Lege dictioni Moſcovitæ.

SABINORUM LINGUA VETUS.

SAbini Populi in quartâ Italiæ Regione non procul ab Urbe Româ anguſtum, ut ait Strabo, incolentes agrum in longitudinem protenſum a Tyberi uſque Nomentum, oppidum in Latio ſitum ſtadiis mille uſque ad Veſtinos, Mauricinis, & Picentibus conterminos. Romani a Sabinis prænomen acceperunt ex fœdere cum iis facto, ut Crinitus ait, & *Quirites* dicti ſunt ab haſta, quam Sabini, ut inquit Feſtus, *Curim*, ſive *Quirim* vocabant: vel a Curibus Sabinorum Urbe, cui T. Tatius imperabat, cujus cives Quirites dicebantur, teſte Livio. Hinc Quirinalis mons Romæ dictus, quòd in eum commigraverant Sabini a Curibus venientes: & Quirinalis porta, quòd eâ in collem itur Quirinalem. Vel *Mons Quirinalis* a Quirini, hoc eſt, Romuli templo, quod inibi extabat, appellatus eſt. Hodie Phidiæ, & Praxitelis operibus in hoc colle ſitis, *Mons Caballus*, a Sixto V. perpulchris ædificiis, viis, & aquis, necnon præclariſſimorum Artificum Statuis inſtauratis mirum in modum illuſtratus. Sabina vocabula, ut Crinitus teſtatur, a Latinis fuerunt recepta: ſed ii paulatim Latino ſermone uſi ſunt maternam linguam relinquentes.

Strabo.

Liv. lib. 2. Petr. Crinit. 3. 4.

Feſt. Pompejus.

Liv. lib. 1.

Petr. Crinit.

SA-

SAMARITANORUM LINGUA.

SAmaria, Urbs Syriæ inter Judæam,& Galilæam media, a qua tota Regio decem Tribuum a duabus aliis ſeparata, *Samaria* dicta eſt. Poſtea *Civitas* hæc *regalis* ab Auguſti nomine *Sebaſte* nuncupata fuit. Poſtremò autem *Sichem*, & corruptè *Sichar*, Metropolis ejuſdem Regionis Samariæ, quæ Hebraicâ utebatur linguâ, ſed characteribus propriis diſtincta, convenientibus tamen cum veteri Alphabeto communis Hebraici idiomatis, literarum, ſcilicèt, numero, ſono, & nominibus, figurâ differente, ut Sanctus Hieronymus ait, qui ad ſua ipſius tempora, Samaritanos antiquis Hebræorum literis uſos fuiſſe teſtatur in Commentariis ſuper Ezechielem: nam, ut idem alibi ait, *Certum eſt, Eſdram ſcribam, legiſque doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabel alias inveniſſe literas, quibus nunc utimur, cùm ad illud uſque tempus Samaritanorum, & Hebræorum characteres iidem fuerint.* Hæc Sanctus Hieronymus. Quamvis autem ejuſdem linguæ uſus tam apud Hebræos, quàm Samaritanos fuerit, Samaritanis tamen nonnullas voces peculiares fuiſſe credendum eſt, cùm ab Hebræorum cultu idolis ſervientes non parùm diſtarent: hinc ipſi in Urbe Sichem, omnes veteris Teſtamenti codices, Moſaicis exceptis, ſpreviſſe dicuntur. Hæc de Samaritanorum linguâ.

Gen. 35. Joan. 4.

S. Hieron. in præf. libr. Reg. tom. 3.

S. Hieron. in cap. 9. Ezech. tom. 4. Idem pag. 89.

Samogitæ Illyricè loquuntur.

Sarbi. Vide Sorabi.

SARDORUM LINGUA.

SArdinia in Liguſtico mari Inſula a Corſicæ extremis novem tantùm millium paſſuum freto dirimitur, cujus latitudo eſt millium paſſuum nonaginta octo, longitudo verò ducentorum viginti, aeris peſtilentiæ maximè obnoxia ob editiſſimos, quos a Septemtrione habet, montes, qui prohibent quo minus a Boreâ perflari queat. Quo nomine tam malè olim audivit, ut Marcus Cicero Quintum fratrem moneat, etiam tùm cùm optimè valeret, meminiſſe eum debere, in Sardinia ſe eſſe: & alibi Tigellium quendam Sardum hominem eſſe ait patriâ ſuâ peſtilentiorem. Eſt autem Sardinia frumenti fertiliſſima a Sardo Herculis filio dicta multas habens civitates, quarum omnium præclariſſima Calaris eſt, in qua Sancti Patris Auguſtini oſſa ducentis vigintitribus annis conquievere: deindè ab Aliprando Longobardorum Rege tranſlata ſunt Papiam, ubi nunc maximâ veneratione coluntur. Hac in Inſulâ coraliorum piſcatio eſt, nec lupi gignuntur, nec ſerpentes inveniuntur.

Salluſt. Strabo, & Solin.

Cic. ad Quint. fratrem.

Sardi olim propriam habuerunt Dialectum; ſed poſtquâ diverſi populi in eam migrarunt, & ab exteris principibus imperiũ ejuſdem Inſulę uſurpatum fuit, Latinis, videlicèt, Piſanis, Genuenſibus, Hiſpanis, & Afris, lingua eorum non parum corrupta eſt, relictis tamen vocabulis, quæ in quavis aliâ non reperiuntur. Multa Latini ſermonis vocabula retinentur ad hanc uſque diem quibuſdam in locis, & præſertim in Barbariæ montibus, ubi Romani Imperatores militum præſidiis potiebantur. Hinc factum eſt, ut Sardi propter Imperiorum varietatem diverſis in locis tam diversè loquantur: ita tamen ut ſeſe inter ſe rectè intelligant. Sunt autem duæ præcipuæ in eâ Inſulâ linguæ, una, qua in Civitatibus, & altera, qua extra Civitates utuntur: ſed oppidani loquuntur ferè Hiſpanicâ linguâ, Tarraconenſi, vel Catalanâ, quam didicerunt ab Hiſpanis, qui tamdiù Magiſtratum in eiſdem Ciuitatibus gerunt: alii verò genuinam retinent Sardorum linguam. Hæc de Sardorum linguâ.

Leg. 2. C. de off. præf. præ. Afric.

SARMATICA LINGUA.

SArmatia, Regio latiſſima multos diverſi cultus populos complectitur. Ut autem ceteros ſilentio prætermittam, ii, qui & Poloni appellantur, Illyricè loquuntur. Hujus regionis incolæ *Sarmatæ*, vel *Sauromatæ* dicuntur ab oculis lacertarum: Βαῦρος enim lacerta eſt, ὄμμα oculus. *Sarmatides* item, ac *Sarmatici* appellantur.

Scirii, ve Scyri, ideſt, Stirii, vel Stirenſes a Gothis oriundi. Vide Vandali.

Sclavi, vel potius Slavi Illyricè loquuntur.

SCOTICA LINGUA.

SCoti Britanniæ populi, quondam Anthropophagi, ut Sanctus ait Hieronymus, qui in Galliâ Scotos, Gentem Britannicam humanis veſci carnibus ſe vidiſſe teſtatur, ut etiam Sanctus Joannes Chryſoſtomus affirmat, & linguam omnibus ſibila eſſe ait. Hos Strabo balbutientes vocat, quos Romæ ſe vidiſſe inquit. Horum linguam communiorem ab Anglicâ parum differre, ſed pauciora Gallica habere admixta accepi. Hodie Silveſtres, & Inſulani moribus ab Hibernis, a quibus originem duxerunt, nec magnum inter illos eſt intervallum, haudquàquàm diſtare dicuntur: nam cum cælum eſt ſerenum, Hibernia in Scotiâ videri poteſt. Eſt præterea indiſcreta lingua eorum, indiſcreti mores, & veſtitus. Qui meliorem terræ incolunt partem, nempè Meridionalem, hi benè morati dicuntur, ac tanquàm humaniores, Anglicâ utuntur linguâ. De Scoticâ linguâ hactenùs.

S. Hieron. lib. 2. contra Jovin.

S. Jo: Chryſoſtom. in ſer. Pent. Strabo.

SCYTHICA LINGUA.

SCythia longè latèq; Septemtrionem verſus ad Oceanum per maximam Aſiæ, & aliquam etiam Europę partem ſeſe extendens, multas, diverſaſque linguas habet, ut ratio ipſa perſuadet. Germani interdùm, Armeni, Hungari, Tartari, & alii item Populi *Scythæ* dicuntur. Quarè nihil eſt quòd hac de linguâ plura dicam.

Servii. Vide, Sorabi.

Sleſii, vel Sileſii Illyricam habent linguam.

Sorabi, vel Sarbi, hodie Servii Illyricè loquuntur.

Svevi bellicosissimi Germaniæ populi.

Syrorum linguam vide in Chaldaicâ dictione.

TARTARICA LINGUA.

TArtari, sive potiùs Tatari, quorum imperium latissimè patet, Asiæ, & Scythiæ, necnon Europæ partem incolentes, multas fortasse habent linguas, & omninò diversas ob quamplurima eorum regna, ut Paulus Venetus, & Matthias a Michou testantur. Sunt qui Turcas a Tartaris ortum traxisse velint, ut ritus, victus, & vestitus, equitandi, ac bellandi usus, fraudes, perfidia, & innata barbaries, ac feritas docent, immo, & ipsa indicat lingua, quam Turcis, ac Tartaris eandem esse dicunt. Tartarorum nomen trecentis ab hinc annis, anteà penitus ignotum, hoc modo vocitari cœpit, cum prius *Getæ Gothini*, ut alii volunt, dicerentur. Ottomanus deindè se cum suis a Tarteris sejungens Turcarum nomen assumpsit: hinc Tartari hodie Turcas clientes suos esse ajunt, eosque ob sua ipsorum peccata elatos a Deo conqueruntur, cum anteà non solùm illorum fuerint subditi, sed rustici etiam; idque Turcarum nomine significari affirmant, ut iidem dicunt Scriptores, in quorum scriptis multa Tartarorum vocabula sparsim leguntur. Sunt denique, qui Georgianorum linguam Tartaricæ, & Armenicæ mediam esse velint: Tartaris autem, ac Turcis eam esse linguæ similitudinem, quæ Anglicæ, & Saxonicæ existimatur.

Paul. Ven. & Matth. Mich.

THRACICA LINGUA.

THracia, latissima Europæ Regio Macedoniæ ad occasum proxima, nec cælo, nec solo tractabilis, frigida prorsus, & infecunda, etsi mari propior, Getarum linguam habere dicitur, ut nonnulli volunt. Hujus incolæ *Thraces*, necnon *Mysi* vocitantur, ut Straboni placet.

Ptolomæus Plin. & Pompon.

Strab. lib. 7.

Transilvani, qui & Daces, Scythiæ Europæ populi Illyricè loquuntur.

Thessalici Græciæ populi ad Doricam linguam accedunt.

Troglodytæ Æthiopes, instar vespertilionum in loquendo strident, ut Herodotus ait.

Troglodytæ in Africâ alitèr loquuntur.

TURCICA LINGUA.

TUrcarum lingua, ut diximus in Tartarica, vel est eadem cum Tartaricâ, vel parùm ab eâ distat, vel Tartaris, ac Turcis ea est linguæ similitudo, quæ Anglicæ, & Saxonicæ esse censetur. Sunt qui Turcicam cum Persicâ, alii cum Armenicâ eandem esse, vel parùm ab iis differre velint. Turcica verò, & Arabica, etsi diversæ omnino sunt, eas tamen characteribus eadem esse nonnulli tradunt.

VALACHICA LINGUA.

VAlachia latissima Regio est à Transilvania incipiens, cui sermo ad hanc usque diem Romanus est, ut Æneas Silvius testatur, cum à Flacco Romano subacta Romanorum Colonia fuerit effecta: hinc *Flaccia* nuncupata, sed longo temporis tractu, ut passim evenire solet, corrupta voce, *Valachia* dicta, est. Sermo autem Romanus adeò mutatus est, vix ut ab homine Italico intelligi queat.

VANDALICA LINGUA.

VAndali in Thracia Populi Sclavonicâ linguâ utuntur, e quibus, ut ajunt, multæ maximæque Gentes divisæ sunt, Poloni, scilicet, Bohemi, Sclavonii, Croatii, Vandali ad Germaniæ Marchiam pertinentes. Horum, scilicet, Vandalorum linguâ Turcarum aulici frequenter uti solent.

VASCONICA LINGUA.

VAscones, Populi citerioris Hispaniæ, quæ in Gallicum, & Brittanicum Oceanum vergit, ad Pyrenæum positi, propriâ loquuntur linguâ: olim autem Cantabri, Tarraconensis Provinciæ Gentes, nunc vulgari sermone *Biscaini* vel *Biscaglini* dicuntur, quorum lingua adeo est ab Hispanica diversa, ut non facile quis ab aliis Hispanis intelligatur.

Zadravani, & Zagovani Illyricè loquuntur.

ZINGARORUM LINGUA.

ZIngari, vel potiùs Zigari, errones quidam, & insignes sanè nostrâ ætate fures cum liberis, & uxoribus Europam pervagantes, à Zigaro, quòd eam ferunt esse Terram, ex qua Zingari exierunt, dicti. Hujus generis homines excocti sole, vestibus immundi, & usu rerum fœdi, furtis omninò intenti, & præsertim feminæ, ex quarum furtis victus est viris, anno post Christi Salvatoris nostri adventum 1417. primùm in Europâ apparere cœperunt, ut Æneas Silvius testatur. Quamvis autem hujusmodi hominum colluvies omnium ferè Europæ linguis utatur, quandam tamen sibi propriam linguam, vocabulis fictitiis inventis, excogitavit: eâque persæpè utitur, ut ab aliis non intelligatur. Hujus confictæ linguæ Dictionarium typis mandatum me non semel vidisse memini. Vidi etiam, & legi non rarò jam indè à puero Vocabularium aliud impressum, confictæ item linguæ à mendicis quibusdam, & erronibus inventum, & usurpatum, quod *Zergum*, quasi Zigarorum, aut Zingarorum Dictionarium vocitabant. Hi autem *Onomatotheræ* dici possunt, eorum instar, qui apud Græcos, ut ait Cælius Rhodiginus, nova sibi consarcinantes vocabula, rerum intuiti proprietatem, nominum venatores dicti sunt, cujusmodi Dionysius, Alexar-

Zingarorum descriptio, & in Europa apparitio.

Cæl. Rhod. lib. 24. cap. 5. tom. 3.

Athen. libr. 3. Dipnosophistarum & lib. 14.

xarchus, & Atticus Herodes, Athenæo teste, fuisse videntur.

Hæc de Dialectis, hoc est de diversarum linguarum generibus: alias enim linguas, quæ sunt in remotissimis Imperii Tartarici, & Orbis novi terris, videre est apud Josaphat Barbarum, Paulum Venetum, Americum Vespucium, Aloysium Cadamustum, Gelenium, Ægidium Tscudum, Theseum Ambrosium, & Sigismundum liberum, quibus hac in Appendice majori ex parte usi sumus. Nunc reliquum est, ut præcipuorum quorundam Idiomatum Orationem præsertim Dominicam infrà apponamus, curiosis item hominibus satis quidem facientes.

DE ORATIONE DOMINICA VARIIS LINGUIS,

Et Characteribus conscripta.

QUoniam de variis linguarum generibus sermonem habuimus, à ratione alienum fore visum mihi non est, si Dominicam Orationem, qua nihil in orando præstantius, aut efficacius esse potest, variis item linguis, & characteribus expressam in hac de Dialectis Appendice apponam: hac enim occasione majorem quis de linguis aliquot notitiam adipiscetur, orationemque ipsam variis modis celebratam conspiciet. Ordine autem Alphabetico posthabito, precationem Dominicam Hebraico idiomate, tanquàm antiquiori, conscriptam, & ex sacrosancto Beati Matthæi Evangelio desumptam primo loco apponendam existimavi: Beatus enim Matthæus Hebraicâ linguâ scripsit Evangelium, quod Hebraicè exaratum per omnia non videtur congruere Syriaco, vel Hebraico, quo S. Hieronymus usus est, ut patet ex verbo *Panem nostrum quotidianum*, pro quo Beatus Hieronymus legit: *Crastinum*, sicut ejus Commentaria in Matthæum testantur. Quamvis enim in Textu verterit, *Supersubstantialem*, prout jacet in Vulgatâ Editione ex voce Græca, ἐπιούσιον, in Commentariis tamen ait se reperisse Hebraicum, מָחָר *Machar*, hoc est *Crastinum*, sicut etiam Cornelius Jansenius rectè docet. Variæ sunt item aliæ perpaucæ dictiones in hac Oratione Dominicâ juxtà varias ex Hebraico, & Græco translatione, ut videre est in Matthæo, & Lucâ, sicut ex Vulgatâ Editione constat: sensus autem est unus, & idem, ut in nostrâ in hanc Orationem explanatione satis probatum est. Apponam igitur hoc loco Orationem Dominicam Hebraicâ lingua, Hebraicisque literis expressam, necnon ejusdem linguæ pronunciationem literis Latinis descriptam, iisdemque Latinis characteribus, Latinâque linguâ ex Hebraico sermone translationem. Orationem verò Dominicam juxtà Vulgatam Editionem, & usum orandi frequentem ab Ecclesiâ Sanctâ receptum, post Orationem Græcè conscriptam, ponemus, ut trium præsertim linguarum, quæ inter omnes primariæ sunt, ordinem dignitatis sequamur.

S. Hieron. in cap. 6. Matth. to. 6.

Corn. Jansen. in c. 6. Matth.

Matt. 6. Luc. 11.

Oratio Dominica ex Evangelio B. Matthæi Hebraicè conscripta.

אֲבִינוּ שֶׁבַּשָּׁמַיִם יִתְקַדַּשׁ שִׁמְךָ: יָבוֹא מַלְכוּתָךְ:
יֵעָשֶׂה רְצוֹנְךָ כְּבַשָּׁמַיִם גַּם בָּאָרֶץ: לַחְמֵנוּ תְמִדִי
תֵּן לָנוּ הַיּוֹם: וּסְלַח לָנוּ חוֹבֹתֵינוּ כַּאֲשֶׁר אֲנַחְנוּ
סוֹלְחִים לְבַעֲלֵי חוֹבֹתֵינוּ: וְאַל תְּבִיאֵנוּ בְּנִסָּיוֹן:
אֶלָּא חַצְּלֵנוּ מֵרָע: אָמֵן:

Oratio Hebraica characteribus Latinis expressa.

AVinu sciebasciamaim itcadasc scimcha Javo Malchutach Jeghasc rezonach che basciamaim gam baarez lachmenu temidi ten lanu hajom uslach lanu chovotenu, caascier anachnu solechim lebaghale chovotenu veal tevienu benisajon hella hazilenu meragh. Amen.

Dominica Oratio ex Hebraico Textu Latinis characteribus, Latinâque linguâ conscripta.

PAter noster, qui in Cœlis, sanctificetur nomen tuum: Veniat Regnum tuum: Fiat voluntas tua sicut in Cœlis, & in Terrâ. Panem nostrum continuum, *vel perpetuum* da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, quemadmodum nos remittimus debitoribus nostris. Et ne facias nos venire in tentationem, sed libera nos à malo. Amen.

Oratio Dominica sermone, & characteribus Græcis.

Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σε. ἐλθέτω ἡ βασιλεία σε. γενηθήτω τὸ θέλημά σε ὡς ἐν οὐρανῷ ☪ ἐπὶ τῆς γῆς. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον ☪ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφλήματα ἡμῶν, ὡς ☪ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν. ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Αμήν.

Eadem Latinis characteribus.

PA'ter himôn, ho en tîs uranîs, hagiasthîto tò ónomá su. elthéto hi basilía su. genithîto tò thélimá su hòs en uranô kæ' epi tîs gîs. tòn árton himôn tòn epiúsion dòs himîn símeron. kæ' áphes himîn tà ophilímata himôn, hòs kæ' himîs aphíemen tîs ophilétæs himôn. kæ' mi isenénkis himâs is pirasmòn. allà rhysæ himâs apò tû ponirû. Amín.

Do-

Dominica Oratio Latinè conſcripta.

PAter noſter, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terrâ. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

Quam ſuprà e Græco translatam apposui Orationem, dictione, ἐπιούσιον. excepta, quæ *ſuperſubſtantialem* ſonat, ex B. Matthæi Evangelio Vulgatę Editionis deſumpſi, eâdem voce, *Superſubſtantialem*, poſthabitâ, in cujus locum ex S. Lucæ Evangelio vox illa, *Quotidianum*, ſuffecta eſt juxtà formam in orando ab Eccleſiâ ſanctâ receptam. Quoniam autem Græca ab Hebraicâ linguâ ortum habet, & ab utriſque Latina, cujus propagines ſunt Italica, Hiſpanica, & Gallica, quarum prima propius, ſecunda minus, tertia verò multo minus ad Latinam linguam accedit; hinc eundem dignitatis ordinem, quem in iis tribus primariis linguis ſecuti ſumus, hiſce in tribus ſequemur.

Dominica Oratio Italicè conſcripta.

PAdre noſtro, che ſei ne' Cieli, ſia ſanctificato il nome tuo: Venga il regno tuo: Sia fatta la tua volontà così nella terra, come nel Cielo. Dacci hoggi il noſtro pane cotidiano. Rimettici i noſtri debiti, ſiccome noi li rimettiamo a' noſtri debitori. Non ci indurre in tentatione. Ma liberaci dal male. Amen.

Dominica Oratio Hiſpanicè expreſſa.

PAdre nueſtro que eſtas en los cielos, ſanctificado ſea el tu nombre. Venga a nos el tu reyno. Hagaſe tu voluntad aſſi en la tierra, como e nel Cielo. El pan nueſtro de cada dia da nos lo oy. Y perdona nos nueſtras deudas, aſſi como nos otros perdonamos a nueſtros deudores. Y no nos dexes caër en la tentacion: mas libra nos de mal. Amen.

Dominica Oratio Gallicâ linguâ politiori.

NOſtre Pere qui es es cieulx, ton nom ſoit ſanctifie. Ton royaume nous adviene: Ta volonté ſoit faicte ainſi en la terre comme au ciel. Donne nous auiourdhuy noſtre pain quotidien. Et nous pardonne noz offenſes, comme nous a ceux qui nous ont offensè. Et nè nous induy point en tentation: Mais deliure nous du mal. Amen, vel *Ainſy ſoit il.*

Oratio Dominica Gallicè conſcripta declaratur.

De Gallicæ linguæ pronunciatione nonnihil hoc loco ob occaſionem ſeſe offerentem dicendum eſt. Galli enim frequenter literam, s, pronunciare non ſolent, etiamſi eâ in ſcribendo utantur, præſertim in iis locis, in quibus admitti debet, ut videre eſt in primâ Dominicæ Orationis voce, quæ eſt, *Noſtre* Latinæ dictioni proxima, *Noſter*, literâ r, tranſpoſitâ: nam pronunciant, *Notre*, non *Noſtre*, ut ſcribunt. Eandem hanc literam ſ, in fine dictionis non pronunciant, cum ſequitur conſonans, quando autem ſequitur vocalis, non item: tunc enim pronunciant, ut in hac geminâ voce *es*, *es*, cernere licet: nam in primâ tantum, literâ, s, pronunciatur propter vocalem ſequentem. Dicitur item *les pechez* pro eo quod Latinè dicitur *Peccata*, & Italicè, *li peccati*: ſed in hac voce, *Les*, abiicitur s, conſonante ſequenti, ſed *le*, pronunciatur: vocali autem ſequenti, ut *les offenſes*, pronunciatur *les*, non *le*. Hoc item obſervatur in litera z, quæ plerunque pro s, ponitur, ut *Noz* pro *Noſtre*. Solent etiam ſcribere e pro litera a, ut *Pere*, pro *Pare*, & *Mere*, pro *Mare*, juxtà pronunciationem Venetorum, qui vernaculâ linguâ ſcribunt, & pronunciant *Pare*, & *Mare*, pro *Patre*, & *Matre*. Scribunt item e, & pronunciant a, ut *offenſes*, Italicè *offeſe*, *encre*, pro eo, quod Latinè dicitur *atramentum*, & Italicè *inchioſtro*: pronunciant enim *offanſes*, & *ancre*. Utuntur non rarò diphtongis Græcis, quæ ſunt au, eu, oi, ou, oy, & ei, ſed non pronunciant omninò, ut Græci ſolent, his diphtongis exceptis, eu, & ou pro u, dicunt enim *Nus*, & ſcribunt *Nous*, pro *Nos*: in ceteris verò diphtongis pronunciationem a Græcâ diverſam habent. Pronomina in hac linguâ nominibus præponuntur, ſicut in multis aliis evenire ſolet, ut infrà videre eſt: dicunt enim *Noſtre Pere*, non *Pere Noſtre*. Solent in fine Orationis Dominicæ hac voce, *Amen*, prætermiſsâ, uti his vocibus: *Ainſy ſoit il*, ideſt, *Ita fiat*, vel *Ita factum ſit*.

Oratio Syr. vel Chald. ex B. Lucæ Evang. conſcripta. Prout jacet, ut ajunt, in Chald. lingua ex B. Luca deſumpta.



Eadem

Eadem Chald. verbis, sed literis Latinis.

ABun d baſchmajo nethqadaſch ſchmoch thithe malchuthoch. Nehue tzeuionoch ach d baſchmaio aph baaroo hab lanlahhmo d ſun qonan cul ium vaſchbuq lan hhathan aph hhnan glier ſchbaqn lecul d hha iobin lan v lo thaaelan lenaſiuno elo phruqan men biſchio.

Eadem Lat. verbis, & charact. Sed non juxta editionem Vulgatam B. Lucæ.

PAter noſter qui es in cælis ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo etiam interra. Da nobis panem neceſſitatis noſtræ, *vel neceſſarium nobis* quotidie. Et dimitte nobis peccata noſtra. Nam & nos dimittimus omnibus qui debent nobis. Neque introducas nos in tentatiouem. Sed libera nos a malo.

Oratio Arabicis verbis, & literis conſcripta.

ابانا الذى فى السموات يتقدس اسمك تاتي ملكوتك

تكون مشيتك كما فى السما كذلك على الارض

خبزنا كفافنا فى اليوم واغفر لنا خطايانا لاننا

نغفر لمن لنا عليه ولاتدخلنا التجارب لكن

نجنا من الشرير

Eadem Arabicis verbis, ſed Latinis literis.

ABana lladi phiſſamauati it cades eſmoca tati mala cutoca tacuno maſcitocachoma phiſſamai chedhaleca ghlallardi chobzana chephaphona agtona phil i aumi aghpliar lena chataiana loennana naghphar leman lena galaihi vua la tadcholnal' tagarabi lachennagna min ſſciarriri.

Eadem Latinis verbis, & charactteribus.

PAter noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnumtuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo ita ſuper terram. Panem noſtrum ſufficientiæ noſtræ da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata noſtra, nam & nos dimittimus unicuique debitori noſtro, Et ne nos inducas intentationem. Sed libera nos a malo.

Dominica Oratio Armenicè conſcripta.

Հայր մեր որ յերկինս ես սուրբ եղիցի անուն քո. եկեսցէ արքայ ութիւն քո եղիցին կամք քո որպէս յերկինս և ի երկրի. զհաց մեր հանապաշխարհ տուր մեզ այսաւր և թող մեզ զպարտս մեր որպէս և մեք թողումք մերոց պարտապանաց և մի տանիր զմեզ ի փորձութիւն այլ փարկեայ զմեզ ի չարէ զի քո է արքայութիւն և փառք յաւիտեանս. ԱՂՄԷՆ.

Eadem Armenicis ſed Latinis literis.

HAir mer or iercins, des Surb eglizzi anun cho: eceſzzę archaiutai cho eglizzin cham cho orpęs iercins, eu iercri. Zhazt mer hanapazord tur mez aiſaur eu thogl mez zpaartis mer orpæs eu mech thoglumch merozt partpanazt eu mi tanir zmez i phorxuthai ail pharceai zmez i zaræ. Zi cho æ archaiuthai eu zauruthai eu pharhch iauiteans. Amen.

Oratio Aramæa Latinis literis conſcripta.

EYn taad rhuun vuyt yn y nefoedd, ſanteiddier yr henuu tau Deued y dyrnas dau. Guu neler dyuuollys, ar y ddayar megis ag yn y nifi. Eyn bara beunyddauul dyro inni heddiuu. A maddeu ynny eyn deledion: megis ag i maddeuvun in deleduuyr ninau. Ag na thouuys ni i brofedigaeth. namyn guuared ni rhag druug. Amen. Hoc eſt.

Eadem Latinis verbis, & literis.

NOſter Pater qui es in ipſis cælis, ſanctificetur illud nomen tuum: Adveniat illud regnum tuum, fiat tua voluntas ſuper illam terram ſicut, & in illo cælo, noſtrum panem quotidianum da nobis hodie, & remitte nobis noſtra debita ſicut etiam remittimus debitoribus noſtris. Et ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos a malo. Amen.

Oratio in lingua Germanica communi.

UNſer Vatter der du biſt im himmel. Geheiligt vuerde dein nahme. Zu khomme vns dein reich. Dein vuille geſchehe gleich vuie im himmel alſo auch auff erden. Vnſere taglichs brott gib vns heutte. Vndt vergieb vns vnſere ſchuldt, als vuir vergieben vnſeren ſchuldern. Vndt liete vns nicht in verſuchungh. Sonder erette vns von dem boſen. Amen.

Hæc lingua ſolet adjectiva, & pronomina præſertim demonſtrativa nominibus præponere, ſi nihil intercedat. Hinc oratio a voce, Vnſer, *ideſt,* Noſter, *non a* Vatter, *ideſt,* Pater, *ini-*

initium ſumit : & ab Helvetica non multum diſcrepare videtur : nonnullaſque voces Latinas parum detortas retinere judicatur, ut Vatter, *pro* Pater, & Namo, *vel* Namen *Helvetice pro* Nomen : *& id genus aliæ voces non paucæ.*

Oratio Germanicè in Helvetiis conſcripta.

FAter ijnſer, du in hijnele biſt, din namo vuerde geheiligot. din riche chome. din vuillo geſrehe in erdo alſo in himela. Vnſer tagolicha brott tib vns hinto. vnde vnſere ſculde belaz ijns, als auch vuir belaſend vnſeren ſculdigen. Vnd in chorunga nit leiteſt du vnſich. Nun beloſe vnſich ſone vbele. Amen.

Sunt qui dicant Fater, *alii* Vater *pro* Pater.

Oratio ſermone Bohemico, qui præ cæteris hujus linguæ dialectis cultior exiſtimatur, & Scoticæ reſpondet.

OTozie naſs, genz ſy na nebeſich. Oſzuuiet ſe meno tuue. Przid kralo vuſtuuij tuue. Bud vule tuua yakona nebi, tak y na zemi. Chleb naſz vuezdeyſſi dey nam dnes. Y odpuſt nam naſſe vuiny, yako y my odpausſtime naſſim vuinikom. Y ne uvuod naſz do pokuſſenii. Alc zbauu nas od zleho. Amen.

Oratio Dominica Helveticè conſcripta.

VAtter unſer der du biſt im himmel. Geheliget vuerde din namen. Zu chom vns din rich, din vuill der uerde vol bracht vff erden vie im himmel. Vnſer teglich brott gib vns hiit. Vnd vergib vns vnſre ſchuldt, als vuir vergebent vnſren ſchuldneren. Vnd fur vns nit in verſuchnus. Sonder erlos vns vor allem vbel. Amen.

Dominica Oratio Hungaricè conſcripta.

MIattiiank ki vagij mennie gben, zenteltesſek az the neued, Ioion the orzagod legien the akaratod, mikepen menijben, azonkepen it az foldon, mi kenierеonket minden napit aggiad mi nekeonkma, es boczaſd megh mi nekeonk az mi vetkeijnket, mikepen mi es megh boczatunk az mi elleneonk vetetteknek, es ne vigij minket az keſertetben, de zabadicz minket, minden gono ztul. Amen.

Oratio Dominica Anglicè conſcripta.

OVr Fater vuhiche arte in heauen. Haloued be thy name. Thy kyngdome come. Thy vuyll be done in earthe, as it is heauen. Giue vs lhys day our dayby bread. And forgeue vs oure treſpaſſes, as vue forgeue oure treſpaſſers. And leade vs not in to temptacion. But delyuer vs from euyll. So be it.

Hæc lingua multas voces tum Germanicas, tum Saxonicas habet detortas : & pronomen nominibus ſolet præponere. Anglici item dicunt, So be it, pro Amen, ideſt, ita fiat. Hinc eandem Orationem Latinâ linguâ reddere nobis viſum eſt.

NOſter Pater qui es in cælis. Sanctificetur tuum nomen. Tuum regnum adveniat. Tua voluntas fiat in terra ſicut in cælo. Da nobis hodie noſtrum quotidianum panem. Et dimitte nobis noſtra debita, ſicut & nos dimittimus noſtris debitoribus. Et ne inducas nos in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen. vel Ita fiat.

Oratio Islandicè conſcripta, quæ Gothicæ reſpondet.

BAder vor, ſun ert ai himmum, helgizt bitt namb ti. Tomi titt rite. Verdi tinn vile, ſuoms ai himme, ſo ai podu. Burd vort daglgr geb tu oſz i dag. Og bergeb oſz ſtulden vorn, ſuo ſem vi bergebun ſtulldun vorn. Ant leid oſz e ti breiſt ni, Helldur brelſa tu oſz ber illu. Tatz ſie.

Hæc lingua in pronunciatione eſt Anglicæ adſimilis, quia Anglica ortum habuit a Saxonica, vel Teutonica : differt autem, quia hæc nominibus pronomina non præponit ſicut illa.

Oratio Dominica vernaculo Rhetorum ſermone conſcripta, quem vulgò Romanum appellant.

BAb nos, quęl tii iſt in eſchil, ſantifichio ſaia ilg tes num. Ilg tes ariginam vigna ter nus. La thia voeglia vainta in terra, ſco la ſo in eſchil. Do a nus nos paun houtz, & in miinchia di. Parduna a nus nos dbits, ſco nus fain a nos dbitaduos. Nun ens mener in mel aprouamaint. Dimperſemaing ſpendra nus da tuots mels. Amen.

Oratio Dominica Hibernicè conſcripta.

AIr nathir ataigh air nin. Nabzfar hanimh. Tigiuh da riatiathe. Deantur da hoil amhuoil air nimh agis air talamh'. Air naran laidhthuil tabhair dhuin a niomh, agis math duin dair fhiacha ammnil agis mathumuid dar feuthunuim, agis na trilaic aſtoch ſin anauſeu, ac ſar ſin o ole. Amen.

Hæc lingua Hibernica eſt antiquiſſima, & ita nobilis, ut numquàm paſſa ſit alterius exteri idiomatis mixtionem, & valdè copioſa in dicendi modis exiſtimatur, Hebraicæ linguæ tùm characteribus, tùm pronunciatione, & punctis aliquâ ex parte reſpondet.

Oratio Dominica Luſitanica conſcripta.

PAdre noſſo que ſtas nos ceos. Santificado ſeia o teu nome venha a nos a teu reino. Seia ferta a tua vontade, aſſi nos ceos come na terra. O pao noſſo de cadadia, dano

lo oie nesto dia. E perdoa nos señor as nossas diuidas, assi como nos perdoamos aos nossos diuidores. E nao nos dexes cahir in tentâcao. Mas libra nos do mal. Amen.

Oratio Dominica in lingua Flandrica: quæ parùm differt ab illa qua Brabanti, Holandi, Zelandi, Frisii, & alii inferioris Germaniæ utuntur.

ONse (*oder uuse*) vader die ghy syt in den hemel, gheheelicht vuerdet dyn (*oder uuuue*) name. toe tomme üüs dyn rycle dyn vuille geschie vp erde, ghelycl in den hemel. üüser daghelicls brood gheff üüs heden. ende vergheft üüs üüse schülden, ghelycl vuy vergheuen üüse sculdenaren. ende leet (*oder brinclt*) üüs niet in becooringhe. maer verlost üüs van den quaden (*oder boosen.*) Amen.

Eadem Illyricè, vel Sclavonicè.

ѡчє нашь, кн' ѥсы на' небесѣхъ. сьвѣтисѐ и'мє твоѥ. пьри'ды цесарство̄ твоѥ. боу'ды волѧ твоѧ, како̄ на' небоу', тако и' на' земли'. хьлѣбь нашь вс акдани' дан'намь данасъ. и' ѿ поу'сти' намь доу'гѐ нашѐ, како̄, и' мнї ѡ'д поу'щамо' доу'ж ни'комъ нашимъ. и' нѐ оу'веди' нась кьнапастъ. да' и'звакы нась ѿ непнїа'зны. Аминъ.

Eadem Latinis literis.

OCce nas, kij iesi nà nebesieh, svetise ime tvoje. Prighi kraglevstvo tvoje. Budi voglia tuoja, kako nà nebu, tako i nà semgli. Kruh nasc sv akdani dajnamga danas. i od pusti nam dughe nasce, kako i mi od pusctujemo duxnikom nasciem. i nè uvedi nas ù napast, da oslobodi uas od sla. Amen.

Eadem Polonicè.

OCziecz nasch ktory iestosz vunyebye. Svuyecz sie gymye tvua. Przydzy tvua kroliestvuo. Bandz vuolya tvua, yako vunyebi, y na zemij. Chlieb nasch povu schedny day nam dzy say. A odpuscz nam uyny nascha, yako y my odpusczamy vuynovua ytzom naschym. Nyevuodz nasz napokuschenye. Alye zbavu nasz od zlego. Amen.

Oratio Sardorum oppidanorum linguâ.

PAdre nostru qui istas in sos quelos, siat sanctificadu su nomen teu. Vengat a nois su regnu tou, siat fatta sa voluntade tua, gasi in terra, comente in Quelu, su pane nostru de dognia die da nos hoc, & perdona nos sos deppitos nostros, comente noisateros perdonamus a sos deppidotores nostros, & no nos lasses ruen in sa tentatione, mas libra nos de male. Amen.

Eadem ex communiori lingua, extrà Civitates.

BAbbu nostru qui ses in sos quelos, santifficadu siat su nomine tuo. Aduengiat su rennu tou, siat fatta sa voluntade tua, comente in su quelu gasi in sa terra, Su pane nostru de ogni die da nos lu hoe, & perdona nos sos deppidos nostros, gasi comente noij perdonamus sas deppidores nostros, & non nos lasses ruer in sa tentassione, mas libera nos de male. Gasi siat.

Oratio verbis Siniacis, vel Chiniacis, sed characteribus Latinis conscripta.

SCi gin ta fu ciu zai tien tin. Ngo iuon ta fu min ie hhien iam ngo iuon su gin ciuon scieu cui chiai ye giu tien gin suō zum ta fu ngo iuon ta fu fo in chu ngo. Ngo iuon ta fu ssi ngo yi ciè ngo iuon ta fu cio ngo ci zui gin gio hai ngo ngo ie ciè ci. Ngo iuon ta fu ieu ngo guei scien pu mi zui hoh. Ngo iuon ta fu chien ngo cu nan. Amin.

Hæc de variis linguarum generibus, quibus Dominicam Orationem conscribendam curavi non solùm multorum Virorum varias linguas callentium ope, quos suprà recensui, verùm etiam Bartholomęo Georgeuita, Henrico Glareano, Marino Temperizza, Jo: Baptista Raymundo, Michaele Rugerio e Societate Jesu Neapolitano, & Michaele Gualtero Hiberno Sac. Theol. Doct. adjutus, necnon a singulo quoque, quoad potui, illius linguæ, in qua natus ipse est, ut diligentia in qualibet dialecto præstita videatur, eas accepi. Nunc reliquum est ut ad varium scribendi usum, & ad Bibliothecas, ac Typographias accedamus.

APPEN-

APPENDIX
DE VARIO SCRIBENDI USU,
NECNON
DE BIBLIOTHECARUM
INSTITUTIONE,
AC TYPOGRAPHIIS

Pro scientiarum monimentis, historiisque tradendis, & conservandis.

ANTEQUAM ad perpolitum scribendi modum & ingeniosè excogitatum, quem hodie in usu frequenti esse videmus, perveniretur, varium apud homines, diversis tamen ætatibus, scribendi usum extitisse invenio.

Josephus lib. 1. Antiqu. Genebr. lib. 1. Chron. 235.

Filii Seth, & Adam nepotes, hac in re primum in quodam scribendi genere locum occuparunt: Ipsi enim anno Mundi 235. ut Josephus testatur, in duabus scripserunt Columnis, quarum una lateritia erat, altera ænea, sive marmorea: illa contrà ignis conflagrationes, hæc contrà aquæ alluviones ut monimenta ipsa diutiùs conservarentur. Hinc Josephus ad suam usque ætatem columnam illam marmoream in Syriâ durasse affirmat, ut alibi me dixisse memini: nam nullum aliud scribendi genus ante diluvium extitisse constat. Post autem universale diluvium, atque ante hodiernum chartarum usum, palmarum foljis scriptitatum esse, Plinius affirmat, dicens: *Priùs tamen quàm digrediamur ab Ægypto de papyri naturâ dicetur, cum chartæ usu maximè humanitas vitæ constet, & memoria. Et hanc in Alexandri Magni victoriâ repertam, auctor est Marcus Varro, condita in Ægypto Alexandriâ, ante non fuisse chartarum usum, sed in palmarum foliis primò scriptitatum: deindè quarundam arborum libris. Postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris. Pugillarium enim usum etiam ante Trojana tempora invenimus apud Homerum.* Et infrà: *Mox æmulatione circà Bibliothecas Regum, Ptolemæi & Eumenis, supprimente chartas Ptolemæo, idem Varro membranas Pergami tradidit repertas.* Hæc Plinius, qui hisce verbis mentionem faciens de variis scribendi generibus, ait *primò scriptitatum fuisse in palmarum foliis*, ut Virgilius præseferre videtur in sexto libro Æneidos, dicens:

Plin. lib. 13. cap. 11.

Eumen. Pergami Rex Ptol. Ægypti.

——— *Foliis tantùm ne carmina manda,*

Ex hujusmodi scribendi usu ad hanc usque diem nomen chartæ remansit: charta enim *folium* nuncupatur. Deindè quarundam arborum libris, hoc est corticibus ligno adhærentibus scribi cœpit. Hinc volumen, in quo scribimus, *liber* appellatus est, atque item *codex*, qui est arboris truncus, ex quo cortex extrahitur, ut ex Columella colligitur: antiqui enim ad scribendum tabulis item ligneis utebantur cerâ obductis, in quibus stylo scribebatur: ob idque Tabulæ cereæ, vel ligneæ, seu alterius materiæ, in quibus scriptitabatur, *pugillares* dicebantur, vel quòd pugno comprehendebantur, vel à pungendo, quòd stylo in his pungendo scribebatur. Variis autem nominibus *pugillares* apud veteres vocitabantur, alii, scilicèt, lintei cerâ obducti, *citrei*, alii *eborei*, alii *membranei* dicti sunt, ex linteis, ex citro, ebore, & membranis confecti: quorum hi hac etiam tempestate ab aliquibus adhiberi solet, dum quædam, ne memoriâ excidant, scriptis breviter mandant. Ab hujusmodi scribendi genere *Tabulæ* pro libris apud Romanos frequenter dictæ sunt. Tabulas autem non modò ligneas, vel linteas cerâ obductas, verumetiam plumbeas, æreas, atque lapideas, sive marmoreas fuisse constat.

Colum. lib. 5. cap. 10.

Colum. lib. 4. cap. 8.

Liv. 4. lib. ab Vrbe cond. Plin. libr. 13. cap. 13.

Quamvis autem post vetustissimum scribendi genus in palmarum foliis, in aliarum item arborum corticibus, utpotè ab Ulmis, Platanis, Fraxinis, atque Alnis, quæ facilè decorticantur, scriptum esse dicendum sit, ut ex Plinio colligi potest: ex eodem tamen Plinio patet scriptitatum fuisse in papyro, arbusculâ quadam, præcipuè in Ægypti palustribus ad Nilum nascente, radicem, ut ait Matthiolus, obliquam habente, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiata, thyrsi modo cacumen includente. Ex hoc igitur frutice præparabantur chartæ, acu divisę in prætenues, & latissimas philyras, quæ eo meliores erant, quo mediæ papyro propinquiores, quæ ab hujus fruticis appellatione etiam *papyri* nomen

Papyri descriptio ex Matthiolo in Dioscor. lib. 1. cap. 96.

men acceperunt. Hinc ab hujus item fruticis nomine chartas nostras, quæ ex contritis linteis fiunt, *papyrum* hodie appellamus, eò quòd eundem nobis præstent usum, quem olim Ægyptiis præstabat papyrus. Hujus generis materiam, sive prætenues cortices arborum scriptas, artificio tamen quodam, ut opinor, præparatas ad characteres suscipiendos ac retinendos, non semel vidi in Bibliothecâ Vaticanâ. Vidi etiam aliam corticem scriptam, sed rudiorem, atque ita, ut arboris cortex esse omninò dignoscatur: quam Aldus Manutius penès se diligenter asservat. Vidi librum item corticeum, paginas habentem adèò tenues, ut duæ pagellæ pro unâ suscipiantur, alterâ tantùm facie impressâ. De hujusmodi libro, quem superioribus annis Magister Spiritus Vicentinus Summus Augustinianorum Magister Sixto V. dono dedit, necnon de Typographiâ ab Indis inventâ antequàm in Europam fuisset advecta, in Indicâ linguâ loquuti sumus. Vidi etiam alios hujus generis libros asservatos penès Michaelem Rugerium Neapolitanum ex Societate Jesu, qui Sinis, hoc est in Regno, quod vulgò dicitur *China*, XI. annis est commoratus, quique mihi dono dedit paginam unam, in qua oratio Dominica, & salutatio Angelica characteribus Siniacis impressæ leguntur.

Chartæ denique, sive membranæ genus, quod velut postremò ante chartam ex linteis confectam repertum, in Bibliothecis, & alibi passim invenitur, est membrana, ut tradit Plinius ex Varrone, inventa Pergami, quod est Asiæ Civitas, eaque deindè *charta pergamena* vulgò vocitari cœpit. Membrana autem dicitur eo quòd de animalium membris detractæ sint, in quorum tergoribus ab uno primùm latere scribi cœptum, deindè ab utroque de rasis pilis. Membranæ usus Pergami regnante Eumene initium habuisse dicitur: hinc ad hanc usque diem, tradente sibi invicem per manus posteritate, pergamenæ nomen servatum est. Hujus generis charta apud Romanos fuit in frequenti usu, sicut non solùm Codices docent vetusti, verùmetiam ipsa Latinorum scripta, ut videre est in Cæsaris commentariis, in Horatio, in Livio, in Plinio, Quintiliano, Martiale, & aliis; & præsertim in Cicerone, qui, ut ait Plinius, in nuce inclusam Iliada, Homeri carmen in membrana scriptum tradit.

Plin. lib. 7. cap. 21.

Quamvis autem Varro scribat, Ptolemæi, & Eumenis Regum temporibus membranas per æmulationem fuisse inventas, ex Josephi tamen scriptis, multo antequàm tradit Varro, esse repertas, & apud Hebræos in usu olim fuisse colligitur: Josephus enim dum de libris sacris per septuaginta duos Interpretes in Græcum transferendis ab Eleazaro sacerdotum principe ad Ptolemæum Philadelphum missis mentionem facit, Regem Ptolomæum de maximâ membranæ tenuitate, ac de incomprehensibile compagine majorem in modum admiratum fuisse testatur. Herodotus item priscum in pellibus caprinis, & ovillis scriptitandi usum fuisse affirmat. Hinc eumdè

Josephi lib. 12. antiq. c. 2.

Plin. libr. 13. cap. 13.

Herodot. libro 5.

chartæ usum ad Romanos manasse constat: atque ex hujusmodi chartâ Numæ Pompilii libros, de quibus loquitur Plinius, confectos fuisse amplius trecentis annis ante Alexandrũ Magnum credendum est. Anno enim ab Urbe condita CCCCXXVIII. Alexander Magnus regnavit, & Alexandriam in Ægypto condidit. Anno autem 38. ab Urbe conditâ, & anno item ætatis suæ 38. Numa Pompilius regnare cœpit, & sacra, & cæremonias, atque Pontifices Mosaicis consimiles instituit, ut ait Tertullianus. Adde etiam quòd, Genebrardo teste, Moysès, qui fuit antè Numam Pompilium annos circiter mille, paulò ante mortem, membranis volumina Pentateuchi tredecim ad ultimum usque legis elementum anno Mundi 2670. exaravit.

Tertull. de præscr. Genebr. lib. 2. anno mundi 3408. Genebr. anno mundi 2670.

Ejusdem generis, aut materiæ libros Sybillinos Tarquinio Superbo traditos fuisse opinari quis potest, cum quingentos circiter annos Numæ Pompilii libros sub terram illæsos fuisse asservatos Plinius affirmet: nisi cum eodem Plinio, eos super lapide impositos, & cedratos, etiam si papyracei fuissent (ut idem Plinius videtur innuere, cum ait eos libros fuisse ex chartâ, quæ ut plurimum pro papyro sumi solet) nec computrescere, nec à tineis corrodi potuisse dicamus: charta autem, quæ est vox Græca, à Latinis, & ab Africanis, ut diximus, usurpata, tàm ex papyro, quàm ex pellibus animalium *membrana* rectè vocitatur: hinc non facilè dignosci potest, num Hebræorum, & Numæ Pompilii volumina, vel papyracea, vel pellicea fuerint: nam Membranæ nomen & papyraceis, & pelliceis chartis commune esse comperi: utrumque autem genus, sive papyraceum, sive pelliceum, vel pergamenum, vel plumbeum, ut in Svetonio videre est, *charta* dici solet.

Plin. lib. 13. cap. 12.

Sveton. in Nerone. Polid. Virgil. lib. 2. c. 3.

Charta verò, quæ & *pagina* nuncupatur, quasi a pangendo, quòd in paginis carmina pangantur, idest figantur (versus enim *pangi*, vel *figi* in pagellis dicuntur) ab vrbe Tyri ita dicta hoc nomen accepit, ex qua & Dido dicta fertur, & a se conditam Urbem, Chartaginem appellasse, ut uulgò putatur. Isidorus autem uult dici, chartam, quòd carptim papyri tegmen decerptum glutinatur: sed neutra hujus nominis Græci, charta, χάρτη, declaratio Græcæ vocis orthographiæ respondet. Utcumque autem sit, varia sunt chartarum genera: alia enim charta sortita est sibi nomen ab usu, alia a loco, alia ab inuentore ipsũ. Ab usu, ut *Hieratica*, antiquitûs sacris tantùm voluminibus dicata: *Imperialis* interdum dicta: deindè adulatoriè *Augustana*, necnon *Liuiana*, ab Augusti uxore. Alia a loco, ut *Amphitheatrica*, ab Amphitheatro: *Saitica* ab oppido, necnon *Taonitica* a vicino loco. Alia ab inuentore ipso, ut *Fanniana* à Fannio, qui chartam insigniorem reddidit: & *Claudiana* à Claudio, cujus temporibus fuit in meliorem usum aut formam redacta, ceteriſq; præstantior existimata. Fuit etiam *Bibula*, & *Emporetica* papyrus: *Bibula* a bibendo, quia sorbet atramentum, dicta, de qua Lucanus:

Isid. lib. 6.

Conficitur bibulæ Memphytis charta papyro.

Charta emporetica, sive bibula.

Emporetica verò inutilis in scribendo, & involucris chartarum tantùm, atque mercium, usum præbens, ἀπὸ τῶν ἐμπόρων, idest à mercatoribus, nuncupata est. Hæc ex crassioribus linteolis, & absque glutine confecta etiam hodie mercatorum usui deservit. De his chartarum generibus, ac de eas conficiendi modo Plinius copiosè scribit, à quo Polidorus Virgilius, Petrus Messias, & alii accepere quidquid de chartarum inuentione, atque usu scripserunt.

De modo conficiendi varias charta rum species

Reliquum est, ut de chartâ, qua hodie omnes ferè uti solent, sermonem habeamus. Hæc ex linteolis contritis multiplex fieri solet juxtà varias telarum species, quarum vna prætenvis, altera minus, tertia rudior, aut crassior, quarta verò crassissima, quam Latini vocant *telam cannabaceam*, filo admodum raro, & rudi contextam, Italicè autem *cannavaccia*: ex iis tribus fiunt chartæ ad scribendum, & ad imprimendum optimæ: ex quartâ specie juxtà varium telarum colorem fit charta bibula, & emporetica, quæ mercium involucris deservit. Fit autem charta ex telis in frusta secatis, & in mortario ligneo, interiori tamen atque inferiori parte mortarii ferro cooperta, ferreoque pistillo contritis: quæ quidèm priùs quindecim dierum spatio in aquâ marcescunt, deindè dum teruntur, perpulchro sanè artificio, lauantur, atque ita, ut fluxibilitate, & albedine lacteum repræsentent colorem. Postquàm verò hujus generis massa quatuor ac viginti horarum intervallo contrita in materiam subtilem ac fluidam redacta est, illa eadem super formâ, sive, ut ajunt, *modulo* filis æneis juxtà latitudinem, longitudinem, & profunditatem folii, quod faciendum curatur, confecto, extenditur, deinde ipsum chartæ folium ad aerem exiccatur. Ubi verò exiccatum est, in aquam, in qua excocta sunt pellium bovillarum residua, sive nervi, immittitur, & statim indè, ex aquâ scilicet illâ, hoc est glutino extrahitur, & ad aerem iterum exiccatur, exiccatumque super tabulâ lapideâ, frusto marmoris fricatur, & expolitur: atquè hunc in modum charta suam ipsius recipit perfectionem.

Chartariæ officinæ in Europâ multæ sunt; sed Italiâ omnibus aliis præstantiores habere existimatur. Quæ autem sunt in Fabriano, & chartarum copiâ, necnon præstantiâ ceteras excellunt officinas: in iis enim omnia chartarum genera, & optima quidèm conficiuntur, præsertim verò tres chartarum species, Papalis, scilicèt, Imperialis, & Regalis, quæ non nisi eo in Oppido confici solent. Quamvis autem charta ex omni genere, maxime omnium continens atramentum, ne effluat, Fabriani conficiatur: Fulginea tamen paginula tantæ est præstantiæ, ut nulla alia cum hac conferri queat. Multæ aliæ in Italiâ chartariæ extant officinæ, quæ brevitatis causâ subticentur. Sunt autem in orâ Saloninâ officinæ insignes circiter viginti, quarum charta est ad imprimendum optima, sed non satis alba. Extrà Italiam Lugduni in Franciâ, Francofurti in Germaniâ, & alibi chartæ conficiuntur. Hæc de chartarum inuentione, atque usu ante typos inventos, necnon de earumdem officinis: nunc reliquum est, ut de Bibliothecarum inuentione, incremento, & situ atque conservatione, necnon de librorum ordine sermonem habeamus.

APPENDIX

DE BIBLIOTHECARUM

INVENTIONE, ET INCREMENTO,

Ac de ceteris rebus ad eas pertinentibus.

QUI docta hominum scripta veram ingeniorum effigiem, veraque, necnon æterna monimenta esse dixit, & dixisse verè, & præclarè sensisse mihi certe videri solet. Hinc Agesilaus Lacedemoniorum Rex, Plutarcho teste, animi tantùm monimenta posteris relinquere studens, sui corporis simulacrum effingi haudquaquàm passus est, tametsi id facere multi cupiebant: quippè qui hoc sculptorum aut pictorum, illud suum: hoc divitum, illud bonorum opus esse affirmabat. Hac igitur, ut reor, ratione Reges olim, & Imperatores, & locupletes homines bonarumque artium cultores Bibliothecas instituerunt: & idipsum jam inde ab orbe condito factum esse opinandum est, cum omnium primum Enoch, ab Adam septimum, libris aliquid mandasse, ex epistolâ B. Judæ colligatur. Hujus Prophetæ à Tertulliano citantur scripta, quibus Enoch ipse idolorum fabricatores, & cultores in comminatione, ut Tertullianus ait, prædamnat. Hisce in scriptis Enoch vaticinia dicuntur esse de iis, quæ Patriarcharum nepotibus eventura erant: de futuris Hebræorum sceleribus, & pœnis, de Hebræorum eversione, & captivitate, de mundi Salvatore ab Hebræis occidendo, deque eorumdem perpetuâ inter Gentes dispersione, & de Christo ad judicium cum Angelis venturo: immò Joannes Annius Commentario in Berosum scribit, in iisdem Enoch scriptis celebre fuisse vaticinium de geminis totius terræ cladibus, altera per inundationem, altera verò per incendium futuris: additquè hoc ipsum vaticinium ab Enoch in duabus columnis, alterâ lapideâ, quæ aquis resisteret, alterâ latericiâ, quæ supereesset ignibus, fuisse insculptum. Alii autem columnas hasce astrologiâ insignitas Seth, & Enos, necnon illius filiis, & Adæ nepotibus adscribunt, ut suprà à nobis dictum est. Eadem Enoch scripta à Procopio frequenter citantur, & ab Origine non rarò, qui ait in iis comprehensa fuisse arcana de plagarum cæli, omniumque stellarum, atque siderum nominibus, prout extant apud Christianos Æthiopes in Regno Reginæ Sabæ, abyssino idiomate conscripta, ut ait Genebrardus, Quamvis autem S. Pater Augustinus dicat, nimiam antiquitatem effeciisse, ut hujusmodi scripta apocrypha censeantur, ne per occasionem eorum falsa pro veris in-

Plutarch. in vita Ages.

B. Iuda Epistola.

Tertullianus lib. de Idol. non procul ab initio.

Ex Genebrardo chron. pag. 7., & 14. Orig. homil. 28. in Num.

Genebrardus l. 1. p. 7. l. 15.

Aug. de Civitat. libr. 15. c. 23. tom. 5.

sere-

Hieron. item in cap. 1. Ep. ad Titum scribit libū apocryphum Enoch. citatum a Juda. tom. 6. prope finem epist.

fererentur, negari tamen non potest, teste B. Juda Apostolo, Enoch prophetasse,& prophetice saltem scripsisse, etiamsi scripta ipsa hodie non extent, quæ tamen divinâ virtute in diluvio servari, vel Beato Judæ, & aliis revelari potuerunt.

Qua de re sicut primam illam mundi ætatem plura aliorum hominum scripta habuisse conjectare licet, quamvis eorum memoria ob universalem inundationem non supersit; ita etiam ad prædecessorum monimenta conservanda, & ad posteros juvandos illius seculi homines coacervasse libros,atque ex iis Bibliothecas instituisse conjiciendum est. Multas autem post universale diluvium extitisse Bibliothecas nemo est qui inficias eat. Fuerunt enim permultæ, & insignes quidem, ut *Hebraica* à Moyse una, deindè altera ab Esdra constructæ, necnon *Babylonica* à Nabuchodonosor, *Græca* à Pisistrato institutæ: hæc autem à Xerxe, deindè à Seleuco conservata, & aucta: Bibliotheca *Alexandrina*, à Ptolemæo Philadelpho septingentis voluminum millibus constructa: Bibliotheca *Apamiensis*, in qua libri ad viginti millia, ut Plutarchus ait, extabant. Fuerunt item Bibliothecæ *Romanorum* publicæ, Publio Victore teste, undè triginta omni laude dignæ, ut suo jam loco dictum est. Fuerunt præterea Bibliothecæ ab Ecclesiasticis viris post Apostolorum tempora constructæ, ut *Hierosolymitana* à Beato Alexandro Episcopo, & Martyre, *Cæsariensis* à Sancto Pamphylo presbytero, & Martyre institutæ. Extat denique Romanorum Pontificum Bibliotheca *Vaticana* jam indè à Beato Petro Apostolorum Principe, & Christi Salvatoris nostri Vicario instituta, & ab ejusdem Petri successoribus, & Christi Vicariis conservata, & aucta, necnon mirabiliter illustrata. De quibus omnibus suo jam loco diffusè loquuti sumus: hinc iis prætermissis, Bibliotechas, quas hodie extare scio, hoc loco recensere libet, ut hac in re, nostram hanc ætatem à priscâ illâ omninò superatam non fuisse ostendamus.

Publius Vict.

Ut autem ab iis, quæ extrà Italiam sunt, Bibliothecis initium sumam, ab Imperatoribus exordiri libet, Maximiliano, scilicèt, & Rodulpho ejus filio, quorum ille Viennæ Bibliothecam instituit nobilem, hic verò in dies auget, & exornat.

Alphonsus Arragonorum Rex,& Siciliæ, vir sanè doctissimus, Bibliothecæ exstruendæ diligentem navavit operam. A Cosmo Medicæo seniore Livii Decades dono accepit. Quas cum evolveret, medicis prohibentibus, ne fortè paginæ veneno fuissent infectæ; *O stulti* (respondit) *an nescitis, Regum animas sub præcipuâ Dei Optimi Maximi tutelâ esse?* A Venetis brachium ex reliquiis Titi Livii summi muneris instar obtinuit, ut ait Panormitanus libro de rebus gestis Alphonsi. Cum arcem Neapolitanam instaurare decrevisset, Vitruvii de Architecturâ librum afferri ad se jussit. Verum cum sine ornatu, ac sine asseribus allatus esset: *Non decet* (inquit) *hunc potissimum librum, qui nos quo modo contegamur, tam bellè doceat, detectum incedere.* Librum igitur egregiè ad usum parari mandavit, & omnibus semper ædificiis adhibuit. Hæc ex Panormitano, loco suprà citato. Idem Alphonsus cum aliquando de jacturâ rerum pretiosarum sermo haberetur,persanctè affirmasse dicitur, *malle se gemmas, uniones, margaritas suas*, quæ quidèm essent in toto orbe celeberrimæ,& pretiosissimæ, *quàm libros qualescumque perditum iri*. Hæc idem Panormitanus libro quarto de rebus gestis Alphonsi, qui non minus ob Bibliothecam clarus evasit, quàm armis, quibus Neapolim cœpit,& Apuliæ regnum, pulso Renato, obtinuit.

Panorm. lib. 1.

Panorm. lib. 4.

Matthias Corvinus, Rex Hungariæ,Budæ, (quæ est Hungariæ Metropolis,& capta à Turcis dissipata) magnificam,& locupletem extruxit Bibliothecam. Hìc magnam Bohemiæ partem subegit: postremò Bohemorum Rex electus, bellò clarus, ob Bibliothecam institutam clarior evasit.

Franciscus I. Galliæ Rex non minus item literis quàm armis clarus,Parisiis in Abbatiâ Sancti Victoris, & in arce Fontanablio Bibliothecas instituit, quas conquisitis undique ex mediâ Græciâ, & Arabia libris illustravit,& viros eruditos eam ob rem suis sumptibus diù aluit in Oriente. Ea verò, quæ Sancti Victoris dicitur,ob ingentem librorum copiam, quæ quidèm mira est, adeò celebris est ut in universâ Galliâ, in qua plurimæ fuerunt, & ad hanc usque diem extare dicuntur, celebrior existimetur.

Extat item Cracoviæ Bibliotheca insignis à Poloniæ Regibus instituta, quæ ad nostra usque tempora conservatur, & augetur in dies à Sigismundo tertio Rege.

Sunt qui dicant in Atho Thraciæ monte multas Bibliothecas Græcas reperiri: sed id affirmare non ausim, cum nihil certi invenire potuerim. Hoc in monte, qui est editissimus, & speculationi aptissimus, duo,& viginti Monasteria ex instituto Sancti Basilii extare accepi, ubi etiam Monachi ad septem millia commorantur contemplationi incumbentes.

Philippus Hispaniarum Rex Catholicus Regiis sumptibus, regioque ornatu Bibliothecam instituit, & quotidie augere, atque illustrare non mediocriter studet. Bibliotheca hæc dicitur *Escurialis* à monte, ubi sita est, sic dicto, in quo Rex cœnobium Sancti Laurentii à fratribus Sancti Hieronymi inhabitatum suis, & ingentibus quidèm sumptibus à fundamento mirificè construendum curavit: in cujus Ecclesiam Reges Hispaniarum defunctos, hìnc illìnc transferendos, atque inibì regio honore locandos mandavit.

Frater Franciscus Ximenes de Cisneros ordinis Minorum de Observantiâ, Archiepiscopus Toletanus, & Cardinalis Sanctæ Balbinæ, Bibliothecam insignem Compluti instituit, nobilissimamque Universitatem illam Complutensem erexit, Complutensiaque Biblia sumptibus immensis, laboribus, ac vigiliis elucubrata, variis item linguis, & Interpretibus illustrata edidit Anno Dom. M.D.X. Leonique decimo dedicavit. Extant præterea

rèà aliæ in Hiſpaniâ Bibliothecæ, ut Bibliotheca Benedicti Ariæ Montani viri quidèm doctiſſimi, ac celeberrimi, & præſertim ob inſignes elucubrationes in Biblia olim ab eo editas 1569. quæ ſanè Editio *Regia Quadrilinguis* nuncupatur. Extat etiam Bibliotheca Antonii Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis, & Michaelis Thomaſii Epiſcopi Ilerdenſis, atque item aliæ privatorum hominum permultæ.

Extat ætate noſtrâ Fuggerorum Auguſtana Bibliotheca locupletiſſima, quam Fuggeri, uulgò *Fuccari*, mercatores ditiſſimi Auguſtæ Vindelicorum Germaniæ Urbis celeberrimæ, à Germanis ſuâ linguâ *Augſpurg* dictæ, admirandis impenſis inſtituerunt, Quam præſertim ob rem clariores, ac Principes euaſerunt, quippè qui ubivis gentium antiqua ſcripta per Bartholomæum Amantium, & Petrum Appianum viros eruditiſſimos diligenter, immenſiſque ſumptibus conquirenda curarunt. Quæ profectò res non minùs admirabilis, quàm laudabilis ab omnibus exiſtimatur.

Multæ item extrà Italiam extant Bibliothecæ, tùm publicæ, tùm privatæ, quibus brevitatis causâ omiſſis, ad Italiæ deveniemus Bibliotheças, inter quas Vaticana primum occupat locum, immo & loci dignitate, & excellentiâ, necnon ex omni genere librorum manu ſcriptorum antiquitate, & auctoritate, atque copiâ, omnium Bibliothecarum, quæ in Europâ extant, celeberrima eſt, & admiratione digniſſima judicatur, nunc præſertim mirâ Sixti V. Pont. Maximi magnanimitate, in ſplendidiorem, ditioremque locum tranſlata, & aucta, majoremque in modum illuſtrata, de qua multo plura ſuo jam loco à me dicta ſunt, ubi de Bibliothecis antiquorum, & Romanorum Pontificum habui ſermonem. Hanc enim Bibliothecam erexit, miſſis quoquò versùs viris eruditiſſimis ad comparandos libros,

S. Anton. par. 2. chron. tit. 22. c. 12. Nicolaus V. Lunenſis ex oppido Sarazana Latinæ linguæ, & bonarum artium illuſtrator, qui doctis viris tam in humanioribus, quàm in divinis literis magna ſtipendia aſſignavit. Eandem Bibliothecam Sixtus IV. auxit, & illuſtravit, ſed Sixtus V. multo magis, ut dictum eſt. Quid de veteri, quam in Lateranenſi Patriarchio ſitam, & à Petro ortum traxiſſe diximus, factum ſit, nihil certi affirmari poteſt, ſed eam à ſucceſſoribus, vel in Bibliothecam Sancti Petri, vel in Vaticanam fuiſſe translatam opinandum eſt: nam de Bibliothecâ Romanâ mentionem facit Sanctus Gregorius Magnus, ſcribens ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum. De duabus in Baptiſterio Lateranenſi Bibliothecis ab Hilaro Sancto Pont. Rom. conſtructis, ut ait Genebrardus, ac de Gelaſii Papæ præſertim libris contrà Neſtorium, & Eutichen inibi aſſervatis mentionem facit Liber, qui dicitur *Pontificalis*.

S. Greg. libr. 7. epiſt. 29.

Geneb. libr. 3. anno Chriſti 463.

Extat Venetiis publica Reipublicæ Bibliotheca inſignis, tàm Græcis, quàm Latinis libris inſtructiſſima, quam inſtituit Beſſarion Nicænus, vir apprimè eruditus, & clariſſimus, S. R. E. Cardinalis, & Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Lib. 1. epiſt. 2.

Hanc nobilem, & copioſam Bibliothecam Beſſarion eidem Reipublicæ dono dedit, ut ipſemet teſtatur in quadam Epiſtolâ Italicè conſcriptâ, quam videre eſt inter literas, quæ dicuntur Principum: ſed ego hujuſmodi Epiſtolam ab Auctore latinè exaratam, deindè à quopiam alio, ut ea inter literas Italicâ linguâ conſcriptas inſereretur, translatam dixerim. Epiſtola enim Italicæ linguæ puritate, & elegantiâ eſt ſatis plena: & ratio mihi perſuadet, Beſſarionem, hominem Græcum, altiſſimarumque rerum ſtudiis omninò dicatum, Italicæ linguæ floſculis induſtrioſum haudquàquam navaſſe operam. Adde etiam, quòd ad nobiliſſimâ ſcribebat Rempublicam, eâ potiſſimum tempeſtate, qua linguæ Latinæ quiſpiam non iguarus, frequentiùs Latinè, quàm Italicè ad familiares, & ad Principes præſertim ſcribere ſolebat. Utcùmque autem ſit, in hujus generis doni teſtimonium, ſubtexere libet Epiſtolam ipſam, qua Beſſarion miram ſuam ipſius jàm indè à pueritiâ induſtriam de conquirendis, & emendis, deſcribendiſque libris pro Bibliothecâ conſtruendâ enarrat. Qua in re faciendâ veram librorum excellentiam, & utilitatem doctè declarat. Poſtremò autem tres recenſet cauſas, aut rationes, quæ ipſum ad hujus generis munus conficiendum recenſet. Epiſtola autem hæc eſt:

All'Illuſtriſſimo, & Invittiſſimo Principe, il Signor Chriſtoforo Moro, Duce; & all'inclito Senato di Venetia, Beſſarione Cardinale, Patriarcha di Conſtantinopoli.

IO certamente fin dalla prima mia fanciullezza cominciai à metter ogni fatica, ogn'opera, & ogni ſtudio per poter haver libri in ciaſcheduna ſorte di ſcienze: laonde molti ne ſcriveva di mia mano, & tutti quei pochi denari, ch'io poteva ſparagnare alla modeſta mia ſpeſa, io gli ſpendeva in comprar libri. Perciochè giudicava di non poter acquiſtarmi maſſeritia più degna, & più nobile, nè teſoro più utile, & più eccellente: eſſendo i libri pieni delle voci de ſavii, pieni de gli eſſempi antichi, pieni di buoni coſtumi, pieni di legge, & pieni di religione. Eſſi vivono converſano, & ſono letti con noi, ci inſegnano, ci ammoniſcono, ci conſolano, & ci mettono avanti à gli occhi le coſe antiche, & lontane dalla noſtra memoria, & tanta è la potenza loro, tanta la dignità, & tanta finalmente la divinità, che ſe non foſſero i libri, noi ſaremmo tutti huomini rozi, & ignoranti ſenza hauer alcuna memoria delle coſe paſſate, ò alcun'eſſempio, nè finalmente alcuna cognitione delle coſe divine, & humane, & il medeſimo ſepolcro, che cuopre i corpi de gli huomini, coprirebbe ancor' il loro nome. Et quantunque io in ogni tempo habbia ſempre atteſo molto diligentemente à raunar libri, l'hò fatto tuttavia con molto maggior caldezza dopo la ruina della Grecia, & la miſerabile cattività di

Con-

Constantinopoli, havendo io posta ogni mia forza, ogni pensiero, ogn'opera, ogn'industria, & finalmente ogni facoltà mia per haver libri Greci, come quello, che dubitava, & grandemente temeva, che con tutte l'altre cose non andassero à pericolo, & perditione, & ruvina ancor tanti eccellenti libri, tante fatiche di tanti grandi huomini, tanti sudori, tante vigilie, & tanti lumi di tutto il mondo, si come ne' tempi più adietro habbiamo patito tanto gran danno, che di quasi dugento & venti mila libri, li quali Plutarcho scrive, ch'erano nella libraria d'Apamia, appena se ne trovino pur mille ne' nostri. Et mi sono ingegnato, non tanto di raccogliere molti libri in numero, quanto ottimi, & eccellenti, & di ciascuna opera, non volendo havere, se non una copia, ò un volume, che così vengo ad haver raccolte quasi tutte l' opere intiere, & difficili à trovarsi, ch' erano in tutta la Grecia. Ma andando io spesso rivolgendo per la mente questo mio pensiero, & questo mio studio, non mi pareva d'haver sodisfatto al desiderio mio, se parimente io non provedeva, che questi libri da me raccolti con tanta fatica, & con tanta spesa, si disponessero in modo, mentre son vivo, che ne potessi stare sicuro, ch' essi dopo la morte mia non sarebbono dissipati, & alienati, ma sarebbono servati in qualche luogo sicuro, & commodo per la commune utilità de gli huomini studiosi, & amatori così delle lettere Latine, come delle Greche. Et stando io molto spesso in questo pensiero, & rivolgendo con l'animo tutte le Terre d'Italia, niuna ne hò trovata, se non la vostra gloriosa Città, nella quale l'animo mio si riposasse da ogni parte. Percioche primieramente io vedeva, che io non poteva eleggere luogo più sicuro, che quello il quale si governa con equità, si ritiene con le leggi, si regge con l' integrità, & con la sapienza, & dove si vede la stanza vera delle virtù della continenza, della gravità, della giustitia, & della fede, dove è l' Imperio tanto eguale, & moderato, quanto grandissimo, & amplissimo, d'animi nel consultar liberi, non intrigati in alcuna cupidigia, nè in alcun mancamento, ove i prudenti, e savii governano il timone dell'Imperio, i buoni son antepositi à cattivi, & dimenticati tutti de proprii commodi loro, attendono con ugual consentimento, & con somma integrità alla cura di tutto il corpo della Republica. Alle quai cose si dee sperare quel che desideriamo, cioè, che la vostra Città habbia ogni dì più a crescere, & distendere le forze, & il nome suo. Io conosceva poi oltre a questo, non potersi da me eleggere luogo più commodo, & più atto principalmente a nostri huomini Greci, che cotesta vostra Città. Perciocchè concorrono in essa quasi tutte le nationi di tutto il mondo, & principalmente i Greci, i quali, venendo dal lor paese, fanno primieramente scala in Venetia, & hanno tanta amicitia, & congiuntione d'animi con esso voi, ch'entrando in Venetia, par loro veramente d' entrare in un'altro Constantinopoli. Et oltre a ciò in qual maniera questo beneficio di far dono di questi libri poteva da me collocarsi più honoratamente, che appresso di voi Signori, a' quali io per molti vostri beneficii verso di me mi trovo strettissimamente obligato? Et in qual Città poteva io più convenevolmente porli, che in cotesta Città, la quale, io dopo l'essere soggiocata la Grecia dal Turco, haveva eletta per mia patria, & nella quale era stato da Voi benignamente chiamato, & honorevolissimamente ricevuto? Laonde ricordandomi d'esser mortale, & vedendomi già d'età molto grave, & oppresso, & afflitto da diverse infermità, & considerando molte altre cose, che possono accadere, hò donato alla Sacratissima Chiesa del Beato Marco della vostra inclita Città tutti i miei libri, così Greci, come Latini, giudicando esser' io tenuto dimostrar questa affettione, & questo animo per debito della mia gratitudine alla Serenità vostra, a cotesto Illustriss. Senato, & a tutta cotesta nobilissima Patria, la quale vi siete degnati di farmi commune con esso voi, acciochè si come voi con la virtù, & con la sapienza vostra, & con molti vostri beneficii m'havete obligato, così Voi, i vostri figliuoli, & i vostri posteri, ò discendenti, habbiate a trarre continuo, & gran frutto dalle mie fatiche, & insieme ne habbiano a participare ancora per amor vostro, & per vostra benignità, tutti gli altri studiosi delle buone lettere. Et così vi mando in dono i libri, & l'indice, & insieme il decreto del Sommo Pontefice, pregando Iddio, che gli piaccia concedere alla vostra nobilissima Republica ogni felicità, & ogni contentezza vera per ogni parte. Da' Bagni di Viterbo. Il dì ultimo di Maggio. M. CCCCLXVIII.

Hic fuit ex instituto S. Basilii, & sub Eugenio IV. floruit. Hujus tanta fuit liberalitas ergà doctissimos viros, ut ipsius domus artium liberalium officina diceretur. Platonem in primis observabat, in cujus defensionem adversùs Trapezuntium Peripateticum, suumque coætaneum, ut Volaterranus ait, commentarios edidit, suamque Bibliothecam suis item scriptis mirâ eruditione refertissimis locupletavit, & ornavit, ac denique Reipublicæ Venetæ, quæ semper literatos, ac de Republicâ benemeritos fovet, dono dedit. Huic Bibliothecæ Præfectus non parvo stipendio Marcus Antonius Sabellicus fuisse narratur. Venetiis item extat non solùm Bibliotheca Cardinalis Grimani, sed etiam aliæ tùm publicæ, tùm privatæ, quas silentio prætereundas censeo, ut ad insigniores accedatur.

volaterr.

Trithemius in vita Bessarionis.

Extat Mediolani in Cœnobio S. Marci Bibliotheca insignis, quam Zacharias Doctor Theologus ex instituto S. Augustini, vir quidèm bonarum artium cultor optimus, mirâ librorum copiâ, ac varietate locupletavit, ac diligenter exornavit.

Mediceorum nomen, etsi pluribus de causis fuit celebre, hac tamen potissimum re celebrius evasit, quòd Musas è Græcia exulantes hospitio exceperint, & libris præsertim Græcis maximo sumptu totâ Græciâ, & Asiâ conquisitis non solùm Bibliothecam instituerunt, & ornarunt, sed bonarum artium studia in Italia, non sine magnis impensis foverunt. Cosmus enim senior insignem construxit Bibliothecam, quam Petrus ejus filius, necnon Julianus, & Laurentius Cosmi Nepotes, & Petri filii auxerunt, viri sanè clarissimi, & bonarum artium, nominisque Platoni-

ci, ejusque doctrinæ cultores: in quorum gratiam Platonicos libros ad eam usque ætatem Latinitate nondum donatos Marsilius Ficinus Florentinus, vir quidèm eruditissimus, ac celeberrimus, linguarum peritissimus, Platonicamque doctrinam optimè callens è Græco in Latinum transtulit sermonem, ut ex eodem constat Ficino, qui in Proœmio in Platonis libros ad Laurentium Medicem post multa hunc in modum scribit:

Marsil. Fic. proœm. in lib. Plat. to. 1.

Cùm verò ad hæc usque sæcula sol Platonicus nondùm palam Latinis gentibus oriretur, Cosmus Italiæ decus, & insignis pietate vir, Platonicam lucem, religioni admodum salutarem, à Græcis ad Latinos prorogare contendens, me potissimum intrà suos lares plurimum educatum, tanto operi destinavit. Ego autem, etsi à tenerâ ætate nominis Platonici cultor, rem tamen adeò gravem, non meis quidèm, sed avi tui Cosmi prosperis auspiciis sum aggressus, sperans, divinam opem tàm necessario, tàmque pio officio non defuturam. Hac ergò in primis spe ductus Academiam sum ingressus, decemque ex ea Platonis nostri dialogos, Cosmo priùs, quàm naturæ cederet, Latinos feci. Post ejus obitum Patri tuo Petro præstantissimo viro, dialogos novem legendos dedi. Postquàm verò Petrus è vita decessit, mors præclaris sæpè operibus invida, invitum me à traductionis officio distrahebat. Verùm tu & Religionis auctor, & philosophiæ patronus me ad incœptum omni favore, & auxilio revocasti. Quamobrèm ad institutum munus fœlicibus iterum auspiciis sum regressus, neque traduxi tantùm, verùmetiam partìm argumentis mentem perstrinxi Platonicam: partìm, quoad potui, brevibus commentariis explicavi. Opus itaque totum divino auxilio jàm absolutum tibi libentissimè dedico: ad quem illa etiam, quæ majoribus tuis inscripta sunt, jure hæreditario pertinent, virum profectò avitæ, paternæque in patriâ colendâ virtutis hæredem. Leges autem inter dialogos funebrem Platonis orationem pio fratri tuo Juliano dicatam. Prætereà ubi ad librum de Regno perveneris, videbis Federicum Vrbinatem Ducem eo die à me honoratum, quo ipse tuas ædes honorificè salutavit. Non solùm verò septem, atque triginta libri, qui solo tuo insigniti sunt titulo, sed cuncti denique tui sunt, quandoquidèm omnes tui gratiâ sunt absoluti, atque ego sum tuus.

Marsil. Ficin. in lib. Plat. de Regno. tom. 1 in fine.

Hæc Ficinus: cujus ego in ea, quæ à me dicta sunt, testimonium luculentissimum hoc loco apposui, ut hujus generis argumento planè quis sciat, quanta extiterit cura non modò in Bibliothecâ instituendâ, exornandâ, & augendâ doctissimorum virorum scriptis, verùmetiam quanta in literatis fovendis, & in eos fuerit Mediceorum liberalitas. Cosmus enim, quem Ficinus loco suprà citato Italiæ decus, & virum præstantissimum appellat; & Petrus, quem hìc virum præstantissimum, & alibi clarissimum, & Patriæ Patrem nominat; & Julianus, quem virum clarissimum dicit; & Laurentius, quem Magnanimum, & optimum vocitare solet, Musarum fuerunt amici, ut Ficinus testatur, qui ad Laurentium scribens ait:

Ficin. ar. de Pulchro to. 4. ad Petrum Medicem, & in Clitoph. ad eundem to. 4. Idem Fic. in Menex. vel Epitaph. to. 4.

Orpheum quidèm afflavit Calliope, Musæum Vrania, Homerum Clio, Polyhymnia Pindarum, Erato Sapphon, Melpomene Thamyram, Terpsicore Hesiodum, Thalia Maronem, Nasonem Euterpe, Linum rapuit idem, qui & te jam nunc exagitat Phœbus, optimè Laurenti; Phœbus, inquam, qui avo tuo Cosmo vaticinium dedit, parenti autem Petro aream, atque medelas, Tibi denique lyram, & carmina.

Marsil. Fic. in lib. Plat. de furore Poet. tom. 4.

Hæc Ficinus. Non est igitur mirum, præclarissimos hosce viros bonarum artium cultores, literatos adamasse, suisque opibus fovisse, insignemque instituisse, atque exornasse Bibliothecam, quam Alexander primus Florentiæ Dux conservavit, conservatamque Cosmus junior, ejusque Filii, Franciscus, & Ferdinandus, magni Hetruriæ Duces, auxerunt: locupletiorem autem & ornatiorem in dies reddere studet Ferdinandus, qui magnanimitate, ac liberalitate in regendis populis, in fovendis literatis majorum suorum nemini est secundus, vir profectò ad res præclaras, & Heroicas magno Principe, quin se ipso dignas efficiendas natus. Quod sanè futurum fuisse jam indè à juventute præseferebat, immò deindè apertè jam præstare cœpit, dum Romæ Cardinalitiâ dignitate insignitus, Typographiam Arabicam, & Chaldaicam suis magnis impensis ad Christianam fidem inter Turcas, atque inter alias barbaras Gentes, à verâ fide alienas propagandam erexit, ubi sacrosancta Christi Evangelia Arabicè, & Latinè imprimuntur, atque inibi sparsim suisque locis mysteria sacra per imagines quasdam in ligno exculptas, & impressas repræsentantur, & ad exteras denique Nationes divinam legem ignorantes mittuntur. Arabicè item humanæ disciplinæ, ut Galeni medicina, & Euclidis mathematica, necnon quædam alia Chaldaicè ad earumdem Nationum commoditatem imprimuntur. Hinc non solùm in Bibliothecâ his aliisque scriptis augendâ, & exornandâ, & in viris eruditis, quos penès se habet, amplectendis, verùmetiam in bonis artibus, immò in divinis literis excolendis, & in Evangelicâ fide subministrandâ, ac propagandâ veram meretur laudem, cùm de his omnibus optimè meritus jure dici debeat.

Typog. Arab. & Chald.

Altera Bibliotheca Florentiæ à Mediceâ familiâ erecta reperitur in cœnobio S. Marci, ubi Fratres ex instituto S. Dominici vitam degunt religiosam.

Extat Urbini Bibliotheca omnium judicio insignis, quam manuscriptis libris refertam magnificentissimè construxit Federicus Feltrius Urbini Dux, vir profectò eruditissimus, & non minus literis, literarumque cultura, quàm armis, dominandique prudentiâ clarus, etsi clarissimus, quem Marsilius Ficinus Florentinus à fide regiâ, *Fideregum*, & ab orbis imperio *Orbinatem* Ducem semper invictum nominandum esse ingeniosè, & meritò quidèm excogitavit.

Marsil. Fic. Apologus ad Federicum Vrbini Ducē in lib. Platonis de Regno tom. 1. in fin.

Celeberrima autem Bibliotheca illa est, quam Franciscus Maria junior, Guidubaldi filius, & Francisci Mariæ nepos, Urbini Dux, & doctrinarum lux fulgentissima, egregiumque doctissimorum hominum præsidium insti-

ſtituit, ingentique librorum copiâ ex iis præſertìm omnibus, qui ad hanc uſque diem in lucem prodierunt, incredibili quidèm curâ ac diligentiâ, magnisque impenſis in dies magis, atque magis auget, ac mirificè exornat, ut ego ipſe vidi, meisque manibus non ſine maximâ animi mei jucunditate contrectavi.

Alphonſus Ferrariæ Dux majorum ſuorum Bibliothecam inſignem ad hanc vſque diem conſervat, adauget, & exornat.

Multas item privatas, ac publicas Bibliothecas in Italiâ extare hodie invenio, quarum præcipuæ ſunt non paucæ: celeberrima eſt illa Vincentii Pinelli nobilis Genuenſis Bibliotheca Græcis præſertim libris refertiſſima, qua Patavium non parùm honeſtatur, quamvìs non ſolùm ob Antenorem loci conditorem, & Titum Livium hiſtoricum, & Voluſium Poetam Patavinos, quorum ille Romanas res ſummâ facundiâ, hic verò poſt Ennium Annales populi Romani carmine deſcripſerunt; necnon ob Stellam, & Valerium Flaccum Poetas, & Paulum Jureconſultum, & alios viros doctos ab eâdem Civitate oriundos, verùmetiam ob inſigne Gymnaſium, ſive bonarum omnium artium Emporium celeberrimum Civitas ipſa præclariſſima ab omnibus jure optimo judicetur.

Extat Ceſenæ Malateſtarum Bibliotheca in Cœnobio S. Franciſci: Aſiſii altera in Monaſterio ejuſdem Ordinis.

Bononiæ item aliæ reperiuntur, & præſertìm una ſatis nobilis in Cœnobio S. Dominici: ubi duo Eſdræ libri in corio implicato, ſive involuto (cujus generis Codices propriè volumina dicuntur) ſuâ ipſius manu conſcripti juxtà numerum à ſacro Concilio Tridentino de Canonicis Scripturæ Sanctæ libris præſcriptum mirâ aſſervantur curâ, ac diligentiâ in Reliquiario duabus occluſa clavibus, quarum una penès Senatum Bononienſem, altera verò penes ejuſdem Cœnobii Patres cuſtodiuntur.

Altera verò celeberrima in Ædibus Canonicorum Regularium S. Salvatoris: hæc enim Bibliotheca nobiliſſima eſt tùm manuſcriptorum Codicum antiquitate, ac raritate, & bonitate, atque copiâ, tùm etiam ob inſigne ædificium, in quo ſingulares libri aſſervantur: Ædificium enim ordine conſtans Dorico eſt adeò pulchrum ac ſplendidum, ut, qui ipſum foris circumſpiciunt, maximâ perfundantur voluptate. Bibliotheca eſt vas ampliſſimum, & oblongum, tria & amplius hominum millia capiens, cujus porta ordine Corinthio conſtructa cernitur. Novem ſunt, atque ingentes quidèm feneſtræ, ex quibus copioſiſſimè lumen excipit Bibliotheca ipſa, laqueare inſigniter depicto, & inaurato. Facies item Bibliothecæ interior ac primaria, quæ ingredientibus primùm ſeſe offert, multis ac pulcherrimis picturis manu Bagnacaballi, Pictoris inſignis exornatur: inter quas S. Patrem Auguſtinum contra Manichæos diſputantem videre eſt. Vas denique libros complectens eſt editiſſimo loco ſitum, reipsà id poſtulante, ut poſteà docere ſtudebimus: inferior enim ædificii pars eſt cella vinaria: media, eſt Refectorium, ubi religioſi viri cibo reficiuntur: ſuprema verò, eſt ipſa Bibliotheca. Qua in re ſilentio prætereundum non videtur quod à Card. Bobba de hujusmodi ordine ædificii dictum fuit: is enim dum fabricam admiraretur, hujus generis ordine ſtatim audito, ex improviſo & ingeniosè quidèm dixit: *Sapientia ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum, & propoſuit menſam.* Quod ad libros pertinet, Bibliotheca eſt omni genere ſcientiarum refertiſſima, codicibus Latinis, Græcis, Hebraicis, Chaldaicis, & Arabicis majori ex parte manuſcriptis conſtans. Extant inibi aliquot Ariſtotelis libri in linguam Hebraicam translati, & Bibliorum fruſtum, hoc eſt, liber Heſter in corio conſcriptus, & more antiquorum complicatus. Id quod faciebant antiqui in arborum corticibus ſcribentes, quo commodiùs ſecus ferrent libellum, qui propriè *volumen* à volvendo aut complicando dici debet. Hìc prætereà videre eſt præcipuos Rabinos, ut David Kimki, & alios manuſcriptos, multos item alios impreſſos. Græci Codices inſigniores manuſcripti, qui hac in Bibliothecâ reperiuntur, ſunt Hieronis liber de machinis bellicis tùm terreſtribus tùm navalibus, exornatus figuris, & Proclus eruditiſſimis inſignitus notationibus, & Ægyptiaca hiſtoria, quæ alibi fortaſsè non reperiuntur, & S. Baſilius in Pſalmos. Omnia opera Græca præcipuorum Auctorum tàm ad Theologiam, quàm ad philoſophiam pertinentia in hac ſunt Bibliothecâ, quorum multa etiam impreſſa inibi aſſervantur. Hìc quoque Biblia complutenſia quatuor linguarum, Pſalterium linguâ Syriacâ conſcriptum, & Quinquelinguium, Doctores omnes Theologos tàm ſcripturales, quàm ſcholaſticos, opera Alphonſi Toſtati omnia, quæ paucis in locis reperiuntur, ac denique Ephemeridas linguâ Longobardicâ conſcriptas, & aliqua linguâ Gotticâ exarata videre eſt. Hæc, ut finem faciam, Bibliotheca à Peregrino Fabretto cive Bononienſi ex eâdem S. Salvatoris Congregatione fuit primò inſtituta, & erecta, deindè ab aliis ejuſdem inſtituti Patribus in dies aucta, & conſervata. Prov. 9.

Perusiæ in Cœnobio Sancti Dominici extat item Bibliotheca non ignobilis.

Proſper Podianus, Civis Perusinus, animi nobilitate ac magnitudine in hac præſertìm re præſtandâ, hoc eſt in Bibliothecâ inſtituendâ, Principibus viris ætate noſtrâ haudquàquàm cedere debere judicatur: extruxit enim Bibliothecam Perusiæ mirâ manuſcriptorum codicum, omniumque librorum, qui ad hanc uſque diem in lucem prodierunt, varietate refertiſſimam.

Extabant in Siciliâ Bibliothecæ permultæ, ut ex hiſtoriis accepi, & præſertìm illa Archimandritæ nomine nuncupata in Monaſterio Sancti Salvatoris à Civitate Meſſana duobus milliaribus diſtante. Nunc verò ex inſignioribus Bibliothecis non extat niſi illa, quæ reperitur in Abbatiâ Sancti Placidi ex Congregatione Caſſinenſi Sancti Benedicti Th. Fazellus de rebus Siculis.

in

in duas partes divisa, in Græcos, scilicèt, codices, & Latinos.

Neapoli item sunt aliæ Bibliothecæ, ut antiqua illa Sancti Severini in pulvere quasi neglecta non secùs atque illa, quæ est Pausilypi in Ædiculis Augustinianorum a Simone Porcio Philosopho doctissimo, & quidem insigni ex testamento ibi relicta in gratiam Hieronymi Seripandi ejusdem Augustinianæ Familiæ olim Magistri Generalis, deindè Archiepiscopi Salernitani, ac tandem S. R. E. Cardinalis, & in Concilio Tridentino Legati. Hic autem Seripandes Neapoli in Cœnobio Sancti Joannis ad Carbonariam, ubi habitum ordinis suscepit, Bibliothecam Græcam, & Latinam insignem, ac locupletissimam tùm manuscriptorum codicum antiquitate, tùm etiam impressorum copiâ instituit, & ornatam non solùm imaginibus, verùm etiam concinnis codicum compagibus publicæ fratrum, & aliorum commoditati, atque utilitati reliquit.

Romæ denique multæ sunt Bibliothecæ tùm publicæ tùm privatæ: quarum omnium, immò & cunctarum, quæ hodie extant, pluribus de causis celeberrima est Vaticana Bibliotheca, de qua non solùm in hac Appendice, sed paulò item superiùs prolixum habuimus sermonem. Quare nihil est quòd de ea hoc loco immoremur. Bibliothecæ publicæ in Urbe sunt item aliæ, institutæ tamen commoditati præsertim eorum, qui in ipsis Collegiis, aut Cœnobiis vitam degunt, ut in Collegio Capranicensi, extat una a Dominico Capranica S. R. E. Cardinali erecta: in Congregatione Oratorii altera, quam Achilles Statius Lusitanus eidem Congregationi reliquit.

Extat etiam Bibliotheca in Cœnobio Sancti Dominici, in Ædibus, scilicet, Sanctæ Mariæ suprà Minervam a Fratre Joanne Card. de Turrecremata ejusdem instituti professo erecta, & paulatim aucta: à Fratre autem Vincentio Cardinale Justiniano ejusdem Ordinis olim Generali amplificata: in Ædibus Augustinianis, & in Cœnobio Sancti Francisci, vel Sanctæ Mariæ de Aracæli: in tribus enim hisce Cœnobiis extant Gymnasia, in quibus plurimi variarum nationum juvenes aluntur, qui bonarum artium studiis, ac Theologiæ præsertim operam navant. In Ædibus SS. Duodecim Apostolorum, hoc est Ord. S. Francisci, ubi Gymnasium florebat, nunc verò Sancti Bonaventuræ studiosorum Collegium à Sixto V. erectum, & redditibus dotatum, extabat olim Bibliotheca, ab eodem Sixto instituta.

His autem celebrior, & antiquior judicatur, & jure quidèm, Bibliotheca illa, quæ in Ædibus Canonicorum Sancti Petri in Vaticano ad id usque tempus reperitur: eaque censetur esse, quæ originem à Sancto Petro, & ab ejus successoribus, sive à summis primitivæ Ecclesiæ Pontificibus habuit augmentum, antequàm altera Summorum Pontificum Bibliotheca, scilicet, Vaticana ortum haberet: nam in ea inter varia multorum generum scripta Sanctorum etiam Martyrum, Summorumque Pontificum gesta conservantur.

Vide Pag. 339 vbi hæc fusius tractantur.

Extat Romæ in Ædibus Farnesianis Bibliotheca illa celeberrima à Paulo III. dum Cardinalitiâ erat dignitate insignitus, erecta: is enim literas latinas, & perpolitas quidèm Romæ à Pomponio Leto, atque item Græcas Florentiæ à Demetrio Chalchondyle edoctus, optimè callebat. Cùm itaque hujus generis literæ sibi forent in deliciis, Bibliothecæ construendæ, quæ hodie in Ædibus Farnesianis reperitur, diligentem operam dedit: eamque Græcis codicibus, Latinisque manuscriptis non paucis exornavit: quam Alexander Farnesius Pauli III. Nepos, vir insignis, & S. R. E. Cardinalis singularibus libris à Petro Crasso Episcopo Viterbiensi, qui ei olim inserviebat, relictis locupletavit. Eandem Bibliothecam multis Græcis, & Latinis item codicibus manuscriptis auxit Raynutius ejusdem Pauli Nepos, & S. R. E. Cardinalis Sancti Angeli nuncupatus, & Festo Pompejo tam celebri decoravit: hos autem libros Michael Silv. & S. R. E. Cardinalis Viseus ei ex testamento reliquit. Hæc denique Bibliotheca præsens in tempus ab Odoardo Farnesio Alexandri Card. Pronepote ex fratre in literis perpolitis egregiè erudito, & magnæ expectationis juvene, Græcis, Latinis, Hebraicisque manuscriptis, atque omni genere scientiarum refertissima diligenter custoditur, & asservatur.

Extant præterea Romę Bibliothecę privatæ non paucæ, quarum una est non tam multitudine, quàm bonitate librorum insignis, quam Sfortiadem à Familiâ nobilissimâ sic dictam vocant. Hæc maximâ sanè curâ, & diligentiâ custoditur, cùm in ea non solùm Græca volumina, & vetusta quidem, verùm etiam Autographa ipsa reperiantur, quæ non vulgari curiositate spectari, & legi solent, quippè quæ auctoritate non modicâ pollere dignoscantur.

Nec silentio prætereunda est Bibliotheca, quam Scipio Lancellotus Romanus, vir quidèm doctissimus, & S. R. E. Cardinalis extruxit. Hæc quamvìs manuscriptis, & antiquis codicibus non sit referta, est tamen celebris tùm ob librorum copiam (sunt enim ad septem millia volumina) tùm etiam ob perpulchram codicum compaginem, ordinem mirificum, & magnificum ornatum: quibus rebus nobilissima judicatur.

F. Michael Bonellus S. R. E. Cardinalis Alexandrinus nonnisi ad præclara omnia, & se ipso, hoc est Pii V. Nepote dignissima contendens, Bibliothecam nobilissimam, quam *Eremum* appellat, summâ impensâ instituit. Est enim Bibliotheca, & commoditate loci, undè magnâ ex parte Roma conspicitur, & forulis ipsis, armariis, scilicet, in quibus reponuntur libri, maximo sumptu factis, necnon ditissimis librorum compagibus adeò insignis, ut nulla alia hisce in rebus ex iis, quæ nunc extant, cum ea conferri queat. Hæc quotidie codicibus impressis, & manuscri-

ſcriptis augetur, perpulchro digeritur ordine, necnon picturis ad Eremum, & ſtudioſos pertinentibus, atque imaginibus exornatur. Bibliothecam hanc Eremum nominavit, Platonem, & Ariſtotelem (ut opinor) imitatus: nam in loco nemoroſo ab Athenis mille paſſus diſtante Academia Platonis erat *Gymnaſium* inferius dictum: ſuperiùs autem, quod erat Ariſtotelis, *Lycæum* dicebatur. Fuit etiam *Academiæ* nomine Villa Ciceronis nuncupata ad Avernum lacum non procul à Puteolis in littore ſita, porticu, & nemore inſignis: à qua etiam Academicis quæſtionibus, quas in hac Villa conſcripſit, nomen impoſuit. Id quod factum ab iis creditur, quia locum ab hominum frequentiâ, rerumque familiarium negotiis remotum ſtudiis philoſophandi maximè accommodatum eſſe compertum eſt. Hinc Cicero in Villâ ſuâ Tuſculanâ Quæſtiones philoſophicas ab Agro Tuſculano dictas conſcripſit. Quod ad imagines pertinet, ſecutus eſt Aſinium Pollionem, qui primus Bibliothecam Romæ inſtituit aut promulgavit, ut Plinius, & Iſidorus teſtantur, Auctorum imaginibus Bibliothecę atrium exornavit: inter quas ſolius Marci Varronis viventis imago erat, ut idem Plinius ait. Hæc de Eremicâ, ſive Alexandrinâ Bibliothecâ, ut ad ceteras Bibliothecas privatas accedamus.

Plinio lib. 35. cap. 2.
Iſid. lib. 6. c. 3.
Plin. li. 7. c. 30.

Hieronymus de Ruvere in omni ſcientiarum genere apprimè eruditus, & bonis animi dotibus optimè præditus, ac S. R. E. Cardinalis, inſignem, ut Anaſtaſius Germonius in libro 3. de ſacrorum immunitatibus teſtatur, habet Bibliothecam in oppido Vicinovi ſuæ ditionis, Græcis, & Latinis codicibus, manuſcriptis, & impreſſis refertiſſimam.

Li. 3. c. 6. n. 67.

Aſcanius Columnius S. R. E. Cardinalis, vir ſanè doctiſſimus, & non minus animi magnitudine, ac liberalitate, quàm familiæ nobilitate apprimè inſignis, Bibliothecam non ſolùm ingenti codicum impreſſorum copiâ, ſed libris etiam manuſcriptis, & reconditis quidem refertiſſimam coacervavit: is enim nonniſi ad heroica præſtanda, ac ſe ipſo digna natus, ſummis emit impenſis Bibliothecam illam Cardinalis Sirleti locupletiſſimam, ac celeberrimam: cui etiam Marci Antonii Marſilii Columnæ, Archiepiſcopi olim Salernitani Bibliothecam inſignem, & ſuos ipſius libros quàmplurimos hinc illinc conquiſitos adjecit: eamque in dies auget, & exornat.

Multæ aliæ ſunt Illuſtriſſimorum S. R. E. Cardinalium Bibliothecæ, quæ, quia ex omni diſciplinarum genere, tum impreſſis, tum etiam manuſcriptis libris refertæ non conſtant, licèt ſatis copioſæ ſint, eas tamen ſilentio prætereundas exiſtimavi: ſingula enim quæque eos ſcientiæ libros complectitur, cui quiſque præcipuam olim navabat operam, aliquâ tamen aliarum diſciplinarum, ac Theologicæ præſertim facultatis varietate admiſsâ.

Quamvis autem multæ privatorum item hominum Bibliothecæ ſint prætermittendæ, fieri tamen non poteſt, quin de Latini Latinii, ac Fulvii Urſini Bibliothecis mentio fiat: ille enim vir ſanè undequàque doctus, & magnæ exiſtimationis vir, Bibliothecam habet librorum varietate ſatis refertam, quam vivens Canonicis Viterbienſibus, ſuis concivibus, donavit. Hic autem, Fulvius, ſcilicèt, Urſinus, vir quidèm eruditiſſimus, & omnium antiquitatum notitiâ clariſſimus, Bibliothecam habet nobiliſſimam tùm librorum varietate, & bonitate, tùm multarum etiam rerum antiquitate: quamvis enim admodum numeroſa libris non ſit, Codices tamen ii ſelectiſſimi ſunt ferè omnes, & verè ſingulares, tùm Græci tùm Latini: nam inter Græcos libros ſunt quædam ſcripta majuſculis literis exarata, & præſertim celebre Dionis hiſtorici fragmentum, Bibliis Græcis, quæ in Bibliothecâ Vaticanâ reperiuntur, antiquius. Extant etiam in eâ libri aliquot à Theodoro Gaza, Conſtantino, & Joanne Laſcare, à Scipione Cartaromacho, & ab aliis hujus generis doctiſſimis, & inſignibus viris conſcripta. Sunt item inter Latinos libros aliquot codices literis quoque majuſculis manuſcripti, & præſertim Terentius, quem Petrus Bembus Cardinalis olim poſſedit, tempore Alexandri Severi Imperatoris conſcriptus, quo Angelus Politianus, & alii hujuſce claſſis viri, libros antiquiores non reperiri affirmant. Sciendum præterea eſt, hujus Codicis margines ſcholiis charactere Longobardico conſcriptis eſſe refertiſſimas, necnon aliquot Menandri verſibus Græcis ab ipſo Terentio in Latinam linguam olim translatis, & ſuo Poemati inſertis, & poſtremò à Petro Victorio promulgatis. Libri autem emendationes à Card. Bembo, qui dum in juvenili ætate unacum Politiano ipſum codicem cum aliis contulit, priùs præſtitæ fuerunt, deindè à Gabriele Faerno, nunc verò ab Fulvio Urſino. Extat inibi Virgilius, quem prius Pontanus, deindè Bembus poſſederunt. De hoc libro manuſcripto mentionem facit Pierius confirmans emendationem præſtitam in illum Virgilii verſum:

Convulſum remis, roſtriſque tridentibus æquor.

Legebatur enim in 5. libro, & mendosè quidèm, ut nunc legitur in omnibus exemplaribus, quæ videre potui, *ſtridentibus* pro *tridentibus*: ſed in 8. lib. ubi extat idem verſus, *tridentibus* legitur, aſteriſco tamen appoſito: in hoc autem vetuſtiſſimo codice, nonniſi *tridentibus*, legitur: nam prima hujus dictionis ſyllaba eſt longa, quæ in hoc verſu admitti non poteſt: illius autem, brevis. Hanc denique lectionem eſſe veram, illam verò mendoſam, perſpectum omninò fuit ex carmine illo Valerii Flacci dicentis:

Virg. li. 5. non procul à prin. Idem verſus legitur in 8. lib. non procul à fine.

Infinditq. ſalum, & ſpumas vomit ære tridenti.

Hic codex antiquior eſt Virgilio, qui extat in Bibliothecâ Vaticanâ, necnon Virgilio, qui olim fuit Pomponii Læti, deindè Angeli

geli Colotii Episcopi Nucerini, & in Bibliothecâ extat Mediceâ. Asservantur præterea in hac Fulvianâ Bibliothecâ libri Italicâ, & politiori quidem linguâ, quam Hetruscam novam appellant, conscripti: qui partim ex Bibliothecâ Petri Bembi, partim ex aliis desumpti sunt, & præsertim Petrarca, hoc est liber ille insignis non nisi versibus rhythmicis constans, & ipsius Auctoris manu conscriptus, quæ res singularis est. Quædam etiam hic asservantur linguâ illâ, quam uulgò *Provenzalem* vocant, conscripta, in quibus Petrarcæ manus apparet. Quædam item Joannis Boccacii, & aliorum virorum insignium manu exarata inibi videre est. Hęc denique Bibliotheca, ut huic tandem narrationi finem imponam, à Fulvio Ursino quadraginta ab hinc annis, ac plurimo ad id efficiendum ex Patrimonio ære collato, insigniter constructa est, multis aliis rebus antiquis exornata, ob magnam codicum antiquitatem, & raritatem, & (quod caput est) bonitatem insignis, ac ditissima ab omnibus, qui eam viderunt, existimatur: atque hisce tribus in rebus præsertim alias excellit Bibliothecas, atque item Vaticanam, quæ aliis de causis non solùm Fulvianam, sed ceteras omnes superare judicatur.

Extat denique Romæ Bibliotheca insignis Fratris Alphonsi Ciaconi Hispani, viri eruditissimi ex instituto Sancti Dominici. Hæc enim, & librorum copiam, & codicibus manuscriptis, necnon rerum antiquarum varietate, & quàm plurimis virorum insignium imaginibus ornata est, ac refertissima.

Nec silentio prætereunda videtur Manutiana illa Bibliotheca, mirâ librorum copiâ, & varietate, codicibus, scilicèt, non solùm impressis, sed manuscriptis etiam vetustissimis, Autographisque refertissima, quam ipsemet Aldus junior, vir sanè doctus, tùm de bonis, ac politioribus literis, tùm etiam de literatis viris, bonarumque artium cultoribus optimè meritus, suis sumptibus, Principum tamen liberalitate adiutus, instituit, auxit, atque Romam advexit: cùm enim ipse primum Romæ cum Paulo Patre viveret, eam struere cœpit, postmodùm Venetias profectus à Senatu Veneto in secretariorum numerum allectus, & præcipuâ humanarum literarum, ut dicitur, lectura insignitus, aliquot ibi vixit annos, donec Bononiam accersitus præcipuum in ea Civitate locum tenuit: indè Pisas à Francisco Medice Hetruriæ Duce ad Latinam, & Græcam linguam de superiori loco docendam vocatus, ibique juris civilis, & canonici laureâ decoratus. Romam tandem Sixti V. auspiciis petens, minore potitur statu, si præsentem spectemus: majore, si ejus merita, si Romanam Civitatem, si, quòd denique caput est, Pontificiam & indeficientem Sixti V. beneficentiam perpendamus: nulla enim alia res, ut opinor, hominem ipsum potuisset adducere, ut vel animo cogitasset, vel ut perficeret quod certè perfecit: octuaginta enim librorum salmas, & suprà octuaginta voluminum millia, in quibus multa extant, quæ admodùm singularia sunt, Romam deferendas curavit: quibus in itineribus ad duo ferè aureorum millia insumpsit, animo sanè suprà vires privatas; hac fortasse spe ductus, ut tandem aliquando ab iis, qui de literatis viris benè mereri solent, ac debent, aliquâ sibi ex parte resarcitum iri putaret, etiam si ipse non nisi bonum, ornamentumque publicum spectet, Aldum Avum, & Paulum Patrem non solùm imitatus, sed quodam etiam modo superans; quorum omnium Ædes ubique locorum, ut optimè novi, literatis & probis hominibus semper patuerunt: ex quibus item tamquàm ex Equo Trojano viri præcipui, Card. Hieronymus Aleander Motensis, Card. Rodulphus Pius Carpensis, à cujus Familiâ Aldus senior in eam adoptatus Pii nomen accepit, Episcopi permulti, & alii innumeri: A Paulo M. Antonius Muretus multorum instar, & alii, quos longum esset recensere, prodiere. De his omnibus, tribus scilicèt Manutianis, qui nonnisi juvandæ Reipublicæ Christianæ diligentem navarunt operam, memini me aliquando lusisse hunc in modum;

Viri insignes qui è Domo Manutiana prodiere.

Aldus Manutius senior moritura Latina,
Græcaq. restituit mortua fermè typis.
Paulus restituit calamo monumenta Quiritum,
Vtque alter Cicero scripta diserta dedit.
Aldus dum juvenis miratur Auumq. Patremq.
Filius atque Nepos, est Auus atque Pater.

Aldus enim senior publicę consuluit utilitati, dum impressoriam artem miro exercuit studio, ut Latinam linguam, & Græcam, quas optimè callebat, in pristinum splendorem, Joanne Baptista Alberto, Nicolao Peroto Episcopo Sipontino, Francisco Philelpho, Jo: Jucundo, Theodoro Gaza, Trapezuntio, Lascare, Chrysolora, Musuro, Urbano, & Bessarione ad eandem rem præstandam in scribendo adlaborantibus, typis perpulchris restitueret: nam eâ tempestate Græca, & Latina lingua maximam patiebantur jacturam. Paulus autem Aldi filius, alter Cicero in Latinè scribendo, Romanam linguam collabentem in pristinum nitorem studuit revocare, dum Latinorum monumenta diligenter scrutatus est. Aldus denique junior Aldi Nepos, & Pauli filius, dum Avum, & Patrem, & typis, ac scriptis imitatur, utriusque linguæ non ignarus, Avum, & Patrem imitatione repræsentat. Hæc de Aldinâ Bibliothecâ, tribusque Manutianis, necnon de insignioribus Bibliothecis, quæ hac nostrâ extant ætate. Nunc reliquum est, ut ad alia pertinentia ad Bibliothecas accedamus.

DE BIBLIOTHECARUM SITU,

Et librorum ordine, atque conservatione.

NEC ab re futurum spero, si de Bibliothecarum loco sive aspectu, librorum ordine, & conservatione nonnihil dicatur. Quod ad locum pertinet, ut brevibus agam, eum editiorem, & humiditatis omninò ex-

per-

Vitruu. pertem, ad orientemque ut Vitruvio placet, ſpectare debere ſentio: uſus enim librorum matutinum expoſtulat lumen, quod non ſolum ſtudioſis, verùm etiam Codicum conſervationi plurimùm prodeſſe compertum eſt: nam in locis Sole carentibus, & præſertim in Bibliothecis opacis ob chartarum naturam humiditati, & corruptioni facilè expoſitam, lanugo quædam, ſive ſordes, aut illuvies illa, qualis naſcitur inter opaca domus, quæ diù non repurgatur, & ſitus etiam dicitur, non modò odorem quendam tetrum, & aſpernabilem parit, qui aerem intrà Bibliothecam incluſum inficit, & olfacientium nares offendit, verùm etiam Codicibus ipſis non parum obeſt. Hujus generis incommodum evitari poterit, ſi Bibliotheca hinc inde habeat feneſtras, ex quibus lumen excipiat, & aer incluſus à ventis percuſſus habeat exhalationem, & expurgetur: verbis enim explicari vix umquàm poſſet, quantùm damni, & hominibus, & rebus denique omnibus aer corruptus afferre ſoleat.

Quoniam verò non ſolùm ſitu, aut putredine, ſed etiam pulvere vermiculus ille, qui ligna, veſtes, & libros abrodit, & *Tinea* dicitur, naſci ſolet, ne libri à tinea lædantur, eos frequentèr evertendos, & interdùm excutiendos eſſe judico: libri enim pulvere obducti à tineis non parum vexantur, ut experientia monet: ad quam vexationem fugiendam, cedrino item oleo, cupreſſiniſque arcis utebantur antiqui, ut Plinius ait, & Horatius hunc in modum teſtatur dicens:

Horat. in arte Poet.

Speramus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & lævi ſervanda cupreſſo?

Hoc loco Horatius appellat carmina cedrino oleo linenda, quæ immortalitatem promerentur, & ejuſmodi judicantur, ut poſteritati conſecrari debeant: quæ enim hujus arboris ſucco illinuntur, vel in arculis cupreſſinis cuſtodiuntur, cariem, aut tineam non ſentiunt. Plinius idem de cedri naturâ ſentit dicens: *Ex cedro reſina laudatiſſima*. Materię verò ipſi æternitas. Itaque & ſimulacra Deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus eſt Romę in Delubro Apollo Soſianus Seleuciâ advectus. Idem Plinius alibi de uſu cedrino in chartis perungendis loquens, ab Hemina in Annalibus ſcriptum fuiſſe ait, libros Numæ Pompilii repertos à Cn. Terentio ſub Janiculo non cõputruiſſe, quamvis annis D XXXV. infoſſos, eo quòd cedrati eſſent. Dioſcorides autem inquit viventium corpora à cedrino liquore corrumpi, corpora verò mortuorum conſervari: hinc cedrum mortuorum vitam à nonnullis vocitari affirmat. Servius in illud Virgilii: *Antiqua ex cedro* oleo cedrino conſervari chartas ait, quia cedrus ex vetuſtate nec tineas patitur, nec corruptionem: & propterea mortuorum imagines ex cedro teſtatur fieri ſolitas, ut aſſervari perpetuò poſſent. Hinc natum eſt proverbium: *Cedro digna*, ideſt æternâ laude, vel immortalitate, quale eſt illud Perſii:

Plin. lib. 15. cap. 5.

Plin. lib. 15. c. 13. & lib. 16 cap. 40.

Dioſc. lib. 1. cap. 86.

Seru. in lib. 7. Virg.

Perſius ſa. 1.

Cedro digna locutus.

Huc ſpectat illud Martialis ad ſuum librum loquentis hunc in modum:

Martial. lib. 1 in prine.

Cedro nunc licèt ambules perunctus

Et libro 5. Epigrammate 7. ait:

Et libro 5. epiſt. 7.

Quæ cedro decorata, purpuraque.
Nigris pagina crevit umbilicis.

Et Ovidius libro 1. de Triſtibus.

Ovid. lib. 1. de Triſt. Eleg. 1.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur:

Librorum igitur conſeruationi ſuccus cedrinus mirum in modum confert, ſicut eruditi viri teſtantur. Ego autem idem præſtari poſſe credo, ſi ex foliis cedrinis exſiccatis pulvis conficiatur, deindè per libros diſpergatur, vel libri forinſecus eo perfricentur. Studendum præterea eſt, ut glutinum, quo libri compaginandi ſunt, ex farinâ, & aceto, atque ex æris rubigine, ſive viridi, ut ajunt, ære conſtet excoctum; ſi enim non ſit excoctum, vel ex farinâ, & aquâ tantùm conficiatur, non ſolùm glutinum, verùmetiam paginæ ipſæ, ut ego non ſemel expertus vidi, fiunt proculdubio tinearum eſca. Hæc de librorum conſervatione, ut ad ordinem, ſeu diſpoſitionem accedamus.

De librorum diſpoſitione, & ordine.

NUnc reliquum eſt, ut ad eorundem librorum diſpoſitionem, & ordinem deveniamus · ordo enim, qui eſt in ſuo loco rei uniuſcujuſque collatio, adeò omnibus in rebus eſt neceſſarius, ut ſine eo cuncta confundantur, & inter ſe permiſceantur. Id quod in iis præſertim, quę ad rem literariam ſpectant, evenire ſolet, cum ordo, ut ait Orator, *memoriæ maximè lumen afferat*: immò, eodem teſte, *quidquid peccatur, perturbatione rationis, & ordinis peccatur*: nam ſi, exempli causâ, Grammatica cùm Mathematica, & Poeſis cũ Theologia, Theologia itẽ cum Grammatica, & Poeſis cum Mathematica commiſceantur, ſicut nihil eo eſt perturbatius, ita nihil ſtudioſis incõmodius evenire poteſt. Ordo igitur, ut rerum confuſio, & ſtudioſorũ perturbatio de medio auferantur, ſervandus eſt. Quamvis autem in doctrinarum ordine, ſive in librorum diſpoſitione ſervanda diverſi diverſa ſentire videantur, omnes tamen aliquem obſervant ordinem non incommodum ſtudioſis.

Cic. off. lib. 1

Cic. lib. 2. de Orat.

Cic. in Paradox.

Dicam igitur ego quod ſentio: quodque a multorum opinione non abhorret. Quælibet Bibliotheca in plures dividenda eſt claſſes, quarum ſingula quæque multos complectatur libros: ſed ut a nobilioribus ſumam exordium, Biblia (quo nomine libri ſacri per excellentiam appellantur, cùm ſit Liber doctrinam divinitùs inſpiratam complectens, omneſque libros excellens) primo loco ſtatuenda credendum eſt. Sed inter varias Bibliorum converſiones manuſcriptas atque impreſſas, Biblia ſacra Vulgatæ editionis ad formam præſcriptam a Concilio Tridentino, & in Decre-

Prima claſſis.

to

to ſacrorum Bibliorum contentam, primum locum tenere jure quidèm debent: deindè Biblia Hebraica impreſſa, & manuſcripta, atque item Græca juxta antiquitatis ordinem: poſtremò denique Commentarii omnes in Scripturam Sacram eodem antiquitatis ordine ſervato ſequantur.

Hoc autem loco haudquàquàm ſubticendum videtur, quod de Bibliis manuſcriptis mihi ſeſe offert: vidi enim multa Bibliorum exemplaria manuſcripta, alia aliis antiquiora, quæ ſuis in Ædibus Romæ Antonius Cardinalis Carafa non ſine magno labore, atque impenſis coacervavit, undiquè iis conquiſitis: nam de Bibliis Vulgatæ editionis ex Decreto ſacroſancti Concilii Tridentini emendandis Congregationem jam indè a Pio IV. inceptam, in ejuſdem Cardinalis Ædibus haberi Sixtus V. mandavit. Vidi igitur multa Bibliorum exemplaria ex membranis: ſed duo inter omnia tùm temporis antiquitate, & characterum excellentiâ, tùm etiam aliis nominibus nobiliſſima judicantur. Horum vnum exemplar fuit Caroli Magni, magnificentiſſimè ſcriptum, quod in Ædibus ſancti Pauli extrà Urbem aſſervatur: alterum verò in vetuſtiſſimo Ciſtercienſium Monaſterio Montis Amiatæ Agri Senenſis cuſtoditur, totum literis majuſculis exaratum, ſicut antiquitùs apud Romanos ſcribi paſſim ſolebat. Id quod antiquitatem illam redolens circiter iam mille a Chriſto nata Redemptore noſtro annos exiſtimatur ſcriptum: nam tempore Beati Gregorii Magni conſcriptum fuiſſe omninò exiſtimatur, de quo in Commentariis Pii II. fit mentio, dum de dicto Monachorum Cœnobio ſermo habetur, hiſce verbis: *Sacram ſupellectilem habuit pretioſam, & Bibliothecam nobilem, cujus pauca extant volumina, inter quæ unum maximum, & admirabile veteris, & novi Teſtamenti literis majuſculis exaratum, quod Pius Pontifex cupidè vidit.* Nec ſilentio prætermittendum cenſeo, quod penès Hieronymum Cardinalem Ruſticucium ſervatur: eſt enim exemplar vetuſtum, & in membranis ſcriptum, ſed ita magnifico, & regio ſumptu, hoc eſt omnibus Bibliorum hiſtoriis per pictoriam artem ad amuſſim, & ad vivum per varios colores, & pulcherrimos quidèm repræſentatis ornatum, ut nihil hac in re pulchrius, aut præſtantius deſiderari queat. Quę quidem res Cardinale Ruſticucio, hoc eſt ſua ipſius magnificentiâ, atque ſplendore digna eſt. Hujus generis Bibliorum exemplaria nobiles bibliothecas reddunt inſigniores, in quibus poſt Scripturam ſacram Concilia, Diplomata, ſeu Bullæ ſummorum Pontificum, & Jus Canonicum: deindè omnes In ſacram Paginam Commentarii tùm ſcholaſtici, tùm ſcripturales, ſed hi primo loco inter Commentarios ſtatuendi ſunt, deindè, ut ſic dixerim, Sermonarii, poſtremò autem opuſcula ad Theologicam facultatem, & Chriſtianam fidem ſpectantia, necnon ſummæ ad conſcientia caſus pertinentes, Eccleſiaſticique denique libri ſunt apponendi. Hæc de prima, & digniori claſſe.

Libr. 9. non procul à prin cip.

Secunda Claſſis Philoſophiam complectens ſecundo apponatur loco. Philoſophia verò juxtà ordinem Ariſtotelicum erit diſtribuenda: Ariſtoteles enim: ut Gellius tradit, & Cicero teſtatur, duas philoſophiæ ſpecies tradidiſſe dicitur: nam quædam *Exoterica*: alia verò *Acroamatica* dicebantur. Secunda claſſis.

Aul. Gell. lib. 20. cap. 4. Cic. lib. 5. de fin.

Exoterica, ut Gellius ait, dicebantur, quæ ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant: hæc a Cicerone populariter ſcripta vocitabantur. Acroamatica verò a verbo Ἀκροάω, quod eſt audio, dicebantur ea, in quibus Philoſophia remotior, ſubtiliorque agitabatur: quæque ad naturæ contemplationes, diſceptationeſve dialecticas pertinebant: quæ a Cicerone limatius, & perpolitius ſcripta nuncupabantur. Hujus generis videntur eſſe omnia, quæ de natura ſubtiliùs ſcripta ſunt, & præſertim pars illa, quæ *Phyſica*, ſive *de phyſico auditu* inſcribi ſolet, ac debet: hæc enim Philoſophiæ pars nonniſi maximâ percipi poteſt difficultate, ſicut ex Epiſtola Ariſtotelis ad Alexandrum Magnum diſcipulum ſuum conſtat dicentis: *Acroamaticos libros, quos editos quereris, & non perindè ut arcana, abſconditos, neque editos ſcito eſſe, neque non editos: quoniam iis ſolis, qui nos audiunt, cognobiles erunt.* Hæc ex Gellio, qui utrarumque Ediſtolarum recitat exempla. Primum igitur locum, ut ordinem primæ Claſſis ſequamur, occupabunt Phyſicorum libri, & aliæ philoſophiæ naturalis partes, quæ multæ ſunt: deindè Politica, Ethica, Œconomica, poſtremò autem Logica: Commentarii etiam, eodem primæ Claſſis ordine ſervato, necnon Metalla, Alchimica, & Opuſcula quæcumque, ceteraque omnia ad philoſophiam naturalem pertinentia ſtatui debent: poſtremum verò locum Indices, & alia id genus ſibi vendicabunt. Exoterica ſcripta. Acroamatica ſcripta. Gellius l. 20. cap. 4.

Tertia Claſſis omnia, quæ ad Mathematicam ſpectant, complectitur. Hujus ſcientiæ partes hoc ordine ſtatui poſſunt: Aſtrologia, Aſtronomia, Coſmographia, Geometria, Geographia, Muſica, & Arithmetica, necnon ea, quæ ad haſce diſciplinas reduci queunt: ut Statica de ponderibus: & Metrica de menſuris, & alia id genus permulta. Idem denique de Commentariis, & opuſculis, & aliis rebus intelligendum erit, quod ſuperius dictum eſt. Tertia claſſis.

Quarta claſſis, quæ eſt de Medicina, ordinem ſuperiorem ſervabit, quem in Philoſophicis libris ſecuti ſumus. Quarta claſſis

Quinta erit de juris civilis prudentia, ordine ſuperiori ſervato. Quinta claſſis.

Sexta erit de Grammaticis Hebraicis, & Græcis, ac de linguis, ac Dictionariis, de Hiſtoria, Poeſi, Rhetorica, Dialectica Græcè conſcriptis. Sexta claſſis.

Septima, ordine item ſuperiori ſervato, complectatur Grammaticos Latinos, Hiſtoriam, Poeſim, Rhetoricam, Dialecticam, & in haſce artes Commentarios, necnon Dictionaria: Septima claſſis.

Octava erit de rebus mechanicis, quarum partes ſunt, Ars Militaris, Agricultura, Archi- Octava claſſis.

Architectura, Pictura, & Sculptura, Venatio, Aucupium, & Piscatus.

Nona classis. Nona erit de Opusculis quibusdam, quæ sunt, Res vxoria, Aulica, Nautica, Ars natandi, & Culinaria.

Decima classis. Decima complectatur Stromata, Encyclia, & Catholica: illa varias res, hæc disciplinarum orbem continent.

De Bibliothecis hactenus, ut quæ de Typographiis dicere statuimus, tandèm aggrediamur. Qui plura de librorum ordine in Bibliothecis servando scire cupit, Robertum Constantinum in insignium Scriptorum Nomenclatore, necnon Joannem Baptistam Cardonam Episcopum olim Dertosanum de Regia Sancti Laurentii Bibliothecâ legat. Hic etiam videre est, quæ Fulvius Ursinus de Bibliothecis in genere scripsit, necnon de Vaticana ex Onuphrij Panvinii non editis collegit: hæc enim Cardona typis mandandi curavit. Ego verò nonnulla de Bibliothecæ Vaticanæ Bibliothecariis, & Custodibus ex eo codice desumpsi, ut suo loco antè Appendicem cernere licet.

DE TYPOGRAPHICÆ

ARTIS INVENTIONE,

Et præstantia.

TYpographicæ artis inventum usui chartarum apud nos frequenti, & valde utili, ita præstat, vix ut verbis umquàm explicari queat. Hoc enim novo scribendi genere, tantum uno die ab uno homine literarum imprimitur, quantum vix toto anno, ut Polydorus testatur, a pluribus scribi posset. Polyd. Virg. lib. 2. c. 2. Hinc non solùm mira librorum copia ad nos manavit, atque ita, ut quisque, quamvis egenus, literarum studiis facilius incumbere queat, verùm etiam Scriptorum monumenta ab omni prorsus interitus periculo vindicata sunt, & quotidie non modò ab hujusmodi interitu, sed ab aliis etiam incommodis, quæ multa sunt, vindicantur. Quamvis autem impressoria hujus generis ars in Europa, anno a partu Virginis 1442. fuerit inventa, ut multi scribunt, eam tamen in magno Sinarum Regno, ante annos plus minus bis mille in usu fuisse, atque nunc esse accepi a multis, qui inibi diù vixerunt, & præsertim a Michaele Rogerio Neapolitano e Societate Jesu, qui, cùm undecim annos ad Christianam fidem propagandam eo in Regno vitam duxerit, nunc Romam ab ejus Regni incolis missus: ait se legisse libros verbis, & characteribus Siniacis impressos ante Salvaroris nostri adventum annos circitèr quadrigentos. Typographica verò ars, quæ dicto in Regno exercetur, distat a nostra: ea enim non habet characteres ex plumbo, ac stanno conflatos, quibus utuntur nostrates, sed in tabulis insculptos, quales nos interdum effingimus cum figuras in tabulis ligneis, vel laminis æreis incidendas curamus, & alia id genus permulta. Utuntur præterea Sinarum inculæ in imprimendo paginis tenuissimis ex cujusdam arboris cortice confectis, ut suprà a nobis non semel dictum est, cum de quodam libro apud Siniacos impresso, quem Frater Spiritus Vincentinus, summus olim Augustinianorum Magister Sixto V. dono dedit, mentionem fecimus. Hujus item generis libros aliquot vidi asservatos penes Michaelem Rogerium, nuper a me nominatum, qui mihi paginam Oratione Dominicâ, & Salutatione Angelicâ insignitam, & verbis, & characteribus Siniacis impressam donavit. Utuntur denique variorum colorum atramento, & vice glutinis alumen adhibent in paginis conglutinandis, aut tenuissimè illinendis, ut quandam eis soliditatem, aut tenacitatem ad charactes recipiendos tribuant: nam ob miram chartarum tenuitatem, nonnisi altera cujusque paginæ facies imprimi solet, ut ego ipsi vidi. Hoc autem admiratione dignum est, omnes dictiones Siniacæ linguæ esse monosyllabas, ut in Oratione Dominicâ, quam suo jam loco apposuimus, videre est. Multos igitur post annos ars Typographica in Europa anno salutis nostræ 1442. inventa fuit, ut Polydoro placet, a Joanne Guthembergio natione Theutonico, equestri dignitate viro, sicut ab ejus civibus se audisse ait, in Oppido Germaniæ, quam *Moguntiam* Latinè dicunt, vulgari vero sermone *Maintz*. Polyd. Virg. lib. 2. c. 2. Decimosexto deindè anno, qui fuit salutis humanæ 1458. quidam nomine Conradus, eodem Polydoro teste, homo itidem Germanus, Romam primò in Italiam attulit, quam deindè Nicolaus Jenson Gallus mirum in modum illustravit. Pol. Virg. Hæc Polydorus. Volaterranus autem, duos fratres Alemannos in Italiam advexisse artem impressoriam, & anno ab Orbe redempto 1465. Romæ instituisse, & Libros sancti Patris Augustini de Civitate Dei, & Lactantii Firmiani institutiones primùm impressisse affirmat. Libri primũ omnium impressi. Alii ejusdem Augustini Confessiones primùm impressas fuisse ajunt. Sunt qui velint hujus artis inventores fuisse Joannem Faustum, & Ivonem Schœfferum anno Dominicæ incarnationis 1440. deinde a Joanne Huthembergio eam illustratam fuisse in Germania: anno verò 1460. a Conrado item Germano Romam, a Sixto autem Russinger Argentinate Neapolim advectam, & in Italia ab Aldo seniore illustriorem fuisse redditam, & a Nicolao Jensone Gallo in Galliam asportatam. Sed in tot Scriptorum controversiâ, apponere libet quod manu Mariangeli Accursii exaratum in primâ Donati Grammatici paginâ inveni. Aldus enim junior, vir quidèm eruditus, & in Antiquorum monumentis indagandis accuratissimus, ostendit mihi librum Donati ex membranis confectum, & impressum, in cujus priori paginâ hæc scripta leguntur.

Invention Typograph. in Europa 1442.

In Regno Sinar. ferè 400. ann. ante advent. Salvatoris.

Joannes Fausi, Civis Moguntinus, avus maternus Joannis Schœffer, primus excogitavit imprimendi artem typis æreis: quos deinde plumbeos invenit: multaque ad artem poliendam addidit ejus Filius Petrus Schœffer. Impressus autem est

hic Donatus, & Confessionalia primùm omnium anno 1450. Admonitus certè fuit ex Donato Hollandiæ priùs impresso in Tabulâ incisâ. Hæc ibi, ubi etiam a latere eadem manuscripta leguntur: *Hæc scripsit Mariangelus Accursius*. Hic liber est Grammatica Donati: non parum autem, quantum ad ordinem pertinet, ab ea distans, qua in Italia uti solemus: immò principium est adsimile Grammaticæ institutioni Guarini, qui ab eo multa accepisse judicatur.

Antiquorum typi.

Hujus codicis typi, & imminutus imprimendi modus rudem illam inventionem præseferunt: characteres enim a primis illis Inventoribus non ita eleganter, & expeditè ut a nostris fieri solet, sed filo in literarum foramen immisso, connectabantur, sicut Venetiis id genus typos me vidisse memini. Ut cumque autem sit, Typographia non solùm a nobilibus, & eruditis viris, ac ditissimis quidèm fuit inventa, sed etiam ab hujus generis hominibus diù exculta. Hac autem tempestate, in qua per totum ferè terrarum orbem exercetur, vilissimus quisque, perpaucis exceptis, egenus præterea, nulliusque eruditionis homunculus eam illotis tractat manibus, spe tantum lucri, aut mercaturæ exercendæ gratiâ ductus. Hinc factum est, ut soli ferè Mercatores, quorum multi nullum norunt literarum elementum, pauperrimis hanc artem hominibus exercendam committant, quæstum indè omnem desumentes, & non nisi labores literarum concinnatoribus, qui, & *Compositores* dicuntur, necnon iis, qui prælo præsunt, & *Torcularcs* vocitantur, reliquentes. Correctores insuper, vel satis mediocriter eruditi ob tenuissimâ mercedem ad corrigendi artem eliguntur, vel si eruditi sint, accurati esse non possunt, ob ingentem farcinâ humeris imparem, quam tamen sponte susceperunt, ut die noctequ; adlaborantes victum quotidianum sibi comparare queant. Id quod etiam Compositoribus, Torcularibus, ac Proto, ceterisque hujusce artis operariis evenire solet. Dira igitur lucri cupido, pace bonorum dixerim, hanc nobilissimam artem, & omni laude dignam deturpavit, velissimamque reddidit. Quamvis autem hæc ars a pristino illo splendore degenerarit, characteribus exceptis, qui nunc pulchriores sunt, & in majori extant varietate, addito item multarum rerum ornatu, non defuerunt tamen nostrâ ætate viri eruditissimi, publicam utilitatem adamantes, & honorem magis, quam quæstum sectantes, qui ipsam diligenter excolverunt, & in maxima conservarunt existimatione. Quos inter, Aldus Pius Manutius senior primum hac in re locum occupavit, atque ita, ut omnibus in rebus quidquid exacti, quidquid pulchri, quidquid denique boni appareat, idipsum Typographiæ Aldinæ nomine ex proverbio nuncupari soleat: fuit enim doctissimus, ac non minus re, quam cognomine, *Pius*, omnique laude dignus, ut in Bibliotheca Aldina fusiùs dictum est. Audivi enim ab iis, qui cum eo diù versati sunt, ut alias postabeam diligentias in Typographia præstitas, duo ad summum folia, singulâ quaque hebdomadâ imprimi solere, cùm hodie totidem ferè in singulo quoque prælo quotidie cudantur, nullâ præstitâ multis in locis accuratione, quin etiam (proh scelestum, & nefarium facinus) posthabito Correctore. Hinc fieri non potest, quin libri multis conspersi mendis, atque hæresibus imprimantur, ut frequentissimè vidi. Huic sanè rei Principes Civitatum non solùm privatæ, sed publicæ etiam utilitati consulentes, toto conatu invigilare deberent: vix enim verbis explicari posset, quantum boni ex hujusmodi arte nascatur, si diligenter; contrà verò, si negligenter, & spe sordidissimi solùm quæstus exerceatur: cujus enim bonus usus, illam rem bonam dicas oportet: contrà verò, cujus usus malus, sicut de pecuniis, de armis, & de aliis dicendum est, & præsertim de sclopo, quem vulgo vocitant *Arcombusium* ab arcu & foramine, quod Itali *busium* dicunt. Idem sentiendum est de tormento illo æneo, quod *Bombarda* à *bombo*, *ardeo*, & *do*, passim nuncupatur: nam facit bombum terribilem, scilicèt, sonitum, ardet, & dat. Quamvis enim hujusmodi tormentum bellicum, ut ait Polydorus, casu repertum à quodam Germano homine admodum ignobile, sed ut ait Genebrardus, à Bertholdo Schuartz, sive Nigro, quem deindè hujus machinæ usum Venetiis in illo bello, quod ad Fossam Clodiam cum Genuensibus anno salutis humanæ 1330. gestum est, primùm ostendisse affirmat, non propterea diabolica res appellari debet, si usus bonus sit, hoc est in defensionem Ecclesiæ, justisque aliis de causis adhibeatur. Artis etiam Typographicæ usus si sit bonus, quantum inde boni nascatur, vix umquàm dici posset: si autem sit malus, alterum tantum mali ex eo oriri necesse est, ut experientia ipsa docet. Studendum igitur est, ut Ars typographica rectè, & cum splendore tractetur non secus atque Aldus fecit, quem magnà ex parte imitati sunt Badius Ascensius, Frobenius, Junctæ, Sebastianus Gryphius, Christophorus Plantinus, & alii perpauci: sed, ut verum dicam, nunc à splendore illo desciverunt. Quare Sixtus V. ad præclara omnia, & sanè pia contendens, Typographiam Apostolicam Vaticanam magnificentissimè instituit, viris doctis undique conquisitis ad Concilia Generalia imprimenda, Sanctorumque Patrum monumenta restituenda, Ecclesiasticosque libros promulgandos, necnon ad Catholicam disciplinam toto terrarum Orbe propagandam: quantum enim jacturæ passa sit universa Theologorum, Catholicorumque Schola, quantove discrimini exposita sit, optimè ipse novit. Hinc nobilissimam Typographiam, rem quidèm Pontifice, quin se ipso dignam in Vaticano instituit, Dominico Basa Veneto, Typographo, homine quidèm navo, & industrio, ac sagaci ad Typographiam erigendam, atque regendam electo, qui pro hujusmodi re præstandâ circiter quadraginta aureorum millia insumpsit nulli parcens incommodo, nullique impensæ. Hæc præterea Typographia Apostolica Vaticana,

Vsus bonus rem bonam reddit.

Lib. 2. c. 5.

Genebr. lib. 4. anno Domini 1380. Ex Platina. Herburto, & aliis.

Typographiæ Vaticanæ initium.

cana, & elegantiâ, ac varietate, ingentique characterum copiâ, Latinis, scilicet, literis, Græcis, Hebraicis, Arabicis, & Servianis, necnon chartarum pulchritudine ac bonitate, aliisque rebus imprimendi arti necessariis, cæteras Typographias longè antecellit, viris eruditissimis ad exemplaria (quod caput est) recognoscenda & illustranda selectis. Id quod Typographiam ipsam reddit nobiliorem, in qua Scripturæ Sacræ, Concilia, Sanctorum Patrum scripta, aliorumque Doctorum libri tùm scholastici, tùm scripturales, omnesque denique Codices ad Theologiam, Catholicamque disciplinam, historiasque Ecclesiasticas pertinentes accuratè in dies imprimuntur. Hæc sunt arma, quæ contra adversariorum machinas veritati tantoperè oppugnatæ opem ferunt: hæc denique sunt arma illa, ad quæ cohortatus nos Beatus Paulus dicens: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli*. Et infrà: *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* Hæc profectò arma à Francisco Lamata Doctore Theologo, ex Provincia Aragoniæ, viro quidèm erudito, suâ in Epistolâ ad Sixtum V. satis bellè explicantur. Quare ego, cum hæc mecum considero, in hanc devenio sententiam, nihil Typographiæ Vaticanæ erectione præclarius & opportunius ad Catholicam Fidem defendendam excogitari potuisse. Faxit autem Deus, qui bonum incipit opus & perficit, ut divina hæc erectio illud habeat incrementum, quod à bonis speratur ac desideratur. Hæc de Typographiis,

Ephes. 6.

DE SIXTI V.

ÆDIFICIIS.

QUoniam in Bibliotheca Vaticana ad pictoris arbitrium repræsentatur rerum gestarum Sixti V. Theatrum nobilissimum, à ratione alienum fore non puto, si in ejusdem Bibliothecæ Appendice, omnia Ædificiorum genera à Sixto V. magnificentissimè ad hanc usque diem perpetrata hoc loco summatim apponantur, quamvis de nonnullis sermonem jam habuerim, ut suis in locis videre est.

Anteàquam Sixtus V. omni immortalitate dignissimus ad Pontificatum fuisset assumptus, Cardinalitiâ tamen dignitate decoratus, Palatium struxit suo in horto, vel Viridario amplissimo picturis undequaque ornatum, ubi nunc æstivo tempore frequenter habitare solet. Cum primùm Summus Pontifex divinâ providentiâ creatus fuit, statim Sacellum, in Ædibus Sanctæ Mariæ Majoris ad Præsepe, quod nunc *Sixtianum* dicitur, aggressus est, atque Sacellum vetustissimum, quod *Præsepe* nuncupatur, eò integrum transferendum curavit. Hisce in Ædibus cernuntur Statuæ Pii V. & Sixti V. egregiæ, necnon eorumdem sepulchra magnificentissimè ab eodem Sixto constructa. Miram hujus Sacelli structuram suprâ videre est. Scalam sanctam in splendidiorem locum transtulit, eamque necnon Sancta Sanctorum mirificè exornavit: Ambulacrum, sive Porticum superiorem, & inferiorem Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, ubi Summus Pontifex benedictionem in die sancto Paschatis elargiri solet, à fundamentis instauravit, & illustriorem reddidit: atque inibi Palatium Pontificium à fundamentis restituit, amplissimum reddidit, admirabili structurâ exornavit, & Pontificia dignitate dignum, in quo publica etiam Consistoria celebrantur. Ecclesiam S. Hieronymi, & Illyricorum Nationi Hospitium à fundamentis, suisque impensis construendum mandavit, ut fusiùs suo loco jam dictum est. Scalam item longissimam & amplissimam, & pulcherrimis picturis ornatam Pontificum commoditati in Vaticano aperuit, quà ire possunt à Palatio Pontificio ad S. Petrum absque eo quod in publicum exeant. Ecclesiam S. Sabinæ, ubi Cappella Pontificia in die Cinerum celebratur, instauravit. Obeliscos quatuor maximis quidèm impensis transferendos, & erigendos curavit, ut suis jam locis fusissimè dictum est. Hospitium, vel Xenodochium, sive Ptochodochium, & Ptochotrophium, ut suprà videre est, quam *domum mendicantium* vocant, ad Pontem Sixtum extruxit. Statuam S. Petri æneam, & inauratam suprà Columnam Trajanam: & Statuam S. Pauli ex ære, & auratam suprà Columnam Antonianam erexit, quam etiam multis in locis instauravit. Lavacrum mulierum pauperum commoditati, & locum publicum Sericæ arti commodum ad Thermas, Lanæ autem ad Viam Felicem ad Amphiteatrum, vel, ut dicunt *Coliseum*, usque instituit. Aquam Felicem per longos aquæductus ex Agro Prænestino ad viginti duo mille pass. Romam usque ad Quirinalem mirificis impensis adduxit, eâque Romam undique irrigandam concessit. Mirificam Fontis in Quirinali structuram, & alia scitu digna suo loco videre est. Amplissimum Pontificum commoditati Palatium in Quirinali struit, & exornat. Hoc in monte Phidiæ, & Praxitelis equos & Aurigas instauravit, necnon in splendidiorem transtulit locum & viam, quæ ab Equis ad Portam Piam ducit, excavavit, complanavit, & commodiorem reddidit, ut copiosiùs alibi dictum est, ubi multa de Equis, digna quidèm scitu, videre est. Fontes publicos Romæ multos struxit: Plateas complanavit, multasque vias stravit, quarum unam *Felicem* vocant ad quingentos, ac duo mille passus longam. Duas item longas, latasque ad populi commoditatem, ac devotionem stravit vias, quarum una a Porta Sancti Laurentii extrà muros ducit ad Ædes Sanctæ Mariæ majoris ad Præsepe: altera verò ex eodem loco ad Thermas, sicut uberiùs alibi narratum fuit. Novam item stravit viam ab Ædibus Sanctæ Mariæ ad Præsepe, ad Sanctum Marcum, alteram ab Ædibus Sancti Joannis in Laterano ad Amphitheatrum, aliam a Porta Salaria ad

De Scala S. & de Pa... ater. Item de Scala Sancta.

viam Piam. Montem Sanctæ Mariæ Majoris, & Plateam Sancti Joannis in Laterano complanavit, & viam, quæ ducit ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ ad Præsepe, replevit, & altiorem, commodioremque reddidit. Plateam Sanctæ Mariæ Angelorum exornat, ruderibus, parietumque ruinis, aut veterum Ædificiorum excidiis undique amotis. Turrim Nicolai Papæ in editissimo loco sitam ad nemus, vulgò *Belvedere* dictum, sive *Pulchrum Viridarium* propè Vaticanum Palatium, majorem, sive altiorem reddidit, & aliquâ ex parte restauravit. Ædes in Palatio Vaticano, loco aperto, ac salubri, gratoque Urbis aspectu insignes Pontificum commoditati facit, ut inscriptio ipsa docet.

DE THOLO
BASILICÆ S. PETRI.

THolus Ecclesiæ Sancti Petri sphæricus est, sicut videre licet, opus sanè adeo admirandum, ut in toto terrarum orbe nihil ex antiquis, aut novis ædificiis cum eo conferri queat. Quamvis autem de ipso satiùs sit silere, ut ille dixit de Carthagine, quàm pauca dicere, nonnulla tamen tenui saltem penicillo describenda esse censeo, ut qui Romæ non adsunt, aliquam notitiam habeant. Hujus generis opus tam immensum, tantâque admiratione dignum, Bramante Architecto egregio, ut alibi dictum est, Julio II. jubente cœptum fuit: deindè ab aliis Pontificibus intermissum, sed Paulo III. mandante, à Michaele Angelo Bonarotâ Architecto, & Pictore eximio, & numquàm satis laudato, reformatum est, & auctum. Sacra hæc Sancti Petri Ædes, immensa quidèm, & admirationis plena à ceteris deindè Pontificibus fuit continuata Sacello Gregoriano, Jacobi à Porta opere, & aliquot testudinibus aucta: Tholus verò, quem *Cupulam* vocant, tamquàm moles operosior, immò operosissima ceterarum totius machinæ partium, tùm ob impensas sanè ingentes, summosque labores, tùm ob temporis diuturnitatem ab aliis Pontificibus desperatus, jubente Sixto V. ad res sanè arduas, ac præclaras producendas nato, duorum ac viginti mensium spatio, centum millibus aureorum singulo quoque anno consumptis, per operarios homines ad octingentos perficitur, summâ industriâ Fabii Blondi Patriarchæ Hierosolymitani, & operâ, ac labore incredibili Jacobi à Porta Architecti egregii, totâ Urbe exultante, & admirante. Nam etsi ceteri Summi Pontifices hujus generis opus tam pium, tamquàm arduum majorem in modum affectarunt; quod tamen vehementer cupiebant, executi non sunt: eos enim impensæ magnitudo deterruit, ac temporis longinquitas ab opere faciendo revocavit: Architecti namque nonnisi quinque decies centenis nummum aureorum millibus, decemque annorum spatio mirificam, & operosissimam illam molem erigi posse omninò affirmabant. Sixto autem V. illud idem asse qui cupiente, aliquot magnæ existimationis Architectos accersivit: sed ii manifestam operis difficultatem, & breve temporis intervallum intuiti durissimam renuerunt Provinciam, quam Jacobus à Porta ingenii excellentiâ præditus, & egregiè cordatus homo, Architectusque nobilissimus, omnium admiratione suscepit, remque ipsam iisdem impensis eodemque temporis spatio suprà enarratis universæ Urbis, & Orbis exultatione absolvit: moles enim ipsa operosissima extrui cœpit anno salutis nostræ MDLXXXVIII. Mense Julio ineunte, anno verò MDXC. Die 14. Maji suam recepit perfectionem, exceptis laminis plumbeis, quibus Tholus contegitur, & bracteis aureis, quibus costæ mirificè ornantur; necnon Laternâ columnis extructâ, pilâ, & Cruce inauratis super Tholum collocatis: quæ omnia septem deindè mensibus confecta sunt: Mensibus autem undetriginta, cuncta suis omnibus numeris fuerunt absoluta.

Sallust. de bello Jugurt. in princ.

Sixti V. magnanimitas.

Impensæ pro Tholo construendo.

Tholi Præfectus.

Architecti laudes.

Ut autem aliquid de Tholo intimiùs à nobis describatur, ejus altitudinem, & latitudinem, necnon alia ad tantam molem construendam, & ad Tholi ornatum pertinentia explicabimus. Tholus ipse, sphæricæ figuræ moles, à suo ipsius pavimento ad fastigium usque, hoc est ad initium usque machinæ, quam vulgo *Laternam* vocant, quingentis palmis Romanis constat, latitudine verò diametrali, ducentis: sustentatur autem, hujusmodi moles quatuor parastatis, sive, antis immensis marmorum varietate incrustandis, quæ *Columnæ* quadræ, sive *Pilastri* à nostris vocitantur: singula autem quæque parastata est latitudinis octuaginta palmorum ex qualibet parte aut facie. Super parastatis fornices quatuor ingentes ducti sunt, quorum quilibet centum inanitatis, aut vacuitatis palmos habet. Suprà Tholi fastigium, quod *oculus* dicitur, duæ ac triginta columnæ Tiburtinæ super bases sphæricè locatæ sunt, quarum unaquæque palmis viginti constat. Hæc res insignem refert ornatum ad alterius Tholi, sive templi sphærici formam constructa, quam vulgo *Laternam* vocant: & hac, puto, ratione hunc Tholi ornatum Laternam dictam, eo quòd Laternam quandam repræsentet, quæ in Turribus, & in aliis id genus locis editissimis prope mare apponi solet, ut navigantibus iter tutius præbeatur, quo cautiùs ad portum pervenire queant. Id quod etiam in triremibus præcipuorum virorum fieri solet, quarum puppis Laternâ inauratâ ornatur, quam nonnulli Italiæ populi *Fanale* vocitare solent, alii autem, *Lanterna*, Veneti vero, *Phanò* vocant, vocem mutuati à Græcis, à quibus dicitur Phanos, Φανὸς, Latinè autem laterna. Suprà Tholi laternam locatur pila ænea inaurata, quæ ex diametro est latitudinis duodecim palmorum. A pavimento autem Laternæ ad cacumen usque pilæ est altitudo palmorum centum. Suprà pilam cernitur Crux item

Laternæ.

Phanos.

Pila aurata.

ænea,

ænea, & aurata, altitudinis palmorum quinque ac viginti. Quæ quidem omnia, haùd facilè dici poteſt, quantum ipſi Tholo ſplendoris afferant, & ornamenti. Hæc de Tholi altitudine, & latitudine. Reliquum eſt, ut exteriorem ejuſdem molis ornatum aliquâ ex parte explicemus.

A quatuor feneſtrarum ordinibus, & à culmine ipſo aperto ad latitudinem palmorum 200. ex diametro, Tholus excipit lumen, quarum quiſque ſexdecim feneſtris conſtans, lucem item non ſolùm amplis præbet ambulacris, quæ totùm Tholum intrà duos, & profundos quidèm fornices circumeunt, ſed concavitatibus, & covexionibus undequâque lumen ſubminiſtrant: vndequaque enim à pavimento ad faſtigium uſque Tholi per Scalas fornicatas parietem interſecantes, partim planas, partim verò gradibus conſtructas commodè iri poteſt: mira eſt enim parietum craſſitudo, atque ita, vix ut credi queat: ſexdecim autem ſunt ſcalæ inter unam atque alteram Tholi coſtam ductæ, quibus ad Tholi culmen aſcenditur. Quæ profectò res eſt adeò narratu difficilis, ut nonniſi ab iis, qui eas viderunt, rectè intelligi poſſit. Primus autem feneſtrarum ordo machinæ fornicatæ, Tholo ſubjacens [ut eò, undè digreſſi ſumus, revertamur] lapidibus Tiburtinis concinnatis, & ſculptis, necnon duabus ac triginta columnis ornatus à baſibus ad epiſtylia, ſive capitula, eſt altitudinis palmorum viginti.

Suprà hunc primum feneſtrarum, & columnarum ordinem opus egregium, & admirandum Sixto V. ſedente ac jubente fieri cœpit, & abſolutum fuit, ſaxis Tiburtinis conſtructum ad altitudinem palmorum 200. latitudinem verò ex diametro totidem palmorum. Huic ordini ſuccedit moles illa arcuata aut fornicata, in qua tota verſatur difficultas, mirumque omnium ædificiorum artificium. Hujus generis machina, ac ſtructuræ perfectio, quamvis omnium peritorum judicio ſeptem ad minimum annorum ſpatium poſtulaſſet, maximâ tamen pecuniarum, & operariorum copiâ, ut ſuprà diximus, induſtriâ item eorum, quibus hæc cura commiſſa fuit, ſuis omnibus numeris, dictoque temporis ſpatio ad finem deducta eſt: nam non ſolùm moles arcuata, aut fornicata laminis plumbeis undequàque contegitur, ſive incruſtatur, ſed coſtæ item ſexdecim ab imo ad ſummum ſubductæ vitro teſſellato, ac bracteis inaurato incruſtatæ cernuntur: quarum ſplendor tantus eſt, ut oculos intuentium reddant cæcutientes.

Inſtrumenta ad Tholum conſtruendũ adhibita.

De iis, quæ ad tantam molem erigendam fuerunt neceſſaria, ſubticendum cenſeo, quia longum eſſet ea recenſere. Dicam tamen ex rudentibus quingenta librarum millia fuiſſe conſumpta, innumeroſque funes ad lapides Tiburtinos, columnas, lateres, cæmenta, aquam, ligna, ferrum, & alia id genus permulta ab Eccleſiæ pavimento ſurſùm trahenda: cui ſanè rei, die noctuque incumbebatur: nam quotidie pro duobus Tholi fornicibus connectendis, ingenti Tholi oculo in ejus ſummitate relicto, à quo lumen excipitur, ex ferramentis triginta librarum millia ſurſum extracta ſunt, tribus officinis Ferrariis adhibitis. Armaturæ, ut ajunt, forinſecæ, ſive fercula, ſuper quibus operæ ſuam exercebant operam, fuerunt innumera, ſed interior fuit tantùm una, quæ in ultima ex tribus Tholi partibus fuit adhibita: Hæc erat lignorum connexio præter ceteras trabes minores circiter mille centum, & amplius trabibus conſtans, quarum multæ erant ad longitudinem palmorum centum, atque ita craſſæ ut duo homines amplecti eas non poſſent: compactio verò lignorum omnis ſtuporis plena: erat enim ita ingeniosè facta, ut ſuper ſe fundata, nullo prorſus adminiculo adjuvante, in aere pendens videretur, juxtà Ciceronis dictum de terra, quam undique in ſeſe nutibus ſuis conglobatam ait: atque juxtà Pſalmographi ſententiam dicentis, terram firmatam eſſe ſuper ſtabilitatem ſuam, ideſt ſuper mundi centrum: ad quod terræ partes ita undequàque ex ſui tendunt naturâ, ut ab ipſo centro declinare nullo penitùs modo queant. Et Job: Appendit terram ſuper nihilum, nullum, ſcilicèt, infrà ſe habentem elementum, ſuper quo fulciatur, hoc eſt ſuis libratam ponderibus, Ovidio teſte. Hujus generis videbatur connexio lignorum illa.

Cicero de Nat. Deo. Pſal. 103.

Job 26.

Ovid. libr. 1. Metamorph. in princ.

Quoniam verò nobiliſſimum beati Petri Templum ab ipſius Tholi magnitudine, & excellentiâ haudquàquàm diſcrepat, immò ei, ut Anaſtaſius Germonius in ſuo de Sacrorum Immunitatibus libro eruditè docet, omninò reſpondet, omnem habens Symmetriam, hinc nonnulla de auguſtiſſimo Templo explicanda cenſeo. Templum igitur ordine Corinthio intus & foris extructum, lapidibuſque Tiburtinis diligentiſſime concinnatis, miroque ordine diſpoſitis, undequaque incruſtatum, atque item hemicyclis, balauſtiis, acroteriis, ſemicorollis, & floribus, & frondibus, atque fructibus contextis, Eccleſiæ Sanctæ inſignibus, epiſtyliis, triglyphis, Acanthis, & id genus aliis rebus diſtinctum. Quæ omnia tantam afferunt elegantiam, tantamque artis præſtantiam, quanta vix unquàm verbis exprimi poſſet.

Lib. 3 cap. 1. num. 18.

Templi deſcriptio.

De his Vitruvius lib. 4. c. 3. & alibi.

Ad Templum autem per plurimos aſcenditur gradus, ad quorum aſcenſum ſeſe primum offerunt Sacræ Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Statuæ in edito loco ſitæ. Poſt graduum aſcenſum ſequitur Porticus perpulchris ſuſtentata columnis, deindè Templi frontem excelſam, & ob marmorum varietatem, multos hemicyclos, multaſque feneſtras, necnon ob alia ornamenta nobiliſſimum. Per quinque autem januas, quarum primaria nobiliſſima eſt, aditus patet ad Templum, inſtar Crucis formatum, Sacellis quatuor, Altaribus, hemicyclis, in quibus Statuæ collocandæ ſunt, columnis, picturis, atque aliis inſignitum rebus, quibus hodie abundare cernitur Gregorianum Sacellum, in quo non deeſt marmorum varietas, ac nobilitas, nec item

Eccleſia gradus.

Gregorianũ ſacellum.

item discolores desiderantur columnæ, non musivi, vermiculati ac tessellati operis præstantia, non picturæ ab excellenti affictæ artifice, nec denique auri copia. Hisce omnibus de rebus copiosissimè, ac doctissime quidem scripsit, præsertim verò in nominibus rerum explicandis, Ascanius Valentinus Romanus Cardinalis Novocomensis à secretis, qui eruditum edidit libellum de Gregoriano Sacello,

S. Greg. Nazianz. transl.

in quo Sancti Gregorii Nazianzeni corpus, nobilissimâ, & admirandâ, sed sacrâ quidem pompâ 1580. die undecima Iunij, festo die Sancti Barnabæ ab Ecclesia Sanctæ Mariæ de Campo Martio Romæ à Monialibus Ordinis Sancti Benedicti religiosè exculta jussu Gregorii XIII. translatum requiescit, brachio tamen ejusdem Sancti dictâ in Ecclesiâ relicto.

De hac Translatione, Italicâ linguâ nonnulli scripserunt, & præsertim Fortunius Lælius Cornetanus, & Io: Bernardinus Rastellus Perusinus. De Sacello Gregoriano scripsit item Laurentius Frizolius Poeta clarissimus, & Lilii Gregorii Gyraldi Ferrarienſis celeberrimi viri alumnus.

Ad Gregoriani Sacelli formam triaerunt altera, atque hunc ferè in modum Altaria, quæ permulta sunt, ornabuntur, & præsertim Altare illud celeberrimum Sancti Petri, in quo Sanctorum Apostolorum Petri, &

Reliquiæ sacræ in Basilica S. Petri asservatæ.

Pauli ossa maximo asservantur honore ac pietate jam indè à Silvestro Papa, qui eorumdem Apostolorum corpora divisit, medietatemque hoc in Templo, alteram verò in Basilica Sancti Pauli: sed capita eorumdem Apostolorum maximâ custodiuntur veneratione in Basilica Sancti Joannis Lateranensis. Asservatur denique hac in Basilica Sancti Petri, caput Sancti Andreæ, Sudarium Sanctæ Veronicæ, Salvatoris nostri effigiem habens expressam: Lapis satis grandis, in quo multi Christifideles martyrii coronam meruerunt: Lapis item porphyreticus, super quem Sanctorum Apostolorum corpora à Silvestro divisa sunt, & Sedes Sancti Petri ex Antiochia translata. Extat etiam inibi columna perbellè insculpta ex Hierusalem advecta, cui Salvator noster, dum prædicaret, innixus fuit: eaque maligni spiritus humana corpora vexantes abiguntur. Eodem in Templo Sanctorum Pontificum, aliorumque Martyrum corpora requiescunt, reliquiæ verò, quæ inibi magnâ custodiuntur veneratione, innumeræ fere sunt, & pretiosæ quidem, quas longum esset recensere.

Hæc de universa, atque immensâ Templi machinâ, totoque ferè terrarum orbe celeberrimâ breviter dicenda visa sunt: cetera enim, quæ à me explicari non potuerunt, silentio involui, Timantem imitatus: qui quæ

Timanthis exemplum.

pingere non valebat, velamine picto tegebat.

ÆDIFICIA

EXTRA URBEM EXTRUCTA.

SIxtus V. Bononiæ Picentum commoditati Collegium Scholarium erexit, & redditibus opulentis dotavit. Civitatem ad Ædes Lauretanas instituit, magnisque impensis construendam curat in honorem Deiparæ Virginis. Montaltum item patriam suam Civitatis jure donavit, multisque ædificiis auget, & exornat, ubi mons complanatur, atque officina Monetaria instituta est. Ad Centumcellas aquarum potabilium penuria laborantes, Aquæductus construendos curavit, & civitatem salubribus aquis ditavit, Pontem inter Burghettum, & Ocriculum suprà Tibrim omnium commoditati struendum curat: quæ res tanti momenti est, ut haùd facile dici possit.

AUCTOR OPERIS AD LECTOREM.

ERrare possum, corrigi volo: homo enim sum, & humani à me nihil alienum puto. Siquid igitur hisce in meis commentariis ob temporis angustiam mihi à gravioribus negotiis concessam minus rectè dixerim, aut explicarim, in iis præsertim, quæ ad Fidei doctrinam pertinent, S. R. E. censuræ me subjectum, & emendationi paratissimum esse declaro: immò pro fide catholicâ meum profunderem sanguinem, & libentissime quidem: quin si mihi id eveniret, summæ felicitati ascriberem.

Peroratio operis.

Quod autem ad impressionem libri attinet, scio nonnulla irrepsisse menda: sed mirandum non est, cum fieri haudquaquàm possit, ut liber ullus absque iis in lucem prodeat, sicut experientia docet: verbis enim vix umquàm exprimi posset, quanta in mendis admittendis, omni etiam diligentiâ adhibita, sit facilitas. Qui autem artem Typographicam norit, hac in re fidus, mihi poterit esse testis; nemo enim est tàm Lynceus, qui nusquam cespitet, nusquam incurrat, tot namque literarum concinnatorum errata sunt, & plerumque ob exemplaria nimis confusè conscripta, quale fuit nostrum, quod erat, ut sic dixerim, illa prima Graphis, aut informatio, ut menda omnia auferri non possint: vel si auferantur, ab iis deindè concinnatoribus ob eandem interdum causam suum in locum recognita non reponuntur. Adde etiam, quòd nonnumquàm emendata inter imprimendum ab iis, qui prælum tractant, corrumpuntur. Typographica igitur ars, ut multa uno verbo complectar, nimis est erroribus subiecta, sexcentæ enim aliæ sunt causæ, quibus facilè admittuntur errores, & evitari vix unquàm possunt: quis autem tam accuratus esse potest, ut laqueos omnes undique sibi paratos evadere queat? nemo prorsus hominum. Nec silentio pertranseundum censeo, me hoc totum ferè opus duos jam annos elucubrasse, & penè absolvisse, magnâque ex parte jam indè

De erroribus Typographicæ artis.

Typographicæ artis errorum causa.

Auctor ab opere revocatus.

ab

ab eo tempore fuisse impressum, sed Sixtus V. è medio cursu me revocavit, graviorique negotio destinavit. Hinc factum est, ut in hujus generis onere mihi impositio, Bibliis, scilicèt, Vulgatæ editionis ex Sacri Concilii Tridentini Decreto, ac præscripto quàm emendatissimè in lucem edendis, non solùm ob multos studiorum labores (Francisco etiam Toleto è Societate Jesu, viro sanè doctissimo, multisque ab hinc annis Summorum Pontificum Concionatore, adlaborante, & consulente, ipsumque Pontificem adjuvante, prævià tamen eorumdem Bibliorum utilitate in Ædibus Antonii Card. Caraffæ præstità) verùm etiam ob plurimas corporis defatigationes, quibus diem totum, majoremque noctis partem consumebam: quotidie enim, negotio postulante, Sanctiss. Dom. non semel alloqui opus mihi erat, non solùm dum in Vaticano degebat, sed eo etiam æstivo tempore, in Quirinali monte commorante, illuc usque, Solis ardore sæviente, e Vaticano adibam. Hisce igitur de causis in diuturnam incidi febrem, atque adeò gravem, ut quater ab omnibus mortuus fuerim existimatus. Sed qui me creavit, me denique recreavit, ut vità superstite ei melius inservire studeam. Quarè opus iterùm sum aggressus, ac tandèm aliquando ad finem perduxi Deo favente, cui sit honor perpetuus, & gloria sempiterna.

Summorum Pontificum concionator.

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ APPENDIX NOVA

Tàm Molis, & Codicum: quàm Ornamentorum, ac Inscriptionum accessiones

Post Sixtinam Instructionem continens.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

IBLIOTHECAM Vaticanam Angelus Rocca descripsit, qualem XYSTUS V. Pontifex Maximus instruxerat. At post ejus Pontificis ætatem insignes illi factæ sunt à XYSTI Successoribus tàm Codicum, quàm Molis, & ornamentorum accessiones. Nam Paulus V. cùm in eamdem Apostolicam Bibliothecam plurima intulisset impressorum librorum exemplaria, duo addidit ex dextero latere cubicula, eaque picturis undique ornavit. Deindè Urbanus VIII. celeberrimam Comitum Palatinorum Bibliothecam adeptus eximiæ longitudinis conclave adiecit, in quo & ipse Palatinam recondidit. & Alexander VII. insignem alteram, quæ Ducum Urbinatium fuerat. Præterea Alexander VIII. lectissimis Codicibus manuscriptis, ex iisquos Christina Svecorum Regina collegerat eamdem Bibliothecam donavit, amploque cubiculo, qua Borea spectat auxit. In recudendâ igitur Vaticanâ Bibliothecâ operæ me pretium facturum censui, si ejusmodi etiam additamenta describerem, ut Tu Lector humanissime, Vaticanam Bibliothecam non in primævo dumtaxàt splendore conditam, sed ad hodiernam etiam amplitudinem perductam intuereris. Vale.

APPEN-

APPENDIX NOVA

Tàm Molis, & Codicum : quàm Ornamentorum, ac Inſcriptionum acceſſiones

Poſt Sixtinam Inſtructionem continens.

BIBLIOTHECAM Vaticanam ingredientibus ſtatim à læva ſeſe offert.

STATUA
HIPPOLYTI
PORTUENSIS EPISCOPI,
QUI VIXIT ALEXANDRO
PIO IMP.,
EX URBIS RUINIS EFFOSSA,
A PIO IV. MEDICE
PONT. MAXIMO
RESTITUTA.

PRælaudato Sancti Hippolyti Simulacro objacet à fronte in dexteto ejuſdem Bibliothecæ latere, alterum Simulacrum inſcriptum uti ſequitur.

STATUAM
ARISTIDIS SMYRNEI,
EJUS, QUI
URBEM, CIVITATEMQUE ROMANAM,
LUCULENTA ORATIONE LAUDAVIT
ERUTAM EX ANTIQUIS RUINIS,
PIUS IV. MEDIC. PONT. MAX.
POSUIT.

FOribus proxima in ſemicolumnâ lateritiâ parieti annexâ à tergo introitus Bibliothecæ marmori inſculpta legitur ſequens Bulla.

PAULUS

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam Rei Memoriam.

LIAS felicis recordationis Clemens Papa prædeceſſor noſter Officio S. R. E. Bibliothecarii, quod Bonæ Memoriæ Cæſar Tituli SS. Nerei, & Achillei Presb. Cardinalis Baronius nuncupatus, S.R.E. Bibliothecarius, tunc in humanis agens, obtinebat, de aliquo ſubventionis auxilio providere volens; Motu ejus proprio Monaſterium, Abbatiam nuncupatum Sanctæ Mariæ de Venticano Sancti Benedicti, vel alterius Ordinis Beneventanæ Diœceſis, illius commenda, tunc per obitum qu. Jacobi de Leo defuncti, ceſſante, adhuc eo, quo antè commendam ipſam vacabat, modo vacans cum annexis juribus, & pertinentiis ſuis, prædicto Officio ità quod liceret dicto Cæſari Card., & pro tempore exiſtenti S. R. E. Bibliothecario, pro ejus commodiori manutent one, ac onerum dicti Officii ſupportatione, corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Monaſterii, & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædictorum, per ſe, vel alium, ſeu alios ejus, ac dictæ Bibliothecæ nominibus propriâ auctoritate liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere; Necnon Monaſterii, & annexorum hujusmodi fructus, redditus, & proventus, juraque, obventiones, & emolumenta percipere, ac in ſuos, & dictæ Bibliothecæ uſus, utilitatem, & neceſſitates convertere, cujus licentiâ deſuper minimè requiſitâ, Apoſtolicâ Auctoritate perpetuò univit, annexuit, & incorporavit, prout in literis Apoſtolicis, deſuper confectis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem Officium prædictum per obitum dicti Cæſaris Cardinalis, qui hodiè, ſeu nuper apud Sedem Apoſtolicam debitum naturæ perſolvit, vacaverit, & vacet ad præſens; Nos ſumptibus, & expenſis, qui quotidiè in dicta Bibliotheca fieri ſolent, aliâque ratione conſulere cupientes, ac dicti Monaſterii fructuum, reddituum, & proventuum verum annuum valorem ſecundum communem æſtimationem, aliarumque unionem dictæ Bibliothecæ forſan hactenùs factarum, tenores præſentibus etiam pro expreſſis habentes; Motu ſimili, ac ex certâ ſcientiâ noſtrâ, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia, & ſingula Monaſterii, & annexorum hujusmodi fructus, redditus, proventus, jura obventiones, & emolumenta, in quibusvis rebus conſiſtentia, & undècumque provenientia, præviâ illorum ſeparatione, & diſmembratione à dicto Officio prædictæ Bibliothecæ, ac illius uſibus, ſumptibus, & expenſis, non autem illius Bibliothecario deſtinata, & applicata eſſe, & cenſeri decernimus, & declaramus; prout, quatenùs opus ſit, motu, & auctoritate paribus, ex nunc, tenore præſentium applicamus, & appropriamus; Ita quòd futuri S.R.E. Bibliothecarii in perceptione fructuum reddituum, proventuum, & emolumentorum hujusmodi, niſi ad commodum, & utilitatem Bibliothecæ, ac expenſarum hujusmodi eſſe quoquo modo ingerere non poſſint, nec valeant; ſed ipſi tantummodò nudi adminiſtratores fructuum, reddituum, proventuum, & emolumentorum, ac aliorum bonorum dicti Monaſterii ſint, & eſſe cenſeantur. Decernentes præſentes literas, etiam ex eo quod dictum Officium legitimo careat defenſore, & quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes, illis non conſenſerint, & ad ea vocati, & cauſæ, propter quas emanarint, verificatæ, ſeu juſtificatæ non fuerint, aut ex

quocum-

quocumque alio capite, vel causâ quantumvis legitimâ, & juridicâ, de subreptionis, vel obreptionis vitio notari, impugnari, retractari, annullari, invalidari, seu in jus, aut controversiam vocari ad viam, & terminos juris reduci, aut adversùs illos quodcumque juris, gratiæ, vel facti, remedium impetrari, vel concedi nullatenùs unquàm posse, sed illos semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ità per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi, facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Inhibentes pro tempore existenti Bibliothecario prædicto ne in perceptione fructuum, reddituum, proventuum, & emolumentorum prædictorum, ac aliorum jurium, dicti Monasterii, in alios quàm usus prædictos, se immiscere audeat, seù quoquo modo præsumat. Non obstantibus præmissis, ac nostris de non tollendo Jure quæsito, & unionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, ac Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis, fieri prohibentis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Monasterii, Bibliothecæ hujusmodi Juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis, quoque indultis, & literis Apostolicis illis, ac dicto Bibliothecario, aliisque Superioribus, & Personis sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu pari, & consistorialiter, ac aliàs in contrarium forsan quomodòlibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes. Illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxàt specialiter, expressè motu simili derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut pecuniæ omnes ex dicto Monasterio quomodòlibet provenientes penès Depositarium Cameræ nostræ Apostolicæ deponantur, & indè non amoveantur, nisi ad effectum illas in usus, sumptus, expensas, & necessitates dictæ Bibliothecæ, non autem illius Bibliothecarii realiter, & cum effectu convertendi juxtà tamen mandata ab eodem Bibliothecario, seù ab eo deputando subscribenda. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub anulo piscatoris die prima Julii MDCVI. Pontificatus nostri Anno III.

Scipio Cobellutius.

SUb extremo fornice ejusdem Vâticanæ Bibliothecæ, Sixtinæ nuncupatæ, qua patet ingressus in Archivum Vaticanum, Urna marmorea nuper SS. Domini Nostri Clementis XI. jussu est posita; cui addita est sequens Inscriptio.

CLE-

CLEMENS XI. PONT. MAX.
BIBLIOTHECAM VATICANAM
REFECTIS PICTURIS PROPE VANESCENTIBUS
IN PRISTINUM SPLENDOREM RESTITUTAM
VETUSTISSIMIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS
SYRIACIS PRÆSERTIM, ET ARABICIS
EX INTERIORI ÆGYPTO CONQUISITIS, ET AVECTIS
ALIAQUE LITTERARIA SUPELLECTILE LOCUPLETATAM
ASBESTINA RARÆ MAGNITUDINIS SINDONE
INSIGNI PRISCORUM TEMPORUM MONUMENTO
UNA CUM URNA MARMOREA
IN QUA COMBUSTIS CINERIBUS CIRCUMJECTA LATUERAT
EX ANTIQUIS URBIS RUINIS EFFOSSA
DONAVIT
ANNO DOMINI MDCCXV. PONTIFICATUS SUI XV.

URnæ proxima ad lævum latus visitur marmorea Fasis quinque circiter palmorum Virginis Vestalis: Navem Salviam Zonâ deducentis: sic inscripta:

MATRI DEUM, ET NAVI SALVIÆ
SALVIÆ VOTO SUSCEPTO
CLAUDIA SYNTHYCHE
D. D.

BIbliothecam Sixtinam nuncupatam, ex eâdem lævâ, parte meridiem versùs excipit ingens conclave, duas toto Orbe celeberrimas Bibliothecas continens, Palatinam, scilicet, & Urbinatem; Quarum prior ad siniſtram ingredientium disposita, marmoreo monumento, hanc epigraphen legendam exhibet.

URBANUS VIII. PONT. MAX.
COMPLURA PALATINÆ BIBLIOTHECÆ VOLUMINA
NOBILES HIDELBERGICÆ VICTORIÆ MANUBIAS
GREGORIO XV. ET APOSTOLICÆ SEDI
A MAXIMIL. BAVARIÆ DUCE DONATA
ROMAM ADVEXIT
OPPORTUNIS ARMARIIS IN VATICANO CONCLUSIT
LOCUM RUDEM ANTEA, ATQUE INFORMEM
IN HANC SPECIEM REDEGIT
ET PERSPICUO SPECULARIUM NITORE
EXORNAVIT ANNO DOMINI MDCXXIV.
PONT. PRIMO.

ALtera, quæ Palatinæ ex dextero latere objacet, sequenti Elogio insignita est.

ALEXANDER VII. PONT. MAX.
ANTIQUA OMNIS GENERIS OMNIUMQUE LINGUARUM
URBINATIS BIBLIOTHECÆ MANUSCRIPTA VOLUMINA
REPENSO CEDENTIBUS BENEFICIO
AD TUTIOREM CUSTODIAM, ATQUE PERPETUITATEM
VATICANÆ ADJUNXIT ANNO SAL. MDCLVIII.

AD Septemtrionem Sixtinæ Bibliothecæ sita est Paulina, à Pauli V. nomine nuncupata, quæ Picturis undique ornata, varias repræsentat imagines, historias, atque insignia ejusdem Pontificis opera cum subjectis inscriptionibus.

Januæ imminet ex interiori primi cubiculi parte tabula, quæ hystoriam continet hisce verbis expressam.

PAULUS V. PONT. MAX. FRANCISCAM ROMANAM
IN NUMERUM SANCTORUM REFERT
ANNO CIↃIↃCIIX. PONT. IV.

A Dextrà ejusdem cubiculi legitur altera hæc Inscriptio paulò Superiori loco posita.

PAULUS V. PONT. MAX. SACELLUM, ET
SACRARIUM SANCTÆ MARIÆ AD PRÆSEPE
A FUNDAMENTIS FECIT, ANNO
CIↃIↃCX. PONTIFIC. VI.

EOdem in latere depictæ Tabellæ paulò inferiùs, sequens Inscriptio subest.

NICOLAUS PP. V. LITTERATIS
VIRIS PER OMNEM EUROPAM
MISSIS LIBROS CONQUIRIT
BIBLIOTHECAM PONTIFICIAM
AUGET.

TAbellam depictam prælaudatam attingunt binæ effigies duorum Virorum Poesi, celebratorum, nempè

Prior Effigies	Secunda Effigies
VIRGILIUS	TERENTIUS

ALtera sequens eodem latere Tabella factum, in sequenti Inscriptione enarratum exhibet.

SIXTUS

SIXTUS PP. IV. BIBLIOTHECAM
VATICANAM VETERIBUS CODICIBUS
EX OMNI EUROPA ADVECTIS
LOCUPLETAT
PLATINAM PRÆFECTUM INSTITUIT.

COnſequens Semicirculus obiicit Regis Perſarum Legatum ejuſdem Pontificis Pauli V., ſcilicet, Pedes humiliter deoſculantem ſubjacet Inſcriptio.

PAULUS V. PONT. MAX. ALI, GOLI, BEK MORDARXA
ABBAS REGIS PERSARUM LEGATUM AD PEDUM
OSCULUM ADMISIT ANNO CIↃIↃCIX.
PONT. V.

SEquitur Tabella paululùm inferiori loco ſita, inſcripta utì ſequitur,

PIUS PP. V. CENTUM QUINQUAGINTA OCTO
VOLUMINA LITERARUM, DIVERSORUM
PONTIFICUM AVENIONE
IN BIBLIOTHECAM VATICANAM
ASPORTARI JUBET.

TAbellæ mox laudatæ videntur depictæ duæ effigies inſcriptæ videlicèt.

Prima	cui ſupponitur	Altera
OVIDIUS.		PAPIANUS.

COnſequens eodem latere Tabella viſitur inſcripta.

PAULUS PP. V. BIBLIOTHECÆ
VATICANÆ AMPLUM ANNUUM
REDITUM ATTRIBUIT.

ALter Semicirculus exhibet depictam Baſilicæ Vaticanæ frontem cum epigraphe.

PAULUS V. PONT. MAX. BASILICAM
S. PETRI AMPLIFICAVIT, FRONTEM,
PORTICUMQUE EXTRUXIT.
ANNO CIↃIↃCX. PONT. VI.

POstrema ordine Tabella refert Paulum V. Pontificem magnam librorum copiam Bibliothecæ Vaticanæ inferendam designantem, cum Inscriptione sequente.

PAULUS PP. V. MAGNAM LIBRORUM COPIAM
TYPIS DESCRIPTORUM BIBLIOTHECÆ VATICANÆ
ADJICIT, SCIPIONEM CARDINALEM
BURGHESIUM EX SORORE NEPOTEM,
SEDIS APOSTOLICÆ BIBLIOTHECARIUM
CREAT.

DExtero latere terminato se se obiiciunt à fronte Sacræ illæ Ceremoniæ, quibus prælaudatus Pontifex Carolum Borromæum Cardinalem cælitibus adscripsit. Et subiecta est sequens Inscriptio.

PAULUS V. PONT. MAX. CAROLUM BORROMÆUM
S. R. E. CARDINALEM SANCTORUM NUMERO
ADSCRIBIT
ANNO CIↃIↃCX. PONTIFIC. VI.

COnsequitur statim in lævo latere Tabella præferens Ungariæ Regem Bibliothecam Budæ instituentem: Subiicitur Inscriptio.

MATTHIAS CORVINUS UNGARIÆ REX
BIBLIOTHECAM MAGNIFICAM, ET
LOCUPLETEM BUDÆ INSTRUIT.

COhærens Semicirculus exhibet delineatum receptaculum Aquarum per eumdem Pontificem, ex Agro Braccianensi in Janiculum usque deductarum. Subjecta est Inscriptio.

PAULUS V. PONT. MAX. AQUAM IN AGRO
BRACCIANENSI COLLECTAM VETERIBUS
DUCTIBUS RESTITUTIS, NOVISQUE
ADDITIS TRIGESIMO TERTIO AB MILLIARIO
ROMAM PERDUXIT ANNO CIↃIↃCX.
PONTIFIC. VI

ALtera Tabella præfert Trajanum Imperatorem Bibliothecam publico commodo dedicantem. Legere est ejusmodi Inscriptionem.

TRAJANUS IMPERATOR BIBLIOTHECAM
NOBILISSIMAM, QUÆ ULPIA APPELLATA EST,
ROMÆ PUBLICAT.

MOx obiiciuntur duæ effigies, quarum prima est inscripta, ut sequitur videlicèt.

Prima subigitur huic Secunda

HESIODUS. HIPPOCRATES.

Consc-

COnſequens Tabella offert Pollionem Romanum Senatorem Bibliothecam Juris publici facientem. Inſcriptio in hanc legitur verborum formam.

ASINIUS POLLIO ORATOR, ET SENATOR
NOBILIS, PRIMUS ROMÆ BIBLIOTHECAM
IN ATRIO LIBERTATIS DICANDO INGENIA
HOMINUM REM PUBLICAM FACIT.

ALter Semicirculus ordine conſequens exhibet ſæpè laudatum Pontificem Regis Congi Legatum extremum diem mox clauſurum inviſentem. Adiicitur Inſcriptio.

PAULUS V. PONT. MAX. ANTONIUM EMMA-
NUELEM ALVARI REGIS CONGI LEGATUM
EX LONGO, ET DIFFICILI ITINERE ÆGROTANTEM
IN VATICANO EXCEPIT, PAUCISQUE POST DIEBUS
MORTI PROXIMUM INVISIT ANN. CIↃIↃCIX.
PONT. IV.

EXcipit Tabella præferens Attalicos Reges Pergami Bibliothecam Inſtituentes; Cujus Inſcriptio eſt.

ATTALICI REGES MAGNIS PHILOLOGIÆ
DULCEDINIBUS INDUCTI EGREGIAM PERGAMI
BIBLIOTHECAM AD COMMUNEM DELECTATIONEM
INSTITUUNT.

SUbſequuntur binæ effigies, quarum inſcriptiones ſunt, ut cernitur, nempè.

Primæ	Secundæ
HOMERUS.	MENANDER.

POſtrema hujus lateris Tabella offert Ægypti Regem Bibliothecam conſtruentem: Et hæc ſubjicitur Inſcriptio.

OSYMANDUAS ÆGYPTI REX ILLUSTREM
BIBLIOTHECAM CONSTRUXIT, ET IN EJUS
FRONTE ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ MEDICA
OFFICINA ANIMI PRÆSCRIBIT.

COnſequens poſtremò Semicirculus offert Ædes Quirinales eodem Pontifice adnitente perfectioni donatos; Inſcriptio autem legitur in hanc verborum formam.

PAULUS V. PONT. MAX. PALATIO
QUIRINALI MAGNA PARTE
A SE AUCTO SUPREMAM
MANUM IMPOSUIT
ANNO CIↃIↃCX.
PONT. VI.

SEcundam dictæ Bibliothecæ Paulinæ Cameram ingredienti à tergo Introitus hæc Inſcriptio ſe ſe offert.

PAULUS V. PONT. MAX. CENTUM CELLARUM
PORTUM INSTAURAVIT, ÆDES FRUMENTIS,
MERCIBUSQUE RECONDENDIS EXTRUXIT
AN. CIↃIↃCX. PONTIF. VI.

DEpictæ cernuntur á dextero Januæ latere duæ aliæ Imagines, cum hiſce quæ ſequuntur inſcriptionibus, ſcilicèt.

Prior	Inferior
EURIPIDES.	THEOCRITUS.

ADextero Cameræ ejuſdem latere viſitur laudati Pontificis Imago Copias auxiliares Rodulfo Imperatori adversùs Turcas mittendas decernentis, de quo legere eſt.

PAULUS V. PONT. MAX. TRIA PEDITUM MILLIA
RIDULFO IMP. ELECTO SUBSIDIUM ADVERSUS TURCAS
PONTIFICII ÆRARII SUMPTIBUS IN GERMANIA
CONSCRIBI JUBET
ANNO CIↃIↃCV. PONTIFIC. I.

COnſequens paulò Superior Semicirculus ſpeculari objectus offert Palatium Vaticanum ab eodem Pontifice inſtauratum. Inſcriptio enim in hanc legitur verborum formam.

PAULUS V. PONT. MAX. PALATIUM VATICANUM
MULTIS PARTIBUS INSTAURATUM, AMPLIFICATUMQUE
IN MELIOREM STATUM REDEGIT
ANNO CIↃIↃCIX.
PONT. V.

SEcunda conſequens Tabella exhibet eumdem Pontificem mandantem linguas Hebraicam, ſcilicèt, Græcam, & Arabicam in Scholis Regularium edoceri, cui hæc ſubiicitur Inſcriptio.

PAULUS V.

PAULUS V. PONT. MAX. LINGUAM HEBRAICAM, GRÆCAM, LATINAM, ET ARABICAM IN SCHOLIS REGULARIUM AD CATHOLICÆ FIDEI UTILITATEM DOCERI PRÆCIPIT ANNO CIↃIↃCX. PONT. VI.

COhærent duæ Virorum Imagines, & unicuique ineſt propria inſcriptio videlicèt.

Primæ — SOPHOCLES.

Secundæ — ARATUS.

TErtia Tabella exhibet eumdem Pontificem Urbis Tribunalia reformantem. Et ſubeſt Inſcriptio.

PAULUS V. PONT. MAX. URBIS TRIBUNALIA IN MELIOREM STATUM RESTITUI MANDAT ANNO CIↃIↃCXI. PONT. VII.

COnſequens paulò ſuperiùs Semicirculus alteri ſpeculari objectus, offert Tiberis latus in novum alveum ab eodem Pontifice redactum; Cui ſubjecta eſt Inſcriptio.

PAULUS V. PONT. MAX. DEXTERO TYBERIS LATERE IN NOVUM ALVEUM DUCTO, EJUSQUE FAUCIBUS LABORIOSO OPERE, LONGE INTRA MARE PORRECTO UTRINQUE MUNITIS TUTUM NAVIGIIS ADITUM PRÆBUIT ANNO CIↃIↃCXI. PONT. VII.

POſtrema in eodem latere Tabella exhibet Pontificem novis manuſcriptis Codicibus Bibliothecam Vaticanam inſtruentem; & Inſcriptio legitur hiſce verbis.

PAULUS V. PONT. MAX. BIBLIOTHECAM VATICANAM, OPTIMIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS GRÆCIS, LATINISQUE AUGET ANNO CIↃIↃCXI. PONTIFIC. VII.

DEpictæ etiam in Aulæ facie duæ Virorum Imagines, cernuntur quarum.

Prima inſcribitur, & — ANACREON.

Altera — MOSCHION.

IN eâdem Aulæ fronte offertur Arx Ferrariæ à laudato Pontifice conſtructa, cui ſubiicitur ſequens Inſcriptio.

PAULUS V. PONT. MAX. ARCEM A CLEMENTE VIII.
FERRARIÆ AD SECURITATEM DITIONIS FERRARIENSIS,
BONONIENSIS, AC FLAMINIÆ DESTINATAM
A FUNDAMENTIS ÆDIFICANDAM CURAVIT
ANNO CIↃIↃCXI.
PONTIFIC. VII.

SEquuntur penicillo, ac coloribus expreſſæ in eâdem Aulæ fronte duæ Virorum Imagines, cum inſcriptione, ſcilicet.

In prima — In — ſecunda

LYSIAS. — HERACLITUS.

COhæret in lævo latere prima Tabella, qua offertur Bibliotheca Byzantina à Zenone Imperatore innumeris librorum millibus inſtructa, cujus Inſcriptio talis eſt.

ZENONE IMPERANTE BIBLIOTHECA BYZANTINA
IN MAGNO PRETIO HABETUR, IN QUA
CENTUM, ET VIGINTI MILLIA LIBRORUM
RECONDITA ERANT.

COnſequens Semicirculus exhibet Horrea ad Diocletiani Thermas ab eodem Pontifice amplificata. Inſcriptio ad hanc rem pertinens, hiſce legitur verbis.

PAULUS V. PONT. MAX. HORREA A GREGORIO
XIII. AD DIOCLETIANI THERMAS EXTRUCTA,
NOVA HORREORUM ÆDIFICATIONE AMPLIFICAVIT
ANNO CIↃIↃCIX. PONT. V.

SEcunda ordine Tabella refert Sammonicum Serenum conſpicuam Bibliothecam Gordiano Juniori Teſtamento legantem, ut apertè docet ejuſdem Inſcriptio.

SAMMONICUS SERENUS BIBLIOTHECAM, IN QUA
SEXAGINTA DUO MILLIA VOLUMINA
CENSEBANTUR, GORDIANO JUNIORI, MORIENS,
RELINQUIT.

ALiæ duæ Virorum Imagines, cohærent, quarum nomina inſcribuntur ſic.

Primæ — & — Secundæ

ISOCRATES. — DIOGENES.

Tertia

TErtia conſequens Tabella exhibet Conſtantinum Magnum Sacros Codices ad ſe deferri jubentem, ſicut Inſcriptio docet, quæ hunc in modum legitur.

CONSTANTINUS MAGNUS SACROS CODICES
ELEGANTI MANU DESCRIPTOS PARARI,
AFFERRIQUE AD SE JUBET.

COhærens paulò ſuperiùs Semicirculus offert Vaticanos Hortos Fontibus ab eodem Pontifice ornatos, Inſcriptio autem quæ infrà eſt, hunc in modum legitur.

PAULUS V. PONT. MAX. HORTOS VATICANOS,
FONTIBUS AQUÆ SALUBERRIMÆ ADDITIS,
AMENIORES FECIT
ANNO CIↃ IↃC XI. PONT. VII.

POſtrema, & ultima Tabella refert Lucullum, Bibliothecam in uſus publicos comparantem, ut docet ſequens Inſcriptio.

LUCIUS LUCULLUS NUMEROSAM, ORNATAMQUE
BIBLIOTHECAM COMPARAT, IN EAMQUE
ADITUM OMNIBUS PRÆBET.

BInæ etiam ſubſequuntur depictæ effigies, & in utrâque autem adeſt propria Inſcriptio nempè in

Prima	in	Secunda
DEMOSTHENES.		LEODAMAS.

PAulinæ Bibliothecæ ſuccedit altera Alexandrina ab Alexandro VIII. nuncupata, ſtatimque à fronte, Picturis aulâ vacante, Armariis tantùm circunjectis, occurrit Inſcriptio Foribus quà in ſepoſitos Principis Hortos eſt tranſitus, impendens numerum Codicum in Bibliothecam ab eodem Pontifice conſtructam invectorum continens.

ALEXANDER VIII. OTTHOBONUS VENETUS
P O N T. M A X.
MILLE NONGENTOS CONSCRIPTOS CODICES, EX IIS,
QUOS CHRISTINA ALEXANDRA SVECORUM REGINA
UNDIQUE CONQUISIVERAT SELECTOS,
PAUCIS QUOQUE SUA DOMESTICA BIBLIOTHECA ADJECTIS,
VATICANÆ ATTRIBUIT,
ALEXANDRINÆ NUNCUPATIONE, PROPRIAQUE AULA
D I S T I N X I T
ANNO MDCXC. PONT. I.

S. GRE-

S. GREGORII

EJUSQUE PARENTUM IMAGINES.

SCHOLIA

In ejuſdem Sacramentorum Librum.

INDEX

In ipſius vitam à Joanne Diacono conſcriptam.

TABULÆ DENIQUE

Donariorum Beatiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo ab eodem S. Gregorio dicatæ.

De Imagine B. Gregorii cap. LXXXIV.

A IN a Abſidicula Gregorius in Rota gypſea pictus oſtenditur, ſtaturâ juſtâ, & benè formatâ, facie de paternæ faciei longitudine, & maternâ rotunditate, ita medie temperatâ, ut cum rotunditate quadam decentiſſimè videatur eſſe deducta: Barbâ paterno more ſubfulvâ, & modicâ; ita calvaſter, ut in medio fronte gemellos cincinnos raruſculos habeat, & deſtrorsùm reflexos: Coronâ rotundâ, & ſpaciosâ, capillo ſubnigro, & decenter intorto, ſub auriculæ medium propendente: Fronte ſpeciosâ, elatis, & longis, ſed exilibus, ſuperciliis: oculis pupillâ fulvis, non quidèm magnis, ſed patulis, b ſubocularibus plenis:
B Naſo a radice vergentium ſuperciliorum ſubtiliter directo, circà medium
Alias furvis. latiore; deindè paululùm recurvo, & in extremo patulis naribus præminente: Ore rubeo, craſſis, & ſubdividuis labiis, genis compoſitis, mento a
C confinio maxillarum decibilitèr prominente: Colore c aquilino, & livido, nondùm, ſicut ei poſteà contigit, cardiaco: Vultu mitis, manibus pulchris,
Alias vivido. teretibus digitis, & habilibus ad ſcribendum. Prætereà planetâ ſuper dalmaticam caſtaneâ, Evangelium in ſiniſtra, modus crucis in dextra; d Pallio
D mediocri a dextro, videlicèt, humero ſub pectore ſuper ſtomachum circulatìm deducto: deindè ſurſùm per ſiniſtrum humerum poſt tergum depoſito, cujus pars altera ſuper eumdem humerum veniens propriâ rectitudine, non
E per medium corporis, ſed ex latere pendet: circà verticem verò e Tabulæ ſimilitudinem, quod viventis inſigne eſt, præferens, non coronam. Ex quo manifeſtiſſimè declaratur, quia Gregorius, dum adhuc viveret, ſuam ſimilitudinem depingi ſalubriter volvit: in qua poſſet a ſuis Monachis, non pro
F elationis gloriâ, ſed pro cognitæ f diſtrictionis cautelâ frequentiùs intueri. Ubi hujuſmodi diſtichon ipſe dictavit:

Chriſte potens Domine noſtri largitor honoris,
Indultum officium ſolitâ pietate guberna.

IMAGINES. AD. VIVVM. EXPRESSAE

EX. ÆDICVLA. SANCTI. ANDREÆ
PROPE. BEATI. GREGORII. MAGNI. ECCLESIAM
NECNON. EX. VITA. EIVSDEM. BEATI. GREGORII
A. IOANNE. DIACONO. LIB. IV. CAP. LXXXIII. ET. LXXXIV.
CONSCRIPTA

Fol. 368.

Hieronymus Rossi sculp. Romæ

GORDIANVS. S. GREGORII. PATER	*S. GREGORIVS MAGNVS*	*SILVIA. S. GREGORII. MATER.*

De Imagine Gordiani cap. LXXXIII.

In venerabilis g Monasterii atrio jussu Gregorii juxtà Nymphæum duæ G
Iconæ veterrimæ artificialiter depictæ usque hactenùs videntur. In quarum
alterâ beatus Petrus Apostolus sedens conspicitur stantem Gordianum h re- H
gionarium, videlicèt, patrem Gregorii, manu dexterâ per dexteram nihilominus susceptisse: Cujus Gordiani habitus, castanei coloris Planeta est,
sub planeta Dalmatica, in pedibus i caligas habens, statura longa, facies de- I
ducta, virides oculi, barba modica, capilli condensi, vultus gravis.

De Imagine Silviæ eodem cap.

In altera Icona Mater Gregorii sedens depicta est Silvia, candido velamine a dextro humero taliter contrà sinistram revoluto contecta, ut sub eo manus tanquàm de planeta subducat, & circà pectus sub gula inferior tunica k pseudolactini coloris appareat, quæ magno sinuamine super pedes de- K
fluat: duabus l Zonis ad similitudinem Dalmaticarum, sed latioribus, omni- L
nò distincta: Statura plena, facies rotunda quidèm, & candida, sed senio jam rugosa: quam ipsa quoquè senectus pulcherrimam fuisse significat: Oculis glaucis, & grandibus, superciliis modicis, labellis venustis, vultu hilaris, ferens in capite matronalem m mitram candentis brandei raritate niblatam, duobus dexteræ digitis signaculo crucis se munire velle prætendens: M
in sinistra verò patens Psalterium retinens, in quo hoc scriptum est: *Vivit anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me.* A dextero verò cubito usque ad sinistram circà scapulas versus ascendens reflectitur, qui ita se habet: *Gregorius Silviæ Matri fecit.*

HÆc Joannes Diaconus lib. 4. cap. 83. & 84. de vita B. Gregorii Magni, qui obiit anno Dom. DCIV. vel DCV. teste Trithemio; Joannes verò Diaconus claruit circà annum Dom. DCCCLXX. Quamvis autem dictæ Imagines a Joanne descriptæ non eodem in loco essent, eas tamen hoc disposui ordine, juxtà quem in Ædicula Sancti Andreæ pictas Romæ inveni: hæ namque circà trecentos ferè annos ex iis, quas Joannes Diaconus suâ tempestate in atrio Monasterii extitisse testatur, desumptæ videntur, a Pictore tamen non satis perito, sicut res minus aptæ, minusve ad artem pictoriam pertinentes, id nobis persuadent. Idcircò ego suasione judiciosorum hominum monitus, dictas Imagines juxtà exactissimam Joannis Diaconi descriptionem quasi penicillo repræsentatas, omni ex parte ad vivum exprimendas diligenter curavi: quibus etiam magnâ ex parte respondent illæ, quæ rudi nunc arte pictæ in ipsâ cernuntur Ædiculâ.

Quonam autem in Monasterio dictæ Imagines pictæ fuerint, non satis constat, si verba Joannis Diaconi cap. 83. accuratè perpendantur; Ego autem Romæ Monasterium illud esse credo, quod in ejusdem Beati Gregorii Ædibus ad Clivum Scauri propè Ecclesiam SS. Joannis & Pauli in honorem Sancti Andreæ, teste Jo: Diacono lib. 1. c. 6. & lib. 7. Registri S. Gregorii ep. 13. constructum fuit: cujus Ecclesia præsens in tempus nomine S. Gregorii vocitatur. Idque ex eo, quod cap. 95. 96. & 97. ab eodem Jo: Diacono scribitur, colligi potest. Huc accedit, quòd Joannes Diaconus dictas Imagines describere, & quasi penicillo, earundem, ut ita dicam, minutias tam exactè non potuisset repræsentare, si eas Romæ, ubi vitam degebat, non vidisset.

Non desunt, qui a Beato Gregorio Magno duo Monasteria ad Clivum Scauri constructa fuisse opinentur, moti ex iis, quæ lib. 1. in ejusdem Sancti vitam cap. 32. & 38. libr. 2. cap. 45. & lib. 4. cap. 97. Joannes Diaconus scribit; præsertim verò lib. 2. cap. 45. in quo ipse Diaconus scribit; ex libro, qui Græcè Λειμών, dicitur, Latinè autèm Campus, sive Pratum, hæc se invenisse ait: *Is* (nempè Gregorius) *effectus Papa, ædificavit Monasterium Virorum magnum, & dedit mandatum, ut nullus Monachorum proprium aliquid haberet usque ad unum obolum.* Hæc Jo: Diaconus. Cum autem a Beato Gregorio Monasterium unum ad Clivum Scauri ante Pontificatum, mortuo Patre Gordiano, ædificatum fuisse constet; alterum, & magnum quidèm, in Pontificatu constructum fuisse dicas oportet, nisi illud ipsum, a Jo: Diacono lib. 1. cap. 6. commemoratum, in ampliorem deindè formam redactum dicamus. Quamvis item a Joanne Diacono libr. 1. cap. 6. Monasterium à Beato Gregorio constructum sub nomine Sancti Andreæ: & cap. 38. sub nomine venerabi-

rabilis Levitæ Gregorii nuncupetur ; utrumque tamen esse potest, etiamsi unum tantùm fuisset Monasterium: nam Sancti Andreæ dici valet, quatenùs in honorem ejus ædificatum; Gregorianum autem quatenùs a Gregorio constructum. Hinc Pelagius II. ut legitur lib.4. cap.32. Joannis Diaconi, & Tom.1.Decretalium epist. ultimâ ad Beatum Gregorium, tunc Levitam,& Constantinopoli Apocrisiarium scribens, Monasterium, ab eodem Gregorio ædificatum, Gregorianum nominat. Idem scribitur a Joanne Diacono lib.4.cap.88. & aliis in locis : idemque legitur libr.3. Dialogorum cap.36. & 4.Dialog. cap.21.26., & alibi.

Sed nodus difficilior redditur ab ipso Diacono, qui lib.4. cap. 97. eodem in loco de Monasterio Gregoriano, necnon de Monasterio Sanctimonialium S. Andreæ mentionem facit, quasi unum fuerit virorum, alterum feminarum : quod etiam, ut Diaconus expressè ait, *Clivus Scauri* appellabatur : fieri enim potest, ut vetus Monasterium modò Gregorianum, modò S. Andreæ ob assignatam rationem nuncupatum, ætate Joannis Diaconi non Virorum sed Sanctimonialium foret. Sunt intereà qui Ædiculam S.Andreæ vocitatam, fuisse Oratorium Monasterii primitùs ædificati : majorem verò Ecclesiam, Monasterio annexam, multo post tempore ab eodem Gregorio in suo,videlicèt, Pontificatu constructam esse velint, opinantes illud fuisse Oratorium, de quo Joannes Diaconus lib.1. cap.12. mentionem facit.Hæc de Monasterio, & Ecclesia Sancti Andreæ ac B. Gregorii mihi dicenda videbantur: quid autem sentiendum sit, judicent alii, rationibus ad utramque partem diligenter pensitatis.

Quatuor intereà circà descriptam, & incisam Beati Gregorii Magni effigiem explicatu digna videntur ; Cur, scilicèt, Imago ipsa senilem ætatem non referat : Cur barbata sit ; Cur item absque columbæ specie appareat ; nam senior, abrasa, & columbæ specie propè ejus caput extantis, ab omnibus depingi solet ; Cur denique sine Mitra, aut sine Tiara, quam *Regnum* vocant, effictus cernatur.

Gregorius Magnus, ut nodos propositos dissolvamus, dum Levita, ut ait Joannes Diaconus lib.1.c.41.43.& 44. in ejusdem B. Gregorii vitâ, sive S. R. E. Cardinali Diaconus adhuc foret, uno omnium consensu,invitus tamen, Pontifex creatur, homo, ut conjectare licet, annorum 46. vel ad summum quinquagenarius : propterea quod anno ipsius B. Gregorii Pontificatus IV.Nutrix ejus vivebat, ut ex ejusdem B.Gregorii lib.3. Epistolarum ultimâ videre licet: sanctus namque Gregorius ad Rusticianam Patriciam scribens, ait, *Domnam verò illam Nutricem meam, quam per literas commendatis, omninò diligo, & gravari in nullo volo*. Hæc B. Gregorius circà annum sui Pontificatus quartum. Adde etiam quòd Beatus Gregorius numquam de senecta ætate, quæ morbus ipse vocitari solet, conquestus est, quippè qui præcipitatà, aut ingravescente ætate non erat ; sed tantùm podagræ ac stomachi molestiis se laborasse multis in locis narravit : immo lib.7. Registri indict.2. epist.1.circà annum suæ Ordinationis, se potiùs juniorem quàm senem ostendit, si verba ejus diligenter examinentur : Dictâ namque in Epistola, dum Januarium Episcopum Caralitanum, hominem senem, reprehendere studet, reprehensionem ab illa B. Pauli Apostoli sententia 1. Timothei cap.5. exorditur, dicens : *Seniorem ne increpaveris* : eamque in ejusdem Epistolæ initio interpretatur, ne ipse Apostolicæ sententiæ refragari videatur, seniorem se reprehendens. Is intereà in libro Dialogorum 3. cap. 11. suâ tempestate (hoc est infantili, vel ad summum puerili, ut conjicio, ætate) Totilam Gothorum Regem VIII. ab Urbe milliario cum exercitu resedisse testatur. Totila verò, occupatâ omni ferè Italiæ parte, Romam per annum integrum obsessam expugnavit anno Dom.546.anno IX. Vigilii Papæ, & Imperii Justiniani 19. vel, ut alii volunt, aliquot post annis Beatus autem Grægorius circà annum Dom.DXCI. Romanus Pontifex renunciatus, anno Domini DC.IV. vel DC. V. obiit. Hinc eumdem Sanctum, ut conjectura mea fert, atque ex ejusdem lib. Dialogorum 3.cap.4. 5. & XI. colligitur, quinquagenariâ ad summum ætate, ad Pontificatum fuisse assumptum, affirmandum videtur : ille enim sub initium Totilæ Regni, duobus, videlicèt, annis plus minusve ante Urbis obsidionem natus judicatur, ut ex locis nuper citatis, ac diligenter perspectis videre licet. Adhanc de Beati Gregorii Magni ætate sententiam Cæsar Baronius S.R.E. Cardinalis videtur accedere, sicut ex iis, quæ To.7. Annalium non minus accuratè, quam eruditè scribit, colligi potest.

Idem barbatus a nobis expressus est,non solùm juxtâ picturam, quæ in Ædicula Sancti Andreæ, & in Oratorio Aulæ Leoninę propè Scalam sanctam annexo extat;sed juxtà etiam luculentissimum testimonium Joannis Diaconi, qui florvit circitèr 265.annos post obitum Beati Gregorii,suâque tempestate dictas Imagines hominum prospectui fuisse, scriptum reliquit.

Absque intereà columbæ specie a Joanne Diacono Imago B. Gregorii describitur, quippè quæ jussu ejusdem depicta fuit, eo, scilicèt, tempore, quo (ut sic dixerim) apparitio columbæ illa ad ipsius caput a Petro Diacono ejus familiarissimo nondum fuerat promulgata : hic enim non nisi post Beati Gregorii obitum dictam columbæ apparitionem super caput Gregorii scribentis se vidisse testatus est, ut Joannes Diaconus lib.4.cap.69. & 70. refert. Adde etiam quod Spiritus sanctus in specie columbæ super Beati Gregorii caput, non nisi dum Sanctus Doctor in actu scribentis repræsentatur, teste Jo: Diacono, depingi solet : in quo, videlicèt, actu ipsam columbam ad Beati Gregorii caput frequentissimè se vidisse Petrus Diaconus medio solemni juramento affirmavit, Divinoque miraculo approbavit, & confirmavit, ut scribit

Jo:

Jo: Diaconus lib.4. c.69. de vita B. Gregorii Papæ.

Hoc loco B. Gregorium nudo capite effingendum curavi, quia non ſolùm in Ædicula S. Andreæ ita pictum, verùm etiam a Joanne Diacono, Scriptore accuratiſſimo, ita deſcriptum inveni, etiam ſi jam indè a Silveſtro Papa hujus nominis primo, Infulam, vel Mitram Epiſcopalem; necnon Tiariam, quam Cydarim, & Diadema, vel Coronam, & Regnum, vocant, fuiſſe conſtet. Hæ namque, Mitra, ſcilicèt, per quam ſpiritualis auctoritas: ac Tiara, ſive Corona, per quam temporalis poteſtas, ſignificantur, teſte Innocentio III. ſerm.3. de conſacratione Pontificis Max. Beato Silveſtro datæ ſunt, ut in prima parte Decreti diſt. 96. cap.14., & apud Theod. Balſam. in Nomocan. Photii tit.8. cap.1. videre licet. Hinc Platina in Beati Silveſtri vitâ de hujus generis conceſſione, ac donatione luculentiſſimam facit mentionem. De Mitra verò, qua uſus eſt Beatus Silveſter, in Eugenii IV. vita idem Platina loquitur hunc in modum: *Eugenius Sancti Silveſtri Mitram, Romam Avenione delatam, ipſemet e Vaticano ad Lateranum detulit.* Hęc Platina. Nunc autem medietas ejuſdem, aut alterius Mitræ Beati Silveſtri ad ſanctum Martinum in Montibus inter reliquias cuſtoditur. De ſua ipſius Mitra ipſemet Gregorius Nazianzenus in Apologetico 3. ſermonem habet: De Mitra verò S. Ambroſii Ennodius in ſuo Epigrammate, more Poetico ſub Sertorum nomine verba facit. Medietas verò Mitræ Beati Silveſtri holoſerica non villoſa, viridis coloris eſt, in qua Beatæ Mariæ ſemper Virginis imago Filium in gremio geſtantis, acu [rudi tamen arte] picta cernitur, puerulis alatis, ac ſtellulis circumſepta. Uſum itaque Mitræ antiquiſſimum ante Beati Gregorii Magni Pontificatum fuiſſe ambigendum non eſt.

Quamvis autem Diadematis, vel Coronę, ſive Tiaræ, Pontificalis originem Sigebertus, ad annos Dom. DL. & Aymonius, ſive Annonius Monachus in hiſtoria Francorum lib.1. cap.24. Clodoveo acceptam referant, dicentes Anaſtaſium Imperatorem Clodoveo, Regi Francorum, Coronam auream cum gemmis domo miſiſſe, eamque deindè a Clodoveo ipſi S.Petro vltrò oblatam velint; legi tamen apud Anaſtaſium Bibliothecarium, & Platinam, complureſque alios, qui annales Romanorum Pontificum ſcriptis mandarunt, multos ex antiquioribus Pontificibus ante Clodoveum fuiſſe coronatos, Papalique inſignitos Coronâ ſive Tiarâ, quam Regnum vulgò appellant. Illud autem ſcitu dignum videtur, quod Tiara tribus Coronis, Regiam, ſcilicet, Imperatoriam, & Sacerdotalem; plenariam, videlicèt, & univerſalem totius Orbis poteſtatem repræſentantibus decorata, nonniſi jam indè a Bonifacio VIII. ex nobiliſſima Cajetanâ Familia, uſum recepit: anteà enim Tiaram unâ tantùm Coronâ idem implicitè comprehendente eoùſque ornatam fuiſſe inveni, ut videre eſt in antiquiſſimis muſivis, & in omnium Romanorum Pontificum Iconibus, quæ æneis typis inciſæ cernuntur. Ante igitur B. Gregorii Magni Pontificatum, Mitræ ac Tiaræ uſus extabat, originem, ut Ethnicorum Pileos ac Mitras poſthabeam, a Teſtamento veteri trahens: nam in lib. Exodi 28. 29. & 39. Levit.8. & 16. Ezech.21. Zachariæ 3. & in aliis Scripturæ ſacræ locis de Mitrâ ſacerdotali, necnon de Cydari, ac Tiarâ Pontificali, expreſſam mentionem factam invenimus. Beatum tamen Gregorium hoc loco nudo capite ad vivum exprimendum curavi, non quod ejus tempore, & ante ipſius Pontificatum, Mitræ, ac Tiaræ uſus non eſſet; ſed ob rationes initio aſſignatas id faciendum viſum fuit. Hæc de Imaginibus a Joanne Diacono deſcriptis: nunc reliquum eſt, ut nonnullas voces ſubobſcuras ac res intellectu ſubdifficiles in ipſarum Imaginem deſcriptionibus comprehenſas explicemus.

A Beatus Gregorius Magnus, Pontifex creatus, in parva quadam Abſide, quam fornicis curvaturam appellamus, intrà rotam gypſeam, arte, ſcilicèt, plaſticâ conſtructam pictus fuit.

B *Subocularia plena*, hoc eſt partem illam, quæ ſubeſt oculis, plenam, ſive turgidulam, *ſubdividuaque labia, aliquantillùm*, videlicèt, (ut ita dicam) ab invicem ſeparata, Beatus Gregorius habuiſſe à Joanne Diacono ſcribitur.

C Deindè *colorem aquilinum, & lividum, ſed in ſenectute colorem cardiacum* eidem fuiſſe Joannes Diaconus ait. Colorem aquilinum apud eos, qui de coloribus loquuntur, non inveni, niſi ille ſit, qui ab Antonio Thyleſio aquilus nuncupatur, dicente: *Aquilum veteres hunc fuſcum a colore aquæ vocarunt, qui inter nigrum eſt, & album. Id quod Plato etiam docet.* Hæc Thyleſius cap.3. de coloribus. Cùm autem in declaratione coloris aquili fiat mentio de fuſco, qui inter nigrum eſt, & album, aquilinum, ſive aquilum ab aquæ colore dictum, eundem ferè cum livido eſſe puto: fuſcus enim color a livido, qui eſt color ſubniger, & plumbeus, parum, aut nihil ferè diſtare videtur, vel ad liuidum proximè accedit, cùm a Joanne Diacono aquilinus color cum livido conjugatur; ex quibus color fuſcus componitur: qui, Thyleſio teſte, non eſt inſuavis, atq; in homine perſæpe laudatur. Feſtus Pompejus de colore aquilo hunc ait in modum: *Aquilus color eſt fuſcus, & ſubniger, a quo aquila dicta eſſe videtur, quamvis eam ab acutè videndo dictam velint. Aquilus autem color ab aqua eſt nominatus: nam cum antiqui duos omninò naturales colores noſſent, nigrum, ſcilicèt, & album, interveniret autem is quoque, qui ita neutri ſimilis eſt, ut tamen ab utroque proprietatem trahat, potiſſimum ab aqua, cujus incertus eſt color, eum denominaverunt.* Hæc Feſtus, cui Junianus, Sypontinus in commentariis, Huguitio, Papias, & alii aſſentiuntur. Si autem color aquilinus ab Aquila dicatur, fulvus color intelligi poteſt; Aquila enim fulvi coloris eſt. Hinc Ovidius lib.5. Faſtorum, Aquilam - *vem fulvam* appellat; & Claudianus

nus *fulvum Jovis armigerum* nuncupat. Per colorem igitur aquilinum, & lividum vel colorem fuscum, vel fulvum intelligi posse opinor: at quia fulvum colorem multa jactant, & ut ait Thylesius cap. 11. orichalcum imprimis, deindè aurum, stellæ, arena, leo, & Aquilæ genus quoddam ab Aristotele maximè celebratum, fulvum homini minus convenire video. Quare per aquilinum colorem nonnisi fuscum intelligi debere puto: fulvus enim ex rufo, & viridi videtur esse mistus; Jaspidem tamen, quam viridis tantùm coloris esse constat, *fulvam* vocant: atque item oliva *fulva* nuncupari solet. Hoc intereà loco subticendum non videtur, quod in omnibus codicibus MS. Vaticanis legitur, *colore aquilini*, *& vivido*, non *livido*. Quæ sanè lectio melior videtur. Color enim vividus, hoc est multo vigore præditus, colori aquilo, & fusco maximè congruit, fuscâ namque facie homines vivaciores, quàm candidi, esse solent.

Colorem autem cardiacum a morbo cardiaco dictum puto: cardiacus enim morbus a καρδία voce Græcâ, ideſt *corde*, nuncupatus, est passio sive palpitatio cordis, seu oris ventriculi affectus: cor enim pro ventriculi ore sumebant interdum antiqui. Hujus autem generis morbus, Cornelio Celso teste lib. 3. cap. 19. *Nil aliud propriè est, quàm nimia corporis imbecillitas, quòd stomacho languente immodico sudore digeritur*. Hoc stomachi forsan morbo se laborasse Gregorius Magnus non semel dixit; homilia, scilicèt, 21. & 22. in Evangelia, atque aliis in locis: & ex hoc morbo colorem cardiacum, hoc est pallorem croceatum, seu gilvo pauxillulùm tinctum, ab eo deindè contractum fuisse, credendum est: quia ex hac stomachi affectione, sive imbecillitate, additâ podagrâ, quæ ipsum Beatum Gregorium mirandum in modum infestabat, hujus generis colorem nasci posse, Medici volunt. Qua ex re Beatum Gregorium Magnum in sui Pontificatus initio præscriptum in modum, hoc est, colore aquilino, & livido, sive vivido, pictum fuisse argumentor, & pro comperto habeo.

D Quæ de Pallio a Joanne Diacono dicuntur, haud facilia intellectu videntur, nisi quid sit Pallium, quamnam formam habeat, & quonam modo corpori sit adaptandum, explicemus. Auctor libri ceremoniarum lib. 1. tit. 10. cap. 5. ex Maximo Episcopo, homil. de veste sacerdotali, exque Eusebio Cæsariensi serm. de Epiphania, docet in lege gratiæ antiquum esse illud nostrum *Ephod*, ideſt, *Pallium* candidâ lanâ contextum, a Lino post Petrum II. Romano Pontifice institutum, & in singulare potestatis privilegium Summo Pontifici, Patriarchis, & Archiepiscopis datum, habens circulum humeros constringentem, duasque lineas ab utraque parte, ante, scilicèt, ac retro pendentes; immò Rupertus Tuitiensis lib. 1. cap. 27. De Divinis officiis, ait, Maternum à Sancto Petro missum Treverensi Ecclesiæ, hereditatem Pallii suis successoribus reliquisse. Pallium in sinistra duplex est, ad tolerandas præsentis vitæ molestias, quæ per sinistram significantur: Simplex verò in dextra est, ut deferens pallium, ad vitæ futuræ quietem obtinendam, quæ per dextram repræsentatur, toto affectu adspiret. Pallium item quatuor purpureas cruces habere solebat, quæ sunt quatuor virtutes politicæ, quæ nisi Crucis Christi sanguine purpurentur, frustrà sibi virtutis nomen usurpant. Harum prima est *Justitia*, quæ in anteriori parte esse debet; Secunda est *Prudentia*, quæ debet esse in posteriori parte; Tertia est *Fortitudo*, quæ sinistræ convenit; Quarta est *Temperantia*, quæ dextræ congruit: nunc autem Cruces in Pallio affixæ non sine mysterio nigræ sunt. Pallio denique tres infiguntur acus, sive aciculæ, in quarum prima significatur compassio proximi, in secunda officii administratio, in tertia Judicii districtio. Prima pungit animam per dolorem: Secunda pungit animam per laborem: Tertia pungit animam per terrorem. Trium acuum, sive acicularum Una figitur in anteriori parte, Altera in posteriore, Tertia in humero sinistro: in dextro enim acus non figitur, quia in æterna quiete, quæ per dextram repræsentari solet, nullus est afflictionis aculeus; Circulus Pallii, per quem humeri, dexter, scilicèt, ac sinister constringuntur, significat pœnæ formidinem ab illicitis cohibentem, & amorem justitiæ a superfluis temperantem. Hæc ex Innocentio III. lib. primo Myst. Missæ cap. 63. & ex aliis. Adde etiam, quòd extremitati duarum linearum ante ac retro pendentium duæ laminæ plumbeæ serico nigro coopertæ juxtà earumdem linearum latitudinem annexæ sunt. Hujus generis est Pallium, quo nunc Latina utitur Ecclesia: Verba verò Joannis Diaconi de Beati Gregorii Magni Pallio loquentis, huic formæ adaptari non queunt; sed solùm formæ, qua Episcopi Græci utuntur. Hi enim pro Pallio fasciam quamdam seu zonam, latiorem sanè, ac longiorem quàm Stolam, sed instar Stolæ collo imponunt; dextra tamen ejus pars multo est longior, & ad terram usque defluit, cujus pars major per sinistrum humerum post tergum reiicitur, ita verò ut crux una a tergo maneat, altera ad dextram, tertia ad sinistram appareat, quarta verò ad eam Pallii partem, quæ ab humero sinistro pendet. Hujus generis Pallium tempore Beati Gregorii fuisse quis dicat oportet, si Joannis Diaconi verba rectè examinentur. Ego itaque tametsi in Ædicula Sancti Andreæ Pallium Beati Gregorii more Latino factum reperi, hoc est circularem zonam satis latam, & integram, humeros constringentem, duasque lineas habentem, sive fasciolas, ex eadem tamen latitudine, una, scilicèt, a posteriori, altera verò ab anteriori deorsum vergentes; illud tamen more Græco a Jo: Diacono conscriptum incidendum hoc loco curavi. Hunc item in modum non solùm in Imaginibus Summorum Pontificum typo æneo incisis a Lino Papa ad Miltiadem usque; sed in vetustis quoque Ecclesiarum musivis, præsertim verò

verò ad S. Petrum, in eorumdem Summorum Pontificum Imaginibus, quas Formoſus Papa circà annum Dom. 896. pingendas Romæ curavit, in hanc eandem formam Pallium pictum fuiſſe inveni. Idem videre eſt ad S. Paulum, & multis aliis in locis, in quibus etiam Honorium Primum, qui obiit anno Dom. DCXXXV. Joannem IV. Theodorum Primum, Domnionem Primum, complureſque alios antè Gregorium Magnum, & poſt ejus tempora, hâc Pallii formâ, qua nunc Græci utuntur, decoratos reperi. Hæc itaque Pallii forma tempore Beati Gregorii in uſu habebatur, deinde multis poſt ſæculis in deſuetudinem deducta eſt, nova ad majorem commoditatem inventa, & in uſum recepta. Id quod de Caſula, quam etiam *Planetam* vocant, factum eſſe conſtat: antiquitùs enim, ut in Planeta Beati Gregorii, & in vetuſtis Eccleſiarum picturis videre eſt, Caſula ſive Planeta nullam, ut ita dicam, aperturam pro brachiis emittendis habebat, ſed tota integra circulatim, & undequàque ad pedes uſque demiſſa totum corpus ita tegebat, & circumibat, ut brachia emitti non poſſent, niſi limbus vel faſciola extremitatem Caſulæ ambiens ſuper ſcapulas projiceretur errabunda: Hinc Caſula, quaſi *parva caſa* (Rabano Auctore lib. 1. Inſtit. Cleric.) totum hominem tegens; & *Planeta*, quaſi *erratica*, vocabatur, & ad hanc uſque diem ita vocitatur: Ætate verò noſtrâ, & ſuperioribus aliquot ſeculis, ut ait Lindanus lib. 4. cap. 56. ab utraque parte, dextra, ſcilicet, ac ſiniſtra acciſa, & aperta eſt, ante ac retro decurtata, & paulò infrà crurum medium producta.

E Viventis indicium eſt Tabula illa, quam B. Gregorius ad occiput, ideſt ad poſteriorem capitis partem habere cernitur: antiquitùs enim cum quis vivens pingebatur, Tabula quadrata ejus capiti ſubiiciebatur, ut in vetuſtis aliquot Eccleſiarum muſivis videre licet: Id quod fieri ſolebat, hoc ſanè argumento, aut ſymbolo, quòd homo, in hac mortali vita conſtitutus, per Tabulam quadratam quatuor virtutibus Cardinalibus [ut ait Durandus lib. 1. cap. 3. num. 20.] vigere intelligatur: vel quòd ſtatus vitæ præſentis imperfectus eſſe demonſtretur, angulos, ſcilicèt, multos, hoc eſt multa impedimenta, & obſtacula ſecum deferens. Sancti verò æternam gloriam conſecuti, ut eorum vita undequàque perfecta nullum penitùs impedimentum habens indicaretur, Circulo, ſeu Coronâ, quam *Diadema* ſolent appellare, ſive radiis ſolaribus inſigniti, jam indè ab initio naſcentis Eccleſiæ pingi, & ſculpi conſueverunt; nam per figuram ſphæricam, quę omnium figurarum perfectiſſima eſt, perfectiſſima eorum vita quodam modo adumbratur. Non deſunt autem qui velint, ſolarem coronam ſuper capita Sanctorum, & Apoſtolorum præſertim, pingi, & ſculpi ſolitam ex eo, quòd, Abdia Babylonico teſte lib. 5. hiſtoriæ Apoſtolicæ, lux tanta ſuper Joannem Apoſtolum moribundum per unam ferè horam apparuit, ut nullus eam ſufferret aſpectus. Utcumque vero ſit, Coronam tamen Sanctis, in Cælo gloriam conſecutis; aliis autem in hac mortali adhuc vitâ commorantibus, Tabulam quadratam a Pictoribus, & Sculptoribus effingi ſolitam, hoc ſaltèm loco explicaſſe ſat eſt.

F *Cognitæ diſtrictionis cautela.* Diſtrictio, vel deſtrictio, vox eſt ab Eccleſiaſticis Scriptoribus frequenter uſurpata: &, ſicut ex Placido Grammatico, apud Fulvium Urſinum, virum eruditiſſimum, ac de bonis literis optimè meritum, aſſervato, in Gloſſis colligitur, ſeveritatem ſignificat. Placidus enim ait: *Eſt autem deſtrictus, adtentus, vel ſeverus, ac non ſolutus, & lenis.* In hunc ſenſum ab Innocentio III. diſtrictio Judicii lib. primo Myſt. Miſſæ cap. 63. & a Gregorio, ultio, & emendatio diſtricta nuncupatur; hoc autem loco diſtrictionem pro arcta vita ſumi debere puto. Hinc, ut ait Joannes Diaconus, imaginem ſuam Beatus Gregorius ſalubriter depingi voluit, ut Monachi per ipſam imaginem non pro inani gloria, ſed in ſuam ipſorum ſalutem, cognitam Beati Gregorii diſtrictionem, ideſt arctam vitam in memoriam revocarent, dictamque vitam imitarentur, dum ipſius imaginem frequentiùs intuerentur. *Intueri* autem hoc loco a Joanne Diacono paſſivè ſumitur.

G *Nymphæum* pro lavacro, & fonte, necnon pro balneo apud Plinium, Julium Capitol. Joſephum, & alios ſumi ſolet, a Nympha dictum: quia Ethnici luminis veritatis expertes, Nymphas aquarum Deas eſſe putarunt. Adde etiam, quòd veteres Græci Nympham dicebant, quam nos mutatione unius literæ, *Lymphan*, ideſt, *Aquam*, vocamus. Nymphæum itaque hoc loco vel pro lavacro, vel pro fonte ſumi poſſe puto: de quo fonte Jo: Diaconus lib. 4. cap. 97. loquitur.

H *Gordianus*, Beati Gregorii Pater, *Regionarius* a Joanne Diacono nuncupatur: quem quamvis virum Eccleſiaſticum nullibi fuiſſe invenerim: veſtes tamen ſi ſpectentur, & verba Joannis Diaconi accuratè perpendantur, eum Eccleſiaſticum virum omninò fuiſſe, dicas oportet. Regionarii nomen, a Regionibus dictum, Notariis quibuſdam, necnon Defenſoribus, & Diaconis dari ſolebat. Notarii regionarii erant Protonotarii, ad quos geſta præſertim Martyrum ſcribere pertinebat. Defenſores Regionarii, ad varias Provincias deſtinati, ut ſcribit Joannes Diaconus lib. 2. de Beati Gregorii Vita cap. 53. circà pia præſertim opera verſabantur, ut, videlicèt, legata, ad pias cauſas relicta, in eleemoſynam pauperibus diſtribuerentur, ſicut ex lib. 4. epiſt. 24. & 25. lib. 7. epiſt. 66. & lib. 11. epiſt. 21. B. Gregorii colligitur. Horum item officium erat de Epiſcoporum exceſſibus cognitionem, ac notitiam ſuſcipere, Regulareſque perverſè agentes corrigere. His etiam Defenſoribus, ut Panvinius ex Pelagii epiſtolâ in cap. De Primicerio Defenſorum, ait, *conveniebant cauſarum*

cognitiones, conventiones, actus, publica litigia, & quæcumque vel Ecclesiastica institutæ, vel supplicantium necessitas postulabat.

Diaconi Regionarii, ut Subdiaconos Regionarios, quos in Registro B. Gregor. lib. 8. ep. 5. lib. 11. ep. 20. & 30. videre est, prætermittam, septem juxta 7. Regiones Urbis erant, ut legitur in Ordine Rom. Vel singuli duabus ex 14. Regionibus præerant: deindè 14. juxtà 14. Regiones fuerunt instituti, & ita vocabantur, quòd singularum Urbis Regionum, teste Panvinio, Diaconiis vel Xenodochiis præessent. Hi namque viduarum inopiâ laborantium, & pupillorum ministri erant, in publicis pauperum domibus, oratoria, & sacella sibi habentibus annexa, in quibus a Diacono egenis necessaria subministrabantur. Ad hanc rem præstandam viri graves, ac religiosi a B. Gregorio electi fuerunt, privilegiis insigniti, ut legitur apud Joannem Diaconum lib. 2. cap. 51. in ejusdem vita. Ex Collegio itaque Defensorum, qui ex Ordine quoque Clericorum, Panvinio teste, sumebantur; vel ex Diaconorum Collegio, si hac in re conjectare liceat, Gordianum fuisse reor, Ecclesiasticis indumentis, hoc est Dalmaticâ, & Planetâ diligenter consideratis: Diaconus enim non solùm Dalmaticam, quæ ei propriè convenit, gestare solet; sed ut, scribit Alcuinus lib. De Divin. Offic. cap. De significationibus Vestimentorum, Casulam item, quam Amalarius Fortunatus lib. 2. de Ecclesiasticis officiis cap. 19. generaliter ad omnes Clericos pertinere ait: ad finem autem Præfationis in ipsum de officiis opus ostendit, quando Diaconus Casulâ sit induendus, quando verò exuendus.

1 Huc accedit, quòd a Joanne Diacono Gordianus Caligas in pedibus gestare dicitur: Per Caligas autem nonnisi sandalia intelligenda sunt: non enim verò adsimile est, ut per caligas, tibiarum tegumentum intelligi queat, quia hujus generis tegumentum in pictura nec fieri, nec videri potest ob vestem ad pedes usque demissam. Caligæ itaque pro sandaliis a Joanne Diacono sumuntur. Huic sanè rei favet vulgata Bibliorum editio, quæ pro sandaliis caligas vertit, ut videre est locum illum Actuum 12. in quo Beatus Petrus sandalia sibi subligare ab Angelo jussus est hisce verbis: *Præcingere, & calcea te caligas tuas.* Pro quo Græca editio habet περίζωσαι, ἐ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου; hoc est, *Præcingere, & subliga sandalia tua.* Latini tamen recentiores pro sandaliis non caligas, sed soleas vertunt: quia caligæ pro tibiarum etiam operimentis sumi solent. Beatus autem Hieronymus explicans 20. Isaiæ caput, calceamenta, sandalia, & caligas pro eodem videtur accipere per hæc verba: *Depositis* (inquit) *calceamentis, quæ a Septuaginta, sandalia, ideſt caligæ vocantur*; &c. Caligæ item pro calceis a Beato Gregorio Magno lib. 1. cap. 4. & lib. 3. cap. 20. Dialogorum sumuntur: immò secundo loco citato de caligarum corigiis, quæ calceis, non tibialibus conveniunt, mentionem facit. Adde etiam quòd illud Actuum: *Calcea te caligas tuas*, nonnisi ad pedes, & ad calceos referri potest, quia calceare nil aliud, quàm calceos induere, significat. Hinc apud Svetonium in Vespasiano equi vel muli calceari dicuntur, cùm pedes eorum adversus saxorum injuriam ferramentis, seu soleis ferreis muniuntur. Per Caligas igitur, quas etiam Isidorus lib. 10. Etymologiarum cap. 34. inter calceamentorum genera videtur numerare, & a caligis caligarium dictum putat, sandalia intelliguntur: Nam Isidorus caligarium non a callo pedum, sed a voce Græca, *calo*, ideſt ligno, quod Græci τὸ κάλον dicunt, nuncupatum opinatur; undè calopodium, calceamentum ligneum, vel soccus. Per caligas itaque rectiùs sandalia, quàm tibiarum operimenta intelligenda sunt. Quòd autem Diaconi sandaliis interdum uti consueverint, Albinus, sive Alcuinus in lib. De Divinis Officiis cap. De significationibus Vestimentorum, & Amalarius Fortunatus lib. 2. de Ecclesiasticis officiis cap. 25. & alii apertè fatentur; immò etiam a Presbyteris, & Subdiaconis sandalia gestata olim fuisse narrant, sed sine ligamine, ad differentiam Episcoporum, & Diaconorum, qui in sandaliis ligamen habebant. Quamvis autem sandaliorum gestatio tempore Beati Gregorii Magni Diaconis vetita fuisse videatur lib. 7. Registri epist. 28. & can. Pervenit, dist. 93. idem tamen Grægorius eâdem in Epistolâ sandaliorum usum Diaconis Ecclesiæ Messanensis a Prædecessoribus suis concessum olim fuisse testatur: *Sandalia* verò inibi *compagi* appellantur: ab aliis verò *compagia* vocitari solent. Hodie verò nonnisi Summus Pontifex, Episcopi, & Presbyteri Cardinales sandaliis uti solent, quæ veterum sandaliis dissimilia sunt: ea enim subter pedem, integram soleam habebant, supra verò corium fenestratum, seù perforatum, hoc sanè symbolo quòd pedes Episcoporum, & Diaconorum, seu Prædicatorum (quorum officium etiam Diaconis erat demandatum) subter deberent esse muniti, ne terrenis affectibus polluerentur; sursum verò aperti, quatenùs Prædicatores ad cælestia cognoscenda, necnon ad mysteria revelanda, & prædicanda tales, & ipsi forent. Hujus generis caligas, aut sandalia Gordiani fuisse conjectare licet: sin secus, nihil erat, quòd Jo: Diaconus de communibus calceamentis ita expresè, & insigniter mentionem feciſſet.

Hoc loco facere non possum, quin admirer, cur Joannes Diaconus, qui dictas Imagines adeò exactè descripsit, ut multas earumdem minutias expresserit; sandalia Gordiani commemorarit, de sandaliis autem B. Gregorii nullam penitùs fecerit mentionem. Quonam autem modo hunc nodum dissolvere queam, ignoro, nisi id memoriæ lapsu factum esse dicam. Hinc calcei B. Gregorii, num in superiori parte fenestrati, aut perforati, necnon cruce insigniti effingendi essent [ut hac nostrâ ætate fieri solet] anceps

pro-

profectò fui; propterea quòd calceos ipsos in Ædicula S. Andreæ neutro modo pictos inveni. Quamvis autem Josephus Stephanus Valentinus, Episcopus olim Vestanus, nunc verò Episcopus Oriolen. vir sanè doctissimus, in libro De Osculatione pedum Romani Pontificis cap. 18. adversùs Papirii Massonis calliditatem, usum gestandi sandalia Pontificia, cruce insignita, vetustissimum fuisse per picturas conjectet; ego tamen, qui potiùs oculatus quàm auritus testis hac in re esse cupiebam, veteres Ecclesiarum Romæ Absides opere musivo decoratas, diligenter perlustravi. Qua in re perquirendâ, calceos Summorum Pontificum in superiori parte nec omninò fenestratos, aut perforatos, nec undequàque pedem obtegentes reperi; nam tantùmmodò in pedis acumine, atque in calcaneo tegumentum cum ligamine, a sole, & a calce ad collum, & ad pedis acumen, ad superiorem, videlicèt, pedis partem deducto, inesse conspicitur, parvulâ cruce suprà digitos pedum, tibialibus, & corio coopertos, impressâ, sive pictâ.

Tametsi Innocentius III. lib. Mysteriorum Missæ cap. 34. & 48. Alcuinus cap. De Vestimentorum significationibus, Amalarius Fortunatus lib. 2. cap. 25. Rabanus lib. 1. c. 22. Ivo Carnotensis serm. de significatione indumentorum, Guillelmus Durandus lib. 3. cap. 8. Stephanus Durantus lib. 2. cap. 9. & alii, qui de sandaliis loquuti sunt, de cruce super calceis Pontificiis apponi solitâ non meminerunt; hanc tamen consuetudinem antiquam esse, nonnumquàm verò incuriâ Pictorum, & Lapicidarum, vel eorum, qui Statuas, & Picturas efficiendas curabant, prætermissam inveni. Nam, ut ab antiquioribus Summorum Pontificum Imaginibus, quas invenire potui, exordiar; vidi Romæ vetustissimam Ecclesiæ Sanctæ Agnetis Absidem, opere vermiculato circà annum Domini DCXXIV. exornatam, in qua Honorius, hujus nominis Primus, qui Sacram Beatæ Agnetis Ædem viâ Nomentanâ construendam, & Absidem musivo decorandam curavit, ut Anastasius Bibliothecarius testatur, & carmina in Absside indicant; sandaliis albâ cruce satis conspicuâ insignitis calceatus, & Ecclesiam manu gestans extare cernitur. Hic enim, dum viveret, in Absside ipsa pictus fuit, sicut ea, quæ diximus, id nobis facilè persuadent. Quamvis autem Honorius Primus Crucis signum super sandaliis gestarit, Honorius tamen III. & IV., ex nobilissimâ Sabellorum Familia, Crucem in sandaliis non habent: Ille enim ad Sanctam Bibianam circà annum Dom. MCCXL. ad januam Ecclesiæ pictus; hic verò in Aracæli circà annum Domini MCCLXXXVII. ex marmore effictus, Romæ conspiciuntur.

In Oratorio, seù potius Ecclesiâ S. Venantii, nunc Sanctæ Mariæ ad Fontem nuncupatâ, propè Baptisterium, sive Fontem Lateranensem, extat Absis opere tessellato exornata, in cujus fornice, præter aliquot Imagines sacras, pictus cernitur Joannes IV. Dalmata, qui, ut Anastasius Bibliothecarius, & Panvinius testantur, eam struxit Ecclesiam circà annum Domini DCXXXIX. dictamque Absidem picturis musivis ornavit. Inter alias Imagines opere musivo pictas, duo Pontifices Romani, necnon Martyres duo, sandalis parvulâ nigri coloris Cruce insignitis calceati conspiciuntur: quorum Pontificum alter, ad dextram, videlicèt, postremo loco pictus, est Joannes IV. Ecclesiam manu gestans, quippè qui eam construendam curarit. Quam item rem Versus aliquot, qui inibi leguntur, nos apertè monent. Pontifex, ad sinistram postremo loco pictus, librumque manu tenens, ut Panvinio placet, est Theodorus, Joannis successor: qui, ut idem ait Panvinius, Ecclesiam fortasse, vel, ut ego arbitror, Absidem a Joanne inchoatam perfecit; hinc in ea pictus cernitur. Cur autem hoc loco Venantius, & Domnio, & extrà Absidem, Maurus, Martyres Crucem super sandaliis gestare cernantur, ignoro, nisi id arbitrio Pictoris, vel ad Crucem Martyrii repræsentandam, factum esse dicam: nam Summi tantùm Pontifices hunc ritum super sandaliis gestandi Crucem observare solent: hi enim de se humiliter, ac demissè sentientes, *Cum omnes Populos communi voto*, ut Josephus Stephanus, Episcopus Oriolen. in libro de Osculatione pedum Romani Pontificis non minùs doctè, ut omnia, quàm accuratè, ac piè cap. 18. scribit, *ad suos pedes adorandos propensos agnoscerent, Cruci Christi osculationem potiùs, quàm sibiipsis, tantùm honorem deferri maluerunt, ut omnes Christianos benigne ad oscula pedum exciperent. Itaque, ut expressam Christi Imaginem referrent, & Salvatoris passionem in hominum memoriam redigerent, Crucem sandaliis affixerunt, ut Christiani homines eos honores, quos debitos, & necessarios Pontifici deferebant, Cruce perspectâ, alacriùs exhiberent.* Hæc Josephus Stephanus. Cur itaque Martyres, vel alii Sancti, non Pontifices Romani, calceis Cruce insignitis decorentur, non satis perspicio, nisi id ad ea, quæ dixi, referam; vel ob Episcopalem fortasse dignitatem, qua Martyres ipsi, Venantius, videlicèt, Domnio, & Maurus fuerant insigniti, factum id esse dicam, ut præsefert Pallium, quo dicti Episcopi, & Martyres, Græcorum Episcoporum more, ornati cernuntur: apud namque Latinos jure communi nonnisi Summis Pontificibus, Patriarchis, & Archiepiscopis, ex indulto autem Apostolico Episcopis nonnullis, Pallio uti licet. Sicut itaque Pallium, quod Pontifici Romano in primis convenit, non Episcopo, eis datum est; ita & Crucem, quæ propter pedum osculationem in solius Romani Pontificis sandaliis apponi solet, dictis Martyribus datam esse opinor, ritus inventi ratione sive causâ non perspectâ.

Ad S. Martinum in Montibus inter Reliquias B. Martini I. Papæ, & Martyris, anno Dom. DCXLVII. calceus in superiori parte fenestratus, & in acumine tantùm obtectus juxtà formam, nuper a nobis de-

ſcriptam, aſſervatur. Acuminis autem pedis tegumentum corjaceum, cæruleo colore tinctum, & quibuſdam operibus ex ſerico & auro contextis ornatum extat, in quo inſtar ferè hujuſce literæ Græcæ, X, quædam Crucis imago, ut ita dicam, tranſverſaliter acu pictâ cernitur, quæ ornatum facit, & quamdam Crucis ſimilitudinem refert, ut infrà explicatè oſtendetur. Inter eaſdem reliquias extat etiam calceus B. Silveſtri primi, holoſericus, viridi colore imbutus, non villoſus, ſed jam ob vetuſtatem ſatis decoloratus, quamdam tamen viridis coloris, & holoſerici ſpeciem referens, operibus item ex ſerico, & auro contextis inſignitus. Is autem calceus quadam calcanei parte ob nimiam vetuſtatem carens, non eſt juxtà formam antiquiorem in uſu olim habitam, hoc eſt juxtà illud calceamenti genus, quo ſolæ obteguntur plantæ, ceteris pedum partibus nudis relictis, anſulis tantùm quibuſdam in ſuperiori parte coeuntibus, quas *ligulas* vocant, revinctum; nec item inſtar calcei eſt, quem nuper explicavimus, ſed eſt calceamenti genus, coriaceam habens ſoleam, necnon tegumentum, totam ſuperiorem pedis partem obtegens, inſtar calcei, quo nunc omnes indifferenter uti ſolent. Qua ex re in hanc ſententiam devenio, ut calceum hunc ab eo, quo in rebus Eccleſiaſticis, & in functionibus quibuſdam, ad Pontificiam præſertim majeſtatem exprimendam idoneis, Beatus Silveſter uti ſolebat, differre credam. Quamvis autem hujus generis calceamentum noſtro de Cruce argumento haùd omninò faveat, ipſum tamen tamquàm venerandæ vetuſtatis monumentum, & memoratu dignum, quandam item Crucis formam latenter per aliquot linearum involucra repræſentans, ut infrà explicabimus, ſilentio præterire mihi viſum non fuit:

Ad Sanctam Martinam, in Foro Boario ad radicem Capitolii, vetuſtiſſima extat Abſis tempore Domnionis circà annum Domini DC. LXXIX. opere muſivo inſignita, in qua duo Romani Pontifices, unus ad dextram, alter ad ſiniſtram B. Mariæ ſemper Virginis Filium in ſinu geſtantis, Pallio, juxtà morem antiquum formato, decorati cernuntur. Hunc vel Honorium primum, vel Gregorium Magnum (qui ante Domnionem fuerunt) eſſe conjicio; quem ſandaliis parvulâ nigri coloris Cruce calceatum vidi, & prope eum ad ſiniſtram partem literas haſce legi . . . . ORIUS. P P. ceteræ, nomen Summi Pontificis proprium complentes, collapſæ deſiderantur: alius verò Pontifex, ante Domnionem, dictam nominis proprii terminationem habere haudquàquàm poteſt. Illum intereà Pontificem, qui extat ad B. Mariæ Semper Virginis dextram, Eccleſiam manu geſtans, quippè qui Ædem ſacram conſtruendam, vel ſaltèm reparandam curarit, Domnionem eſſe dicas oportet: Panvinius enim in adnotatione ad vitam Domnionis, à Platina deſcriptam, ait hunc in modum: *In antiquo muſivo, quod eſt Romæ in Eccleſia Sanctæ Martinæ, hic Pontifex Domnio, non Donus, ſive Domnus, appellatur*. Quibus verbis Panvinius Domnionis nomen ſe inibì legiſſe apertè narrat. Verùm quia hujus Pontificis nomen nunc eo in loco non legitur, literas omninò periiſſe, mihi perſuadeo, ſicut in alterius Pontificis nomine aliqua ex parte factum eſſe vidi. Quare ſicut antiquior Pontifex ſandaliis cruce inſignitis calceatus cernitur, ita, & alterum recentiorem fuiſſe, credendum eſt: nam calcei opere olim muſivo facti, nunc collapſi ſunt: quorum loco, calcei rudi arte picti, ſine Cruce conſpiciuntur.

Ad Baſilicam Beati Petri, SS. Apoſtolorum Principis, Romæ à tergo Oratorii, ſive Sacelli, vel Altaris Sanctiſſimi Sudarii Salvatoris Noſtri ſuprà Portam Sanctam, ad interiorem Baſilicæ partem, extat Oratorium opere muſivo inſigni, excultoque decoratum, & in honorem Immaculatæ Semper Virginis, ac Dei Genitricis à Joanne VII. circà annum Domini DCC. VI. conſtructum, ut Anaſtaſius Bibliothecarius, Platina, & Panvinius teſtantur, & Inſcriptio ipſa docet hiſce verbis:

† JOHANNES INDIGNUS EPISCOPUS FECIT.

Hùc accedit quòd Joannes ad capitis tergum quadratam habet Tabulam, quæ, ut ſuperiùs dictum eſt, indicium eâ tempeſtate viventis eſſe ſolet, dum fieret pictura illa. Joannes verò propè Imaginem Beatæ Mariæ Semper Virginis Sandaliis inſignitis paruulâ nigri coloris cruce, quæ ex quatuor lapillulis muſivis conſtat, cernitur calceatus.

In Baſilica item S. Petri extat ſimulacrum Urbani VI., e marmore circà annum Domini M. CCC. LXXXIX. effictum. Ad S. Joannem in Laterano extat Martini V. Statua Sepulchralis æneа circà annum Domini M. CCCCXXXI. In atrio Monaſterii S. Salvatoris in Lauro Statua Eugenii IV. marmorea circà annum Dom. M. CCCC. XLVII. In Baſilica etiam Sancti Petri extant quæ infrà leguntur Statuæ Sepulchrales, hoc eſt Nicolai V. circà annum Domini M. CCCC. LV. Calixti III. in atriolo propè Sacellum Sixtianum M. CCCC. LVIII. Pii II. M. CCCC. LXIV. Pauli II. M. CCCC. LXXI. Sixti IV. M. CCCC. LXXXIV. Innocentii VIII. M. CCCC. XCII. Pii III. M. D. III. In Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuprà Minervam extat Leonis X. Simulacrum Sepulchrale, & in Capitolio Statua item marmorea circà annum Dom. M. D. XXI. Horum omnium Romanorum Pontificum, & aliorum his recentiorum, hoc eſt Pauli III. Pauli IV. Pii V. Gregorii XIII., & Sixti V. Statuas vidi calceatas Sandaliis cruce inſignitis. Vidi etiam alios Romanos Pontifices opere teſſellato effictos, Honorio I. antiquiores, ſed propter magnam picturarum vetuſtatem calceos collapſos reperi. Contrà verò vidi ad Sanctum Laurentium in Lucina pictam Sixti III. imaginem, & quidèm pervetuſtam; necnon Paſchalem I. ad Sanctam Praxedem, & ad Sanctam Cæciliam circà annum Dom. DCCC. VII. & Gregorium IV. ad Sanctum Marcum circà annum Dom. DCCC. XXX. opere muſivo pictos,

ctos, ſed Sandalia ſine cruce geſtantes. Id quod non ſine incuria vel Pictorum, vel eorum, qui picturas faciendas curabant, factum videtur, ut cernere eſt in Abſide Eccleſiæ Sanctæ Mariæ transtiberim circà annum Domini M. C. XLIII. opere teſſellato decoratâ, in qua præter aliàs Imagines, Romani Pontifices, Beatus, ſcilicèt, Petrus Apoſtolus, Calixtus, Julius, Cornelius, & Innocentius II. qui opus muſiuum faciundum curavit, picti conſpiciuntur: ſed Cornelius ſolus, qui paſſus eſt anno Domini CC. LIII. calceos cruce inſignitos geſtare cernitur. Idipſum confirmatur per Bonifacii IX. Statuam marmoream in Baſilica Sancti Pauli aſſervatum, & circa annum Domini M. CCCC. XL. effictam, quæ calceos ſine cruce habere conſpicitur; alios tamen Pontifices ante Innocentium II., & Bonifacium IX. ſandalia non ſine cruce geſtare vidimus. Nam ſi antiquiores Pontifices calceos cruce inſignitos geſtaſſe conſtet, eumdem etiam ritum à recentioribus obſervatum fuiſſe, fatearis neceſſe eſt.

Quamvis autem ante Honorium I. qui Pontifex renunciatus fuit circà annum Domini DC. XXII., & anno Dom. DC. XXXV. obiit, hunc ritum ob Abſides Eccleſiarum opere muſivo decoratas, & nimiâ vetuſtate vel omninò, vel majori ex parte collapſas, in uſu habitum invenire non potuerim; ipſum tamen antiquiorem eſſe coniicio, etiamſi Scriptores tàm antiqui, quàm recentes, de ſandaliis loquentes, nullam penitùs, ut dixi, mentionem de cruce fecerint, quippequi de ſandaliis Epiſcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum abſolutè ſumptis, deque eorumdem tantùm formâ, & ſignificatu, ac miniſterio verba fecerunt, prætermiſſo ritu, ad oſculationem pedum Romani Pontificis inuento. Quòd autem Beatus Gregorius Magnus hujus generis ſandalia, hoc eſt calceos cruce inſignitos geſtarit, id nobis facilè perſuadet, quòd inter Pontificatum Beati Gregorii Magni, & Honorii Primi, quem calceis cruce ornatis uſum fuiſſe vidimus, nonniſi viginti annorum ſpatium, plus minusve, interceſſit. Hinc verò adſimile eſt, ut idem hujus generis ſandalia geſtandi ritus ab Honorio I. qui obiit anno Domini DC. XXXV. uſurpatus, apud Gregorium Magnum, & alios Pontifices, ejus Prædeceſſores, in frequenti uſu haberetur: Honorius namque Primus, Natione Campanus, ob brevem temporis intercapedinem, quæ inter eorumdem Pontificatus interjecta erat, non ſolùm ipſum Gregorium, qui anno Domini DC. IV. vel ſecundùm Trithemium DC. V. ex hac vita deceſſit, verùm etiam Pelagium, Gregorii prædeceſſorem, videre potuit; immò quòd eos viderit, credi poteſt, ac debet.

Illud prætereà ad vetuſtiſſimam ſuper ſandaliis Summorum Pontificum crucis ſignũ geſtandi conſuetudinem comprobandam, ſcitu ſatis dignum videtur, quòd Panvinius dum vitas Summorum Pontificum, nondum in lucem editas, conſcriberet, eorumdemque Imagines ad vivum exprimendas curaret, in Abſide quadam vetuſtiſſimo muſivo decoratâ vel Beati Silveſtri, vel alterius ex antiquioribus Romani Pontificis Imaginem à calce ad caput integram, ſandaliis paruulâ inſignitis cruce pictam invenit, eamque tamquàm perpetuâ memoriâ dignam inter inſigniores Summorum Pontificum Imagines ad viuum expreſſas penès ſe habebat, ceteris, quas Pictorum arbitratu pictas diiudicabat, prætermiſſis, ſicut Silvius Antonianus, Sanctiſſimi D. N. Clementis VIII. cubiculi Præfectus, apprimè eruditus, necnon ſpectatæ integritatis, probatæque fidei vir, ſplendidè teſtatur, dictamque Imaginem à Panvinio ſibi oſtenſam præſcriptum in modũ calceatam ſeſe vidiſſe omninò, nullâq. hæſitatione affirmat.

Hæc de Cruce ſuper ſandaliis Romani Pontificis antiquitùs geſtari ſolitâ. Qua in re tamquàm ab alijs nondum explicata, mihi immorari viſum fuit.

K Tunica Silviæ inferior *pſeudolactini coloris* eſſe à Jo: Diacono dicitur. Color pſeudolactinus eſt color exalbidus, quaſi falſam quandam albedinem, ſive ut opinor *leucophæũ*, id eſt, colorem quendam ex albo, & nigello mixtum, vel, ut ſic dixerim, cinericium referens. Nam Græce ψευδὸς, Latinè ſonat *falſum*, eoque vtimur in compoſitione, ut *Pſeudolus*, ideſt *falſus ſeruus*; *Pſeudographus*, ideſt *falſarius*; *Pſeudopropheta*, ideſt *falſus propheta*, & alia id genus permulta. Color itaque Pſeudolactinus à *falſo* dictus *lacte*, per quod Joannes Diaconus albedinem quandam intelligi voluit, ſignificat *falſum album*, ideſt, exalbidum, ſeu cinericium, albedinem quodam modo imitantem.

L Tunicam Silviæ inferiorem, quam *Pſeudolactini coloris* fuiſſe ſcribit Joannes Diaconus, duabus Zonis diſtinctam ait. Zona etſi proprie pro cingulo ſumi ſolet, hoc tamen loco per Zonas à Diacono commemoratas, non niſi faſciolas quaſdam veſtium muliebrium extremitatem circumquaque ambientes, & ad ornatum elaboratas, accipi poſſe autumo; una enim Zona infrà alteram quodam intervallo, & ornatum, & diſtinctionem veſtis quandam reddit, ità verò, ut duæ tunicæ inſtar duarum Dalmaticarum eſſe videantur: nàm Dalmatica in extremitate pro ornatu habet limbum quendam, quo falcioſa ſive Zona ipſa, de qua eſt ſermo apud Joannem Diaconum, eſt paulò latior, ut ipſemet affirmat. Huc ſpectare videtur illud, quod Iſidorus lib. 19. cap. 22. etymolog. de nominibus veſtium ſcribens, de Segmentis ait: *Segmenta Zonis quibuſdam, & quaſi præciſamentis ornata: nam particulas cujuſque materiæ abſciſſæ præſegminas vocant.* Hæc Iſidorus.

M Silvia *Mitram matronalem candentis brandei raritate niblatam* in capite geſtaſſe (teſte Joanne Diacono) legitur. Mitrâ utebantur Matronæ, ut innuit Varro lib. 4. de lingua Latina. Iſidorus lib. 19. cap. 31. ait: *Mitra eſt pileum Phrygium, caput protegens, quale eſt ornamentum devotarum: ſed pileum virorum eſt, mitra autem fœminarum.* Quòd autem Mitra ſit tegmen quoddam ad ornatum capitis

muliebrem, ex Isajæ cap. 3. constat: quin Mitra Viris probrosa erat, ut ex Luciano, Virg. 4., & 9. Æneid., & aliis, colligi potest.

Mitra igitur Matronalis, ut alias Mitræ formas, & significationes posthabeam, erat quoddam capitis ornamentum muliebre, sed varias, & Matronarum, & Adolescentularum, aut Virginum Mitras apud varias Nationes fuisse opinor. Apud Phryges Mytra sumebatur pro muliebri ad ornatum capitis Adolescentularum coronâ, ex qua pendebant, fasciolæ, quæ *phylla* dicebantur, quòd foliorum vel florum instar dependerent. Hinc Virgil. lib. 9. Æneidos ait:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula Mitræ.

De Mitra Virginali sermonem habet Optatus Episcopus Milevitanus lib. 6. adversùs Parmenianum.

Judith Hebræa in Scriptura Sacra [lib. de historia ejusdem cap. 9.] Mitram pro ornatu capitis gestasse legitur: quam, scilicèt, Mitram Lyranus *Cucufam* appellat muliebrē, hoc est, ut ego interpretor, *Calanticam*, capitis, videlicèt, ornatum muliebrem; Nostrates autem *Cuffiam* appellant. Muliebre autem capitis ornamentum (ut dixi) varium fuit. Turcæ hodie, & aliæ Nationes Orientales pileis turbinatis ex linteo velamine, vel ex tela serica contextis utuntur: eundemque ferè in modum Turcarum feminæ, ut in Chronicis Turcicis 3. par. cap. 3., & 4. legitur, pileis turbinatis, & acuminatis caput ornare solent. Hujus generis ferè ornamento, pileo, scilicèt, turbinato, quod *Mitra* appellabatur, Matronæ olim Romanæ utebantur, ut innuit Varro libro quarto de lingua Latina. Quæ sanè res comprobatur ex Statuis antiquarum Matronarum marmoreis, quæ multis in locis, & præsertim Romæ ad hanc usque diem conspiciuntur. Hujus generis Mitram candentis brandei raritate niblatam, hoc est, ex candente brandeo contextam, Silvia gestasse legitur apud Joannem Diaconum. *Brandeum*, ut colligitur non solùm ex Joanne Diacono in hoc loco, & lib. 2. cap. 24. sed etiam ex ipsomet Gregorio Magno lib. 3. epist. 30. erat sudariolum album, seu velum lineum, vel sericum, ex quo Mitram Silviæ ad ornatum capitis contextam fuisse, dicendum est. Quid autem vox illa, *niblatam*, propriè sibi velit, invenire non potui: eamque barbaram esse credo, usurpatam hoc loco pro, *distinctam*, vel *nubilatam*, idest nubis instar factam, seu potiùs ex raritate sive subtilitate candentis; seu candidi linteoli contextam. Vel, *niblata*, est vox ob librariorum oscitationem corrupta pro, *nimbata*, à nimbo dicta: nimbus enim non solùm est pluuia repentina, & præceps, sed etiàm fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte fœminarum, teste Isidoro lib. 19. etymologiarum, cap. 31. de capitis fœminarum ornamentis. Hac voce, *nimbata*, usus est Plautus in Pœnulo, dicens:

Quo magis eam aspicio, tanto magis nimbata est, & nugæ meræ. Lumen item, quod circà Angelorum capita pingitur, ut idem Isidorus ait, nimbus vocatur, licèt nimbus sit densitas nubis: Dici ergò potest Mitra candentis brandei raritate nimbata, vel quià Mitra nimbo erat ornata, vel ex candido, & raro, vel subtili velamine fasciata, sive instar candidæ nubis turbinata. Hæc ad sensum per conjecturam; quid enim vox illa, *niblata*, quæ in omnibus Ms. Vaticanis ita legitur, propriè significet, me omnino ignorare fateor, multis ac varijs Dictionariis penès me extantibus, necnon recentioribus, & antiquis Auctoribus diligenter conquisitis, & accuratè perlustratis. Ut ut res sese habeat, Mitram illam ad ornatum capitis à Matronis olim gestari solitam, ex sudariolo quodam, aut velo tenuissimo contextam, sive fasciatam, vel turbinatam fuisse mihi persuadeo, & pro comperto habeo, sicut in antiquis simulacris fœminarum marmoreis, quæ Romæ, & alibi passim cernuntur, videre licet. Huic adsimile videtur esse illud, quod reperitur in Stola quadam Sacerdotali perantiqua, acu insignita, vel variata, & quasi penicillo picta, quæ Romæ in Sacrario Pontificio ad hanc usque diem asservata custoditur. In hac enim Stola vetustissima, & pulcherrima quidèm, inter alias Imagines Sacras, quæ inibi conspiciuntur, extat Beatæ Mariæ semper Virginis, & Dei Matris Imago, hujus generis Mitram ad ornatum capitis gestans. Circà verò ejus Imaginem hæ notæ Græcæ MP. ΘΥ, hoc est Μήτηρ θεοῦ, ideſt Mater Dei, acu insignitæ leguntur. Quæ sanè res magnam nobis de Mitra illa, ad ornatum capitis muliebrem olim inventa, fidem facit.

Hæc de Sancti Gregorii, Gordiani, ac B. Silviæ Imaginibus: nunc reliquum est, ut, Mitræ parte Sancti Silvestri, & antiquis Summorum Pontificum Sandaliis perspectis, ad Scholia in Beati Gregorii Librum Sacramentorum tandèm aliquando accedamus.

DE

PARS MITRAE S. SILVESTRI PAPÆ



CALCEVS S. SILVESTRI PAPÆ I.



CALCEVS S. MARTINI PAPÆ ET MAR



CALCEVS HONORII PAPÆ I.



DE MITRA SANCTI SILVESTRI PAPÆ.

MITRÆ Sancti Silvestri Papæ partem, sive anteriorem medietatem ære incisam ad venerandam Mitræ Pontificiæ antiquitatem, occasione sese oblatâ, indicandam, hoc loco apponere visum est, etiamsi Beati Gregorii Imaginem nudo capite incidendam curarim ob causas initio enarratas. Hanc verò Mitræ partem inter sacras reliquias ad Sanctum Martinum in Montibus asservatam, ad amussim unàcum literis, & Imaginibus repræsentare studui, etsi acu satis imperitè pictam, prout illa ætas ferebat, in qua tàm sculpendi, quàm pingendi artes, jamdiù mendis, & ineptiis scatentes, defloruerant. Quamvis Mitræ medietas, quæ ad Sanctum Martinum in Montibus asservatur, & quantùm ad latitudinem, & altitudinem major sit, ipsam tamen in eam quantitatem incidendam curavi, ut in eâdem paginæ facie Mitra cum calceis in eam item parvitatem contractis comprehenderetur. Mitra verò coloris viridis holoserica, non villosa, phrygiana est, ut suo loco explicavi, dum de Mitra Summorum Pontificum sermonem habui.

De Sancti Silvestri Primi, Sancti Martini Primi, & Honorii Primi Summorum Pontificum Sandaliis, sive Calceis.

CAlceus, quem Sanctus Silvester gestabat, viridis etiam coloris, holosericus, non villosus, quibusdam operibus ex serico, & auro contextis ornatus, ad Sanctum Martinum in Montibus inter easdem reliquias asservatur. Hujus generis calceum (quem Græci σανδάλιον vocant) quamvis ab eo, quo in functionibus Ecclesiasticis ad Pontificiam majestatem referendam Beatus Silvester uti soleat, differe credam; eum tamen sine Cruce omninò esse inficias ire non audeo, dum nodos super sandalium confectos diligenter specto, ac perpendo: nodi namque ipsi per aliquot linearum implexionem, sive involucra, ornatum præstant, pluresque Cruces efficiunt, & comprehendunt.

Calceus item, quem Sanctus Martinus gestabat, eodem in loco nuper commemorato asservatur: in cujus acumine tegumentum extat corjaceum, cæruleo colore imbutum, & quibusdam etiam operibus ex serico, & auro contextis ornatum. Hic Calceus instar sandalii Honorii Primi fuisse cernitur, tegumento calcanei, & ligulis astrictoriis ob vetustatem carens: in cujus calcei acumine ornatus ille formam Græci characteris hujusce χ. vel literæ Servianæ χ, χ, quodam modo referens, quamdam Crucis Imaginem, transversalem tamen, repræsentare videtur. Hinc non desunt qui per hasce literas, Crucem satis bellè repræsentari posse, scribant. Hæc duo sandalia, quamvis explicatam Crucem non habeant, ea tamen ob rationes alibi enarratas, ære incidenda, & hoc loco apponenda curavi.

Calceus Honorii postremo loco repræsentatus, ad Absidem Ecclesiæ Sanctæ Agnetis viâ Nomentanâ ab eodem Honorio opere musivo exornatam, pictus extare cernitur, ut fusiùs ostendi; dum de caligis sive calceis Gordiani, Summorumque Pontificum sandaliis, Cruce insignitis, verba feci. Ad Absidem namque ipsam, circà annum Domini DC. XXIV. constructam, Honorius Primus, hujus generis sandaliis albâ Cruce satis conspicuâ decoratis calceatus cernitur. Hinc calceum ipsum, & ad vetustum super sandaliis Crucem gestandi ritum indicandum, & ad antiquam sandaliorum formam ob oculos positam, faciliùs explicandam, hoc loco repræsentandum censui: antiquiora enim sandalia etsi soleam tantùm, & ligulas habebant astrictorias, ut loco superiùs citato satis dictum esse reor; omnes tamen ferè Pontifices, qui in musivis antiquis picti repræsentantur, juxtà calcei Honorii Primi formam sandalia gestare conspiciuntur. De solea verò S. Petri Beatus Bonaventura mentionem facit: eamque ad suum usque tempus Romæ asservatam fuisse testatur Tom. 7. pag. 4. in illo de Sanctorum Apostolorum sandaliis Opusculo, in quo multis Scripturæ Sacræ locis, Sanctorumque Patrum testimoniis in medium allatis, & explicatis, doctissimè, ut omnia, explanat, & eruditissimè docet, quomodo, & quando Salvator Noster Christus, Apostoli, ac Discipuli ejus incesserint discalceati.

Franciſcus Peres Collado Hiſpalenſis.

R. P. F. ANGELO ROCCHÆ CAMERTI

Sacrarii Pontificii Præfecto S.

QVEMADMODUM muneris oſtenſi editionem Populus flagitare olìm ſolebat; ſic promiſſum opus, & ab Auctore ipſo propoſitum, quaſi à munerario eruditi ſolent expoſcere. Et meritò quidèm. Quod enìm olim in munerum editione libelli præſtare ſolebant, id in editione alicujus libri crebræ ipſius Auctoris promiſſiones præſtant: nam frequentes de hac re habiti ſermones, & ſæpe ſæpius data fides, videntur excitare deſiderium eorum, qui hiſce interfuerunt promiſſis. *Sapienti pauca*. Scholia in Sacramentarium Beati Gregorii à te conſcripta, coram ſæpe conqueſtus ſum, cur in angulo lateant, & lucem jam non aſpexerint. Sed fruſtrà de hac re verba facio, cum videaris ea nonum velle reſervare in annum, & tineis, & blattis depaſcenda tradere. Quid in hæc cogitem? Hac tuâ cunctatione refers mihi illum Callipedem, de quo M. Cicero ajebat: *Biennium præteriit, cum ille Callipedes aſſiduo curſu cubitum nullum proceſſerit*. Quid Callipedi ſimilius? Biennium jàm præteriit, tertius jàm agitur annus, & promiſſa Scholia haud ſcio cui bono negentur. Inter eruditos viros eidem culpæ affinis judicatur, qui æs alienum contractum non diſſolvit, & qui datam fidem frangit, & promiſſa in hoc genere non implet. Cave itaque, ne literati diem tibi dicant, & te in hominum eruditorum judicium duçant; & ſi velis dicere te promiſſi violati non eſſe reum, verbis extremis Præfationis Tomi V. operum Beati Gregorii quaſi chirographo convincaris. Quando igitur Scholia ſunt jam à te limata, ne diem ex die ducas, & nos inanibus promiſſis ampliùs deludas; ſed ſi bonum nomen vis exiſtimari, ſolutionis tarditatem auctario aliquo compenſa; & qui Scholia tantùm pollicitus fueras typis mandare, illa, quæ meditatus fueras ad Beati Gregorii, ejuſque Parentum Imagines, necnon ad ejuſdem Sancti vitam accuratè intelligendam, quaſi cumulum adde; ut, ſi qua per tuam iſtam cunctationem in te mali nominis macula inſedit, & per hoſce annos inveteravit, hoc auctario deleri poſſit. Vale eruditiſſime vir, & in dies majora, & tuis exantlatis laboribus, & tuo ingenio digna, in lucem ede. Romæ Kalendis Maii M.D.XCVII.

SCHOLIA
IN LIBRUM SACRAMENTORUM
B. GREGORII MAGNI

LECTORIBUS
F. ANGELUS ROCCA CAMERS
APOSTOLICI PALATII SACRISTA.

GRAVISSIMÆ, ac diuturnæ ægritudines, quas olim (Lectores humaniſſimi) perpeſſus fui, effecerunt, ut Scholia hæc, jam diù promiſſa, & à me pridèm conſcripta, ad hanc uſque diem fuerint protracta, & dilata: Opera enim Beati Gregorii Magni in Vaticana Typographia ſuperioribus annis impreſſa, & ſub felicibus Auſpiciis, piâque Clementis VIII. munificentiâ ad finem tandèm aliquando perducta (quibus poſt multos, Incredibileſque labores extremam mihi manum imponere contigit) me in lectulo ob adverſam valetudinem ſemivivo jacente, diuulgata ſunt, hominum, videlicèt, proſpectui expoſita. Prætereà Ego, & jure quidèm, animo, & corpore ita conſternatus evaſi, ut multorum menſium intervallo nonniſi animi, & corporis virium reparationem cogitare quiverim. Alia deindè munia, quæ me à Typographia ipſa, cui in Sanctorum Patrum monumentis emendandis, & imprimendis novem jàm ferè annos operam dedi, omninò amoverunt; mihique ad Scholia imprimenda, etſi maximopere propenſo, procraſtinare facilè ſuaſerunt. Poſtremò autem tantæ hac in re præſtanda cunctationis me ſuppuduiſſe fateor, cùm tertius jam annus me ante oppreſſerit, quàm promiſſis reſpondere potuerim: frequens tamen ſuaſio Literatorum hominum, qui hujus generis pollicitationem in Quinti Tomi Operum Beati Gregorii fronte jam impreſſam, tamquàm vanam, majorem in modum non ſemel damnarunt, pudorem tandèm meum aliquando vicit, fugavitque. Quid in hoc Sacramentorum Libro emendando, & Scholiis illuſtrando præſtiterim, judicent alii: Quantum verò ſuſceperim laboris, non ſum neſcius. Hunc etenìm manuſcriptum Librum, Librariorum incuriâ, ſive inſcitiâ, ita nævis deturpatum,

ita

ita cicatricibus confossum, immò ita mutilum, & depravatum, atque ita discerptum reperi, ut facies ipsa in ipsa planè facie non agnoscceretur, sicut ii, qui mecum in Typographia Vaticana degebant, locupletes hujusce rei possunt esse testes. Ut autem nativam ei faciem, utcùmque potui, restituerem, multa errata, à Librariis apertè commissa, sublata sunt: nonnulla verò Codicum item manuscriptorum collatione à mendis vindicata sunt; alia denique conjecturis, & Scholiis indigentia, tùm ob rerum, ac vocum obscuritatem, tùm etiam ob vetustum scribendi modum eâ in ætate usurpatum, immutata relicta sunt, & suis in locis declarata, ut Codicis manuscripti antiquitas indicaretur. Hinc confusis ordinem, obscuris lumen, dubiis certam notitiam reddere studui: & quamvis, in literis præsertim, me nihil esse sciam; tamen, ut aliquid hac in re forem, non parum adlaboravi. Hæc, ut meæ cunctationis rationem in medium afferrem, meamque in Librum Sacramentorum industriam explicarem, mihi dicenda videbantur. Rem ego nec parvam, nec tardè quidèm fuero assecutus, si cunctando rem ipsam satis congruenter restituisse videbor; Sat enim citò, si sat benè. Vos autem meam retardationem, & moram, etsi nimium longam, & odiosam, justis tamen de causis admissam, æqui bonique facite; meamque operam publicæ commoditati, & utilitati præstitam, qualiscumque sit, accipere ne gravemini. Valete, Romæ, in Sacrario Pontificio Kalendis Augusti M. D. XCVII.

DE LIBRI NOMINE, ET AUCTORE.

ANTEQUAM SCHOLIA IN B. GREGORII MAGNI Sacramentorum Librum aggrediamur, duo potissimùm scitu digna videntur, atque illud in primis, cur, scilicèt, hujus generis Codex preces, & orationes complectens, *Liber Sacramentorum*, vel potiùs *Sacramentarium*, sive *Sacramentarius liber* nuncupetur. Olim namque [ut Pamelius testatur] sacramenta vocitabantur non solùm Missæ Sacrificium, verùm etiam Missarum orationes, quæ Eucharistiæ Sacramentum in primis circumspiciunt, quæque Collectæ item dicuntur ob rationes suo loco assignandas. Hinc Codex, quem præ manibus habemus, Liber Sacramentorum, vel potiùs, & rectiùs fortasse, salvo meliori judicio, Sacramentarius inscribi solet, ut videre est apud veteres, & probatissimos Catholicæ Ecclesiæ Scriptores: è quorum numero sunt Albinus Flaccus Alcuinus *de Ecclesiasticis officiis, cap. de Quadragesima in Sabbato ante Palmas, & feria sexta in Parasceve*: Amalarius Fortunatus *lib.1. in secunda Præfatione*, non semel; & *cap.1. 9. 12. 23.*, & *libr.3. cap.40.*, & *lib.4. cap.23. 30. 42.*, Micrologus *cap.13. 24. 25. 31. 42. 49. 55.*; Hi omnes dictis in locis non libri Sacramentorum, sed Sacramentarii voce semper usi sunt. E recentioribus autem Scriptoribus, itemque probatissimis, Joi Franciscum de Panvinis *in Canonizatione S. Bonaventuræ ante art.1.par.1. Tom.7.*, Jo: Stephanum Durantum, *lib.2. de ritibus Ecclesiasticis cap.17. num.8.*, Cæsarem Baronium S. R. E. Cardinalem *in Martyrologio die 18. Januarii*, & Jacobum Pamelium *in Præfatione ad Micrologum*, Sacramentarii nomine usos fuisse inveni: Nam, tametsi Pamelius *in secundo Tomo liturgicar. in Prologom. de Beati Gregorii Sacramentorum codice*, rectiùs Sacramentorum librum, quàm Sacramentarium inscribi affirmat; in loco tamen citato dictum librum Sacramentarium absolutè nuncupavit. Quamvis itaque solus Walafridus Strabo huic scribendi modo suis in scriptis adversari videatur; & exemplaria M.S. quæ à Librariorum arbitrio plerunque pendent, Walafrido favere videantur; tamen ad ambiguitatem saltem vitandam, Sacramentarium, quàm Librum Sacramentorum rectiùs inscribi debere, videtur. Si enim hujus generis opus, à B. Gregorio conscriptum, Liber Sacramentorum inscribatur, septem Sacramenta Ecclesiæ in eo comprehendi facilè quis illicò suspicabitur: Si autem Sacramentarium, vel Sacramentarius nuncupetur, non Sacramenta, sed Sacramentalia, quæ circà Eucharistiæ Sacramentum versantur, in eo contineri quisque poterit non ab re judicare. Utcùmque autem sit; Opus, de quo loquimur, Liber Sacramentorum inscriptum non inconsultò relictum est, ob codices MS. Vaticanos, qui Sacramentorum libri nomine prænotantur, & præsertim ille, ceteris insignior, quem impressimus.

Reliquum est, ut secundo loco à nobis propositum explicemus: Nam hujus generis codicem opus Gelasii Papæ nomine priùs edi-

editum invenio; Deinde à Gregorio Magno reformatum. Et nonnullis rebus ab aliis poſtremò auctum, ut Walafridus Strabo *in lib. de rebus Eccleſiaſticis cap.* 22. teſtatur in hanc verborum formam: *Gelaſius Papa tàm a ſe, quàm ab aliis compoſitas preces dicitur ordinaſſe, & Galliarum Eccleſiæ ſuis orationibus utebantur, quæ & adhuc a multis habentur. Et quia tam incertis Auctoribus multa videbantur inſerta, & ſenſus integritatem non habentia, curavit B. Gregorius rationabilia quæque coadunare, & ſecluſis iis, quæ vel nimia, vel inconcinna videbantur, compoſuit Librum, qui dicitur Sacramentorum, ſicut ex titulo ejus manifeſtiſſimè declaratur. In quo ſi aliqua inveniuntur ad hunc ſenſum claudicantia, non ab illo inſerta, ſed ab aliis minus diligentibus poſteà credenda ſunt ſuperaddita.* Hæc Walafridus; cujus verba ad verbum hoc loco recitavimus, ne ipſa ampliùs tanquàm Scholiis hiſce pro quibuſdam locis dilucidandis, frequenter deſervientia, repetamus. De hac item re luculentiſſimum extat teſtimonium Joannis Diaconi *in vita ipſius Gregorii Magni lib.* 2. *cap.* 17. in quo ait hunc in modum: *Sed & Gelaſianum Codicem de Miſſarum ſolemniis multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adiiciens, pro exponendis Evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit.* Hæc de libri Sacramentorum nomine, & Auctore pro ſolutione dubitationum, quæ alicui ſeſe offerre poſſent.

SCHOLIA.

PAg. 49. B. *Item dicitur, GLORIA IN EXCELSIS DEO, ſi Epiſcopus fuerit, &c.* Alii Codices habent, *affuerit.* Sed prior lectio videtur magis congruere verbis ſubſequentibus, quæ ſunt: *A Presbyteris autem minimè dicitur, niſi ſolo in Paſcha.* Nunc autem alius viget uſus.

Ibidem legitur: *Deindè ſequitur Apoſtolus.* Alii Codices MS. habent: *Deindè legitur Epiſtola.* Hæc autem lectio eſt prioris declarativa ipſam emendans.

Pag. 49. E. In prima Canonis parte, quæ incipit hiſce verbis: *Te igitur.* Aliquot conſignationes Crucis, quæ nunc fiunt in ipſo Canone, inter illa verba: *Hæc dona, Hæc munera, Hæc ſancta ſacrificia illibata*; Et inter illa alia: *Benedictam, Adſcriptam, Ratam, &c.* Atque aliis in locis, non extant, negligentiâ fortaſsè Librariorum prætermiſſæ. Hæ namque Crucis conſignationes omnes antiquæ ſunt, & myſteriorum plenæ, quæ dictis in locis, & alibi deſiderantur: quia non ſolùm ante conſecrationem ad ſanctificandum oblata; ſed etiam poſt conſecrationem ad Chriſti Saluatoris Paſſionem, ac mortem repræſentandam toties in Canone repetuntur, ut apertè docent S. Auguſtinus *lib. de Spiritu ſancto*, Micrologus *de Eccleſ. obſerv. cap.* 15. Amalar. Fortun. *lib.* 3. *de Eccl. offi. cap.* 24. Ivo Carnoten. *ſerm. De Convenientia veter. & nov. Sacrificii* S. Thom. 3. *par. qu.* 83. *art.* 5. S. Bonavent. *in expoſit. Miſſæ.* Gabriel Biel *in Can. Miſſæ.* Gulielmus Durandus *lib.* 4. *De Divin. offic. in expoſit. Can.* Stephanus Durantus *De ritibus Eccleſ.* & alii permulti. Hæ tamen conſignationes ſuis in locis repoſitæ non ſunt, ut textus, proùt jacet, fideliter oſtendatur, apertiſſimis menuis, & innumeris quidèm, tùm ad punctuationem, & ad orthographiam, tùm etiam ad voces ipſas pertinentibus, exceptis, quæ ſine ulla hæſitatione corrigi debebant.

Pag. 50. A. Legitur in Codicibus MS. Vaticanis *Tathæi*, pro *Thaddæi*. Hanc enim vocem Tathæus per Aphæreſim figuram originem à fonte Hebraico trahere ſuſpicari poſſumus, hoc eſt ab eo nomine, quod eſt Mattathias: ideſt Donatus à Domino, vel Donum Domini, hæc namque vox, quæ componitur ex Mattath, quod eſt donum, vel donans; & Ia, Deus, vel Dominus, quaſi *Donum Dei*, vel *Domini* interpretatur. Eandem ſignificationem habet Matthias per figuram ſyncopen, ſyllabâ mediâ detractâ, necnon Matthæus, ideſt Donatus. Græci enim (αι) in (αι) diphtongum convertunt, dum aliquid ab aliis linguis transferunt in ſuam: Eam autem Græcorum diphtongum Latini per [ae] pronunciare ſolent. Quare hi nonnihil à Græcis in formandis vocibus mutuantes; ex α, & ι, formant diphtongum (ae) dicentes, Matthæus. Hinc Tathæus per Aphæreſim quaſi Mattathæus, vel Mattathias, *Mat*, ſyllabâ detractâ, formatur. Cum vox igitur, *Tathæus* tam bellè ad Hebraicam vocem accedat; hanc dictionem, non illam, retinendam eſſe duxi. Adde etiam, quòd Pamelius in Sacramentorum item libro, quem ſub Gregorii Magni nomine impreſſit, hanc vocem, *Tathæi*, hoc loco invenit, & reliquit: ſed in margine, *Tatdæi*, appoſuit cum aſteriſco. Thaddæus autem, *Laudans*, ſive *Confitens* Latinè dicitur.

Pag. 50. B. *Qui pridie quàm paterentur.* Hoc in loco deſiderantur duæ particulæ, quæ in Miſſali nunc extant; ſed eæ non inconſultò relictæ videntur. Legitur enim *Elevatis*, ſine conjunctione, & ita etiam *Dedit*, abſque particula enclitica iſta, *que.*

Pag. 50. D. *Super Diptycha*, Mendoſe legebatur, Dyptitia. *Diptychum* enim ſive δίπτυχον, *Diptychon* Græcè, duplicatum Latinè dicitur, a δὶς, *bis*: & πτυξ, vel πτυχὴ, plica. *Diptycum* autem pro duabus tabulis, quarum una vivorum, altera verò mortuorũ nomina continebat, quę in Miſſa publicè recitabantur hoc ſumitur loco. Vivorum enim nomina in illa Canonis parte, quę incipit: *Memento Domine*: poſt illa verba. *Famulorum, famularumque tuarum &c.* Defunctorum autem poſt illa verba: *Qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis*, recitabantur. De more hoc in Eccleſia ſancta perantiquo, hoc eſt de commemoratione tàm vivorum, quàm defunctorum in Miſſæ ſacrificio; quorum nomina in Tabulis conſcripta erant, mentionem faciunt Gelaſius Papa ſcribens ad Anaſtaſium Auguſtum, ut videre licet *in* 2. *Tomo Concil.* longè poſt medium Epiſtolæ; Innocen-

centius primus *Epiſt. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum*:idque legitur *de conſecratione diſt.1. c.73*.S.Cyprianus *ep.10.Tom.1*.ubi offerri nomen,& *ep. 66*. nominari in Sacerdotum prece pro Tabularum recitatione dixit ; S.P.Auguſtinus ad Clerum Hipponen. *epiſt. 137*.,& habetur *2. q. 1. cap.12*.Nomen *Et 11.q.3.cap.50*. Quid obeſt. Gregorius item in Regiſtro *lib.3. epiſt. 39*., & alii permulti . Non deſunt etiam, qui de Diptychis expreſsè ſcribant . Dionyſius enim Areopagita *lib. De Eccleſiaſt.Hierarchia cap.3*. expreſſam facit mentionem de ſacrarum Tabularum myſticâ recitatione : Nam quamvis in Latino textu legatur ; *Myſtica Sanctorum recitatio* , nullâ penitùs de ſacris Tabulis mentione factâ ; Græca tamen litera habet *ἱερῶν πτυχῶν* , hoc eſt , *Sacrarum Tabularum* ; id quod ab Interprete fuit prætermiſſum,vel ob carentiam hujus vocis, *πτυχῶν*, in ejus exemplari ; aut quia de Sanctorum tantùm recitatione in Miſſæ ſacrificio fieri ſolita Dionyſium loqui putavit, ut Pamelius opinatur. Innoc. item ad Arcadium Imp.necnon Eudoxia Imperatrix ad eundem Innocen. mentionem de Diptychis expreſſam faciunt.Has autem literas videre eſt apud Georgium Alexandriæ Archiepiſc. in vita Chryſoſtomi,ut refert Steph.Durant, Vigilius quoque Papa *Diptycorum* meminit in damnatione Theodori Epiſcopi Cæſareæ Cappadociæ , ut legitur *in 2. Tomo Concil.* inter Decreta ejuſdem Papæ . Fit etiam mentio de iiſdem Diptychis apud Theodorum *in hiſtoria Eccl.* ; quam vocant *Tripartitam* , *lib. 10. cap. 25*. in quo de Chryſoſtomo legitur : *Is ergo Pontifex Joannis Magni vocabulum Eccleſiaſticis διπτύχοις primus inſervit* . Alicuinus inſuper *de celebr. Miſſæ* longè poſt medium , *Diptycorum* meminit hiſce verbis: *Poſt ergo illa verba, quibus dicitur , in ſomno pacis , uſus fuit antiquorum , ſicut etiam uſque hodie Romana agit Eccleſia , ut ſtatim recitarentur ex Diptychis , id eſt Tabulis , nomina defunctorum* . Idem ferè legitur apud Florum Magiſtr. *in expoſit. Miſſæ* . Fit etiam mentio de ſacris Diptychis in Liturgia Sancti Marci , necnon in Synodica Procli Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ad Donnum Epiſcopum Antiochenum *epiſt. ante med.* quæ extat *in 2. Tomo Concil. Act.14.Concilii Chalcedonenſis* , In quinta item Synodo generali Conſtantinopol.2. *Tom.2. Concil. Conſeſſ.* vel *Coll.1*. in literis Juſtiniani Imp. ad Synodum ſcriptis de Theodoro , qui Mopſueſtiæ Epiſcopus dictus fuit , legitur hunc in modum ; *Deletum eſt nomen ejus a ſacris Diptychis Eccleſiæ, cujus fuit Epiſcopus*. Et infrà : *Hortamur autem etiam illud diſceptare,quod vanè profertur ab eis, qui dicunt non oportere poſt mortè hæreticos anathematizari , & ſequi in hoc doctrinam Sanctorum Patruum , qui non ſolùm viventes hæreticos condemnaverunt, ſed , & poſt mortem , utpotè in ſua impietate mortuos anathematizaverunt , ſicut eos , qui injuſtè condemnati ſunt , revocaverunt poſt mortem , & in ſacris Diptychis ſcripſerunt , Quod factum eſt in Joanne* [ſcilicèt *Chryſoſtomo*] *& in Flaviano religioſæ memoriæ Epiſcopis Conſtantinopolitanis* . Hæc ferè omnia *in Decreto Gratiani 24. q. 2. cap. 6.* quod incipit : *Sanè profertur à quibuſdam, qui dicunt oportere , &c.* Quæ quidèm ſententia ab Juſtiniani literis deſumpta, eundem ſenſum habet cum eo , qui in iiſdem literis extat ; ſed inſulſa videtur , & mutila , verbis quibuſdam à Compilatore demptis ; quibuſdam verò mutatis : Nam dictio illa *Sanè* , loco illius Adverbii, *Vanè*,poſita, negatione ablatâ ; non ſignificat *Benè, & ſapienter* , ut Gloſſa hunc locum interpretatur ; ſed ſolùm affirmantis eſt vox ; niſi dicatur , *Sanè benè profertur , &c.* vel , *Vanè ſatis profertur a quibuſdam , qui dicunt non oportere, &c.* negatione in ſuum locum repoſita , Sed de his hactenùs , ut ad *Diptycha* , undè,occaſione ſuadente, digreſſi ſumus , revertamur , Hic ſanè de *Diptychis* locus in Decreto Gratiani depravatus olim extabat, ſed Romæ ſuperioribus annis ex dicto Concilio fuit emendatus : nam prius pro *Diptychis, Dicticis*, legebatur . Hinc gloſſa dictionem illam , *Dicticis* corruptam explicans , ait *Dicticas* eſſe tabulas, à dico , dicis , nuncupatas : atque hunc in modum textui mendoſo mendosè Gloſſa reſpondebat : Hujuſce nanque verſus Auctor , voce falsà pro vera utens, mediamque ſyllabam producens, dixit:

Clericè dicticam lateri ne dempſeris unquam.

Verſum hunc depravatum , quem Gloſſa Martiali adſcribit, in Martiali reperire non potui , atque hunc in modum reſtituendum cenſeo:

Clericè Dyptichium lateri ne dempſeris unquam

Verſus enim à Gloſſa citatus textui nunc emendato non reſpondet ; ſed hoc modo reſtitutus , rectam etymologiam , genuinum ſenſum , & ſyllabarum quantitatem conſervat : nam vox, *Diptycha* , vel *Diptychium*,cum *pty* , ſyllabâ correptâ , ut initio hujuſce ſcholii explicatum eſt, aliam habet etymologiam , a complicatione duarum, ſcilicèt, Tabularum dictam. *Diptycha* enim,ut omnes interpretantur , erant Tabulæ ex quavis materia confectæ, ſive chartæ,vel columnæ,in quibus imagines Patrum in ſuo catologo ponebantur. Et quia *Diptychum* Græcè, duplicatum Latinè interpretatur, ut dictum eſt ; Duplices illæ Tabulæ Eccleſiaſticæ , quarum una vivorum,altera defunctorum erat , hanc fortaſsè vocem ſortitæ ſibi ſunt , translato vocabulo ab duplicibus oſtreorum teſtis , quas B. Ambroſius *lib. 5. Hexaemeron cap.8. Tom.1.Diptychum*,ſatis bellè appellat : quia duplices illæ Tabulæ inſtar forſitan teſtarum oſtreorum erant ita complicatæ , ut una ſuper alteram contracta, clauderentur , Hac itaque , ut reor , translatione literæ à quovis Principe emiſſæ , & ſignis obſignatæ, à duplicatis Tabellis , Briſſonio teſte, Diplomata dicta creduntur , quales ſunt etiam Literæ patentes , ſive Bullæ Pontificiæ ; eaſque literas complicatas , ſive duplicatas , & lino trajecto obſignatas fuiſſe dicunt : quod enim Græci *διπλοῦν* dicunt , Latini

ni duplum vocant. Hinc duplicatæ Tabellæ, Diplomata, & *Diptycha* nuncupantur. Hac item ratione Pugillares, ſive Pugillaria, ideſt Tabellæ cereæ, ligneæ, vel alterius materiæ, in quibus ſtylo ſcribitur, variis nominibus apud veteres vocitabantur. Aliæ enim Quincuplices, vel Pentaptyca, πενταπτυχα: Aliæ Triplices, vel Triptycha, τριπτυχα: Aliæ Duplices, vel Diptycha, δίπτυχα, dicebantur. Quarè ſicut à Svetonio in Auguſto Diplomata, vel *Dipthyca*, Duplices Tabellæ dictę ſunt, ita *Dipthycum* ab Auſonio Bipatens pugillar nuncupatum fuit. In Codice autem Th. ut doctiſſimus refert Briſſonius *in libr. 4. De verborum ſignificatione*, Duplices Tabellæ *Diptycha* Imperatorum nominantur: quæ etiam *Diptychia* non inſulsè dici poſſe autumo, auctoritate Sancti Patris Auguſtini perſuaſus: ipſe enim *in lib. 15. contra Fauſtum Manichæum cap. 1. ſub perſona Fauſti*, & *cap. 2.* in *reſponſione contrà eundem*, duas Tabulas illas Moyſis lapideas (quarum una complectitur tria præcepta ad Deum pertinentia; ſeptem verò ad proximum) *Diptychium lapideum non* ſemel appellavit. Duplices igitur Tabulæ illæ Eccleſiaſticæ, quarum una vivorum, altera verò defunctorum nomina in Miſſæ Sacrificio recitanda continebat, *Dipthycha* jure ſuo dicebantur, non *Diptitia*, ut mendosè ob incuriam Librariorum in exemplari legitur Vaticano. Nec ſilentio prætereundum videtur, quod frequenter ſeſe offert in hoc Sacramentorum libro de locis, in quibus vivorum, ac defunctorum, ſive etiam ſanctorum nomina ſunt recitanda: Ubi enim aliquorum memoria nominatim fieri ſolet, in vetuſtiori Vaticano Codice non invenitur litera N. nominis exprimendi ſignum, ſed hæ literæ, ILL. quæ ad Codicis antiquitatem repræſentandam relictæ ſunt.

Pag. 50. E. Parte illa, quæ incipit: *Nobis quoque peccatoribus*, legitur *Agathe*, & *Agne* in ſexto caſu, Græcæ declinationis formâ retentâ, pro *Agatha*, & *Agnete*; vt Agathe, es; & Agne, es; Id quod apud multos Latinos erat in uſu, & præſertim apud Sanctum Ambroſium, & quidèm frequenter. Hinc Prudentius *in Periſteph.* utitur declinatione Græcâ hunc in modum:

Agnes ſepulchrum eſt Romulea in domo
Fortis puellæ, Martyris inclytæ.

Hoc enim in loco ponitur Agnes pro Agnetis: nonnulli tamen Codices habent Agnis Sepulcrum: ſed Agni, Agnis, eſt declinatio omninò Græcâ, literâ, η, per ι, non per e prolata, ut γραμματικὴ, ῆς: Ῥητορικὴ, ῆς, quas voces Latini in ſuam vertentes linguam, dicunt Grammatice, es: Rhetorice, es, &c. Agathæ igitur pro Agatha, & Agne pro Agnete ponuntur. Id quoque videre eſt, & copioſiùs in feſtis earundem Sanctarum.

Pag. 63. 64. & 95. in eodem Sacramentario ſunt qui legunt *Agna*, *Agnæ*, ut habetur in Pamelii Adnotationibus.

Pag. 53. A. In præfatione Codex unus MS. habet: *Per hunc inviſibilium amore rapiamur*. Sed tres MS. concordant cum Miſſali Rom., in quo legitur: *Per hunc in inviſibilium amorem rapiamur*; Quam ſanè lectionem veluti magis congruam, quàm priorem, in hoc Sacramentorum libro reponendam eſſe cenſui.

Ibidem D. in oratione *Largire quæſumus*, Legebatur: *Fidei, Spei, & Securitatis augmentum*, idque tantum in uno Codice MS. At ceteri habent: *Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*: ſed quia prior lectio de mendo ſuſpecta eſt, ſecundam retinendam eſſe judicavi.

Pag. 54. A. In Secreta legebatur: *Suſcipe Domine &c. Vt quod illos paſſio glorioſos, nos devotio reddat innocuos*, In prima clauſula deſideratur verbum *Fecit*: quod ne locutio mutila relinqueretur, repoſui, cum præſertim in Miſſali legatur, *Efficit* & in Pamelii Adnotationibus *Fecit*: quod etiam in alio MS. invenitur.

Pag. 62. A. & 63. F. & 64. D. Videre eſt Miſſam SS. Virginum, & Martyrum Agnes, & Agathes: quarum nomina more Græco declinata aperte cernuntur, ut ſuperiùs copioſè oſtenſum eſt pag. 50. E.

Pag. 64. A. Poſt orationes ad complendum, quæ nunc in Miſſali dicitur, Poſtcommunio, ponitur oratio, quæ in Codice Vaticano à nobis impreſſo ad Collectam inſcripta reperitur. Eſt autem inſtar orationis, quæ ſuper populum dici ſolet: & nuncupatur Collecta, eo quòd, ut ait S. Bonaventura *in expoſit. Miſſæ, cap. 2. tom. 7.* omnes adſtantes Miſſæ, ſe debeant devotè colligere, & cum Sacerdote fideliter orare: vel, ut aliqui dicunt, quia Miſſarum orationes, collecto populo, celebrari ſolent. Quæ ſanè ſententia mihi non arridet: propterea quòd omnia, quæ in Miſſa dicuntur; Collectæ hac ratione dici poſſent. Quarè cum Walafrido Strabone *cap. 22. Collectas nuncupari dicemus, quia neceſſarias orationum petitiones compendioſâ brevitate colligimus, ſive concludimus.* Vel quia, *Sacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones iis orationibus colligit, atque concludit, ut cap. 3. de Eccleſiaſticis obſervationibus* ſentit Micrologus, qui ibidem, quænam magis propriè nuncupentur Collectæ, docet hiſce verbis: *Illæ tamen ſpecialiùs Collectæ vocari videntur, quæ apud Romanos ſuper Collectam Populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Eccleſia in aliam ad Stationem faciendam, ut in capite jejunii illa oratio (CONCEDE NOBIS DOMINE) apud S. Anaſtaſiam ſupra Collectam populi dicitur, qui Stationem apud S. Sabinam celebraturus eſt.* Hæc Micrologus. Dicta oratio reperitur hodie in Miſſali poſt Cinerum benedictionem, ac dationem ante Miſſam. Antiquitùs enim in feria 4. Cinerum colligebatur Populus apud S. Anaſtaſiam, ubi dicta oratio recitabatur, deindè ad S. Sabinam pro Statione celebranda procedebatur; ſicut in die Aſſumptionis B. Mariæ ſemper Virginis legebatur hæc oratio (*Veneranda nobis Domine*) in Statione, qua cum Imagine Chriſti,

ut legitur in ordine Romano pag.84. procedebatur à S. Maria Minore [quæ est in Foro Boario ad Arcum Vespasiani, nunc Ecclesia *S. Mariæ Novæ* nuncupata] ad S. Adrianum, ubi fiebat Statio : Missa verò ad S. Mariam Majorem : & in die Nativitatis ejusdem recitabatur oratio[*Supplicationem servorum,&c.*] quando Litania à S. Adriano ad S. Mariam Majorem exibat juxtà B.Gregorii Papæ Magni consuetudinem, ut Radulphus Tungrensis ait *de Canonum observantia, propos.*13. & fusius *prop.* 23. ubi de his tribus Collectis, ac stationibus loquitur.

Pag.67. B. In die Februarii 22. in qua celebrari solet Cathedra S. Petri in Antiochia, legitur titulus Missæ hunc in modum : *Cathedra S. Petri in Roma*. Locum vitio Librariorum mendosum esse reor, cum Roma pro Antiochia ponatur. De Cathedra Antiochena, quæ die 22. Februarii celebratur, mentionem facit Ordo Romanus *pag.* 24. Antiphonarius B.Gregorii, Micrologus *c.*48. & Ivo Carnotensis Episcopus. Cathedra Romana, quæ sub die 18. Januarii nunc celebratur, nec in Antiphonariis, nec Lectionariis, nec in Sacramentariis tam MS. quàm impressis invenitur, nec de ea apud veteres Scriptores de Ritibus Ecclesiasticis fit ulla mentio, propterea quòd divinum de Cathedra Romana officium institutum fuit à Paulo IV. per Bullam sub die 18. Januarii MDLVII. Romæ VIII. Idus Jan. Anno sui Pontificatus III. Hinc in Breviariis antiquis ante Pauli IV. Pontificatum impressis Cathedra Romana, quæ sub die 18. Januarii celebratur, non reperitur, quòd sciam : Extat tamen in Martyrologiis, quæ de hac Cathedra luculentissimum reddunt testimonium. Non desunt hac etiam de re alia testimonia,& quidem permulta, quæ Cæsar Baronius S. R. E. Card. vir sanè eruditissimus, & in historiis Ecclesiasticis mirificè versatus, in sua notatione ad Martyrologium Romanum sub die 18. Januarii copiosè atque insigniter recenset : In Gallia tamen, & Hispaniæ partibus ante Pauli IV. Decretum, hæc Romanæ Cathedræ festivitas colebatur, ut in ipsamet Bulla 40. enarratur.

De Missa Cathedræ, quæ in Codicibus MS. Vaticanis sub die 22. Februarii extat, Card. Baronius mentionem facit, eamque sub die 18. Januarii in eadem notatione in Martyrologium Romanum citat tanquàm Cathedræ Romanæ Missam : propterea quòd Collecta, quæ habetur in alia Missa ejusdem diei ad Cathedram item Romanam pertinere videtur. Cathedra tamen Antiochena in insigniori MS. Sacramentario sub die 22.Februarii extat nomine Cathedræ Romanæ : cujus Missæ Præfationem idem Card. Baronius ferè ad verbum recitat, hac dictione [*Mundasti* pro *Fundasti*] exceptâ. Legitur enim in exemplaribus MS. Vaticanis in hanc verborum formam : *Quam* [*scilicet Ecclesiam in Patriarchis fundasti, in Prophetis præparasti, in Apostolis condidisti, &c.*

Ibidem D. In oratione, quæ incipit : *Omnipotens sempiterne Deus, &c.* multa desunt, quæ in alio exemplari reperiuntur, ut videre est apud Card.Baronium *Tom.*1.*Annal. Eccl. pag.*328. D. Ut autem id planum fiat, orationem ipsam hoc loco apponere visum fuit. In exemplari Vaticano ita jacet:

Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili Sacramento, Apostoli tui Petri principatum in Romani nominis arce posuisti, præsta, ut quod in orbem terrarum, ejus prædicatione inchoavit; Christianæ devotionis sequatur universitas. Per &c.

Hæc ex Codice MS. Vaticano.

Baronius ita legit :

Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili Sacramento, Apostolo tuo Petro Principatum Romæ Urbis tribuisti; undè se Evangelica veritas per tota Mundi Regna diffunderet; præsta quæsumus, ut quod in orbem terrarum ejus prædicatione emanavit, universitas Christiana devotione sequatur.

Hæc ex Baronio, qui in primo Annalium Tomo, & in Martyrologio preces hasce in antiquis S. Romanæ Ecclesiæ Ritualibus libris, sive Breviariis se inveniisse testatur.

Pag.67. B. In prima oratione Missæ in Cathedra Sancti Petri, *Animas ligandi, atque solvendi Pontificium tradidisti*. Hæc in illustriori Vaticano Codice MS. extant, sed in aliis MS. ejusdem Bibliothecæ, atque in Codice Liturgicon impresso à Pamelio hæc dictio, *Animas*, desideratur, quamvis sine ipsa particula, quæ in Missali Romano reperitur, lectio eundem etiam sensum habere queat.

Ibidem hac in Missa sese considerandum offert, cur in fine post orationem ad complendum, quæ nunc *Postcommunio* in Missali Romano dicitur, addatur Collecta super populum, quæ nunc nonnisi in feriis tantùm Quadragesimæ usque ad quartam feriam majoris hebdomadæ inclusive dici solet, ut in Missali videre est. De hoc ritu Micrologus *de Ecclesiasticis observationibus cap.*51. rationem reddit dicens : *Oratio post communionem pro solis communicantibus solet orare. Populus autem etsi quotidie in Quadragesima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergo Populus ita oratione, ut communione careret, adjecta est oratio super Populum, in qua non de communicatione, sed pro Populi protectione specialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi à populo antiquitùs persolvebatur : vel potiùs ideo, quia omnes juxtà attestationem Sancti Ambrosii in Dominicis diebus communicare deberent : quibus, & oratio post communionem pro benedictione sufficere posset.* Hæc Micrologus, qui tacitæ item objectioni infrà respondet ; Cur, scilicet, in Dominicis, ac festis diebus, in quibus genuflexio admitti non solet, oratio super populum fuerit adjecta [ut videre est in hoc Sacramentorum libro] Deindè consuetudo hæc postremò inoleverit, sicut Missale Romanum id apertè demonstrat. Micrologus itaque

hunc

hunc ait in modum : *Beatiſſimi quoque Patres noſtri, Ambroſius lib. 5. De Sacrament. cap. 4. & De Conſecrat. d. 2. cap. 56.* & Auguſtinus *ſerm. 28. De Verbis Domini Tom. 10. ad quotidianam nos hortantur communionem : Sed quia hoc modo nec ab omnibus Presbyteris in Quadrageſima nedum à Laicis, obſervatur ; congruè adjecta eſt oratio ſuper Populum, ut vel eo tempore ultimâ benedictione Populus non careret, dum tamen communicare non ſoleret. Hinc quoque, & illa conſuetudo apud Modernos, quæ non fuit apud Antiquos, inoleviſſe videtur, ut & in aliis temporibus, etiam Presbyteri poſt finem Miſſæ benedicant, ne Populum ita benedictione, ut communione privatum diſcedere permittant.* Hæc de oratione, quæ *ad complendum* inſcribitur, quia Miſſa eſt completa. Eadem verò appellatur Poſtcommunio, quia poſt communionem pro ſolis communicatis dici ſolet, ſicut ſoli communicantes divinis Myſteriis antiquitùs intereſſe ſolebant : Cathechumini verò, & pœnitentes, ut qui nondum ad communicandum ſe paraverunt, ante oblationem exire jubebantur, eodem Micrologo teſte in loco citato.

Pag. 68. D. Hoc loco extat Miſſa B. Gregorii Papæ. Undè apertè dignoſcitur multa, ut in Præfatione dictum eſt, poſt tempora Gregorii Magni, huic Sacramentorum libro adjecta fuiſſe. De hac Miſſa idem ferè dixit Grimoldus in Præfatione in ſuum Sacramentorum librum.

Pag. 74. In Præfatione Codex Vaticanus habet : *Fides additur* : Sed in Codice impreſſo à Pamelio legitur : *Fides alitur* : At quoniam hanc lectionem congruentiorem eſſe ratio docet, hinc retinendam cenſui, Legitur enim ibi : *In quo* (ſcilicet *Chriſto*) *jejunantium Fides alitur, Spes provehitur, Charitas roboratur : JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum.* Quæ in Codicibus Vaticanis non extant, reddunt tamen lectionem clariorem, & verbis, quæ ſequuntur, congruentiorem. Prior autem lectio non improbatur, præſertim cùm videatur conſona iis, quæ habentur in Evangelio : *Domine adauge nobis Fidē.*

Pag. 76. B. *Sabbato in* XII. *Lect. menſis primi, hoc eſt Martii.* Unumquodque Sabbatum quatuor temporum in hoc Sacramentorum libro inſcribitur, *Sabbatum duodecim Lectionum*, ſive *in duodecim Lectionibus* ; vel quia in ſingulo quoque Sabbato Quatuor temporum duodecim lectiones Scripturæ ſacræ legi ſolebant, ſicut in Sabbato Sancto majoris hebdomadæ nunc fieri ſolet, ſi numerus Lectionum obſervetur : Nam tunc temporis ſex tantùm lectiones legebantur : ſed illæ ſex dicebantur duodecim, quia illæ ſex Latinè, & Græcè in Romana Eccleſia à duodecim Lectoribus legebantur, propter rationes, quas aſſignat Alcuinus *cap. in Sabbato De duodecim Lect.* Amalarius *lib. 2. cap. 1. Berno De Miſſa cap. 7.* & Micrologus *cap. 28.* Nunc autem duodecim lectiones Latinæ leguntur in Sabbato Sancto Paſchatis : In ceteris verò Sabbatis Quatuor temporum ſex tantùm item Latinæ legi ſolent.

Pag. 83. Codex unus Vaticanus habet : *Noſtroque omnium Domino* : Alius autem ; *Noſtrorumque Domino* : ſed quia utraque lectio bonum reddit ſenſum, priorem reliquimus, præſertim verò ob alteriſcum, quo ſecunda Lectio eſt notata in Codice impreſſo à Pamelio.

Pag. 87. D. Super Secretam. Hac in oratione ſunt duæ lectiones, quarum una eſt : *Quæ temporali nos conſolatione lætificent, ut promiſſa certiùs non deſperemus æterna.* Altera eſt : *Quæ temporalem conſolationem ſignificent* : Codices varii ſunt ; hinc priorem Lectionem tanquàm clariorem, magiſque congruam retinendam cenſui.

Ibidem E. In ultima Collecta ad complendum duæ ſunt lectiones, quarum una eſt : *Nullis inficiantur adverſis* : Altera eſt : *Nullis afficiantur adverſis* : Utraque bonum reddit ſenſum, ſed priorem, quæ in illuſtriori MS. Vaticano extat, retinendam exiſtimavi.

Pag. 91. C. Hac die, quæ eſt Feria 4. Majoris hebdomadæ, ponuntur orationes pro quocunque ſtatu, eædemque leguntur in Feria 6. In ceteris autem Codicibus nonniſi in Feria ſexta. De hac re nihil certi habetur ; Sed conjicere poſſumus, bis in majori hebdomada pro omnium ſtatu orandi ritum fuiſſe in Eccleſia ſancta antiquiorem, cum in ſexta tantùm Feria hujus generis orationes recitentur.

Pag. 94. A. B. Præfatio quamvis variis lectionibus non careat juxtà varios Codices MS. eas tamen tanquàm parvi momenti hoc loco apponere non libuit. Unam autem vocum varietatem ponendam cenſui, quæ eſt de Juda proditore, & noviſſima CHRISTI cœna, hunc in modum juxtà Codices Vaticanos : *Patitur mitis Dominus immitem Judam, & ſuſtinet pius crudelem convivam.* Codex autem à Pamelio impreſſus habet : *Paſcit igitur mitis Dominus immitem Judam, &c.* Utraque lectio bona eſt : licèt hæc lectio probabilior videatur, cum de cœna, vel de convivio hac in Præfatione ſermo ſit, ut inibi videre eſt ; priorem tamen lectionem, tanquàm magis communem, ac receptam, retinuimus, ne temerè fiat mutatio, neceſſitate id non poſtulante.

Ibidem B. A verbo, *Relaxavit*, excluſivè, uſque ad finem Præfationis, multa ex iis non reperiuntur in aliis Codicibus, majori, ac celebriori Vaticano excepto.

Ibidem D. In oratione pro benedictione olei, ultima dictio videtur mutila : *Undè unxiſti Sacerdotes, & Reges, Prophetas, & Martyres Chriſma perfectum tuum, Domine, a te benedictum, &c.* Hæc in Vaticano Codice. Codex autem à Pamelio impreſſus ita legit : *Unde unxiſti Sacerdotes, Reges, Prophetas, Martyres, Chriſma perfectum tuum, Domine, & à te benedictum permanens in viſceribus noſtris, in nomine Domini noſtri* JESU CHRISTI. Quæ etiam lectio videtur trunca, & mutila, cum deſit aliquod verbum ad finem. Huic adſimile pag. 95. in Præfatione legitur, ſed ſub aliis verbis, quæ perfectum efficiunt ſenſum.

Pag.97. C. D. Feria 6. Majoris hebdomadæ in prima, & secunda rubrica sunt nonnullæ voces adeo obscuræ ob scriptionem ipsam, sensumque earum, ut si quæ ex iis compendiariæ (quas *breviaturas* Italicè vocitamus) dissolvantur, sive explicentur, nihil certi, quod congruentem reddat lectionem, elicitur. Notæ autem abbreviatæ sunt hæ: *Sacrãmrio*, & *Frãbrum*, quæ si pro *Sacramentario*, & *Presbyterorum*, sumantur, quid hoc in loco sibi velint, non satis constat: præsertim verò pro *Sacramentario*: nisi hic aliud compendiosum citetur Sacramentarium, undè hoc descriptum sit, & [*Presbyterorum Ecclesiæ*] pro Ecclesiis non Cathedralibus accipiantur, ut videre est in Ordine Romano ad officium Paraseves. Quod si hoc modo accipiendum erit, interpunctura aliter facienda videtur, ut suo loco videre est.

Ibidem D. *Posito ante eam*[ideſt Crucem] *Oratorio*, &c. Oratorium hoc in loco pro quanam re sumatur, nihil adhuc invenire licuit: quod si pro Orario intelligatur, nec sic quidèm ad rem facere videtur. Oratorium nanque est locus, in quo oratur: id autem ante Crucem locari non solet in die Paraseves, dum Crux adoratur. Alcuinus tractans ritum adorationis in die Paraseves, recitat eadem verba, quæ leguntur in Sacramentario, sed pro Oratorio, *Orario*, legit. Idem legitur in Ordine Romano, dum ritus adorandæ Crucis in die Paraseves enarratur. Orarium autem, ab orando dictum, pro stola, quam Oratores, ideſt Prædicatores ad collum gestant, sumi solet, ut ait Alcuinus, Rabanus, & Beda. Quæ sanè res huic loco non congruit, nisi Orarium etiam ab orando dictum, sumatur pro aulæo, aut tapete ante Crucem strato, super quo, genibus flexis, oratur, & Crux denique adoratur.

Pag.128. Oratio, quæ dicitur Secreta, in festo S. Leonis mutata est, quia ubi olim in Sacramentario antiquo legebatur: *Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio &c.* Hodie legitur in Missali: *Ut intercessione B. Leonis hæc nobis prosit oblatio*. Hæc autem mutatio facta videtur ad clariorem expressionem, & intelligentiam rei, cum Sancti nostris orationibus non indigeant, sed nos potiùs eorum intercessionibus opus habeamus; immò qui pro Sanctis oraret, eis injuriam faceret, ut Augustinus, & alii Doctores affirmant. August. *serm. 17. De verbis Apostoli Tom.10.*

De hac mutatione fit mentio *in Decretalibus lib.3. titul.41. De Celebratione Missarum cap.6. Cum Marthæ §. Tertio loco*, ubi Innocentius III. respondens Archiepiscopo Lugdunensi, de hujusmodi mutatione olim facta, ait: *Undè quòd in plerisque orationibus continetur, prosit, vel proficiat, huic Sancto, vel illi talis oblatio ad gloriam, & honorem ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quòd magis à fidelibus glorificetur in terris: Licèt plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari: & ideò Ecclesiam interim sanè posse augmentum eorum glorificationis optare*. Hæc Innocentius. Quarè satis constat, hanc orationem, de qua nunc agitur, non esse immutandam, tùm quia sensu bono non caret, tùm maximè, quòd ex hac re hujus Exemplaris antiquitas comprobatur; cùm ante Innocentii tempora, qui circa ann. Dom. MCXC. vixit, hæc lectio, quam in hoc Sacramentario reperimus, legeretur. Hujus autem nodi solutio quamvis mihi perspecta esset, ubi primùm difficultas mihi sese obtulit, ut meis olim Collegis in Typographia Vaticana degentibus reipsà ostendi; locum tamen Canonis, quo solutio mirum in modum illustratur, Franciscus Toletus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vir undequàque doctus, mihi in memoriam revocavit.

Pag.136. D. Vigilia Assumptionis B. Mariæ, in prima oratione, quæ ad Deum Christum de B. Maria Virgine directa est, legitur hunc in modum: *Da, quæsumus ut sua nos defensione* [Beata, scilicèt, Virgo] *jucundos faciat suæ intereſſe festivitati. Faciat* igitur; non (*Facias*) salvo tamen meliori judicio, legendum videtur.

Pag.150. B. Natale omnium Sanctorum in Oratione prima legitur: *Multiplicatis intercessionibus*; Hoc loco licèt in Missali Romano legatur (*Intercessoribus*) prior tamen lectio non est contemnenda.

Ibidem D. Sanctorum quatuor Coronatorum Missa extat, ut in Rubrica legitur, in qua etiam redditur ratio cur de quinque Sanctis mentio fiat in oratione, *Claudio* videlicet, *Nicostrato*, *Symphoriano*, *Castorio*, atque *Simplicio*. In titulo autem de quatuor tantùm, *Severo*, videlicet, *Severiano*, *Victorino*, & *Carpophoro*. Ad hanc rem comprobandam facit Titulus Ecclesiæ, quæ nomine Sanctorum quatuor Romæ vocitatur; & die 8. Novembris Sanctorum quatuor Coronatorum festus dies agitur. Rubrica Sacramentarii sic jacet: *Quatuor coronatorum nomina hæc sunt: Severus, Severianus, Victorinus, & Carpophorus: quorum dies natalis per incuriam neglectus, minimè reperiri poterat: ideò statutum est, ut in eorum Ecclesia, horum quinque Sanctorum, qui in Missa recitantur, natalis celebretur, ut cum istis quoque eorum memoriæ pariter fiat*. Hac in Rubrica habetur Sermo de ignoratione diei natalis Quatuor Coronatorum: sed in Breviario Romano, de nominum eorundem Sanctorum ignoratione in hanc verborum formam: *Extat in Urbe Ecclesia Sanctorum Quatuor Coronatorum: quorum diù ignota nomina, divinitùs posteà patefacta sunt: ubi non solùm illorum Quatuor, sed etiam quinque Martyrum corpora honorificè sepulta sunt: & eorum Festivitas vi. Idus Novembris celebratur eâdem die*. De quatuor Coronatis, & quinque aliis Beda, Ulsuardus, Ado, Surius, Baronius, & alii loquuntur, affirmantes quatuor Coronatorum nomina diù incognita fuisse, ob idque statutum, ut anniversaria dies ipsorum, unàcum quinq; illis sub no-

nomine Quatuor Coronatorum recoleretur. Surius *ex Martyrologio Adonis de Quatuor Coronatis* ait hunc in modum : *Severus, Severianus, Carpophorus, & Victorinus, sepulti sunt milliario ab urbe tertio, in Arenario juxtà corpora Sanctorum Martyrum, Claudii, Nicostrati, Syphoriani, Castorii, & Simplicii. Passi sunt autem vi. Idus Novembris, post duos tamen annos Passionis horum quinque Martyrum. Cum autem nomina minimè reperirentur, statuit B. Melchiades Episcopus, ut anniversaria Quatuor Coronatorum dies, sub nominibus Sanctorum quinque Martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis, cuidam Sancto viro etiam nomina eorum revelata sunt. Festivitas verò, ut fuerat statuta, celebris in aliorum Martyrum festivitate permansit, ac locus Quatuor Coronatorum nomine insignis.* Hæc Surius. Quatuor Coronatis Ecclesiam erexit Honorius Papa, eamque Baronio teste, restituit, dictorumque Sanctorum omnium, quos superiùs nominavimus, corpora Leo IV. invenit, &, sicut Tabula item lapidea ad Altare majus ejusdem Ecclesiæ affixa docet, inibi ea condens collocavit.

Pag. 191. B. In illa sacri Canonis parte, quæ incipit, *Communicantes*, & communiter inscribitur, *Infrà actionem*, hoc in loco Titulus est, *Intra actionem* : Quamvis enim ad Pag. usque 253. B. [*Infrà actionem*] semper legatur ; ab hoc tamen loco ad finem usque Sacramentarii, Titulus, sive Rubrica est : *Intrà actionem* : & rectiùs quidèm : Sacer enim Canon, qui à quibusdam in quinque partes, ab aliis in sex, à nonnullis in undecim, ab aliis in duodecim, & ab aliis in quindecim dividi solet; incipit à verbis illis: *Te igitur clementissime Pater, &c.* & finem habet ad eum usque locum : *Memento etiam Domine*. Vel secundùm alios usque ad illud : *Oremus præceptis salutaribus moniti* : Vel secundùm alios (& meliùs) ad illa usque verba : *Libera nos, quæsumus, Domine*. Et quatuor sibi sortitur nomina, Biele teste *lect. 15. in Can. Missæ* : quia non solùm dicitur *Canon*, idest, *Regula* ad venerabilis Eucharistiæ consecrationem ordinata ; vel, ut ait Walafridus Strabo *cap.* 22. Et Micrologus *cap.* 12. quia in eo est legitima, & regularis Sacramenti confectio ; sed etiam Secretum appellatur, quoniam, ut ait Biel, significat sacratissima Fidei Mysteria, & sacratissimæ ibi fiunt operationes omni creato intellectui incomprehensibiles ; & quia Canon secretò dicitur. Appellatur etiam Sacrificium, quia offertur Deo Patri summum sacrificium, Unigenitus, scilicet, Filius, sub specie sacramentali occultatus. Dicitur denique *Actio*, quia, ut ait Walafridus, in ea consiciuntur Dominica Sacramenta : vel quia gratiarum actionem continet : nam totum ferè Missæ sacrum est gratiarum actio, ut ex Irenæo *lib. 4. cap. 34.* colligi potest. Vel, ut ait Biel, dicitur *Actio*, quia in ipsa Sacratissimum Christi Mysterium peragitur, quo ipse suam ob immensam charitatem, Carnem suam in cibum, suumque Sanguinem in potum sub velamine specierum Panis, & Vini spirituali refectione Fidelibus elargitur. Quoniam verò hæc nonnisi misericordiâ, & liberâ Dei voluntate fiunt, hæc pars rectè dicitur *Actio*, quatenùs contrà factionem, ut ait Biel, distinguitur, Vel dicitur *Actio*, eodem Biele teste, quia ibi agitur nostra causa coram Summo Judice, Christo Deo, per Sacerdotem, tamquàm per nuncium intermedium inter Ipsum, & Sponsam, Christum, scilicet, atque Ecclesiam. Cum igitur Canon dicatur *Actio*; Quod intrà Canonem extat, rectiùs [*Intra*] quàm, *Infrà actionem*, dicendum videtur. Ego itaque ab hujusce Sacramentarii medio ad finem usque, Titulum hunc (*Intra Actionem*) sicuti scriptum inveni, relinquendum censui.

Pag. 228. B. extat B. Augustini communis Missa, quæ in singulis Quadragesimæ diebus hodie recitatur, & in oratione illa, quæ modò Postcommunio: modò autem Ad Complendum nuncupatur, quia ea oratio est ad finem Missæ ; præter alias lectiones varias legitur. *Abolitio scelerum* : pro quo, *Ablutio scelerum*, nunc legitur in Missali. In fine autem legitur : *Sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum*, sine dictione, *Fidelium*, quæ in Missali habetur.

Pag. 240. D. *Missa pro defunctis desiderantibus pœnitentiam, & minimè consequentibus*; hic Titulus iis, qui sacram Theologiam non norunt, scrupulum aliquem iniicere potest. Hoc enim loco non est sermo de iis, qui absq; pœnitentiæ virtute, vel sine charitate ex hac vita decesserunt, & orationum, sive suffraggiorum capaces non sunt, etiam quia Ecclesia pro his non intendit orare, sicut neque pro iis, qui in hæresi, vel in excommunicatione objerunt ; sed de iis, qui in mortis articulo desideraverunt, ac petierunt Sacramentum Pœnitentiæ ; deindè linguæ, & sensuum officiis privati, ipsum Pœnitentiæ Sacramentum nonnisi in voto consequi potuerunt, ut Rubrica, necnon orationes hujusce Missæ omnes præseferunt. Neque hoc in loco sermo est de Pœnitentiæ veniâ per veram contritionem impetrandâ, sicut legitur *in cap. 12. Epist. ad Hæbreos de Esau, qui*, teste Apostolo, *Pœnitentiæ locum non invenit, quamvis cum lacrymis inquisisset eam* : necnon de Antiocho, *in 2. Machab. 9., qui* quidem, ut Scriptura narrat, *sceleslus Dominum orabat, misericordiam ab eo non consequuturus* : In his enim duobus locis non habetur sermo de vera contritione, quæ oritur ex amore justitiæ : sed de ea, quæ nascitur ex mœrore damni temporalis : Nam Deus neminem repellit, si rectâ intentione convertatur ad eum *Quis enim, ut in cap. 20. Ecclesiast.* legitur, *Deum invocavit : & despexit eum ?* Titulus ergo Missæ intelligendus est eo modo, quem initio hujusce Scholii explicavimus.

Pag. 243. D. In Præfatione ad exorcismum ad aquam benidicendam multæ lectionum varietates inveniuntur in MS., & impressis Codicibus ; sed eas brevitatis causâ prætermittemus, tria tamen in medium con-

sideranda proferentes. Primum est: *Ipsa te cognovit altissima Salus, & Respector perpetuus, ad quem humiles rogamus, ut exaudias, &c.* Est locutio nimis dura, ac tricis non carens, si verborum constructio perpendatur; sermo enim est ad aquam, & paucis hisce verbis absque ullo medio fit transitus ad Deum sub secunda persona: Quod sanè non nisi nimium licenter stare potest. Codex autem impressus, *liber*, scilicèt, *Sacerdotalis Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ* inscriptus, & auctoritate Leonis X. editus, habet: *Te igitur omnipotens Deus, Altissima Salus, & Respector perpetuus, humiliter rogamus, ut exaudias, &c.* Quæ sanè lectio, quamvis bona, & accommoda sit, atque perspicua, priorem tamen lectionem relinquere visum fuit, ne tanta fieret mutatio.

Ibidem legitur: *Qui te arcanis & limpidis, velocibus ventis pluere præcepit, &c.* Hæc item locutio satis obscura, non solùm in Cod. Vaticano MS., sed etiàm in impresso libro Sacerdotali, quem suprà citavimus, reperitur, dictione, *Limpidis*, exceptâ.

Ibidem E., *Expellas omnem umbram, omnem Sathanam, & omnes machinationes Spirituum immundorum, sive Bithonatum, sive errantium ex invocatione Magicæ artis &c.* Hæc autem locutio est ad Aquam directa pro expellendis Dæmonibus, eorumque machinationibus vertendis; sed particula, *Bithonatum*, nihil profectò significatiuum sonare potest, nisi vox corrupta esse dicatur, duabus particulis Græcis constans, hoc est, *Biathanaton*, vel *Biathanatorum*: nàm *Biathanatos*, vel *Biathanatus* est, qui violentâ occubuit morte, dictus à βία, quæ est *violentia*; & θάνατος, *mors*. Hunc locum cum aliis Sacramentariis Vaticanis MS. conferre non potui, cum hæc Præfatio, ad exorcismum pertinens, in iis non extet. Vidi tamen ipsum in Sacerdotali superiùs citato ad Scholium *pag.*243. ubi loco dictionis, *Bithonatum*, inveni *Biotanatorum* sine adspiratione: sed quia etymologia hujusce dictionis sensui exorcismi contrà spiritus immundos, & contrà invocationem Magicæ artis satisfacere non videbatur (ei etiâ adspiratione additâ) ob temporis inter imprimendum angustiam, relicta fuit vox, *Bithonatum*, hoc loco maturiorem postulante considerationem; quia etsi meâ de voce, *Biathanatorum*, conjectura est rationi consentanea, & certitudini, ut sic dixerim, proxima; eam tamen absque alicujus Scriptoris, aut exemplaris auctoritate dicto in loco apponere ausus non fui, præsertìm verò ob frequentem Scriptorum usum, qui vocem *Biothanatorum* pro iis, qui violenter occubuerunt, contrà vocis etymologiam frequenter usurparunt: *Biothanatus* enim à βίος, quæ est vita; & θάνατος, mors, dictus, mortalem sonat vitam. In passione S. Andreæ Apostoli apud Surium *die* 30. *Novembris Tomo* 6. à Presbyteris, & Diaconibus Ecclesiarum Achajæ conscripta invenio *Ægeam Proconsulem*, qui S. Andream Cruci affigi mandavit, ex hoc Decreto à Dæmone statim arreptum, & in medio foro civitatis volutatum expirasse. Hinc Stratocles, Ægeæ frater, ad Christum conversus, jussit servis suis, *ut inter Biothanatos sepelirent eum*. Hæc ex Surio in fine dictæ Pass. Cassianus item in *Coll.*2. *cap.*5. *de morte Heronis senis* usus est hac dictione, *Biothanatos*, pro iis, qui violentâ occubuerunt morte. Hic enim Hero quinquaginta annorum spatio in Eremo singulari continentiæ rigore commoratus, diabolicâ tandèm illusione deceptus, in puteum sese præcipitem dedit: indèque illæsus à fratribus extractus, sed penè exanguis, ac deindè in suæ deceptionis obstinatione perseverans, tertiâ die obiit. Hinc Cassianus de Herone ait: *Vix à Presbytero Abbate Paphnutio potuit obtineri, ut non (inter Biothanatos reputatus) etiam memoriâ, & oblatione Pausantium judicaretur indignus.* Lampridius in Heliogabalo Imp. adolescente impurissimo, à Scurris anno ætatis suæ 16. occisus fuit, hunc in modum de eo scribit: *Et prædictum eidem erat à Sacerdotibus Syriis Biothanatum se futurum.* Hac denique voce in eundem item sensum usurpata Julius Firmicus suis in libris ad res Astrologicas pertinentibus usus est, & quidèm frequentissimè. Ego itaque cum hac in re perplexus forem, num, scilicèt, vox, *Biothanatorum*, vel *Biathanatorum* dictum in locum reponenda esset; pertractans Tertulliani librum de Anima (sed aliud agens) incidi *in cap.*33. non procul à libri fine, in quo disceptatur, an demorentur hìc Animæ post mortem, vel ab Inferis commeent; & præsertìm in eum deveni locum, in quo de Magica invocatione, necnon de exorcismorum antiquitate disputatur; bisque dicto in loco de violenta morte præreptis mentionem facit; quos non *Biothanatos*, nec *Biathanatos*, sed *Biæothanatos dictos*, hoc est violenter mortuos, à βιαίως, adverbio Græco, quod est violenter, appellat, in hanc verborum formam: *Itaque invocantur quidèm Abori, & Biæothanati sub illo fidei argumento, quòd credibile videatur, eas potissimùm animas ad vim, & injuriam facere, quas per vim, & injuriam sævus, & immaturus finis extorsit, quasi ad vicem offensæ, Dæmones operantur sub obtentu earum, &c.* Hæc Tertullianus. Tertulliana itaque lectio cùm propria, & genuina esse videatur, ipsam vocem, *Biæothanatorum*, dictis omnibus in locis restituendam esse reor: vel *Biathanatorum*, ut mea fert opinio: Si autem vox, *Biothanatorum* reponenda censeatur, hanc per figuram syncopam, ac, diphthongo detractâ, scriptam, & pronunciatam esse, dicas oportet.

Pag.244. E. In exorcismo Salis, ut videre est in Titulo, & in exorcismo ipso, fit mentio de vetusta spargendi salis consuetudine ad quæque noxia effuganda.

Pag.246. G. Inter alias novarum frugum benedictiones, extat benedictio uvæ, vel fabæ, & vetusto more scriptum reperitur *fava*, pro *faba*. Veteres enim illi, Beatj, scilicèt, Gregorii seculo, V, pro B; & B, pro V, ad arbitrium uti solebant, modo usum Græcorum, sed ineptè quidèm, modo Gothorum, & Longobardorum, ceterarumque

Na-

Nationum exterarum ſcribendi, pronunciandique formam, Barbariem imitantes, ut eruditi viri, & permulti ſanè affirmant, hujus generis in Latina lingua jacturam fatentes. Scribebant autem contrà venerandæ Antiquitatis uſum, *lavor*, pro *labor*; *veneficium*, pro *beneficium*; *vonum*, pro *bonum*, & alia id genus permulta: ita etiam *vivere* pro *bibere*, & *bibere* pro *vivere*; necnon *bita* pro *vita*. Qui profectò ſcribendi pronunciandique modus, in Hiſpania, præſertim verò in Provincia Caſtellæ, & alibi apud multos ad hanc uſque diem remanſit. De aliquot exemplis ſuperiori loco appoſitis luculentiſſimum extat teſtimonium per Tabulam illam lapideam ſatis grandem, Romæ in Xiſto, ſive in Porticu S. Petri ad parietem Eccleſiæ affixam, & ad calcem Scholiorum appoſitam: In qua recenſentur multa oliveta, quæ B. Gregorius SS. Apoſtolis, & ad eorundem SS. Apoſtolorum luminaria concinnanda dicavit: in qua, ſcilicèt, Tabula, *olibetum* pro *olivetum*, & ſemper quidèm; necnon, *parba*, pro *parva*; & *ſilbula*, pro *ſilvula*; & *uveribus* pro *uberibus*; & *devitorem*, pro *debitorem*, uſurpantur. Hinc nos ad Codicis Vaticani vetuſtatem comprobandam, vocem *Favæ*, pro *Fabæ* retinendam cenſuimus. Id quod etiam à Pamelio factum eſſe conſtat, cum hanc eandem lectionem retinuerit, & in margine ſcriptum reliquerit dicens: *More veterum* cenſeo *Favæ*, pro *Fabæ legi*.

Hujus autem generis ſcribendi, pronunciandique uſus varius, ortum fortaſsè habuit à vario uſu ſcribendi, pronunciandique ſecundam Alphabeti Græci literam. Ætas enim Latinorum illa Græciſſans, hoc eſt Græcorum linguam imitari affectans, multas voces à fonte Græco originem trahentes, Græcis literis ſcribere ſolebant, & frequenter quidèm hunc in modum: $\overline{\text{IHC}}$ $\overline{\text{XPC}}$. vel $\overline{\text{IHΣ}}$ $\overline{\text{XPΣ}}$.

Latinas item nonnullas ad imitationem Græcorum pronunciare ſtudebant, ut patet per exempla ſuperiùs aſſignata, in quibus utebantur litera B, pro V, & V, pro B. Hæc autem varietas fiebat ob varias opiniones, ſicut dictum eſt, de litera, Beta, Græci Alphabeti ſecundâ: Veteres enim Latini, ſicut ad hanc uſque diem multi opinantur, B, ſecundam Alphabeti Græci literam, vim ac naturam habere, quàm litera V, apud Latinos, eamque per, V, exprimebant, vocitabantque *Vita*, ratione forſan ducti, quòd Græci ſcriptores cum ſcribunt nonnulla Latinorum nomina, ut Valerius, & Virgilius, modo B, modo Ου, uti ſolent, ut Βαλέριος, & Ουαλέριος, & Βιργίλιος, & Ουιργίλιος. Quod faciunt neceſſitate compulſi, nullam habentes literam, (ut rectè ait Adolphus Mekerchus, vir quidèm eruditus) quæ noſtram conſonantem reddat; cum, U, vocalis, & V, conſonans apud nos unum nomen, & unam habeant figuram. Ob id Ptolemæus in omnibus nominibus apud Latinos ab V, incipientibus, ut Verona, Ουήρονα; Vicentia, Ουικέντια, vel Ουικεντα, & id genus alia, per ου (quod ſonat V, Latinum) non per B, ſcribit. Suidas item quando V, pronunciare ſtudet, non per, B, ſed per Ου, id facit, ut Ουλάλης, Valens Romanorum Imperator: & Ουαλεντινιανός, Valentinianus Romanorum item Imperator: necnon Ούαρος, Varus, Laodicenſis Sophiſta: atque hunc ſemper in modum alia id genus nomina ab eo ſcribuntur. Eodem quoque modo interjectio dolentis, Vae, ſcripta reperitur apud Matthæum 18. dicentem: Ουαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται, hoc eſt, *Vae homini illi, per quem ſcandalum venit*.

Idem alibi apud eundem, & apud alios Evangeliſtas non ſemel, & aliis in locis novi teſtamenti. Hinc nonnulli Latinorum, ſed perpauci, rectiùs ſentientes, exiſtimarunt B, Græcum, eandem habere vim, & pronunciationem, quam, Be, Latinum, & Beth, Hebraicum habent; & Græce Βῆτα, vel Latinè Beta, juxtà Hebraicam fere pronunciationem, Beth, quam ſibi Græcus ab Hebræo mutuavit, non Vita, dicendum reipsà demonſtrant. Quo in genere ſunt Juvenalis *Satyr.* 14., & Martialis *lib.* 5. *Epigram.*, Quibus in locis Beta, pro Vita ſcriptum reliquerunt. Idem ſenſit Plautus, qui in Pſeudolo interjectionem admirantis, Βάβαι, pro qua Latini dicunt Papæ, Græcam retinuit dicens: *Babæ, nunc mihi demum animus in tuto eſt loco*. Et in Aſin. pro eo, quod Latini dicunt, *Incedit*, vel *Vadit*, uſurpavit hanc vocem *Badizat*, dicens: *Demam Hercle jam de hordeo, tollutim ni badizas*. Quod autem B, Græcum, habeat eundem ſonum, quem habet B, Latinum, non ſolùm de verbo *Badizo*, verùm etiam ex ipſo ovium balatu, luce clarius dignoſci poſſe teſtantur eruditi viri, Joannes, ſcilicet, Chekus Anglus, & Adolphus Mekerchus Brugenſis *in Commentario de veteri, ac rectâ linguæ Græcæ pronunciatione*, dùm Euſtathii in Homerum opinionem Cratini referunt dicentis, B, vocis aut ſoni ovium imitativum, & ſignificatiuum eſſe: citantque ex eodem Euſtathio hunc ejuſdem Cratini verſum, & interpretantur: Οδ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον, βῆ βῆ λέδων βαδύζει, hoc eſt, *Hic fatuus tanquam ovis, Be, Be, ſonans badizat*.

Inditum eſt enim ovibus à natura, ut belatum ſuum (quem Latini, e, in a, vertentes, balatum vocant) non per hunc ſonum Ve, Ve; ſed per illum Be, Be, labris per ſpiritus impetum recluſis, oreque aperto exprimant, & B, Latinum optimè omnium declarent. Hinc Pierius Valerianus 46. *Hieroglyphicorum libro, cap. de literis ſeptem*; B, Latinum per pictam pecudem repræſentari poſſe ait. Eodem modo voces illæ, quas Latini à Græcis ſibi mutuarunt, ſcribuntur, ac pronunciantur per Be, Latinum, ut Brachium, Balneum, Boo, Bos, Barbarus, Baptizo, & alia id genus innumeræ; non Urachium, Valneum, Voo, Vos, Varvarus, nec Vaptizo. Ex quibus omnibus liquido conſtat, cur B, pro V, & V, pro B, apud veteres reperiantur.

Pag. 245. 246., & ſequenti, multarum rerum benedictiones videre eſt, quæ nunc in uſu frequenti non ſunt: Sed Pag. 249. extant

in

in *Lardario*, & *in Caminata* benedictiones. Lardarium autem, ut ajunt, vox est desumpta à Gallis, qui rem ipsam, *Lardier*, vocitare solent. Caminata vero pro camino ab iisdem usurpatur Gallis, qui hunc in modum scribunt, *Cheminee*, adspirationem haudquaquàm pronunciantes.

Pag. 250. C. Extat hujus generis nota ÷ quam olim Librarii pro, est, usurpabant, & frequentissimè quidèm, ut in Codicibus MS. quingentis ab hinc annis videre est. Quamvis autem hoc in loco hujusmodi signũ dicti verbi intellectum habere non queat, illud tamen ipsum relictum est ad Codicis item antiquitatem comprobandam: nisi dicamus notam hanc additamenti esse signum: quæ enim post notam hanc ÷ ad verbum usque, *Formasti*, exclusivè, leguntur; in ceteris Codicibus MS., & impressis non reperiuntur. Hoc item signum ad hanc rem præstandam in usu olim fuisse B. Hieronymus, testatur, scribens ad Paulam, & Eustochium, & Sunniam, & Fretellam: & hujus generis signum, obelus ab eo nuncupatur: quæ sanè virgula à Latinis Veru vocitatur, quo ostenditur jugulandum esse, & confodiendum, quod in authenticis libris non invenitur.

Ibidèm D. In oratione admodùm prolixa variæ sunt lectiones, quæ brevitatis causâ prætermittuntur. Illud tamen subticendum non est, *Vrgueo*, pro *Vrgeo*, & *Contremesco* pro *Contremisco* olim dici solitum, ut non semel dicta in Oratione, & alibi, *Vnguo*, pro *Vngo*, scriptum reperimus, ac retinuimus eandem ob causam assignatam. De primo extat Parmæ inscriptio marmori incisa, in qua legitur *Vrguente Fato*: & Caper Grammaticus Auctor satis antiquus *de auct. Lat. verb. Tinguere*, non *Tingere*, dicendum affirmat; quoniam est verbum *Tinguo, is*; &, ut ipse ait, de usu loquendi suâ ipsius ætate, & à verbo *Vnguo, Vnguentum*, & *Vnguentarius derivari* affirmat. Ungentarius autem à verbo ungo, is, ut legitur in lapideis inscriptionibus. Idem dicit Conradus *de lingua Latina*. De secundo autem, hoc est, de litera, E pro I, multa extant exempla ex lapidibus, ut videre est in orthographia Aldina: Antiquitùs enim *Sene*, pro *Sine*; & *Sebi*, pro *Sibi*; *Pertenet*, pro *Pertinet*, & alia id genus innumera dicebantur.

Pag. 253. A. In oratione super fœminas, multa desunt, quæ in MS. Bibliothecæ Montis Regalis Panhormi, & in Sacerdotali Romano impresso, leguntur. In Codice Vaticano hæc ita jacent: *Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Jacob, qui tribus Israel monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti &c.* In Codice Montis Regalis: *Deus Abraam, &c. Deus, qui tribus pueris Israel de Ægyptiaca servitute liberasti per Moysem famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti, &c.* In Codice Montis Regalis, dictio (*Pueris*) vacat, cum *Tribus*, accusandi casum esse satis constet; & dictio (*Pueris*) cum verbo, *monuisti*, stare non possit. *In Sacerdotali* autem *Rom.* recenter impresso hæc oratio in ordine baptizandi legitur hunc in modum: *Deus Abraham, &c. Deus, qui Tribus Israel de Ægyptiaca servitute liberasti: & per Moysem famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti: & Susannam de falso crimine liberasti, te supplices exoramus, ut, &c.* Hæc oratio quamvis integra, & perspicua sit; lectionem tamen Vaticanam, etsi mutilam, retinuimus, ne tanta fieret mutatio in Codice, qui in Ecclesia Publicæ lectioni deservire non potest.

Ibidèm D. *Quem ad fontem Baptismatis donum vocare dignatus est*. Hic locus in Codice MS. Vaticano depravatus videtur, & ex Sacerdotali Romano impresso correctus est hunc in modum: *Quem ad fontem Baptismatis dono suæ gratiæ vocare dignatus est* (scilicèt *Christus*) Quæ sanè correctio à Codice Pamelii non est aliena.

Pag. 254. C. In Rubrica extat vox ista, *Excarpsatum*; quæ quid sibi velit, sciri haud potuit, sed vox corrupta vitio Scriptoris judicatur. Verba enim Rubricæ sunt hæc: *Et reliqua sicut in illo superiori ordine excarpsatum est, &c.* Sed videtur probabiliter legendum, pro (*Excarpsatum*) *enarratum*, sive *exaratum*; Hoc enim pacto ipsa locutio sensu non caret congruenti; vel fortasse, & quidèm melius, *exorcizatum*, legendum est: ibi namque de exorcizandi modo agitur: Nos autem mendosum reliquimus locum, certam conjecturam non habentes. De hac igitur re judicent eruditiores. Vel, *Charaxatum* legi debet, à verbo *Charaxo*, inscribo, dictum, quo usus est B. Gregorij etiam *in Regist. lib. 5. ep. 40. Charaxo* autem à voce *Character* dicitur, ut Huguitioni, & Papiensi placet. Hinc *Characatus* à Græco χαραξ, & χαράττω, idest sculpo, fingo.

Pag. 257. B. *Adstendo*, legitur cum D, more veterum Latinorum, sicut etiam adsciscò, ne secunda litera præpositionis, Ad omnino pereat, quæ in compositione vel remanet, ut Adficio; vel immutatur, ut Afficio, Affluo, & similia. Pamelius autem legit duplici ff *Affcensio*, & *Affctensa* Domini, & hoc modo d, in f, conversum videtur.

Ibidem D. & 262. C. In prima oratione *Dispicio*, pro *Despicio* legitur more Antiquorum, qui I, pro E, & e converso non sine ratione scribebant, ut Marmora, & Antiqui libri docent. Hinc Festus Pompejus ait: Dilectus militum, & is, qui significatur amatus, a legendo dicti sunt, non delectus. Idem sentit Paulus Diaconus, & alii. Dilectus item pro Delectu reperitur apud Cassianum *Coll. 7. cap. 5. Audi* [inquit] *ipsum Regem viros fortes ad spiritualem militiam congregantem, quo eos dilectu signet, ac probet.*

Ibidem E. *Tropæum Crucis*, pro *Tropheum Crucis*, adspiratione prætermissâ, relicta est, Veteres enim Latini, Græcos, qui Τρόπαιον dicunt, imitantes, sine adspiratione scribebant. Hi namque, teste Cicerone *in lib. de Oratore*, longè post medium, adspiratione nonnisi in vocali utebantur, dicentes, *Triumpus*, & *Tropæum*, & id genus alia, ut in anti-

antiquis inscriptionibus videre est. Id præsertim legebatur in veteri basi Obeliscì, qui nunc ad S. Joannis Lateranensis cernitur; sed modò basis illa, quam ego vidi, non extat.

Pag. 259. D. *Incipiunt Apologiæ*. Sunt nonnullæ orationes in dicta pagina, & sequenti, quæ nomine *Apologiæ* inscriptæ reperiuntur in Codice MS. Vaticano, sed in ceteris Codicibus MS. Apologiæ nomen, nec hìc, nec alibì præfixum invenitur. Quamvis autem Apologiæ vis non nisi in defensione vel excusatione consistat, hoc tamen loco orationes ipsæ, ut reor, nomine Apologiæ solam peccatoris comprehendunt accusationem, quæ apud Deum vim excusationis habet: Qui enim apud Divinam Majestatem sese accusat, suas culpas detegendo, hic secundum August. pro accusatione, excusationem, sive impunitatem meretur, justificati nomen recipiens, *cùm justus*, ut Sapiens ait, *prior sit accusator sui*, exemplo illius Publicani Evangelici post accusationem rediit justificatus in domum suam. Hùc spectare videtur *liber S. Ambrosii de Apologia David*: quæ est accusatio peccantis David coram Deo, & accusatio contrà detractores.

Ibidèm D. legitur *Peripsima*, pro *Peripsema*, & *Neglegentia*, pro *Negligentia*, more Antiquorum. *Peripsema* enim apud Græcos, est purgamentum ferri, vel pomi, & quidquid de qualibet materia, ut purgata reddatur, abiicitur. Hunc sensum habent *verba* B. Pauli 1. *Cor.* 4. *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhùc*. Antiquitùs autem dicebatur, *Peripsima*, more Græcorum, qui scribunt περίψιμα, quamvis apud Latinos, Ita, η, Græcum, in, E, longum converti soleat. *Neglegentia* pro *Negligentia* apud etiam veteres Latinos dicebatur, ut ex lapidibus, & libris MS. videre est.

Pag. 260 C. *Neglego* pro *Negligo* legitur more antiquorum, ut non semel dictum est. Idem verbum, *Neglego*, eodem modo pronunciatum, legitur apud Varronem *lib.* 4. *de lingua Latina* tam in Codicibus impressis, quàm manuscriptis.

Ibidèm D. In Missa pro febricitante fit mentio de S. Sigismundo martyre Burgundiæ Rege, per quem febricitantibus sanitatem redditam fuisse Segebertus Gemblacensis Monachus in Chronicis testatur. De hoc Beda, Usuardus, Ado, Gregorius Turonensis, & Baronius scribunt. In prima hujus Missæ oratione legitur: *Typus quartanus, & quotidianus*, pro quodam, ut conjectura fert, termino febris, quæ, quadam formâ, seu regulâ, sibi quasi præfixa, hominem corripit; aut termino, sive ordine quodam, qui *Typus* nuncupatur. Nam Galenus de Typo *cap.* 1. loquens ait *Typus est ordo intentionum, ac remissionum*, Vel sic: *Typus est ordinata intensionum, remissionumque reditio*. Vel, *Typus est affectus, cui accessio, & remissio ordine quodam accidit*. Gal. *in lib. def. med.* Hinc typicæ febres sunt, in quibus accessio, & remissio statis vicibus accedunt: atque his erraticæ planè contrariæ sunt, quæ nec statum tempus, neque ullum ordinem accessionum, & remissionum servant, sicut sunt illæ, quæ oriuntur ex atrabili, quæ in quibusdam partibus movetur; in quibusdam verò immota manet; in aliis putrescit, aut fervere incipit, Auctore Galeno *lib.* 3. *Prognost. com.* 29. ex quo hæc decerpsi ad verbum, ut hic Sacramentarii locus explicaretur.

Pag. 262. C. In prima oratione *Dispiciens*, pro *Despiciens*, usurpatur eam ob rationem post Scholium 257. Ibidem D. assignatam.

Ibidèm E. In Præfatione legitur, *Parvo vitæ præsentis excusso*; sed *excursu* legendum videtur. *Excursu* enim vox est pro excursione à Plin. *ep.* 101. & à Virgil. 4. *Georgic.* usurpata.

Pag. 265. D. In prima oratione legitur: *Ut pius nostris precibus clemens ac propitius aspiras, sicut, & illi misericordiam largiaris*. Textus Vaticanus sic jacet, & fortasse mendâ non caret, nisi legatur, *Aspiras*, pro *Aspirans*, sicut *elegas*, pro *elegans*, & *mesa*, pro *mensa*, non sine ratione, ut in lapidibus legitur antiquis; vel *aspires* legendum est. Sed quomodocunque legatur, constructio verborum non satis perspicua videtur.

Ibidèm E. Oratio, quæ dicitur, *Ad complendum*, est omninò mutila, & sensus congruere non videtur: nec aliud exemplar haberi potuit pro hac re dilucidanda. Id quod aliis item in rebus nobis evenit. Multa enim hoc in Exemplari, quod impressimus, reperiuntur, quæ in Codicibus tàm MS. quàm impressis non extant, præsertìm verò à Pag. 260. ad finem usque, nihil penitùs in ceteris exemplaribus invenitur.

Pag. 266. B. C. In Missa pro Papa fit mentio de B. Silvestro, & orationes sunt illæ, quæ in Missa pro Papa recitantur, ac tempore B. Silvestri videntur usurpatæ, cum ejus nomine sint insignitæ: nisi dicamus hoc factum esse à Librario, vel à quopiam alio, ad Majestatem Pontificiam insinuandam, quæ vires suas tempore B. Silvestri susccpit:

Pag. 267. Hymnos B. Gregorii in Tomo 5. imprimendos curavi, ut ne quid in Vaticana editione ex operibus ejusdem Sancti desideraretur. Quamvis autem Clicthovæus in suo Elucidatorio Ecclesiastico quatuor tantum B. Gregorio adscribat, hoc est, *Primo dierum omnium*; *Nocte surgentes*; *Ecce jam noctis*; *&*, *Lucis Creator optime*; octo tamen sub ejusdem Sancti nomine hac in editione impressi sunt, quia alii aliter de hac re senserunt.

INDEX
RERUM INSIGNIORUM
QUÆ IN VITA
BEATI GREGORII MAGNI
A JOANNE DIACONO CONSCRIPTA
Narrantur.

A

BBAS effectus fuit Gregorius, postquam sub duobus Abbatibus in suæ domus Monasterio militavit. 4. a

Accusatus falso apud Mauritium Imperatorem B. Gregorius, patientissimus Pastor, innocentiam suam modeste exposuit. 123. e

Accusationes diligenter a B. Gregorio ventilabantur antequam ad sententiam pronunciandam accederet pag. 104. per tot. & 106. a.b.c.d

Adrianus Episcopus Thebanus suæ restituitur sedi 103. per tot.

Ælle, Angliæ rex: & adlusio ad nomen, Ælle. 9. b. & tom. 2. 914. d

Ægritudo B. Gregorii magna, ob quam per biennium se in lectulo jacuisse fatetur. 128. d. & 129. per totum.

Æmilianus notarius quadraginta in Evangelia Homilias cum sociis suis a Gregorio excepit. 24. c

Alleluja in laudem Creatoris decantari oportuit in Britania. 9. 6. & to 2. 914. d. leguntur hæc: Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud noverat, quàm barbarum frendere, jamdudum in divinis laudibus Hebræum cœpit Alleluia resonare.

Alleluja extra Pentecostes tempora, dici ad Missas instituit B. Gregorius. 26. c. d. e

Amitæ B. Gregorii tres 70. b. Harum vita, & mors 70. d. e. & 71. a. b. Amitæ Gordianæ lapsus. ibid.

Amita B. Gregorii Tarsilla 3. a & to. 3. 129. per totum & ibidem 285.

Ambonem Petrus Diaconus cum Euangeliis ascendit. 130. d

Amphimallum, tunicam, vel pectorale Episcopo Perusino vestem hjemalem non habenti, B. Gregorius transmisit. 66. b

Anglis pro convertendis Britanniam a Benedicto Papa Gregorius missus, eò proficisci cupiens, Romam redit, ob clamorem totius Urbis ab eodem Pontifice in itinere ipso revocatus 9. b. c. Id Gregorius futurum in itinere prædixit. ibid. c

Agiulphus, Longobardorum rex, quot, & quanta incommoda, & damna intulerit Italiæ pag. 126. e. & 128. a. b

Andreæ Apostoli in honorem, juxtà Basilicam sanctorum Joannis, & Pauli ad clivum Scauri Monasterium in proprio domate ædificavit. 4. a

Andreas Apostolus Joannis Monacho a medicis desperato sanitatem recuperandam prædixit: sed post biennium Joannes a defuncto quodam de sepulchro vocatus obiit. 8. c. d

Andreas Episcopus modeste de concubina increpatur: ejusque saluti consulitur. 72. d. e

Andronarum recessus angusti. 28. e

Angelus Gregorio sub habitu naufragi apparens, bis eleemosinam una die accepit: tertia vero vice, deficientibus nummis, scutellam argenteam, quæ a matre cum infusis leguminibus ad ipsum Gregorium mitti solebat, recepit. 4. e. & 5. a. & 2. d. e

Angelum, peregrini loco, in prandio suo Gregorius Papa vidit, & invenit: eumque post prandium allocutus expavit. 27. e. & 28. a

Angelus in convivio, duodecim invitatis, repertus est. 27. c. d

Anglorum gens in mundi angula posita. 32. c. Quæ jam nonnisi barbarum frendere noverat jamdudum in Dei laudibus Hebreæa cœpit verba sonare. 32. b

Anglorum conversio. 30. per tot.

Anglorum fana, idolorum plena, non destruebantur, sed sanctificatis aquis, in Basilicas dedicabantur. 30. e. & 31. a

Anglorum Saxonum sacrificia nondum baptizatorum. 31. a

Angli. Pro convertendis Anglis Saxonibus Augu-

Auguſtinum monachum cum aliis monachis in Britanniam evangelizandi gratia miſit. 29.e
Angliæ pueri venales in Urbe Roma a B. Gregorio viſi. 8.e
Angliæ pueri pulcherrimi. ibid.
Angliæ rex, Ælle 9.b. Adluſio ad hoc nomen, Ællæ, a B. Gregorio facta. ibid.
Angli, quaſi Angeli dicti ſunt a B. Gregorio per adluſionem ad nomen ipſum ob eorum formoſitatem. ibid.a
Anaſtaſio presbytero ſe comparans, illum ſuperiorem, melioremque affirmat B. Gregorius. 123.c
Anaſtaſius Anthiochenus Patriarcha, poſt multos annos throno ſuo redditur. 102. d. e
Anathema pro vindicta propriæ injuriæ ſacris regulis prohibetur. 67.d
Ancillis Dei tribus milibus, quas Græci Monaſtrias vocant, qualem annualitèr eleemoſynam dabat Gregorius. 28.d
Antichriſti præcurſores ſabbatum obſervari debere prædicabant. 118.e
Antiphonarium compilavit, & Scholam cantorum inſtituit: cui cum nonnullis prædiis duo habitacula fabricavit B. Gregorius 23.b
Antiphonarium, & lectus, in quo Gregorius recubabat modulans, & flagellum, quo pueris minabatur, veneratione congrua reſervabantur in Lateranenſi Patriarchio, ut Joannes Diaconus teſtatur. 23.b. c
Antonius nomine, Monachus quidam, dimiſſis peccatis, mori jubetur. 7. d.e
Andreæ ſancti Monaſterium. 4.a
Andreæ conductoris cruciatus. 137.per tot.
Apocriſiariatus B. Gregorii qualitas. 11.e
Apocriſiarius quid ſit. 78.e.& 100.e.& 101.a
Arianorum Baſilicam in Suburra Domino dedicavit, introductis illuc beati Sebaſtiani, & S. Agathæ martyrum reliquiis 29.a. Miracula Gregorii in templo poſt conſecrationem facta. Ibid.b.c.d.e
Arianorum pueris provideri jubet Gregorius 37. b
Artium, ſive literarum ſtudia quot, & qualia tempore B. Gregorii Papæ Romæ rehorebant. 25.a
Atavus B. Gregorii, Felix Papa IV. 3. a & tom. 3. 129.
Athanaſii œconomi conſuetudines pauperum defraudantis præſagium mortis. 138.b.c.d
Atheſis fluvius Veronam mirabiliter inundas, ad beati Zenonis Martyris atque Pontificis Eccleſiam uſque pervenit, ſed aqua, quæ ad feneſtras uſque devenit, apertis januis, in eam non introivit. 13. b. & tom. 3. lib. Dial. 3. cap. 37.
Auguſtinus monachus cum aliis monachis in Britanniam pro Anglis Saxonibus convertendis evangelizandi gratia mittitur 29.e Romam redit, remittitur, & officio optimè fungitur. Defert literas hortatorias ad alios monachos. 30 per totum.
Auguſtinus ad Anglos convertendos miſſus conſecratur Epiſcopus: recipit pallium: facit cum aliis prædicatoribus miracula, & alios operarios a B. Gregorio poſtulat. 30. per totum.
Auguſtinus Anglorum Epiſcopus monetur, ne pro miraculis tumeat. 32.e
Auctoritas Epiſcoporum ſua auctoritate a B. Gregorio confirmabatur. 105.d.e. Eiſque jura ſua conſervabantur. 107.c.d

B

Baſilicæ novæ a B. Gregorio non ædificabantur, ſed veteres annuatim reparabantur. 129.e
Beati Gregorii fuga, ne ad Pontificatum raperetur. 15.e.& ſeq. Multa loca ex Regiſtro Epiſtolarum citantur ad hanc fugam, & Pontificatus recuſationem comprobandam. ibid.b.c.d.e.& 17.18.& 19. per tot.
Brandeum a B. Leone inciſum, ſanguinem effudit. 83.e. Pro reliquiis conferebatur. 84.e
Brandeum ideſt pannus perforatus ſanguinem effudit: deinde integer divinitus reſtituitur. 33.d.e
Britanniam Gregorius pro Anglis convertendis a Benedicto Papa miſſus, eò proficiſci cupiens, Romam redit tota Urbe poſtulante, ab eodem Pontifice in itinere ipſo revocatus. 9.b.c. Id Gregorius futurum in itinere prædixit. ibid.c

C

Cardinales presbyteri Eccleſiæ ſuæ a B. Gregorio in Epiſcopos conſecrati quales 56. d. Cardinales ordinati violenter in Parochiis forenſibus in priſtinum cardinem revocabantur. 58. d
Cardinare quid ſit. 63.c. Vide, Incardinare.
Cardinati alterius Eccleſiæ Clerici quomodo fuerint. 63.c.d
Capitula. Pro tribus capitulis Chalcedonenſis Synodi Theudelindæ Longobardorum reginæ ſatisfecit. 122.d.e
Cantus diſſonantia in Gallia, & Germania: ejuſque reformatio, Carolo rege poſtulante. 23.c.d.e
Cantores Romani mittuntur in Galliam ad reformandum cantum. 23.d.e & 24.a.b. De Romano, & Gallicano cantu diſputatio. 23. e.& 24. a.b
Cantilenæ dulcedo cur ab occidentalibus corrumpatur. 23.c
Cantus per Joannem Romanum Cantorem corrigitur in Gallia, & alibi. 23.d.e
Cancer peſtifer. 55.c
Catenæ S. Petri limatæ, nonnumquam limaturas dabat, nonnumquam verò non item 84. d
Cauteriatus quidam medicorum manu, calcem per exuſtionis vulnus cœpit effundere. 137.c
Cecropia Virgo facundiſſima quid præſtiterit tempore Gregorii Papæ. 25.b
Chartularius, & notarius Ravennæ. 95.d
Chartularius quid. 77.c
Chalcedonenſi de Synodo pro tribus capitulis

lis Theudelindæ Longobardorum reginæ satisfecit. 122.d.e
Claudius ex verbis B. Gregorii conscripsit libros, ideſt de Proverbiis, de Canticis, Proverbiis, libr. Regum, & de Heptateucho, quos deinde idem Greg. conquirendos curavit, quia in multis sensum suum mutatum esse cognovit. 130. e. & 131. a
Clericis etiam infirmis stipendia consueta B. Gregorius danda jubebat. 109. a. b
Clericis ab Episcopis cautiones factas B. Gregorius firmabat: eisque quartas plene dari jubebat. 109. c. d. e
Clericos aliarum Parochiarum sibi, & aliis B. Gregorius incardinare curavit. 63. a
Clerici alterius Ecclesiæ quomodo aliis fuerint incardinati. 63. c. d
Clericos posterius ordinatos numquam prioribus B. Gregorius prætulit. 63. e
Columbas vendere quid sit. 53. c
Compagarum usurpatio facta a Diaconibus Catinensis Ecclesiæ diligenter inquirenda committitur. 93. a. b
Concilia quatuor sanctæ universalis Ecclesiæ tamquam quatuor Euangelia B. Gregorius veneranda esse dixit. 122. e
Concilia quatuor tamquam quatuor Evangelia se venerari fatetur B. Gregorius: Quintum item concilium se venerari ait. 22. c. d
Consilium. Ad consilium non divites, sed sapientes a Gregorio Papa convocabantur. 25. a
Consanguinitatis copula ad quotam generationem sit concedenda. 31. c. d. e. & 32. a
Consiliarii ac familiares, quos sibi Gregorius delegit Clericos, remotis a suo cubiculo sæcularibus 24. b. c
Consuetudines novæ a Gregorio Papa inducuntur 26. b. c. Et murmurantibus pro iisdem humiliter satisfacit. 26. c. d. e
Consiliarii. A pravis consiliariis abstinendum est. 72. e, & 73. a
Conversio Lucidi Episcopi Ficulensis, ac transitus. 140. d, e
Conviviis Natalis Episcopus reprehenditur. 68. d, & facetissime suis assertionibus obligatur. 68. e
Convivia quænam sint laude digna. 69. b, c
Cubiculariæ Augustæ Gregoriæ Beatus Gregorius scribit se indignum revelationem Dei memorans. 123. a
Culpam unius alii non esse nocivam B. Gregorius statuit. 74.

D

Defensores septem honore regionario decorandus Gregorius Papa indixit. 26. b
Defendi injuste neminem ab Ecclesia B. Gregorius permisit. 122. a, b
Deiri, populi: & adlusio ad nomen ipsum. 9. a
Delatores falsarios talione Beatus Gregorius mulctabat. 107. d, e
Deponebatur nemo, exceptis manifestis criminibus, sed communione privabatur. 104. a
Desiderius Episcopus pro lectione librorum Gentilium increpatur, 68. a. b. Idem reprehenditur grammaticam quibusdam exponens. Ibid.
Diabolus a fundo Barbiliano excussus, conductorem, & bubulcos occidens. 141. c. & sequ.
Diabolus a Monasterii claustro fugatur, qui Monachum jacentem percussit. 138. e
Dialogorum quatuor libros conscripsit: quos postea Zacharias Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Episcopus in Græcam linguam convertit. 132, d. e. & 133. a. Sed astuta Græcorum perversitas in commemoratione Spiritus Sancti a Patre procedentis, nomen Filii suaptim radens, abstulit. Ibid. Locus depravatus est in 2. libro Dialogorum, in fine.
Dialogorum libros B. Gregorius composuit, disputans cum Petro Diacono, suo coætaneo. 24. c
Dialogorum libros B. Gregorius cum Petro Diacono disputavit. 130. c
Diptycha, in quibus nomina vivorum describebantur. 101. e
Distributio per polyptychum quater in anno fiebat. 28. b
Dives inertia, quæ modo se de sapientibus pari sorte ulciscitur, præ cubiculi foribus despicabilis remanebat tempore Gregorii Papæ. 25. b
Doctrinæ verbum innumerabiles cohortes undique diversi sexus, ætatis, ac professionis ad Gregorium Papam confluebant. 26. a. b
Dominico die corpus lavari posse B. Gregorius ostendit. 119. d
Dominus pro hospite recipitur 27. b
Dominici miserabilis transitus. 143. d. e
Dromonem Mauritius cum uxore, & filiis, & filiabus noctu conscendit, dissimulato habitu. 99. e
Duodecim invitatis, tertiumdecimum, Angelum, scilicet, suo in prandio invenit Gregorius Papa. 27. e. & 28. a
Dubiis in rebus absoluta sententia non est pronuncianda. 72. d

E

Ecclesia. Episcopi ab Ecclesiis suis abesse absque inevitabili necessitate: & per loca diversa vagari non debent. 69. d. e. & 70. a
Ecclesias Episcoporum defunctorum vicinis Visitatoribus committebat B. Gregorius. 64. b
Ecclesias dissipatas adunabat B. Gregorius, sive uniebat. 60. e. & 61. per tot.
Ecclesiis vacantibus vacantes Episcopos B. Gregorius incardinabat. 61. a. b
Ecclesiam Græcorum in novis consuetudinibus in Ecclesiam Romanam inductis se imitatum non fuisse probat Gregorius: quia vel veteres Romanas reparavit, vel no-

novas, & utiles instituit. 26. c. d. e
Ecclesiasticum ad officium, vel ministerium, vel Patrimonium Eccl. non admittebantur Laici, sed tantùm ad Monachicum habitum. 25. b. c
Ecclesiastica ad officia venire qui festinat sæcularem habitum deferens, non relinquere cupit sæculum, sed mutare. 25. c
Ecclesia Romana talis sub Gregorio extitit, qualis prima sub Apostolis fuit. 24. e
Ecclesiastica officia, & jura reformavit B. Gregorius. 23. a
Ecclesia. Confugientibus ad Ecclesiam B. Gregorius Sacramenta præstari jussit de servanda sibi justitia. 122. b
Ecclesia quibus studiis a Beato Gregorio regebatur. 51. a
Effigies Gordiani, Patris B. Gregorii: & Silviæ, matris ejusdem Gregorii pictæ ad parietem in atrio Monasterii describuntur: & ad tempus usque Joannis Diaconi cernebantur cum inscriptionibus, & Districho. 136. b. c. d. & 137. a. b.
Effigies B. Gregorii ibidem picta describitur: & ad diem usque Joannis Diaconi cernebatur. 136. e
Eleemosynæ localiter, ac personaliter a B. Gregorio decernuntur. 40. a. b.
Eleemos. Pro eleemosynis faciendis frumenta emit B. Gregorius quinquaginta libris auri. 44. d. 48. e. Petenti, & non petenti eleemosynas dabat. 43. a
Eleemosyna ex patrimonio quater in anno per polyptychum distribuebatur a Gregorio. 28. b. Bis etiam in anno peregrinis aureos, & vestimenta dabat. 28. c. quotidie vero qualem dabat eleemosynam. 28. d.
Eleemosyna per veredarios in vicis, & compitis quotidie pauperibus infirmis, ac verecundioribus missa. 28. d. e
Eleemosynam quàm libenter fecerit Gregorius. 4. e. & 5. a
Eleemosynæ propter peccata, non peccata propter eleemosynas sunt facienda. 54. b
Episcopo Perusino vestem hiemalem non habenti Beatus Gregorius amphimallum, tunicam, vel pectorale misit. 66. b
Episcopus Marinianus de avaritia notatur. 66. d. e
Episcopi vacuum nomen habet qui alienam inopiam, suam non credit. 67. a
Episcopus Serenus nomine pro confractis imaginibus arguitur. Ibidem.
Episcopis infirmis numquam B. Gregorius successorem dabat; nec successores denegavit renunciantibus: eisque desumptibus relictæ Ecclesiæ commoda subministrari jubebat. 113. d. & 114. a. & e
Episcopi consecrabantur, undecumque meliores eligi poterant: & districto examine consecrabantur. 58. e. & 59. per tot.
Episcopos alterius Diœcesis ad regendas Ecclesias suæ Diœcesis B. Gregorius invitabat. 60. c. d
Episcopi ab Ecclesiis suis abesse absque inevitabili necessitate, & per loca diversa vagari non debent. 69. d. e. & 70. a
Episcopatus culmen cum timore suscipiendum. 52. e
Episcoporum defunctorum Ecclesias vicinis Visitatoribus committebat B. Gregorius. 64. b.
Episcopos olim singulo quoque triennio Romam venire solitos, nonnisi semel in quinquennio B. Gregorius venire statuit. 65. d. e
Episcopos vacantes Ecclesiis vacantibus B. Gregorius incardinavit. 60. c. d
Episcopis inthronizatis expulsos Præsules B. Gregorius junxit. 62. b. c
Episcoporum auctoritates sua auctoritate B. Gregorius confirmabat non minuebat. 105. d. e
Episcopi propria vita a B. Gregorio conservabantur: & executores dari, & judices eligi ab accusatis jubebat. 107. c. d
Episcopi Cardinales. 61. d. e
Episcopatuum sedium loca mutata. 62. d.
Episcopum ab una in aliam Ecclesiam sub quacunque occasione nec mutavit, nec mutari permisit. 62. e
Episcoporum Campanorum, & Victoris Panhormitani negligentia reprehenditur. 72. b
Episcopus Vitalianus pro femina, quæ religiosum reliquit habitum, acriter reprehenditur. 71. b. c
Episcopis suffraganeis suis necessaria prærogabat B. Gregorius 66. b. In eis nonnisi sanctitatem, sapientiam, & liberalitatem postulabat vel quæritabat. 66. d
Episcoporum familiaritas lapsos vel criminosos admittere non debet. 73. e
Epistola Pelagii Papæ ad Gregorium 12. a
Epistola, quæ Ibæ dicitur, erroribus plena, damnata. 22. d.
Epistolarum libri juxta numerum annorum Pontificatus B. Gregorii: ex quarum multitudine quædam Epistolæ decretales excerptæ sunt temporibus Adriani Primi Pont. Max. 131. c
Epitaphium supra sepulchrum B. Gregorii. 130. a. b
Equus, dæmone immisso, a maleficis valde vexatur. 34. a
Eremitæ somnium de B. Gregorio. 49. a. b. c
Eutychius Constantinop. Episcopus librum de Resurrectione Mortuorum conscripsit. 10. b. Disputatio hæc de re ibid. c. & seq.
Eutychii librum contra articulum Fidei de resurrect. Imperator comburendum jussit. 11. d
Eutychius moribundus confessus est Articulum Fidei de carnis resurrectione. 11. e. & tom. 2. 636. b. & seq.
Excommunicatum monachum defunctum mirabiliter solvit B. Gregorius. 35. b. c. d
Excommunicatus Maximus Salonitanæ Ecclesiæ prævaricator a Missarum solemniis, deinde a Communione Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi privatus, Sacramenta satis indignus suscepit. 93. c. d. e. & 94. c. d. e. Ejus causa Ravennæ ventilatur. 94. e. Ad pœnitentiam rever-

revertitur septimo excommunicationis suę anno. 95. a. b
Excommunicatos ab aliis Episcopis, nullis extantibus culpis, B. Gregorius absolvebat. 110. b
Ezechielis libros exponere B. Gregorius destitit, hostilibus incursionibus, & curarum tumultibus gravatus. 126. e. & 127. a. & 131. b
Ezechielis prophetię primam, & ultimam partes per homilias viginti duas, B. Gregorius, Romanis postulantibus, tractavit. 133. a

F

FAlsarios delatores talione B. Gregorius mulctabat. 107. d. e
Familiares, & Consiliarii, quos sibi Clericos delegit Gregorius, secularibus a suo cubiculo remotis. 24. b. c
Faraldi increpatio, qui tota nocte a dęmonibus suspensus est. 142. e
Fastigium de argento purissimum in Basilica Sancti Petri a Leone Tertio translatum. 129. e. Aliud item in Basilica S. Pauli. Ibid.
Favore alieno se indignum B. Gregorius fatetur. 123. c. d
Felix Papa IV. B. Gregorii Atavus: 3. a. & tom. 3. 129. Basilicam Cosmæ, & Damiani Martyrum viâ sacrâ juxta Templum Romuli ædificavit. 3. a
Fidei Symbolum, quo cunctas hæreses dissipavit, & Fidem Catholicam munivit. 21. b. c
Finis. De fine seculi quid Beatus Gregorius senserit. 124. b. & sequen. Sententiam suam rationibus probat de Mundi senectute ad pag. usque 126. per totum.
Flagellum, quo pueris Gregorius minabatur, & lectum, in quo recubabat modulando, necnon Antiphonarium ab eodem compilatum, in Patriarchio Lateranensi congruâ veneratione reservata fuisse Joannes Diaconus testatur. 23. b. c
Fugam a Monasterio Monachus quidam molitus, a dæmone corripitur: & a B. Gregorio liberatur, fratrum precibus adjutus. 5. e
Fugitivus Monachus cæcatur, & a nigri canis morsibus liberatur, dum suum fatetur peccatum. 5. d.
Furtum. De furtis Ecclesiæ in Anglia factis quid a Beato Gregorio responsum fuerit. 31. c
Furtum quidam Monachus cum fecerit, a dęmonio vexatur, & a B. Gregorio liberatur, dum furtum fatetur. 5. b. c

G

GAlliæ, ac Germaniæ cantus qualis. 23. c. d
Gallicana Ecclesia a Romana discordans. 31. b
Gelasianum codicem de Missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjicens, in unius libri volumen Gregorius coarctavit. 25. e
Gelasianum Polypticum quid. 28. b
Gerontius Monachus divinâ monitus revelatione, seu visione nocturnâ, se de Monasterio B. Gregorii, necnon, & alios quosdam propediem morituros prędixit. 8. a
Gordianus Gregorii Pater. 3. a. Mater vero Silvia. Ibid.
Grammaticam exponens, & libros Gentilium legens, Desiderius Episcopus reprehenditur. 68. b
Græcorum Ecclesiam in novis consuetudinibus inductis Gregorius se imitatum non fuisse ait & probat, quia vel veteres Romanas reparavit, vel novas & utiles constituit. 26. c. d. e
Græca nesciens B. Gregorius, falsos tractatus suo nomine inscriptos invenit: eosque inquirens exscindi, & aboleri curavit. 135. e. & 136. a
Gregorius quàm frequenter diversis in locis demonstretur. 144. c. d
Gregorius servum servorum Dei se scribens, mediocribus vestimentis induitur: & superstitiosum, Universalis, vocabulum refutavit. 21. a
Gregorianæ Sanctitatis testimonium. d. e
Gregorii corpus à Gregorio IIII. translatum: & alia ad antiquitatem ipsius, mediocritatem, & regularem specialitatem spectantia. 135. b. c. d
Gregorius à Monasterio violenter trahitur, & Levita sive Diaconus consecratur. 9. d
Gregorius Levitæ officio à Benedicto Papa sublimatur: & in Ecclesiasticæ Hierarchiæ ministerio, non solùm nitore habitus, verùm etiam claritate morum probabilium quodam modo Angelis coæquari vitus est. 9. d
Gregorius pro responsis Ecclesiasticis Constantinop. à Pelagio Papa mittitur. 9. e
Gregorius, pestis tempore, à Clero, & Senatu, Populoque Romano in Pontificem concorditer fuit electus, totis viribus Pontificatum recusans. 14. c
Gregorius pro Anglis convertendis Britanniam à Benedicto Papa missus, eò proficisci cupiens, Romam redit, universa Urbe postulante, ab eodem Pontifice in itinere ipso revocatus. 9. b. c. Id Gregorius futurum in itinere prædixit. ibid. c
Gregorii amitæ tres. 70. b. Harum vita, & mors. 70. d. e., & 71. 4. b. Gordianæ Amitæ lapsus. ibid.
Gregorius crudis leguminibus à matre Silvia pascebatur. 4. d. & 27. e
Gregorius Sanctus, genere Romanus, arte philosophus; Gordiani, viri clarissimi, & Beatæ Silviæ filius. 3. a
Gregorius Senatoriâ stirpe genitus. ibid.
Gregorii atavus, Felix IV. Apostolicæ Sedis Pontifex. ibid.
Gregorii amita, Beata Tarsilla. ibid. & to. 3. 129. per totum, & ibid. 285.
Gregorii nomen Græcum, apud Latinos Vigilantius dicitur. ibid. b

Gregorius quot annis, & quibus temporibus Romanæ Sedi præfuerit. 3. a
Gregorii institutio. 3. b. c
Gregorius qua ratione, quibusve virtutibus ad Pontificatum ascenderit.
Gregorii Apocrisiariatus qualitas. 11. e
Gregorius ad Pontificatum nolens eligitur, 14. c
Gregorius fuit prætor Urbanus. 3. c
Gregorius Pontificatū subterfugere gestiens, Imperatori literas latenter mittit. 14. d

H

HÆresis. Se ab hæresi purgantes recipiebat, & catholicos B. Gregorius declarabat. 110. c. usque ad 112.
Hæresis prima contra Ecclesiam orta. 51. d
Hæreticos varios à corpore Ecclesiæ removit. 51. a
Homilias in Evangelia conscripsit B. Gregorius: quarum viginti homilias coram populo declamavit: reliquas dictavit, sed lassescente stomacho, aliis pronunciare permisit. 132. c. d
Homilias Evangelii viginti coram Ecclesia diverso tempore declamavit: reliquas vero ejusdem numeri dictavit, lassescenteque stomacho languore continuo ab aliis pronunciandas permisit. 132. d
Hospitis loco Dominum recepit Gregorius Papa. 27. b
Angelum in prandio vidit. c. d
Hospitio recipitur Dominus pro hospite, 27. b
Hospitalitatis adeo fuit amator Gregorius in suo etiam Patriarchio, ut præter eos, qui quotidie diversis ex locis fugiebant, quotidie item Peregrinos quoslibet ad mensam suam invitaret. 27. b
Humilitas magna B. Gregorii se in terram prosternentis, monacho sibi occurrente, 123. d. e
Humiles superbè quinam sint. 79. b
Humilitas B. Gregorii in Titulis dandis. 122. c. Factis magna. 132. d. e

I

JAnuarius Episcopus pro vindicta propriæ injuriæ inferens acriter reprehenditur. 67. d. Idem senex pro facta exaratione messis ante Missarum solemnia valde increpatur. 68. a
Jejunandi fortitudinem à Deo impetrat Gregorius. 4. c. d
Jejunare paschali Sabbato non valens, plus mœrore, quàm infirmitate deficere cœpit. 4. b
Ignis inferni detinet omnes damnatos, sed non æqualiter omnes exurit. 35. a
Imagines B. Gregorii, Gordiani patris ejus, ac Silviæ matris in atrio Monasterii pictæ describuntur: & ad tempus usque Joannis Diaconi cum inscriptionibus, & Disticho cernebantur. 136. c. d. e., & 137. a. b. Juxtà Imaginem B. Gregorii Saturninus Monachus Imagines SS. Apostolorum pingendas curavit. 137. b. c
Imagines. De Sacris Imaginibus sermo est in 67. a. b. c
Imagines Sanctorum in Ecclesiis non ad adorandum, sed ad mentes nescientiū instruendas collocantur. 67. b
Imperator Romanorum est Dominus liberorum: Rex vero Gentium est dominus servorum. 74. e. & 100. c
Imperatori Mauritio pessimam legem ferenti viriliter contradicit. 78. c. d
Imperiale jugum levius rediisse fatetur Beatus Gregorius ad Leontiam Augustam scribens, pondere gravi longi temporis remoto. 101. b. c
Incardinare quid sit. 60. c. d. 62. e, 63. & c. Vide, Cardinare.
Indulsus Monasterii desertor à sene percussus: & de revelatione Clerici, & de digressione Supponis. 143. a. & seq.
Infernus. In inferno aliquis potest esse, & inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire. 35. a
Infirmitatem alienam B. Gregorius suam putabat. 119. c
Infirmis quantam B. Gregorius compassionem ostenderit. 119. c
Infirmitatem cordis sui B. Gregorius magna consideratione quotidie cognoscens fatebatur. 134. c. d. e. & 135. a. b. Hac in re perpulchra narrat. ibid. 135. a. b
Infirmitas vel ægritudo B. Gregorii magna, ob quam per biennium in lectulo se jacuisse fatetur. 128. d. & 129. per tot.
Injurias suas Episcopum anathemate vindicante B. Gregorius valde reprehendit. 67. d
Interceſſor qualis esse debeat. 22. b
Inventarium. Porrò Inventario faciendo post obitum Episcopi nihil accipiendum esse B. Gregorius decrevit. 65. a
Joanni Ravennati Episcopo usum pallii, & mappularum subduxit: deinde suppliciter petenti quater in anno per plateas concessit. 89. c. d. & 90. b. c. d. Eidem pro diversis vitiis increpato diem suæ vocationis prædixit. 90. d. e. & 91. a. b. c
Joannis Constantinopolitani Episcopi superbia, & hypocrisis reprehenditur, universalis nomen affectantis: & literæ Augustales pro eo supplicantes redarguuntur. 78. e. & 79. per tot. & 81. per tot.
Joannis Evangelistæ vestes miraculis claruerunt in Basilica Constantiniana: quæ excussæ foras, tempore siccitatis, pluviam dabant: inundationis verò, serenitatem. 84. e. Pro Sacris Reliquiis dabantur. ibid.
Joannis Diaconi visio admiranda, libr. 4. de Vita B. Gregorii ad finem perducto. 144., & 145.
Joanni Diacono apparuerunt Beatus Gregorius, Nicolaus Papa, & Petrus Diaconus. 145. b. c. d
Joannis Evangelistæ tunica, quæ strictioribus manicis constat. 85. c
Joanais Evangelistæ, non Baptistæ, vestis altera. 85. d

Joannis presbyteri conflictus cum diabolo, ejus transitus terribilis, revelatione facta. 137. c. d. e. & seq.

Joannes Monachus à medicis desperatus, sanitatem, Beato Andrea Apostolo prædicente, recepit: deinde post biennium à defuncto quodam de sepulchro vocatus, obiit. 8. c. d

Iram Præpositorum restringendam, & unius culpam alii non esse nocivam B. Gregorius statuit. 74. b. c. d

Italia quot, & quanta incommoda, & damna intulit Agiulphus Longobardorum rex. 126. e. & 128. a. b

Judæi ad conversionem venientes pensionis onere levantur. 36. b. c

Judæis ab baptismum venientibus vestimenta etiam B. Gregorius donabat. 36. d

Judæorum munera tamquam execrabilia numquam suscipienda B. Gregorius permisit. 118. b

Judæi quomodo fuerint à Summis Pontificibus habiti. 118. b. & seq.

Judæis vim nullam inferendam esse B. Gregorius statuit: quia eorum perfidiam rationibus magis, quàm violentiis vincendam, vel excutiendam volebat. 115. d. e

Judæis Christianos subiici nulla occasione B. Gregorius debere censuit. 116. a. b

Judæus quidam, nomine Nasas, altare sub nomine B. Eliæ construxit, & Christianos aliquot ad adorandum deceperat in Sicilia, & Christiana mancipia emebat. 116. b. c

Judæorum mancipia semel ad Ecclesiam confugientia, numquam quibuslibet suasionibus reddi B. Gregorius jubebat. 116. e., & 117. a

Judæi. Christianos pro longitudine itineris per provincias à Judæorum servitio redimere B. Gregorius curabat. 116. d. e

Judicum vitia quomodo redarguebantur à B. Gregorio 75. per totum usque ad 77. d

Judices, instigante diabolo, contra B. Gregorium sævierunt. 77. e

Justus nomine, Monachus quidam, pro re peculiari, hoc est pro tribus aureis contra votum paupertatis detentis, & in medicamine absconditis severiter in morte punitur, cum ei proprium habere non liceret. 7. c. d. & to. 3. 305. per tot. Ejus anima de Inferni cruciatibus liberatur, sacrificio pro ea diebus triginta continuis oblato, B. Gregorii jussu. ibid.

K

Kalendatim, sive singulis quibusque Kalendis ex redditibus erogabat pauperibus, hoc est, suo tempore frumentum; suo, vinum; suo, legumen, &c. 28. c.

Karolus Rex, dissonantia cantus offensus, duos Clericorum suorum erudiendos dimisit. 23. e

Karolus Rex, dissonantia cantus offensus, duos Cantores Romanos ab Adriano excepit. 24. b

L

Laici cur repente Sacerdotes fieri non debebant. 54. c. De hoc datur exemplum de linguis Silvarum pro ædificiis faciendis. 54. e. & 55. a. & ibid. c

Laici non ad Ecclesiastica officia, seu ministeria, vel ad patrim. Eccl. sed tantùm ad Monachicum habitum admittebantur. 25. b. c. Cur sic. ibid. Cur. primo se tonsurare cœperint. ibid.

Laicos, Dominos B. Gregorius appellabat. 122. c.

Lampades divinitus accensæ. 29. d. e

Lateranensis Basilica aurea dicta. 56. e

Latinitas togata, seu trabeata suum Latium in ipso Latiali Palatio suum Latium more Quiritum obtinebat. 25. a. Nullus a minimo ad maximum usque, barbarum quodlibet in sermone, vel habitu præferebat. ibidem.

Leander Episcopus Hispanus, legationis officio functus est Constantinopoli pro causis fidei Wisigothorum. 131. d

Leander, Episcopus Hispalensis, Wisigothorum legatus Constantinopoli missus à Pelagio Papa, compulit Grægorium ad librum B. Job exponendum. 10. a

Lectus, in quo Gregorius Papa recubabat modulando; & Flagellum, quo pueris minabatur, necnon Antiphonarium ab eodem compilatum, in Patriarchio Lateranensi congrua veneratione reservabatur, ut Joannes Diaconus testatur. 23. b. c

Leguminibus crudis pascebatur à matre Silvia B. Gregorius. 4. d. e

Leontiæ Imperatrici B. Gregorius gratulatur, felicissima tempora reditura sperans. 101. b. c

Levitæ officio Gregorius à Benedicto Papa sublimatur 9. d, & nitore habitus, & claritate morum probabilium Angelis quodam modo visus est coæquari in Ecclesiasticæ Hierarchiæ ministerio. ibid.

Liberos homines verberari, vel includi vetuit B. Gregorius. 74. e

Liberalitatis B. Gregorii innocentia comprobatur. 43. e

Libertas uniuscujusque hominis contra judicum insolentias liberis vocibus à B. Gregorio defendebatur. 74. d. e

Libros Gentilium Desiderius Episcopus, & grammaticam quibusdam exponens reprehenditur. 68. b

Libros suos B. Gregorius in comparatione tractatuum, & operum B. Augustini furfures nominans legi vetuit, quosque vixit, 133. e. & 134. a

Libros ex verbis B. Gregorii Claudius conscripsit: quos deinde idem Gregorius in multis quantùm ad sensum mutatos esse cognioscens, conquirendos curavit. 130. e., & 131. a. Libri autem sunt de Proverbiis, de Canticis, de Prophetis, de lib. Regum, & de Heptateucho.

Libri B. Gregorii, ut in Job, Ezechielem, in Evan-

Evangelia, & Pastorale, & alii tempore Joannis Diaconi inveniebantur. 151.b
Librorum expositio. Ab exprimendis libris B. Gregorius destitit ob incursiones hostiles. 126. c 127.& 128. per totum.
Libri aliquot B. Gregorii ab invidis igni traduntur. 130.c
Libri alii B. Gregorii a Petro Diacono per mortem ab igne liberantur. 130.c.d
Libris de suis B.Gregorius humilia sensit:quæ a posteris Doctoribus facundissima prædicantur. 133.b.c
Lia, idest vita activa. 17.b
Litaniæ septiformis a B. Gregorio pestis tempore pro Deo implorando instituta. 15. c. d. e
Litanias bis in hebdomada fieri in Sicilia pro barbarorum incursionibus B.Grægorius instituit. 121.a
Literarum, sive Artium studia quot, & qualia tempora Gregorii Papæ Romæ reflo-ruerint 25.a
Locusta, quasi loco stat. 9. c. Ex locusta prævidit revocationem sibi faciendam ab itinere per Benedict.Papam, ibid.
Longombardorum perfidia quanta fuerit. 12.b
Longombardos quot annos B. Gregorius Romæ viderit, gladios eorum patiens.80. a.& 101.a
Lucidi conversio. 140.d.e

M

MAter Gregorii Silvia fuit.3.a.Pater vero Gordianus.ibid.
Manducans. Qui non manducat, manducantem non judicet: quomodo intelligatur. 69.c.d
Maleficos perpetua cæcitate mulctavit.34.a
Manus suas excutere quis ab omni munere quomodo intelligatur. 56.c
Matrimonium ad quotam generationem sit concedendum.31.c.d.e.&32.a
Mauritio Imperatori pessimam legem ferenti, viriliter contradicit. 78.c.d
Mauritius superbus Imperator didascalicis rationibus deterretur. 96.c.ad.usque 98.c
Mauritio in B. Gregorium sævienti mors per gladium imminet. 98.d. Eum terror maximus invasit. ibidem. Dromonem conscendit, dissimulato habitu 99.e
Mauritius pœnitens videt in somnis se divino judicio cum uxore, & filiis, Phocæ militi tradi. 98.e
Mauritius, seditione commota, Phocæ jussu cum omni sua cognatione perimitur, sed a sempiterno supplicio B. Gregorii precibus liberatur.99.e
Mauritii vitia Phocæ Imperatori sapienter enarrantur. 98.b.c
Maximianus cum fratribus a naufragio liberatur.12.d.& to.3. lib.3. Dial.cap.37.
Maximus Salovitanæ Ecclesiæ pervasor.93.c. d.e. A Missarum solemniis, deinde a communione corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi privatus Missas cecinit, sacramentaque satis indignus suscepit. ibid. & 94.c.d.e.Ejus causa Ravennæ ventilatur. 94. e. Ad pœnitentiam revertitur septimo excommunicationis suæ anno.95.a.b
Maximus septimo excommunicationis suæ anno ad pœnitentiam revertitur. 95. a. b. Ante corpus S. Appollinaris, jussu B.Gregorii se purgavit,& consolatoriam suscepit Epistolam, & a vinculo excommunicationis absolvitur. 95.e.& 96.a.b
Mediolanensium decretis, eis Episcopum consecrandum B. Gregorius concessit.102. a.b.c
Merulus Monachus albis floribus se somniat coronatum: mox defunctus est: è cujus sepulchro post annos quatuordecim tanta suavitatis fragrantia emanavit, ut florum omnium odoramenta illi congregata viderentur. 8.b.c
Ministeria duo uni personæ nullo modo committenda esse Gregorius decernit. 38.d.e
Miraculum de pane multiplicato in manu pistoris. 144.c
Miraculum de navi, quæ non magis erat inter undas, quam undæ intra navim 12.e.& de Athesi fluvio Veronæ.13.b.& to.3.lib.3. Dial. cap.37.
Miracula circa reliquis tactas.83.c.d.e.& c.
Miracula frequentia B. Gregorii tempore. 77.e
Missarum solemnia super corpora beatorum Petri, & Pauli Apostolorum celebrari decrevit Gregorius Papa.26.b
Missæ triginta B.Gregorii nuncupatæ unde ortum trahant. 7.b.& to.3.305. per tot.
Missæ Canoni quid Gregorius Papa apposuerit. 25.e
Monachus fugitivus cæcatur, & a nigri canis morsibus liberatur dum suum fatetur peccatum. 5.d
Monachus quidam a Monasterio fugam molitus, a dæmone corripitur;& a B.Gregorio liberatur fratrum precibus adiutus.5.e
Monachorum latebræ, in quas sese abdiderant,equorum immobilitate cognoscuntur. 6.a.b
Monachus quidam, Justus nomine, pro re peculiari, hoc est pro tribus aureis in medicamine absconditis severiter in morte punitur, cum ei proprium habere non liceret. 7.c.d.& to.3.305. per tot. Ejus anima de Inferni cruciatibus liberatur, sacrificio pro ea diebus triginta continuis oblato, B. Grægorii mandato. ibidem.
Monachicum indumentum sub Hilarionis regimine suscepit: deinde sub Maximiani regimine B. Gregorius regulari tramite militavit.4.a
Monacho sibi procidenti B. Gregorius se in terram prostravit.123.d.e
Monachi a B. Gregorio in Saxoniam missi, regulis sancti Benedicti fuerunt mancipati. 24. b
Monastica vita, & Pontificia institutio in Palatio Gregorii Papæ emicabat.24.e
Monachus quidam furtum faciens, & a dæmonio vexatus, a B. Gregorio liberatur, dum furtum fatetur. 5.b.c

Monachum in excommunicatione defunctum mirabiliter solvit B. Greg. 35. b.c.d
Monasteriis ancillarum Dei trium millium qualem eleemosynam annuatim dabat Gregorius. 23. d. Harum ancillarum Dei religiositas ac devotio qualis. 28. d
Monasterium cuidam puero ingredienti, & in eo invite commoranti quid evenerit. 13. e. & seq.
Monasterium ingredi cupientes cur Gregorius Papa voluerit eos esse probandos prius in Laico habitu constitutos. 25. d
Monasteria sex in Sicilia ex patrimonio ædificavit. 4. a. septimum vero intra Urbis Romæ mœnia juxta Basilicam Sanctorum Joannis, & Pauli ad clivum Scauri in honorem sancti Andreæ Apostoli in proprio domate fabricavit. ibid.
Moralium librum Gregorius conscripsit Leandri Episc. Hispalensis, Constantinopoli Wisigothorum legati, hortatu, & precibus compulsus. 10. a. & to. 2. 305. in Epist. ad Leandrum in expos. B. Job.
Moralium liber, non est opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum, magis quam provectum generat. 134. b
Moralium libros ubinam B. Gregorius conscripserit, ac deinde perfecerit, & cuinam direxerit. 131. d. e. & 132. a
Mortis expectatio erat consolatio B. Gregorio. 129. d
Mortuus est B. Gregorius post annos tresdecim, menses sex, & dies decem sui Pontificatus. 129. e. De ejus morte, ac fastigiis argenteis, ejusque sepulturæ loco atque Epitaphio. 129. e. & 130. a. b.
Mulieres cum Sacerdotibus habitare prohibentur, nisi sint quæ sacris canonibus permittuntur. 55. c
Mundi finis 124. b. & seq. & 25. & 26. rationes multæ afferuntur de Mundi senectute per tot.
Munus ab obsequio, munus a manu, & munus a lingua quomodo differant. 56. c
Munere ab omni quis excutere manus suas, quomodo intelligatur. Ibid.
Munerum, sive dationum consuetudines omnino tamquam pestiferum pondus toto conamine B. Gregorius repellebat. 65. b.c.d
Murmurantibus pro consuetudinibus a Gregorio Papa in Ecclesiam inductis, humiliter ipse satisfacit. 26. c. d. e

N

Natalis Episcopus de negligentia, simulque conviviis reprehenditur. 68. d
Navis non magis erat inter undas, quàm undæ intra navim: & hac in re miraculum. 12. e. & tom. 3. lib. 3. Dial. cap. 37.
Neophytorum hæresis. 51. b. Pro hac Synodus coacta. 55. b
Notarius, & Chartularius Ravennæ. 95. d
Nomina cunctarum ætatum, ac professionum tam Romæ, quàm Civitatum vicinarum cur descripta in libro, qui extabat in scrinio Lateranensis Palatii. 28. e

O

Officia duo uni personæ nullo modo committenda esse B. Gregorius decernit. 38. d. e
Oliveta numerosissima acquisivit Gregorius pro luminaribus in honorem Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli instituendis. 26. b
Olivetorum, quæ Gregorius Papa acquisivit, summa in Tabulis marmoreis præ foribus Basilicæ Sancti Petri extat. 26. b
Ordinationem nemini omnino violenter contulit B. Gregorius. 57. a. b
Ordines sacros qui violenter suscepissent, in pristinum gradum reducebantur. 57. b. c
Ordines in suos restituebantur, a quibus calumniose dejecti reperiebantur. 58. a. b.
Ordinati violenter Cardinales in Parochiis forensibus, in pristinum cardinem revocabantur. 58. d
Ordinatos posterius Clericos numquam prioribus B. Gregorius prætulit. 63. e
Ordines sacri. Pro ordinibus Ecclesiasticis nihil commodi dandum. 55. c. d. e
Ordines sacri quibusnam dari debeant. 52. b. c. d. e. quomodo sint conferendi. 53. b.c. & 54. d
Orationem Dominicam mox post Canonem Gregorius super hostiam censuit recitari, 26. b

P

Paganos pueros emit Gregorius, ut Christianos efficiat. 35. d. e. Pro paganis rusticis Gregorius minatur Episcopis. 36. a
Pagani rustici ad conversionem venire negligentes pensionis onere gravantur. 36. b
Pagana mancipia ad fidem venire volentia vendi nullo modo B. Gregorius permittebat. 117. b. c
Paganorum neminem circumcidi B. Gregorius permisit. 118. a
Pagana mancipia Judæos dominos ad fidem præcedentia, in eorum servitium nullo modo revocabantur, etiamsi eos ad Christianitatem subsequebantur. 117. d. e. & 118. a
Pallii, mappularumque usum Joanni Ravennati Episcopo subduxit Gregorius. 89. c. Eidem suppliciter repetenti quater in anno per plateas pallii usum concessit. 90. b
Pallii usus Ecclesiæ Ravennatis, a 89. usque ad 92.
Pallium Augustino Anglorum Episcopo mittitur. 30. e
Panis multiplicati miraculum. 144. c
Panis frustum in carnem; & carnis frustum rursus in panis primordia reformatum, 33. a. b
Pannum sive brandeum gladio pupugit B. Gregorius, & sanguis effluxit. 33. d
Pannus perforatus integer divinitus restituitur. 33. e
Parochiarum aliarum Clericos sibi, & aliis

B. Gregorius incardinare curavit. 63. a
Paschasii Sancti Dalmatica dæmoniaco superposita, ei sanitatem reddidit. 85. d. Cur vestis hæc S. Joannis dicatur. Ibid.
Paschasius Episcopus pro fabrica navis, & sui utilitate compescitur. 71. c. d
Pastellaticum pro usu pallii, vel consecratione Pontificis dari, sive accipi B. Gregorius sapienter prohibuit. 55. d. e
Pastelli appellatio callida, & nova pro simonia tegenda. 55. d. e
Pastorales libros quonam tempore B. Gregorius conscripserit: & cui nam exposuerit, 132. a. b. Hos libros magnus Anastasius Episcopus Antiochenus in Græcam transtulit linguam, & Orientalibus Ecclesiis dedit. 132. a. b. c
Pastore vulnerato, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? 52. d
Pater Gregorii Gordianus fuit. 3. a. Mater vero Silvia. Ibid.
Patrimoniis singulis Rectores constituit. 38. a. b. c
Paterius notarius, & Secundicerius a Gregorio Papa factus, ex libris ejus utilissima quædam defloravit. 24. c
Pauper. Pro Paupere mortuo in angustis andronarum recessibus a vespillonibus invento quid fecerit Gregorius. 28. e
Paupertatem quanti fecerit B. Gregorius. 4. e. & 5. a
Pelagii Papæ Epistola ad Gregorium Constantinopoli Apocrisiarium. 12. a
Peregrinos in suum Patriarchium invitabat Gregor. 27. b. Duodecim invitatis vice una, tertius decimus, qui erat Angelus, inventus est, & nonnisi a B. Gregorio Papa videbatur. 27. c. d. e
Peregrinis aureos, & vestimenta Apostolorum natalitio, vel suo, donabat Gregorius 28. c
Pestis, sive clades inguinaria Urbem Romam adeo laniavit, ut etiam corporali visu sagittæ cælitus venire, & singulos quosque percutere viderentur. 13. d. Homines octoginta, unius horæ spatio, animam ex peste exhalarunt. 15. e
Pestis tempore, Gregorius a Clero, & Senatu, Populoque Romano in Pontificem fuit concorditer electus, totis viribus Pontificatum recusans. 14. c
Petrus Diaconus est ille, cum quo Gregorius disputans, quatuor Dialogorum libros composuit. 24. c
Petrus Diaconus B. Gregorii familiarissimus, cum quo quatuor Dialogorum libros Gregorius disputaverat, sæpæ Spiritum Sanctum in similitudine columbæ super caput ejus vidit; & libros ejusdem post mortem ab igne liberavit. 130. c. d. e
Petrus Diaconus ubi primum Gregorianæ sanctitati testimonium præbuit, spiritum efflavit, sicut ipse petiit, a dolore mortis extraneus, juxta pyrgi basim meruit sepeliri. 130. e
Phocas Imperator efficitur: a quo Mauritius una cum suis omnibus decollatur. 99. e
Phocæ, & Leontiæ Augustorum imagines Romam mittuntur, cum eorumdem favorabilibus literis, & in Oratorio Sancti Cæsarii in Palatio Lateranensi constitutæ jussu B. Gregorii reponuntur. 100. a
Phocæ Imperatori creato gratulatur, tempora felicissima reditura sperans B. Gregorius. 100. a. b. c
Phocæ Apocrisiarius à Gregorio ex more mittitur. 100. d
Pictura. Aliud est picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. 67. b
Pictura hoc præstat idiotis cernentibus, quod legentibus scriptura, quia ignorantes in ipsa vident quod sequi debeant: in ipsa legunt qui literas nesciunt. Ibidem.
Pictura Gentibus præcipuè pro lectione est. ibidem.
Podagræ doloribus magnis patiebatur B. Gregorius. 128. d. & 129. a. c
Podagra est humor noxius, inferiora petens, & superiora deserens. 129. c
Polypticum Gelasianum quid. 28. b
Polyptico ex Gelasiano patrimoniorum reditus. 28. b
Pontificatus Auctoritas à B. Gregorio contra tyrannum Imperatorem defenditur. 93. e
Porcus discurrens per Basilicam post consecrationem factam quid. 29. b
Psalmorum commentaria legenda sunt ad vigilias; quæ mentes sæcularium ad bonos mores præcipue informant. 134. b
Presbytero Anastasio se comparans, illum superiorem, melioremque affirmat B. Gregorius. 123. b. c
Promoti Cardinales in Parochiis forensibus violenter, in pristinum cardinem revocabantur. 58. d
Præpositorum iram restringendam, & unius culpam alii non esse nocivam B. Gregorius statuit. 74. b. c. d
Prætor Urbanus fuit B. Gregorius. 3. c
Pretia rerum accipere recusavit B. Gregorius. 65. e. & 66. a
Prophetiæ spiritum Beatus Gregorius habuit. 121. b. c
Prudentia simplicitati, simplicitas prudentiæ deesse non debet. 96. e
Puero Theodoro cum fratre Religioso in Monasterio magis necessitate quàm voluntate detenta quid evenerit. 13. e., & seq.
Pythagoricæ literæ bivium quid. 3. c. ad bivii dextrum ramum, relicto sinistro, Gregorius quomodo pervenerit. ibid.

Q

QUarta redituum Clericis persolvenda. 110. a

R

RAchel, ideſt vita contemplatiua. 17. b
Reformatio Ecclesiasticorum munerum, ac morum Cleri, & Laicorum. 23. a

Ra-

Ravennatem Ecclesiam, Joanne defuncto, B. Gregorius committit Visitatori. 91. c
Ravennatis Ecclesiæ Episcopo Mariniano usum pallii dedit, quem Joanni prius negavit. 91. c. d
Ravennatis Ecclesiæ pallii usus conquiritur num fuerit antiquus; & hoc per jusjurandum Andreæ viri magnifici. 91., & 92. per tot.
Reliquias petenti Imperatrici prudenter, ac modeste, rationibus assignatis, B. Gregorius negavit. 83., & 84. per tot. Miracula circa eas tactas. 83. c. d. e
Responsalis in Diaconio suo officium exercuit B. Gregorius in Urbe Constantinopol. 131. d
Responsalis Constantinopolitanus à Pelagio Papa B. Gregorius missus est. 9. e. & 12. d
Responsalis quid sit. 79. a. b
Resurrectionis nostræ statum, Gregorius, Levita in Urbe regia constitutus, defendit, & novam hæresim contra hunc Articulum subortam attrivit. 10. b. Disputatio hac de re. ibid. & seq. & to. 2. 636. b. & seq.
Revelatione Dei B. Gregorius se indignum respondit Gregoriæ, Cubiculariæ Augustæ scire cupienti, an sibi dimissa fuerint peccata. 123. a
Revelationem de peccatis dimissis cupiens, rem difficilem, & inutilem poscit. ibid.
Revelatio cujusdam Monachi. 141. a. & seq.
Rex Gentium est Dominus servorum: sed Imperator Romanorum est Dominus liberorum. 74. e. & 100. c
Roma tyberis inundatione affligitur. 13. b. c. d
Romæ incommoda, & damna miseranda. 125. b. c. & 126. c. & e

S

Sabbatum non observari B. Gregorius jussit: dieque Dominico corpus lavari permisit, 118. e. & 119. & seq.
Sacerdotes, fratres, & comministros; Clericos, filios dilectiss. Laicos vero, dominos, Beatus Gregorius appellabat. 112. c.
Sacellarius quid sit. 80. b
Salonitanæ Ecclesiæ pervasor. 93. c. d
Sacrificia Anglorum Saxonum nondum baptizatorum. 31. a
Schismaticos ad Ecclesiæ unitatem B. Gregor. revocavit. 51. a
Schismaticos ad suscipiendam satisfactionem Romam B. Gregorius venire invitabat. 112. a. & seq. De schismate Severi Episc. 112. d. e
Siciliam simoniaca hæresi, libidineque sordentem B. Gregorius citò perituram prædixit. 121. b
Silvia Gregorii Mater. 3. a. Pater vero Gordianus. ibid.
Silvia mater legumina ad Gregorium de more mittit. 4. d. e. & 27. e
Simoniaca hæresis prima contra Ecclesiam orta. 51. d. & 52. a. b. Pro hac Synodus coacta. 55. b. Contra eam totis viribus non pugnantes, cum Simone mago portionem habere dicuntur. 55. c
Simoniacæ dationis tria genera. 56. b. c.
Simplicitati prudentia, prudentiæ simplicitas deesse non debet. 96. e
Scrinium Lateranensis Palatii. 28. e
Scutella argentea à Gregorio pauperi data est pro eleemosyna, cum nil aliud sibi esset. 4. e. & 5. a. & 27. e
Sepulturam juxtà Ecclesiam commodi spe dari prohibuit Gregorius. 26. b
Sepulchrum Beati Gregorii Epitaphio insignitum. 130. a. b
Sergius Defensor de negligentia reprehenditur. 71. c. d
Severus Episcopus Aquilejensis Ravennam venire coactus, ad unitatem rediit: ad suum schisma rediens, & catholicos affligens Sacerdotes, causa perpetuæ divisionis suę Diœcesis effectus est. 112. d. e. & seqq.
Somnium Eremitæ de B. Gregorio. 49. a. b. c
Spiritus Sanctus in similitudine columbæ visus est frequentissimè super caput B. Gregorii viventis. Hinc in specie columbæ Spiritus Sanctus super scribentis Gregorii caput depingi solet. 130. d. e
Spiritum prophetiæ B. Gregorius habuit. 121. b. c
Stationes per Basilicas, vel Sanctorum Martyrum cœmeteria instituit. 26. a
Stipendia Clericorum consueta etiam infirmis danda B. Gregorius jubebat. 109. a. b
Stupratam, in uxorem à stupratore B. Gregorius sumi, aut stupratorem ejus castigatum verberibus in Monasterio B. Gregorius deputari decrevit. 115. a. b
Subdiaconos expoliatos procedere statuit. 26. c. d. e; kyrie eleison cantari præcepit. ibidem.
Suffraganeis suis Episcopis necessaria B. Gregorius prærogabat. 66. b. In eis nonnisi Sanctitatem, sapientiam ac liberalitatem postulabat, vel quæritabat. 66. d
Symbolum confessionis, quo fidem Catholicam munivit, & cunctas hæreses dissipavit. 21. b. c
Syncopin, idest incisionem vitalium patiebatur Gregorius. 4. b
Synodicam suam Beatus Gregorius Patriarchalibus sedibus misit: quia orientales nullius Summi Pontificis nomen in Diptychis describebant, donec Synodicam fidei ejus suscepissent. 101. d. e. Et tamdiu Pontificem defunctum inter vivos annumerabant, quamdiù successor illius suas literas ad eos misisset. ibid.
Synodicam suam Patriarchalibus thronis dirigit. 21. e. & seq.
Synodus quatuor Sanctæ universalis Ecclesiæ tamquam quatuor Evangelia recepit B. Gregorius. 122. e

T

Talionis pœna falsarii delatores à B. Gregorio mulctabantur. 107. d. e
Tarsilla B. Gregorii amita. 3. a. & to. 3. 129. per tot., & ibid. 285.
Taxiarchæ. 99. c. d

Tem-

Temperantia B. Gregorii . 89. a
Theodoro puero cum fratre Religioso in Monasterio magis necessitate quàm voluntate detento quid evenerit , 13. e. & seq.
Theodori hæresis , & impietas 22. d
Theodoriti scripta refutantur,per quæ B.Cyrilli fides reprehenditur . 22. e
Theudelindę Longobardorum Reginę scribit: & deSancta Chalcedonensi Synodo pro tribus capitulis satisfecit . 122. d. e
Tetgaudi visio . 142. a. & seq.
Tyberis inundatio admirabilis, 13. b. Serpentium multitudo cum dracone ingenti per Tyberim in modum trabis ad mare descendit . ibid. d
Timidus si sit, profecto & homicida . 99. b
Trajani anima ab inferni cruciatibus liberata quomodo intelligi possit . 34. b. c. d. e. , & 35. a
Tonsurare cur se primo cœperint Laici tempore Gregorii Papæ . 25. b. c

V

Ultione dignum , non ad imitationis, sed ad correptionis exemplum adduci debet . 55. b
Universalis , vocabulum superstitiosum Beatus Gregorius refutavit : quod Joannes Episcopus Constantinopolitanus affectavit. 21. a
Universalis nominis pestem à totius Ecclesiæ universitate B. Gregorius repulit . 85. e. , & 86.
Universalis nomen à Joanne Episcopo Constantinopolitano affectatum rationibus improbatur. 80. c. d.e.,& 81.,& 82.,& 86.b.c
Universalis nomen in Synodo Chalcedonensi, Romano Pontifici oblatum , sed à nemine in usu receptum . 80. c. d. e. & 86. c
Universalis nomen Joannes Episcopus Constantinopolitanus affectans reprehenditur : & literæ Augustales pro eo supplicantes redarguuntur . 78. e. , & 79. per tot. , & 81. per tot.
Virgo . De Virgine stuprata decretum . 115. a. b
Virum sine uxoris propriæ voluntate conversum, uxori reddi B. Gregorius jussit,etiamsi fuisset jam tonsuratus. 115. b. c
Visio Tetgaudi Episcopi quondam Treverensis, qui à B. Gregorio pulsus fuerat à Monasterio . 142. a., & seq.
Visio Monachi , qui duodecim homines intra dies totidem morituros prævidit . 140. a. b. c
Visio Joannis Diaconi admiranda, libro quarto de Vita Beati Gregorii ad finem perducto . 144. & 145.
Vitalianus Episcopus pro fœmina , quæ Religiosum reliquit habitum, acriter reprehenditur . 71. b. c
Vita B. Gregorii doctrinæ respondebat . 51. a

X

Xenodochiis omnibus , ac Diaconiis rectores constituit . 37. d
Xenodochium Hierosolymis constituit : ibiq. & in monte Sina penes Arabiam annualia stipendia assignat . 38. a
Xenia, sive munera omninò B. Gregorius repellebat . 65. b. c. d

DE TABULIS DONARIORUM MARMOREIS ROMÆ A BEATO GREGORIO MAGNO SS. Apoſtolis Petro, & Paulo Dicatis.

TABULAS Donariorum marmoreas Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo a Beato Gregorio Magno dicatas pro luminaribus, ut ipſe ait, concinnandis, & in Porticu Sancti Petri affixas, hoc loco apponendas cenſui, ut ea, quæ de vetuſto ſcribendi modo in Scholiis, & præſertim in ſcholio illo pag. 246. dixi corroborentur. Quoniam verò donationem aliam B. Paulo ab eodem Gregorio ſancto pro luminaribus item concinnandis lapide inciſam, & in Porticu olim S. Pauli ad parietem Eccleſiæ affixam, nunc autem paucis ab hinc diebus ante majus Altare translatam, propè alteram ex duabus columnis, quæ primarium fulciunt arcum, à dextra parte collocatam, necnon in ejuſdem Beati Gregorii *Regiſt. libr. 12. epiſt. 19.* conſcriptam inveni; ad ipſius Sancti, & Chriſtianam, & Apoſtolicam pietatem ſplendidè repræſentandam, ac perpetuò conſervandam, hoc etiam loco eam imprimendam judicavi: Rerum namque geſtarum monumenta, ut ratio ipſa ſuadet, & experientia docet, faciliùs per Typographicam, quàm per Sculptoriam artem ab interitu vindicari queunt. Tabulæ primo loco poſitæ, & ad porticum S. Petri affixæ, duarum Tabularum fruſta videntur, ſicut diverſæ lapidum formæ, necnon mutili Donariorum fines præſeferunt.

De Tabulis Donariorum marmoreis in Porticu Sancti Petri ad parietem Eccleſiæ affixis Maphæus Vegius in libello *de præſtantia Baſilicæ Sancti Petri*, loquitur in hanc verborum formam: *Beatus Gregorius ad inſtruenda abundantiùs Baſilicæ Sancti Petri luminaria, multa prædia, multaque præſertim oliveta illi donavit, ſicuti conſtat ex publico documento inſcripto Tabulis marmoreis: quæ cum primo ſeptem eſſent, duæ tantùm adhuc affixæ ſunt muro ante ingreſſum Baſilicæ.* Hæc Maphæus Vegius dicto in libello, qui in Bibliotheca Baſilicæ S. Petri aſſervatur.

Ego intereà Lectorem moneo, omnem vel etiam futilem hiſce in Tabulis deſcribendis, & imprimendis induſtriam fuiſſe adhibitam, ut vetuſta ſcribendi conſuetudo adamuſſim; vel, ut rectiùs dicam, ad minimum uſque apicem repræſentaretur, ſpatiis tantùm exceptis, quæ quamvis in Inſcriptionibus lapide inciſis inter ſingulas quaſque voces deſiderentur; ea tamen in hiſce impreſſis apponenda curavi, ut lectio facilior reddatur. In nonnullis item vocibus contractis puncta non extant, & minuſcula elementa majuſculis admixta interdum cernuntur.

Voces denique obſoletas, quæ priſcam illam veterum Scriptorum ætatem ſapiunt, etiam prout jacent, reliquimus; eaſque Lapicidarum mendis carere Lectorem monitum volo; litera enim pro litera nonnunquam à veteribus uſurpata invenitur, ut *Inmutilata* pro immutilata; *Inmeritum* pro immeritum; *Inpendi* pro impendi; *Set* pro ſed; *Adquiſita* pro acquiſita; *Adſignatis* pro aſſignatis; *Intro* pro intra, id eſt adverbium loco propoſitionis; *Super* pro ſupra. hoc eſt præpoſitio pro adverbio; *Poſt hoc* pro poſthac: nam poſt hoc, quaſi poſt hoc tempus dicitur, cujus ſignificationem habet adverbium, *poſthac*, *Adfines* agrorum pro affines, & confines; *Adicientes* pro adiicientes; *Exſiſtere* pro exiſtere; *Hortus* in accuſandi caſu pro hortos; *Detenebantur* pro detinebantur; *Conſolatus* pro Conſulatus. Hujus generis exempla majori ex parte in orthographia Aldina, & in aliis Inſcriptionibus, quas ad millia ſexaginta, & eò ampliùs deſcriptas penès ſe habere Aldus Junior affirmare ſolebat, antiquitùs uſurpata leguntur, quæ brevitatis gratiâ ſilentio prætermittenda cenſui: ſat enim eſt hac in re citaſſe Inſcriptiones veterum Latinorum ab Aldo deſcriptas: Ipſe enim abſtruſa omnia antiquitatum in Latinè ſcribendo monumenta adeo accuratè obſervavit, ut neminem in hoc genere parem habuerit. Non deſunt etiam Scriptores, qui dictas voces apud Antiquos in uſu frequenti fuiſſe dicant: quos brevitatis causâ omitto.

Illa

Illa item Beati Gregorii ætas, litera B, pro V; & V, pro B, uti non rarò solebat, ut infrà videre est in Tabula ex duabus prima, in qua legitur, *Farba* pro Parva; *Olibetum* pro Olivetum; *Silbula* pro Silvula; *Octabiano* pro Octaviano; *Devitorem* pro Debitorem; & *Vveribus* pro Uberibus. Hunc vetustum scribendi usum in Scholio nostro 246. satis diffusè explicavimus, ut idem Scholium, in quo nonnulla scitu fortasse digna enarrantur, huic etiam Tabulæ deserviret. Alia item haùd omninò contemnenda ad hujus generis scribendi, pronunciandique usum spectantia in Commentario nostro Bibliothecæ Vaticanæ anno 1591. impresso, pag. 241. & 302. docuimus.

Lectorem item moneo, in Olivetorum recensione legi semper *Olibetum* in accusandi casu per vocem hoc modo contractam, *Olibet*, & cum puncto, & sine ipso; Vel *Olibetu*: modò etiam cum puncto, modò absq; ipso. Quòd autem accusandi casus sine literâ, *m*, fuerit in usu apud veteres Latinos illos, qui ætate Beati Gregorii extabant, id nobis persuadent multæ Antiquorum Inscriptiones lapide incisæ, quarum etiam exempla, brevitati consulens, omitto.

Illud intereà subticendum non videtur, cur, scilicet, Olivetum, quod est generis neutri, in hac Inscriptione masculini semper generis esse inveniatur: id quod factum puto per figuram syntheſim, quæ discordat cum voce, & cum suo concordat significatu, ut est illud Virg. 8. *Æn. Præneste sub ipsa*, teste Aldo seniori; & *Camerino sub ipsa* ideſt Civitate: nam Præneste, & Camerinum sunt generis neutri. Per hanc item figuram syntheſim dicitur: Lilium est albissimus florum, ideſt flos albissimus omnium florum; ita etiam Olivetum, quod est locus, sive ager, in quo Oleæ consitæ sunt, discordat cum voce, & concordat cum significatu, si referatur ad locum, sive ad agrum.

In secunda Tabula, quæ infrà cernitur, legitur *Isdem* in recto pro idem. Hanc vocem *Isdem*, in nominativo singulari pro *Idem*, non solùm Eucherius bis *in 2. lib. in Gen.* & bis in lib. Regum usurpavit, sed Ennius etiam Auctor perantiquus in nominativo singulari, & in ablativo plurali, ut refert Cicero *in lib. de Oratore*, usus est eadem voce, *Isdem*, dicens: *Isdem campus habet*, [*inquit Ennius*] *& in templis isdem, probavit: &c.* In templis isdem pro iisdem, dixit Ennius. Hinc Cicero eodem in loco ait, *Isdem* dici, & in nominativo singulari, & in ablativo plurali, & utrumque usurpatum fuisse ab Ennio: nam vox *Isdem* derivatur ab is, ea, id, & demum, Auctore Prisciano *lib. 12. cap. de figura*. Hinc, si non *Isdem*, sed Idem campus legeretur, ut nunc profectò legitur, sed corruptè quidèm; Ciceronis de hac voce disputatio vana esset. Ennius enim quamvis in nominativo singulari dixerit, *Isdem*, non *Idem campus*, in ablativo etiam plurali dixit *in templis Isdem*, pro iisdem, & uti maluit eâdem voce in secundo loco, alterum, *i*, abiiciens, ut malum sonum vitaret, quàm pro *iisdem* vocem *eisdem* usurparet: quæ sanè vox (ut ait Cicero) erat opimior, quam, scilicet, ferebat Ennii ætas, quæ nimirum vetustatem sapiebat. *Isdem*, itaque voce, primo Ennii loco pro *Idem*, repositâ, Ciceronis locus emendatur.

Duo etiam pro duos, ut *Hortos duo positos*. Quem locum in secunda Tabula mendosum esse credidissem, nisi locum Charisii legissem scribentis, *Duo* pro duos, & *Ambo* pro ambos juxtà analogiam, & declinationem Græcam rectè dici. Ait enim Charisius *lib. 1.* Nonnulli, Græcos sequuti, quia illi, τοὺς δύο, & τοὺς ἄμφω, dicunt, hos *duo*, & hos *ambo*, dixerunt. *Ambo* pro ambos apud *Virg. Ecl. 6.* [*nam sæpe senex spe carminis ambo luserat.*] Ita legendum ex Charisio, necnon ex Codice MS. vetustissimo, & insigniori, characteribus majusculis conscripto, qui in Bibliotheca Vaticana asservatur. Idem Virgilius *in lib. 4. Georgicorum*: *Verùm ubi ductores acie revocaveris ambo.* Ita Virgilii locus ex Charisio emendandus. In codice Vaticano insigni versus hic non extat, quia in hoc *libro 4. Georg.* aliquot paginæ desiderantur. Afranius in Pantaleo: *Revocans nos ambo ad prælium*. Idem Virgilius *lib. 12. Æneidos*: *Hunc congressus, & hunc; illum eminus, eminus ambo*. Ita legitur in Codice MS. vetustissimo, & insigniori Vaticano. Terentius *in Andria Act. 2. sc. 2. Ambo opportunè vos volo*. Ita legendum ex Charisio: alii enim legunt: Ambo opportunè: vos *volo*.

Duo pro duos rectè scribi ait Charisius *lib. 1.* Attius *in Epinausimache*: *Martes armis duo congressos crederes*. Ita legendum ex Charisio. Terentius *in Adelphis, Act. 5. sc. 3. Tu illos duo pro re olim tollebas tua*. Ubi Helenius Acron, *Duo* pro duos. Ita legitur in Codice MS. vetustissimo, & insigniori Vaticano: Ita etiam legitur in Terentio a Gabriele Faerno; & ita Terentii locus ex Charisio est emendandus. Cicero *in Verrem lib. 1. Act. 2. Horum Pater ab hinc duo, & xx. annos est mortuus.* Sic legebatur, & ita legi debet. Idem *ad Atticum lib. 4. Epist. ultima*: *Duo consulares, qui te dicerent.* Sic legendum. Idem ad Q. F. *lib. 1. Epist. 2. Duo Mysos*. Ita legendum, & ita emendavit Paulus Manutius *ex lib. Bessarionis*: Idem *lib. famil. 3. Epist. 4. Duo enim duarum ætatum plurimi facio, Cn. Pompejum filiæ tuæ socerum, & M. Brutum generum tuum.* Idem *lib. 7. Epist. 25. Præter duo nos, loquitur isto modo nemo*: Ita legitur, & ita legi debet. *Idem lib. eodem Epist. 29. Duo parietes de eadem fidelia dealbare.* Idem de amicitia: *Ut omnis charitas sive inter duo, aut inter paucos jungeretur*. Salustius historiarum *libr. 4. in Epist. Mithridatis*: *Inter me atque Lucullum, propè inopia rursus ambo incessit*. *Virg. Ecl. 5. Craterasque duo statuam tibi*. Ita legit Pierius ad sibilum evitandum: & ita legitur in Codice MS. vetustissimo, & insigniori Vaticano. Idem *lib. 11. Æneidos*: *Si duo præterea tales Idæa tulisset Terra viros* — Ita legitur in Codice MS. vetustissimo, & insigniori Vaticano, nec aliter legi potest, quia utraque syllaba in voce, *Duo*, est brevis; & in primo loco est dactilus, in quo prima syllaba lon-

longa est, duabus sequentibus brevibus. Priscianus *lib.7.* ait: Oportet scire quidèm analogiæ rationem, usum tamen Auctorum magis æmulari. *Duo* præterà, & *Ambo* accusativos, secundum hanc declinationem proferunt, *Ambos*, & *Duos*. C. Julius Romanus in libello de Analogia rectam ponit esse declinationem, *Hos Duo*. *Duo* igitur pro duos, & *Ambo* pro ambos rectè scribi ex Charisio, & aliis probatissimis Auctoribus fatendum, affirmandumque est. Quòd autem ad orthographiam attinet, duæ voces in prima Tabula absque diphthongo leguntur, quarum prima est dictio, *Quedam*; altera verò, *Cesariano*: In secunda verò tabula legitur *Fhoca* pro Phoca: Quas sanè voces Lapicidarum mendis carere non puto.

Massa hisce in Tabulis non eo sensu, quo dicitur massa auri, & argenti, atque id genus, alia, sed pro Fundo sive Villâ, quam vulgò dicunt *Possessionem*, usurpatur. Undè *Massarius*, cui totius villæ cura commissa est, nuncupatur, ut placet Huguitioni. Hinc nonnullis in locis rustica possessio, pro villa sive fundo sumpta, *Massaria* vocitari solet. Hæc de Glossematibus, sive vocibus veterum Latinorum abstrusis in utràque Donariorum Tabulâ conscriptis: de quibus Lectorem monitum volui, ut ne quis voces obsoletas per Typographorum incuriam impressas fuisse opinetur, neve quis omnes illas Lapicidarum mendas esse suspicetur.

Ea Donariorum Tabula, quæ nunc ad Basilicam Sancti Pauli extat, legitur etiam in Registro Beati Gregorii *lib.12. Epist.19.*, sed in Epistola, quæ Registro inserta est, nonnulla desiderantur: nam in salutatione epistolari desunt hæc verba, quæ in Tabula marmorea extant: *Episcopus servus servorum Dei*: Ad finem verò Epistolæ verba hæc: *Benè vale. Dat. viij. Kalen. Februarias, Imp. Domino N. Fhoca PP. Aug. Anno secundo, & consolatus eius anno primo, ind. septimâ*. Hæc in Tabula marmorea. Nonnullæ item voces, præter alias, quæ antiquitatem sapiunt, in hac Epistola aliter leguntur, quàm in Tabula extent marmorea, ut *in foro*, pro quo in Tabula legitur *Bifurco*. *Hortos duos*, pro *hortos duo positos*; *id est*, pro *ibidem*; *similiter parte sinistrâ ad portam*, pro *similiter a porta, parte sinistrâ*; *Eugentis*, *pro Eugenitis*; *Possessionibus Monasterii Sancti Edifitii*, pro *possessioni Monasterii Sancti Aristi*; *Hortos* pro *hortus deleri facias ac auferri*, pro *delere debeat ac auferre*.

His de rebus Lectorem item monitum volui, ut si quis Tabulam marmoream cum Epistola Registro inserta conferret, hanc collationem in Registro imprimendo factam non fuisse sciat: propterèàquòd dum Registrum typis mandaretur, Tabula illa, nondum in Ecclesiam translata, in Porticu Sancti Pauli ad parietem affixa erat in editissimo loco sitæ; hinc perpaucis, & ferè nemini nota: quin vix aliquid de ea legi poterat. Ego verò dum scholia, & alia in Beatum Gregorium à me elaborata in lucem edenda curarem, aliud agens, incidi in Panvinium, qui totam hanc Tabulam in libello *de septem Vrbis Ecclesiis* scriptam reliquit, dum *de Basilica Sancti Petri* sermonem haberet. Quarè omni adhibitâ diligentiâ, & industriâ, eam quærendo inveni, inventamque ex marmore fideliter decerpsi, decerptamque denique atque impressam, ob rationes initio assignatas hoc loco apponere libuit.

Reliquum est, ut paucis explicemus, cur Beatus Gregorius Magnus solis pro luminaribus, seu lampadibus in honorem Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli accendendis tot Fundos, & Prædia, sive tot Possessiones, totque denique Oliveta eorumdem Sanctorum Basilicis dedicarit, ac destinarit: nam ex tot tantisque prædiorum, & olivetorum præsertìm redditibus, non nisi ingentem lampadum numerum dictis in Ecclesiis adhibitum olìm fuisse, colligere possumus. Id quod planum cuique profecto fit, si Vitæ Summorum Pontificum ab Anastasio Bibliothecario, & à Platina, necnon Historiæ Sacr. à Petro Mallio conscriptæ legantur. Nam post Silvestrum Papam Cælestinus, Hilarius, aliàs Hilarus, Simplicius, Symmacus, & post Gregorium Magnum Sabinianus, ejus successor, deindè Honorius, Agatho, Gregorius II. Zacharias, & alii varia candelabrorum genera argentea, variis nominibus nuncupata (hoc est Coronæ, Phara canthara, Cerostrata, & Retia) multasque auri, & argenti libras pro lampadibus Basilicæ S. Petri Romæ dono dederunt. Hadrianus denique I. ingens candelabrum eidem donavit Ecclesiæ, atque mandavit, ut in eo tot lampades, quot dies anni sunt, hoc est CCCLXV. ante Presbyterium accensæ penderet, & præsertìm quater in anno, Die, scilicèt, Natalis Domini, Paschatis, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, atque in summi Pontificis electione. Idem fecit, Constantinus Magnus Imperat. deinde Theodoricus Rex sub Hormisda, Belisariusque sub Vigilio, qui magni pretii varia candelabrorum genera, multaque auri, & argenti pondo, Imperatoriæ ac Regiæ opulentiæ, ac liberalitati consentanea, Ecclesiæ S. Petri, atque item B. Pauli, obtulerunt. Panvinius *de rebus antiquis memorabilibus, & præstantiâ Basilicæ S. Petri libro 5.* in ejusdem Ecclesiæ Bibliotheca asservato, ait: *Mathilda, sanctitate celebris, tanti Basilicam S. Petri fecit, ut quò luminaribus adhibitis magis decoraretur, tamquam debitatam ei dotem donavit patrimonium suum, id est, Liguriæ, & Hetruriæ præcipuas partes cum omnis Oppidis ac eorumdem juribus*. Hæc Panvinius, Platina *in ipsa Paschalis II. vita* in hunc in modum: *Hoc tempore Mathilda Comitissa, admodùm senio confecta, moriens, Romanæ Ecclesiæ ex testamento reliquit quidquid a Pissia amne, & S. Quirico agri Senensis usque ad Ceperanum inter Appenninum, & mare pertinet, additâ Ferrariâ, quæ adhuc Romanæ Ecclesiæ vectigalis est*. Hæc Platina. Sed Ferraria longè prius sub Ecclesiæ ditione fuit, hoc est mille ab hinc ferè annis, tempore, videlicèt, Vitaliani, ut *in Chronicis Peregrini Prisciani, & Gasparis Sardi* videre licet, deindè tem-

tempore Pipini, Car. Magni, Ludov. I. Henr. I. & Othonis I. ante Mathildam, ut ex eorumdem, ceterorumque post Mathildam imperatorum privilegiis, quæ in Archivio Castri S. Angeli custodiuntur, constat. De hac item Donatione, Donationisque confirmatione a Comitissa Mathilda tempore Gregorii VII: & Paschalis II. præstita Anno M.CII. authentica non desunt monumenta scriptis mandata, quæ in omnibus S.R.E. Archivis asservantur. Postquàm autem in sermonem de Ferraria non consultò, sed re id mihi subministrante incidi, breviter, & quasi præteriens, dicam quod de ipsa Ferraria accidit dum hæc de Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli lampadidibus typis mandarem. Superiori namque anno Domini M.D.XCVII. Die 27. Octobris, Alphonso Estense hujus nominis II. & ultimo Ferrariæ Duce sine filiis, ac descendentibus mortuo, Sanctiss. D. N. CLEMENS VIII. Pastor Ecclesiæ vigilantissimus, & Patrimonii S. Petri defensor acerrimus, & indefessus, ubi primùm accepit, Ferrariæ Ducatum in feudum olim à Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis concessum, ad Romanam Ecclesiam ob lineam dicti Alphonsi finitam fuisse devolutum, nullâ penitus cunctatione interpositâ, cum universo S. R. E. Cardinalium Collegio de illius recuperatione graviter, ac sapienter egit, dictam recuperationem iisdem quoque Cardinalibus instanter postulantibus. Quarè Sanctiss. D. N. in decreto hac de re pronunciando, humanis posthabitis rationibus, totam Ferrariæ ditionem Christo Domino Salvatori nostro, necnon Gloriosæ, ac semper Virgini, Dei Genitrici Mariæ, Sanctisque Apostolis, Petro, & Paulo, constanti animo, miroque pietatis ardore addixit, & consecravit. Juris itaque, ac Canonum ordine servato, stricto tandem utroque gladio, Petroque S. Nicolai in Carcere Diacono Card. Aldobrandino ejusdem CLEMENTIS nepote, ad res sanè præclaras, & arduas pro Romana Ecclesia celeriter, ac feliciter perficiendas nato, ad Ducatum Ferrariæ recuperandum cum militaribus copiis misso, Cæsar Estensis nullo militum expectato congressu, eundem Ferrariæ Ducatum antiquo, ac legitimo S.R.E. dominio, Anno hoc ipso MDXCVIII. Die 12. Januarii restituere, initâ conventione scriptis mandatâ, promisit: reque ipsa ejusdem vigesimanonâ mensis die, hoc est, pridie diei, S. Hippolyto consecratæ, in qua ipsius CLEMENTIS, anteà Hippolyti nuncupati, Pontificatus natalis celebratur, liberè, ac pacificè, non humano tantùm sed expresso divinæ opis præsidio, restituit, Ferrariâ gaudio gestiente, totâ Urbe Româ exultante, Deoque ingentes gratias agente, universâque Italiâ admirante. Hactenùs de Ferraria. Nunc ad nostrum de lampadibus in honorem Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli olim accendi solitis institutum revertamur. Nam Petrus Mallius *in lib. de Historia Basilicæ S. Petri*, ut in Bibliotheca Vaticana videre est, post varia donorum, ac reddituum genera Basilicæ S. Petri pro lampadibus accendendis enumerata, de Luminaribus dicta in Ecclesia perpetuò accensis loquens, CI. lampades die noctuque, in Stationibus autem CCL. suâ tempestate in Basilica S. Petri arsisse testatur, variaque lampadum, & candelabrorum genera, & nomina, atque item loca omnia, in quibus candelabra suspendebantur, recenset, Stationibus quibuscumque totius anni enarratis. Immo, ut Anastasius Bibliothecarius ait, MCCCLXX. lampades ante Presbyterium accendi solebant. Idem ferè legitur de Basilica S. Pauli. Cùm itaque in Basilicis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli tot lampades perpetuò arderent, mirum nemini videri debet, si tot prædia, totque oliveta dictis Basilicis fuerint dedicata, ac destinata.

TABVLA MARMOREA AD BASILICAM S. PAVLI PARIETI AFFIXA.

GREGORIVS EPISC. SERVVS SERVORVM DI FELICI SVBDIAC. ET RECTORI PATRIMONII APPIAE LICET OMNIA QVAE HAEC APOSTOLICA HABET ECCLESIA BEATORVM PETRI AC PAVLI QVORVM HONORE ET BENEFICIIS ADQVISITA SVNT DO SINT AVCTORE COMMVNIA. ESSE TAMEN DEBET IN AMMINISTRATIONE ACTIONVM DIVERSITAS PERSONARVM VT IN ADSIGNATIS CVIQVE REBVS CVRA ADHIBERI POSSIT IMPENSIOR. CVM IGITVR PRO ECCLESIA BEATI PAVLI APOSTOLI SOLLICITVDO NOS DEBITA COMMONERET NE MINVS ILLIC HABERE LVMINARIA ISDEM PRAECO FIDEI CERNERETVR QVI TOTVM MVNDVM LVMINE PRAEDICATIONIS IMPLEVIT ET VALDE INCONGRVVM AC ESSE DVRISSIMVM VIDERETVR VT ILLA EI SPECIALITER POSSESSIO NON SERVIRET IN QVA PALMAM SVMENS MARTYRII CAPITE EST TRVNCATVS VT VIVERET VTILE IVDICAVIMVS EANDEM MASSAM QVAE AQVA SALVIAS NVNCVPATVR CVM OMNIBVS FVNDIS SVIS IDEST. CELLAVINARIA. ANTONIANO. VILLA PERTVSA. BIFVRCO. PRIMINIANO. CASSIANO. SILONIS. CORNELI TESSELLATA. ATQVE CORNELIANO CVM OMNI IVRE INSTRVCTO INSTRVMENTOQVE SVO ET OMNIBVS GENERALITER AD EAM PERTINENTIBVS CVM XPI GRATIA LVMINARIBVS DEPVTARE ADICIENTES ETIAM EIDEM CESSIONI HORTOS DVO POSITOS INTER TIBERIM ET PORTICVS IPSIVS ECCLESIAE EVNTIBVS A PORTA CIVITATIS PARTE DEXTRA QVOS DIVIDIT FLVVIVS ALMON INTER ADFINES HORTI MONASTERII SCI STEPHANI QVOD EST ANCILLARVM DI POSITVM AD SCM PAVLVM ET AD FINES POSSESSIONIS PISINIAN SIMVL ET TERRVLAS QVAE VOCANTVR FOSSA LATRONIS POSITAS. IDEM IVXTA EANDEM PORTICVM EVNTIBVS SIMILITER A PORTA PARTE SINISTRA VBI NVNC VINEAE FACTAE SVNT QVAE TERRVLAE COHAERENT AB VNO LATERE POSSESSIONI EVGENITIS QD SCOLASTICI ET AB ALIA PARTE POSSESSIONI MONAST. SCI ARISTI QVAE OMNIA QVONIAM DO ADIVVANTE PER ANTEDICTAE ECCLESIAE PRAEPOSITOS QVI PER TEMPORA FVERINT A PRAESENTI SEPTIMA INDICTIONE VOLVMVS ORDINARI ET QVIDQVID EXINDE ACCESSERIT LVMINARIBVS EIVS INPENDI ATQVE IPSOS EXINDE PONERE RATIONES IDCIRCO EXPERIENTIAE TVAE PRAECIPIMVS VT SVPRASCRIPTAM MASSAM AQVAS SALVIAS CVM PRAENOMINATIS OMNIBVS FVNDIS SVIS NEC NON HORTVS ATQVE TERRVLAS QVAE SVPERIVS CONTINENTVR DE BREVIBVS SVIS DELERE DEBEAT AC AVFERRE ET CVNCTA AD NOMEN PRAEDICTAE ECCLESIAE BEATI PAVLI APOSTOLI TRADERE QVATENVS SERVIENTES SIBI PRAEPOSITI OMNI POST HOC CARENTES EXCVSATIONE DE LVMINARIBVS EIVS ITA SINE NOSTRA STVDEANT SOLLICITVDINE COGITARE VT NVLLVS ILLIC VMQVAM NEGLECTVS POSSIT EXISTERE FACTA VERO SVPRASCRIPTARVM OMNIVM RERVM TRADITIONE VOLVMVS VT HOC PRAECEPTVM IN SCRINIO ECCLESIAE NOSTRAE EXPERIENTIA TVA RESTITVAT BENE VALE

DAT. VIII. KAL. FEBRVARIAS IMP. DN N PHOCA PP. AVG. ANNO SECVNDO ET CONSOLATVS EIVS ANNO PRIMO IND. SEPTIMA

TABVLA MARMOREA AD PORTICVM S. PETRI
PARIETI AFFIXA.

† DOMINIS SCIS AC BEATISS PETRO ET PAVLO APOSTOLORVM PRINCIPIBVS ❧ GREGORIVS INDIGNVS SERVVS ❧ QVOTIENS LAVDI VESTRAE VSIBVS SERVITVRA QVEDAM LICET PAREA CONQVIRIMVS VESTRA VOBIS REDDIMVS NON NOSTRA LARGIMVR VT HAEC AGENTES NON SIMVS ELATI DE MVNERE SET DE SOLVTIONE SECVRI ❧ NAM QVID VNQVAM SINE VOBIS NOSTRVM EST ❧ QVI NON POSSVMVS ACCEPTA REDDERE ❧ NISI QVIA PER VOS ITERVM ET IPSVM HOC VT REDDEREMVS ACCEPIMVS ❧ VNDE EGO VESTER SERVVS REDVCENS AD ANIMVM MVLTVM ME VOBIS BEATI APOSTOLI PETRE ET PAVLE ESSE DEVITOREM PROPTER QVOD AB VVERIBVS MATRIS MEAE DIVINAE POTENTIAE GRATIA PROTEGENTE INTRO GREMIVM ECCLESIAE VESTRAE ALVISTIS ET AD INCREMENTVM PER SINGVLOS GRADVS VSQVE AD SVMMVM APICEM SACERDOTII LICET INMERITVM PRODVCERE ESTIS DIGNATI ❧ IDEOQVE HOC PRIVILEGII MVNVSCVLVM HVMILI INTERIM OFFERRE DEVOTIONE PRAEVIDI ❧ STATVO ENIM ET A MEIS SVCCESSORIBVS SERVANDVM SINE ALIQVA REFRAGATIONE CONSTITVO ❧ VT LOCA VEL PRAEDIA CVM OLIBETIS QVI INFERIVS DESCRIBVNTVR QVOS PRO CONCINNATIONE LVMINARIORVM VESTRORVM A DIVERSIS QVIBVS DETENEBANTVR RECOLLIGENS VESTRA VOBIS DICAVI IMMVTILATA PERMANERE IDEST IN PATRIMONIO APPIAE MASS VICTORIOLAS OLIBETV IN FVND RVMELLIANO IN INTEGRo OLIBETV. IN FVND OCTABIANO IN INTEGRo MASS TRABATIANA OLIBET. IN FVND BVRREIANO VT SP OLIBET IN FVND OPPIANO VT SP OLIBETV IN FVND. IVLIANO IN INTEGRO OLIBET. IN FVND. VIVIANO VT SVP. OLIBET. IN FVND. CATTIA . . . OLIBET. IN FVND. SOLIFICIANO. VT SP. OLIBET. IN FVND. PALMIS VT SVP. OLIBET. IN FVND. SAGARIS. V. . . . OLIBET. IN FVND. MARANO. VT SVP. OLIBET. IN FVND. IVLIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. SARTVRIANO. VT SP. OLIBET. IN FVND. CANIANO ET CARBONARIA VT SVP. MASS CESARIANA OLIBET. IN FVND. FLoRANo VT SVP OLIBET. IN FVND. PRISCIANO ET GRASSIANO VT SVP. OLIBET. IN FVND. PASCVRANO VT SP. OLIBET. IN FVNDO VARINIANO VT SVP. OLIBET. IN FVND. CESARIANO. VT SP. MASS PONTIANA OLIBET. IN FVND. PONTIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. CASAROMANIANA VT SP. OLIBET. IN FVND. TATTIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. CASAFLoRANA VT SP MASS STEIANA OLIBET. IN FVND. BERRANO VT SP. OLIBET. IN FVND. CACCLANO VT SP. OLIBET. IN FVND. PONTIANo VT SP OLIBET. IN FVND. AQVILIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. STEIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. CASSIS VT SP. MASS TERTIANA OLIBET IN FVND. CAMMELIANO ET FVND TORTILLIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. CASACVCVLI VT SP. MASS NEVIANA OLIBET. IN FVND. ARCIPIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. CORELLIANO VT SP. OLIBET. IN FVND. VRSANO VT SVPER ❧ IN PATRIMONIO LABICANENS. MASS ALGISIA OLIBET QVI EST AD TVFV IVXTA ANAGNIAS IN INTEGRO ❧ OLIBET QVI EST IN SILBVLA ET MODICAS TALIAS CATAGEMMVLVM AG MILIT. OLIBET. INAPLINEAS IN INTEGRO ❧ OLIBET. QVI EST IN CLAVIANO OLIBET. QVEM TENET FRANCVLVS COLONVS IN FVND ORDINIANO IN INTEGRO ❧

SPOSITIONE

INTORNO

ALL'ORATIONE DOMENICALE

RACCOLTA

Da' più famosi Scrittori antichi, & moderni, che in ciò hanno scritto sin' hora.

CATALOGUS AUCTORUM,

Quos in Orationem Dominicam conscripsisse invenit Expositionis hujusce Auctor [iis exceptis, qui eandem Commentariis illustrarunt ex occasione exponendi sacrosancta Evangelia] ordine Alphabetico digestus.

AUgustinus, Fratrum Eremitarum sui Ordinis Institutor, & Episcopus Hipponen. multipl. exposit. & præsertim per septem Dona Spiritus Sancti septem Petitionibus collata, & per septem Beatitudines iisdem respondentes.

Augustinus Triumphus de Ancona Ord. Erem. S. Augustini per quæstiones, vel dubitationes mediis distinctionibus enucleatas.

Augustinus Cremonensis Ordinis S. Augustini.

Ægidius Columna Romanus Ordinis S. Augustini.

Albertus Magnus Ordinis Prædicatorum.

Albertus Carmelita.

Aloysius Granaten. Ord. Prædic. per meditationes breves, ac pias, vernacula lingua conscriptas.

Aloysius Lippomanus, Episcopus Veronensis. Ital.

Amarosius Episcopus Mediolanensis dupl. expos.

Antonius Literius Castellacianus, Minorita, per 1503. conclusiones, quibus universam Theologiam, & aliqua ex parte Philosophiam comprehendit, omnes dictiones Orationis contemplans.

Antonius Ciccarellus Fulginas, Italicè, per meditationes non minus breves, quàm pias, & eruditas.

Belisarius Aquaviva.

Bernardus Ordinis Cistertiensis.

Bonaventura Ordinis Minorum, Cardinalis Episcopus Albanensis.

Bernardus de Busto Mediol. Ordinis Minorum.

Canonicus Regularis, innominatus, ex Bibliotheca Vaticana, tripl. expos. Prima per septem Visiones cuilibet Petitioni accommodatas; Secunda per quindecim partes; quarum quælibet multa capita, sive dubia continet; Tertia est brevis expositio per modum Donati pro novellis clericulis ita inscripta anno Dom. 1444.

Camillus Galinus Sinopolitanus, Italicè.

Camillus Clementinus, Italicè.

Carolus Bovillus Beromandius Samarobrinus.

Catechismus Romanus ex Decreto sacri Concilii Tridentini conscriptus.

Cæsarius Episcopus Arelatensis.

Claudius à Monte Martyrum Carmel. Doct. Parisien.

Chromatius Aquilejæ Episcopus, Patria Romanus.

Concilium Colon. sive Hermannus Archiep. Colon.

Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, Tertullianum paraphrasticè imitatur, docens, quanam oratione uti, qualiter ad eam accedere, & quo gestu corporis, & modo vocis conveniat.

Dionysius Carthusianus pauciſſimis verbis, sed doctrinâ plenis.

Dominicus Cavalca à Vico Pisanus, Ord. Præd. Ital.

Eckardus Theutonicus, Ordinis Prædicatorum.

Euphrosinus Lapinus Florentinus, Italicè.

Franciscus S. Minorum sui Ordinis Fundator, per brevissimas meditationes, aut conclusiones, quibus ad omnes horas Orationem recitare solebat.

Flaminius Nobilius Lucensis, Italicè.

Gabriel Byèl, Theutonicus.

Henricus Langestein, de Hassia, Ord. Erm. S. August.

Henricus Germanus more scholastico.

Hieronymus Savonarola Ordin. Præd. tripl. expos.

Hieronymus Seripandus Ord. Erem. S. August. & S. R. E. Card. per conciones Italicè conscriptas.

Hieronymus Tergulinus Patavus, Jurisconsultus, secundùm jura.
Hercules Tassus Bergomas, Italicè.
Hermannus Archiepiscopus Colonien. sive Concil. Colon. Prou.
Hermannus Schildius Ord. Erem. S. Aug. dupl. exp.
Hermannus Petra de Stutdorp. Carthus.
Hugo de S. Victore, Canonicus Regularis, tripl. exp.
Joannes Chrisost. Archiep. Constantinop. dupl. expos.
Jo. Gerson natione Gallus, Petri de Aliaco discip.
Joannes Stephanus Durantus.
Joannes Ludovicus Vives, Valentinus.
Joannes Picus Mirandulanus.
Joannes Eboracen. Ord. Erem. S. Augustini.
Joannes Brianus Mutinensis, Italice.
Joannes Maria Ballianus, Italicè.
Joannes Orafus Lucensis, Italicè.
Jodocus Clichtoveus Neoportuensis.
Jordanus Theutonicus, Ord. Erem. S. Augustini.
Josephus Iguvinus, Canonicus Regularis, per quàm plurimas propositiones Theologicas.
Jovita Rapicius, paraphrasticè.
Ludovicus Carbo à Castaciario Ord. Minorum, & literales, & mysticas expositiones copiosè ac doctè duo de viginti annorum spatio elucubratas, & multis Scriptoribus insignitas comprehendit.
Ludovicus Pictorius, Ferrarien. per brevissimas meditationes, Italicè.
Marcus Tullius Crispoldus, Reatinus, Italicè.
Maximus Monachus, & Confessor.
Nicolaus Dinhespulus, Theutonicus.
Petrus de Aliaco, præceptor Ioann. Gerson. Episcopus Cameracen. & S.R.E. Cardinalis.
Petrus Costerius, e Societate Jesu, per quator, & viginti sermones absolutissimos.
Polydorus Virgilius Vrbinas, Lat., & Ital.
Raphael Bonellus Casalensis.
Simon Portius, Lat., & Ital.
Tertullianus Florens Carthaginensis.
Theodoricus Herxennius, Germanus.
Theophilus Fedinus Florant. Ord. Præd.
Thomas Aquinas Doctor Angelicus Ordin. Prædic.
Thomas Hasselbachius, Germanus.
Valentinus Averonus Florent. Monachus Vallis vmbrosæ, Italicè, novem libris satis grandibus.
Venantius Honorius Clementianus Fortunatus Presbyter Italicus, Augustinum imitatus.
Virgilius à Costrofranco, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula.

AUCTORES,

QUORUM SENTENTIÆ,

Hac in expositione citantur.

AMbrosius Episcopus Mediolanen.
Augustinus Episc. Hipp.
Augustinus Triumphus.
Ægidius Col. Romanus.
Alexander de Ales.
Aristoteles.
Basilius,
Beda.
Bernardus.
Bonaventura,
Bibl. SS. PP.
Cassiodorus,
Clemens Alexandrinus.
Cornelius Jansenius.
Cyrillus.
Cyprianus.
Damascenus.
Dionysius Carth.
Dionysius Areopagita.
Gregorius Magnus.
Gratianus.
Hieronymus.
Isidorus.
Joannes Chrysost.
Joann. Ant. de S. Georgio, Præpositus Mediol. & Episcopus Alexandr. deindè Card. Alex.
Joann. Stephanus Durantus.
Josephus de antiqu.
Innocentius Tertius.
Lactantius Firmianus.
Landulphus.
Nicolaus Lyranus.
Origenes.
Ovidius.
Rabanus.
Richardus de S. Vict.
Tertullianus.
Thomas Aquinas.
Thomas Cajetanus.
Theodorus Archiepiscopus Cantuarien.
Theophylactus.
Xystus, aliàs Sextus Pythagoric.

SCRIPTURÆ SACRÆ

LIBRI

IN HAC EXPOSITIONE CITATI.

Geneſis Liber.	Matthæi	Evangel.
Exodi lib.	Marci	
Numeror. lib.	Lucæ	
Deuteronomii lib.	Joannis	
Regum lib. 1. & 3.	Actuum Apoſt. lib.	
Tobiæ lib.	S. Pauli Ap. ad Rom.	Epiſt.
Job lib.	Ad Galat.	
Pſalmorum lib.	Ad Corint.	
Proverbior. lib.	Ad Epheſ.	
Eccleſiaſtis lib.	Ad Coloſſ.	
Sapientiæ Liber.	Ad Theſſal.	
Eccleſiaſtici lib.	Ad Timot.	
Iſajæ lib.	Ad Titum.	
Jeremiæ lib.	Ad Hebr.	
Ezechielis lib.	Jacobi Ep.	
Danielis lib.	Petri Epiſtæ	
Amos lib.	Joannis Ep.	
Malachiæ lib.	Apocalypſ.	
Machabæorum lib. 2.		

ENCOMIA

DOMINICÆ ORATIONIS.

Tertullianus in Orat. Dom.

Dominica Oratio quantum ſubſtringitur verbis, tantum diffunditur ſenſibus: neque enim propria tantum Orationis officia complexa eſt, vel venerationem Dei, aut hominis petitionem, ſed omnem penè ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, ut reverà in Oratione Breviarium totius Evangelii comprehendatur.

Cyprianus in Orat. Dom.

Quæ vera magis apud Patrem precatio; quàm quæ à Filio, qui eſt Veritas, de ejus ore prolata eſt? ut aliter orare quàm docuit, non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa.

Idem Ibidem.

Qualia Orationis Dominicæ Sacramenta, quàm multa, quàm magna breviter in ſermone collecta, ſed in virtute ſpiritaliter copioſa! ut nihil omninò prætermiſſum ſit, quod non in precibus, atque orationibus noſtris cæleſtis doctrinæ compendio comprehendatur.

Ambroſius lib. 5. de Sacr. cap. 4. tom. 4., & Aug. ſer. 28. de Verb. Dom. to. 10.

Vides quàm brevis Oratio, & omnium plena virtutum! primus ſermo quantæ ſit gratiæ!

Auguſtinus ep. 121. c. 12. to. 2.

Et ſi per omnia precationum ſanctarum verba diſcurras, quantum exiſtimo, nihil invenies, quod non iſta Dominica contineat, & concludat Oratio.

Auguſtinus item ſer. 182. de temp. & ſer. 22. ad ſuos Fratres in Eremo tom. 10.

Oratio Dominica compendioſis verbis, ideſt ſeptem Petitionibus omnes ſpecies Orationis comprehendit: quibus Deum interpellamus, aut pro appetendis bonis, aut pro vitandis malis, aut pro delendis commiſſis.

Chromatius Epiſcopus Aquileiæ, Patria Romanus.

O quàm fidelis hæc, & beata Oratio nobis eſt! cujus ordinem nobis Doctor vitæ, & cæleſtis Magiſter inſtituit.

Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis.

Brevis eſt hæc Oratio verbis, ſed longa Myſteriis.

Auguſt. Triumphus Anconitanus in Orat. Dom.

Dominica Oratio ſecuritate impetrandi, honeſtate petendi, ordinis congruitate, cordis, & continuitate, & humilitate omnes excellit orationes.

Idem Ibidem.

Dominica Oratio eſt valdè amica, & familiaris Deo.

Dionyſius Carthuſianus in Orat. Dom.

Dominica Oratio præ orationibus cunctis digniſſima, & ſententioſiſſima, brevis eſt in verbis, profundiſſima, & fœcundiſſima in ſenſu.

DELL' ORIGINE, ET DE' NOMI

Della Oratione Domenicale, & della sua efficacia, & eccellenza.

Orationis Domenicæ origo.

GLI Apostoli Santi ancorche havessero molte orationi scritte nel Testamento vecchio, non dimeno vedendo essi in Christo una nuova disciplina, volsero ancor una nvova forma di orare. Et per esserne compiaciuti dal Maestro loro nella dimanda, che sopra di ciò li fecero, la dimandorno, come dice S. Luca, con l'essempio di Gio: Battista, dal quale i suoi Discepoli ancora furono ammaestrati nel nuovo modo di orare. Onde gli Apostoli compiaciuti nella loro richiesta, meritorno di ricevere questa Santa Oratione, detta da alcuni Cotidiana per le quattro ultime cose dimandate in essa, delle quali ogni giorno habbiamo bisogno: ò veramente, perche si dice ogni dì nel Santissimo Sacrifitio della Messa: & perche giornalmente la dovemo dire. Da altri è chiamata Fraterna, perche in essa il Christiano non chiede cosa alcuna solamente per se stesso, mà per tutti, come suoi Fratelli, e sorelle in Christo, poiche tutti siamo fratelli, & è un solo Padre di tutti noi altri, che è in Cielo, come dice S. Mattheo, & l'Apostolo Santo. Chiamasi communemente oratione Domenicale, cioè del Signore: percioche Giesù Christo Salvatore, & Signor Nostro l'insegnò à suoi Discepoli.

Luca 11.

Orationis Dominicæ nomina.

Aug. libr. de orat. & 21. de Civ. 27. tom. 5. & tom. 3. c. 71. Enchir.

Da questo si conosce, quanto ella sia efficace, & eccellente; quanto sia grata, & cara à Dio; poiche fù formata dalla bocca Sacratissima di colui, che dall'Apostolo S. Paolo è chiamato virtù, & sapienza di Dio: che con si mirabile magistero creò il tutto nel numero, peso, & misura, cavandolo da quel profondo abisso del niente, & ridusse nel suo essere tutte le cose, che vedere con gli occhi, & comprendere con la mente si ponno: Da colui, dico, nella cui bocca, come dice San Paolo, si ritrovano ascosi tutti li Tesori della sapienza. Chi dunque ben considererà le maravigliose, & stupende opre del nostro Signore, & Salvator Giesù Christo, figliuolo di Dio, sarà anco forzato à confessare, che questa oratione Domenicale è la più efficace, & eccellente; la più grata, & più cara di tutte le altre Orationi, poiche in essa il Figliuolo di Dio, & l'istesso Iddio hà abbracciato, (come scrive Tertulliano) non solamente li proprii officii dell'Oratione, la veneratione del Signor Iddio, & le petitioni dell'Huomo; mà la somma ancora della fede Evangelica, & d'ogni Christiana disciplina. Però da Tertulliano, & da altri ancora è chiamata Breviario, & Compendio della nostra fede. E breve di parole senza oscurità alcuna, accioche ogniuno la impari, & intenda, & più facilmente la conservi nella memoria, mà è ben tutta sententiosa, piena di sensi, & de secreti, come si mostrerà à parola per parola nella spositione seguente. Gabriel Biel dice, che eccede tutte le altre orationi in dignità, brevità, & fecondità; & essendo stata composta dal Maestro de tutti i Maestri, contiene in se tutte le cose contenute in qualsivoglia altra oratione, come dice il Padre Sant'Agostino scrivendo à Proba in questa forma di parole: *Si omnium Sanctiarum precationum verba transcurras, quantum æstimo, non invenies quod ista oratio Dominica non contineat. Undè nihil aliud petere licet à Domino, quàm quod istâ oratione comprænditur: quamvis ipsa eadem etiam aliis verbis liceat postulare.* Questa Oratione adunque è la più eccellente di tutte le Sante Orationi: & si divide, come vuol Biel, in Essordio, Trattato, & Conchiusione. La conchiusione è quella particella, *Amen*; il trattato contiene le sette Petitioni; l'Essordio, e Proemio abbraccia queste poche parole, che si leggono nella forma, che hora vedremo.

Tertull. ibid.

Gabr. By in can. Missæ.

Augustad Probam to. 2. ep. 121. c. 12.

PROEMIO

Dell'Oratione Domenicale:

PATER NOSTER, QUI ES IN CÆLIS. Matth. 6.

cioè

PADRE NOSTRO, CHE HAI PER STANZA IL CIELO.

LE sopradette parole, ancorche poche siano, sono però sententiose, & misteriose: & servono in questa Oratione Domenicale per Proemio, nel quale, se bene si suole rendere l'Ascoltante benevolo, attento, e docile, secondo 'l bisogno, che s'appresenta all'Oratore; nondimeno in questo Proemio drizzato al nostro Signor Iddio, non occorreva renderlo docile, poiche egli dà la docilità à gli huomini, come fece à Salomone, & à gli altri: & egli solamente è scrutatore de' cuori; come esso stesso dice à Samuele: & come dice il Profeta, David, Gieremia, & la Sapienza, conosce i secreti de' cuori nostri, & i nostri pensieri, & chiama le cose, che non sono in essere, come quelle, che sono nel suo proprio essere, & nella sua propria natura, si come scrive S. Paolo à Romani. Ne faceva bisogno renderlo attento, poiche non solamente è scrutatore de' cuori, mà anco per bocca di Gieremia Profeta ci esforta à ricorrere à lui invocandolo, & ci promette di essaudirci; Et altrove dice: Gli huomini in ogni tribolatione ricorrendo à me per ajuto, saranno essauditi; & Io perpetuamente gli sarò Signore. Mà ben ci fà bisogno di rendercilo benevolo, non per piegarlo, essendo

3. Reg. 3. 1. Reg. 16.

Psal. 7. & 43. & Hier. 17. Sap. 7. & 7.

Rom. 4.

Hier. 33. Psalm. 106. Sap. 3.

la

1. Cor. 1. Sap. 11.

Colos. 2.

Tertull. in orationem Dominicam.

Mala. 3.

1. Ioan. 4.

la ſua volontà immutabile: ne anco per prevenirlo nella benevolenza, eſſendo egli ſtato primo ad amarci: mà per eccitar in noi ſteſſi una ſicurezza della ſua benevolenza paterna verſo noi, ancorche con mille offeſe ogni giorno lo irritiamo, & per così dire, lo forziamo à moſtrarci effetti pieni di ſdegno, & ira, quantunque in eſſo non cada paſſione alcuna di coſe tali, ne d'altre ſomiglianti. Per tanto nel preſente Proemio, eſſo Signor noſtro, Padre noſtro, & Dio noſtro, c'inſegnò di pregarlo, & di dimandarli il ſuo ajuto, & favore, & di farcilo benevolo con queſta prima parola: PATER; perche ſe bene la Divina Maeſtà, hà quaſi infiniti nomi, nondimeno ſi può dire ſicuramente, che ſopra à tutti, queſta parola, PATER, ritiene in ſe non ſolamente ſoavità efficace di pregar'il benigno Iddio, & di farcilo favorevole, mà anco virtù mirabile di eccitar'in noi ſteſſi una certa riverenza, & oſſervanza timoroſa, & caſta, alla noſtra figliolanza conveniente, come bene lo moſtrò S. Paolo, quando per la perſeveranza de gli Efeſi nella fede, & nel ben' oprare pregò in queſta forma di parole: *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in Cælis, & in Terra nominatur*. Queſta voce adunque, PATER, altro non ci promette, che amor, & fiducia. Percioche non eſſendo coſa più gioconda, e cara di eſſo nome, Padre, il quale ſignifica amorevolezza, & carità; al ſuono di tal voce Iddio ſi placa, & ci ſi rende benevolo, laſciando da banda gli effetti ſdegnoſi cagionati dalle noſtre colpe. Poteva ben'il noſtro Salvatore locare nel principio di queſto Proemio parola di maggior maeſtà, come ſarebbe à dire, *Deus, Creator, & Dominus*, cioè, Dio, Creatore, & Signore; mà non così affettuoſa, & amoroſa, com'è queſta voce, PATER. Ciaſcuna di quelle tre voci è veramente maeſtoſa, mà per conſequenza, è anco di timore, & di terrore, come chiaramente ſi vede nella ſcrittura vecchia, & particolarmente nel Cantico di Mosè, il quale contra i figliuoli d'Iſraele, che provocorno il Signor Iddio à ſdegno, per haverlo laſciato, & per eſſerſi ſcordati di eſſo Creatore, così diſſe; *Deum, qui te genuit, dereliquiſti: & oblitus es Domini Creatoris tui. Vidit Deus, & ad iracundiam concitatus eſt, quia provocaverunt eum filii ſui, & filiæ*. Nelle quali parole pieno di ſdegno, & di minaccie, appariſcono quelle tre voci di Maeſtà, & di timore. Onde à queſto propoſito il noſtro Padre Sant'Agoſtino dice, che in neſſun luogo della legge vecchia, legge di timore, & di ſervitù, ſi trova, che foſſe commandato al Popolo Iſraelitico, che chiamaſſe, ò pregaſſe Iddio ſotto nome di Padre, particolarmente nel ricevere i commandamenti della Legge, mà ben ſotto nome di Sig. per moſtrar, che eſſi erano ſervi: i quali, come dice Agoſtino, l'haveriano potuto havere per padre, ſe non ſi foſſero allontanati da ſuoi commandamenti. Chi dunque ſcorrerà i luoghi della Scrittura Sacra, conſiderando bene i ſenſi loro, troverà chiaramente, che queſte tre voci: *Deus, Creator, & Dominus*, ritengono ſempre in ſe Maeſtà, ò timore. Il che ſi ſcuopre apertamente per quel nome *Deus*, il quale dà Greci, oltra gli altri ſenſi raccolti da Gio: Damaſc. è detto ΔΕΟΣ, *Deos*, cioè timore, come ſuona nella lor lingua: perche il colto divino non è ſenza timore riverentiale, ò di veneratione. Però con gran miſtero il Salvator noſtro, Chriſto, ritrovandoſi ſopra 'l Legno della Croce circondato da mille anguſtie, afflittioni, e tormenti, come abandonato, chiamò Iddio non ſotto nome di Padre, mà ſotto nome di timore, & di Giudice. Nol volſe chiamare con queſta voce, *Pater*, voce tanto cara, grata, & ſoave, come fece nell'horto, dove gli apparve l'Angelo, & lo confortò: perche nel colmo d'una anguſtia sì fatta, alla cui conſideratione non ſi può perfettamente arivare; non pareva conveniente che una voce di tanta pietà, & dolcezza ripiena, foſſe uſata in quel tempo, & in quell'hora, nella quale ſi doveva dar fine alla ſua Santiſſima Paſſione, per la Redentione humana. Diſſe adunque: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*? cioè Tu, che ſei mio Dio; &, quaſi dir voleſſe, Padre per ragione peculiare & propria, cioè per natura, hai abandonato me, che ti ſon'unico figliuolo; non che foſſe privo di gloria, & di beatitudine, ò che all'hora la Divinità foſſe ſeparata dalla humanità (percioche non mai ſi ſeparò dall'anima, ne dal corpo: anzi, nel tempo che ſi ſeparò l'anima dal corpo, l'iſteſſa perſona di Chriſto ſi ritrovò nel Sepolcro, nel Limbo, & nelle parti più inferiori della terra) mà pareva, (volſe dire) che Iddio nol miraſſe con l'occhio della pietà paterna, cavandolo da tante afflittioni, & miſerie; anzi che la Divinità ſenza ſepararſi dalla humanità di Chriſto, ritirava à ſe i rivoli di conſolatione, laſciandola patire per mano de Crocifiſſori. Mà poi finita, & conſummata la ſua Santiſſima Paſſione, volendo deponer l'anima per ripigliarla doppò i tre giorni, come fece, chiamò Iddio ſotto nome di Padre, & gli raccommandò l'anima ſua, laſciandoglila come in Depoſito, dicendo: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Gran favor adunque, & privilegio è ſtato il noſtro, non fatto ad altra natione: poiche Iddio in queſto ſtato di gratia, & d'amore, per darci fiducia, & ſperanza d'impetrare le gratie, volſe eſſere honorato, & pregato da noi, non ſotto nome di timore, mà con voce anco di veneratione, di affetto, & di pietà paterna, che è queſta voce, PATER: la quale ſe bene trà le divine perſone conviene ſolamente alla prima per ſua proprietà, riſpetto alla generatione eterna del Figliuolo; nondimeno in queſta Oratione conviene à tutte tre le perſone inſieme della Santiſſima Trinità, per la congruenza de'beneficii univerſali fatti da Eſſa al Genere humano, & non ad altre creature. Però diſſe Malachia Profeta: *Numquid non Pater unus omnium noſtrum? Numquid non Deus unus creavit nos*? come dir voleſſe, che Iddio è Padre noſtro univerſale,

Pater.

Eph. 3.

Deut. 32.

Aug. tom. 4. lib. 2. cap. 8. de ſerm. D. in Monte.

Aug. ibid.

Damaſc. libr. 1. cap. 12.

Δέος Græcè, apud Latinos timor dicitur.

Luc. 22.

Matth. 27.

Magiſtr. ſent. lib. 3. d. 21. & 22.

Privilegium magnum. Pſal. 147.

Malach. 2.

sale, & nostro Creatore: Padre per creatione, Padre per governo, Padre per redentione, & per rigeneratione sacramentale, padre per predestinatione, & per adottione, & heredità, & padre per instruttione di fede. Padre per creatione, perche Dio trino, & uno, ci hà creati ad imagine, & somiglianza sua, quanto però alle facoltà spirituali di operar' ogni bene, come afferma Mosè con queste parole: *Et creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam.* Et: *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Padre per governo, poiche oltra la cura universale, & infinita providenza, con la quale veste i campi di mille varietà d'herbe, & di fiori senza veruna industria humana, & pasce gli Uccelli, che non seminano, ne mietono, & dà il cibo ad ogni animale, & nutrisce di rugiada i Corvi novelli abandonati da'padri, & madri avanti, che gli apparischino le penne negre; ci governa con una cura particolare, & segnalata, dandoci anco per custodia gli Angeli Santi, come si mostra per queste parole del Salmo: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Et l'istesso si conferma per quello, che si legge in Daniele, dell'Angelo Michiele, custode del Popolo Hebreo, & dell' altro custode del Regno de'Persiani. I benefitii fatti da essi à gli huomini, si possono vedere in Tobia, & in altri luoghi della Scrittura Sacra. Ci governa ancora col gastigo, dal quale dobbiamo venir'in cognitione dell'amor di Dio verso noi. Perciochè l'istessa mano, che ci ferisce, e ci percuote, ci dà la medicina, & ci sana, come si legge nel libro di Giob, il quale disse: *Ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus ejus sanabunt.* Et Geremia diceva per parte del popolo Israelitico: *Castigasti me, & eruditus sum*; come dir volesse che'l castigo di Dio fù al detto popolo un vero ammaestramento. Padre ci è Iddio per redentione havendoci ricomprati dalla dannatione eterna, però disse Isaia: *Tu Domine Pater noster, & Redemptor noster.* Perciochè come disse S. Pietro nella sua prima Epistola, non siamo stati ricomprati con oro, & argento, metalli corruttibili, ma col pretioso Sangue dell'Agnello immaculato, Christo Salvator nostro. Padre ci è per rigeneratione sacramentale, col mezo del Santissimo Battesimo, come dice l'istesso S. Pietro nella medesima Epistola, & S. Paolo scrivendo à Tito. Padre ci è anco, per predestinatione, & adottione, come scrive S. Paolo à gli Efesi così dicendo: *Gratia vobis, & pax a Deo Patre, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.* Padre ci è finalmente per instruttione di Fede, come scrive S. Giacomo, così dicendo: *Voluntariè*, cioè senza nostri meriti, *genuit nos verbo veritatis*, ideſt, *Fidei*. Ci è anco Padre per heredità. Questi dunque sono li favori segnalati, & privilegii fattici da Dio, per vigore de' quali siamo fatti degni di chiamarlo Padre in questa oratione Domenicale; la quale ancorche sia fatta da alcuno, che si ritrovi in peccato mortale, il quale ci toglie la figliolanza dell'adottione; non per questo quel tale chiamandolo Padre, dice falsità alcuna, nè in ciò pecca, purchè non aspetti la vita eterna senza meriti, ma habbia speranza di conseguirla con l'ajuto di Dio, havendo proposito di farne la penitenza: & in questo modo può chiamarsi figliuolo di esso Padre Iddio, non attualmente, ma con speranza, e desiderio di farsene degno: tanto più che la detta Oratione domenicale è commune, & dicesi in persona della Santa Madre Chiesa, la quale hà sempre in se molti figliuoli di adottione. NOSTER: Questa parola, & le altre seguenti: QUI ES IN CÆLIS, non sono poste nel suo Vangelo da S. Luca, il quale nello scrivere è stato più breve di S. Matheo, & S. Giovanne più breve di S. Luca: e S. Marco con gli altri dui sono stati più brevi di S. Mattheo. Però non è maraviglia, se uno degli Evangelisti per brevità non dice alle volte quello, che hanno detto gli altri. Ne per questo si deve dire ch'un' Evangelista sia stato difettuoso nello scrivere, & l'altro più accurato: perchè hanno fatto'l tutto con verace ragione, guidati dallo Spirito Santo, come i Sacri Dottori mostrano chiaramente in tutte le occorrenze de' luoghi tali, che pajono varii, ma non diversi, ne contrarii, come dice S. Agostino nel Trattato sopra l'Evangelo di S. Giovanni. Et se bene San Mattheo dice: *Sic vos orabitis: Pater noster, &c.* cioè, Orate in questo modo dicendo: *Pater noster*, non però ci prescrive tutte le parole formali di maniera tale, che tutte quelle voci, e dittioni siano totalmente necessarie à punto, che non si possino usare le voci equivalenti quanto al senso: ma bene ci prescrive la sostanza delle cose, come veramente necessarie alla vera, & ordinata oratione, con quella parola, *Sic*, con la quale non ci prescrive le parole puntalmente, ma il modo, l'ordine, e la sostanza delle cose. Onde ben dice S. Agostino scrivendo à Proba, che ci è lecito usar le parole, che ci pajono convenienti, purchè suonino l'istesse cose contenute nella Santa Oratione Domenicale, la quale è più conveniente, & più efficace d'ogni altra, essendo stata formata dal nostro Salvatore, & dal vero Maestro universale. Però gli Evangelisti alle volte nelle parole sono varii, ma non contrarii già mai. Et, come dice S. Agostino, la cagione di tal varietà, che consiste solamente nel modo vocale, & non nella forma sostantiale, ci mostra, che essi antepongono le cose alle parole, & non le parole alle cose, come veramente si deve fare. Non è dunque maraviglia, che S. Luca non ponga in questo Proemio tutte le parole poste da S. Mattheo in esso Essordio, & anco nella Oratione Domenicale, nella quale S. Luca come vedremo, scrive cinque Petitioni, ò dimande: & in S. Matteo, se ne leggono sette: perciochè le sette si comprendono nelle cinque, come a' suoi luoghi si mostrerà così diciamo di questa parola, NOSTER, & del-

Gen.1. Deut.32.
Matth.6.
Psal.147.
Psal.90.
Dan.10.
Tob.5.6.& 12.
Iob.5.
Hier.31.
Isai.63.
1.Petri.c.1.
1.Petri.c.1. Tit.c.3.
Eph.cap.31.
Iacob.c.1.

Dubitatio, & solutio.

Noster.

Varietas Evangelistarum in verbis, & non in sensu.

Aug. in Io: c. 12. tom.9.

Matt.c.6.

Aug. tom.2. ep.121. c.12.

Aug. tom.10. lib 5. de verb. nom. ser.11. De blasphemia in Spiritum sanctum

Varietas Evangelistarum de numero petitionum.

Solutio dubitationis.

